
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
35 M
19
ROMA

SYLLOGE
DIALECTICORVM.

SYLLOGE DIALECTICORVM.

SEV


De ijs, quæ Ariſtotelis Organo continentur, Scholaſticorum ferè omnium diſsidentium

ACCVRATA COLLECTIO:

IN QVA

METAPHISICAM POSCENTIBVS PENITVS OMISSIS, EA TANTVM EXAMINANTVR,

Vel quibus in Logica firmitèr Antiquorum sententia fulcitur, vel à Recentioribus ſtrenuiſſimè impingitur.



OPVS SANE PERVTILE:

Dum vnico, licèt tripartito, Tractatu; quæ innumeris implicabantur Codicibus, vberrimè concludat,

OMNI STVDIO, AC DILIGENTIA ABSOLVTVM

PER

MAG. F. DOMINICVM MARIAM DE BRANCACCINIS FLORENTINVM

Ordinis Seruorum B. M. V. Priorem Prouincialem, ac Serenifs. COSMI III. Magni Etruriæ Ducis Theologum.

Domus Scolar; Polon: Piar;



FLORENTIÆ,

Ex Typographia S.M.D. apud Vincentium Vangeliſti, & Petrum Matini.

SVPERIORVM PERMISSV. MDCLXXVII.


COEVNT VIRTVS;
ET SVMMA POTESTAS
A Clowet

SERENISSIMO

COSMO TERTIO

D. G. MAGNO ETRVRIÆ

DVCI SEXTO.



[1] *Itò ignominia fit superbi gloria* 1 Pub. Mimus.
SERENISSIME MAGNE DVX; solus enim Phæton

— [2] *magnis* — *excedit ausis*; 2 Ouid. 2. met.

casus tamen ille, quia casus, ignominiosus planè & habitus est, & extitit. Periculosam singulis audaciam arbitror, præsertim, quibus vires spiritibus minimè respondeant; tutissima verò res est expensio periculi, quæ ferè reuocat homines ab ipsamet audacia. Itaque non probrosum duntaxat [3] *mandare quemquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem*, sed *hominis est intemperanter abutentis & otio, & literis*; vnde meas animi

3 Cic. 1. Tuscul.

— [4] *vires subtrahit ipse timor* 4 Ouid. epist. 3.

tanti dedecoris. [5] *Nam sicuti mala emptio semper ingrata est, eò maximè, quòd exprobare stultitiam domino videtur*; ita eadem est formido, ne hoc mihi eueniat; [6] *id erit, ne dum laudem hanc nouam capto, paruam illam, quam* [7] *vmbraticus doctor* [8] *antè peperi cogar amittere*; eò quia [9] *erexi expectationem tuam, quam vereor ne destituat oratio in manus sumpta*. Esto; nihilominùs ignosces, [10] *licèt ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est*. Ex his amo verecundiam, [11] *vt erroris (si quis est error) tribuas veniam*, [12] *nihil est enim ad conciliandum gratius verecundia*;

5 Plin. lib. 1. Epil.
6 Apul. de Deo Socr.
7 Petr. Sat.
8 Apul. vt suprà.
9 Plin. lib. 4. epist.
10 Quint. lib. 1. c. 2
11 Plin. lib. 8. epis.
12 Quint. lib. 11. cap. 13

Nam

13 Plaut. in Bacch. [13] *Nam ego illum perisse duco, cui quidem perijt pudor.*

Sed mittamus ista; res maturiùs expensa patitur ad meliora verti,

14 Menandr. [14] *Oportet eos qui amant, fidem non sermones habere:*

& hac de causa quippe qui

15 Horat. carm. lib. 3. Ode 1. [15] *Odi profanum vulgus, & arceo;*

Cum paucis quod satius est, immo quod tutius cum vno scilicet Homerico Vlisse sentio, qui gloriosis verbis vt militum mos est aiebat;

16 Hom. 1. Od. [16] *Audax —— vir in omnibus operibus melior.*

17 Plin. lib. 1. epist. 18 Idem ibidem. [17] *Itaque diebus, ac noctibus cogito si qua me quoque possim tollere humo,* [18] *quia mihi pulchrum in primis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur:*

19 Virg. 10. Æn. iure igitur [19] *Audentes fortuna iuuat,*

vtinam me causa; quod facilè euenturum puto; etenim

20 Plaut. in Amph. [20] *Virtute ambire oportet, non fautoribus,*

qui tamen, quamuis minimè conquisitos non defuturos autumo: nam

21 Idem ibid. [21] *Sat habet fautorum semper, qui rectè facit.*

Penes vniuersos iudicium esto, an rectè fecerim, dum quæ scripserim

22 Naz. in panegi. ad Const. tuenda commiserim Principi, [22] *qui tantum vltra omnium sæculorum Principes eminet, quantùm à priuatis cæteri Principes recesserunt*; & tali, cui

23 Plin. in paneg. ad Traì. [23] *ne illud quidem vereor, ne gratus, ingratusque videar, prout satis, aut parùm dixero: animaduerto etiam Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia, & sanctitate lætari, gratioremque æstimari, qui delubris eorum puram, castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* Hæc mens Numinis est, similem illi sortitus est homo, cui

24 Ouid. lib. 1. met. [24] *Os —— sublime dedit cælumque tueri*
Iussit ————————

vt faciliùs suæ originis auctorem, quem imitaretur ob oculos haberet.

25 Apul. de Deo Socratis. Hinc apertè dignoscitur, quod [25] *nihil est Deo similius, & gratius, quàm vir animo perfectè bonus, qui hominibus cæteris antecellit, quàm ipse à Dijs immortalibus distat.* Igitur quod in cęlis Deus est, in terris & Princeps est.

26 Plaut. in capt. [26] *Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus, auditque, & videt;*

è contrà

27 Mart. lib. 4. [27] *Principis est virtus maxima nosse suos.*

Hoc fretus argumento, licet

28 Ouid. lib. 3. de Pont. [28] *Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas,*
Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit vt veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæso non minùs agna boue.

Qualecunque sit hoc munus ęqui, bonique facies; meretur indignationem potiùs quàm gratiam, haud quaquam ignoro, sed:

29 Idem lib. 5. Fast. [29] *Sæpe Iouem vidi, cùm iam sua mittere vellet*
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

30 Idem lib. 1. de Pont. Tu qui es
—— [30] *ad præmia velox,*
Cuique dolet quoties cogitur esse ferox,

in obsequium tui, occasione, quam mihi labor assiduus obtulit, me vti

per-

permittes; scis temporibus antiquiores optimum non solum, verùm etiam semper necessarium duxisse

[31] Sacrificare Dijs, vt opes viresque tulerunt: 31 ex Lip. in not. ad paneg. Plin.

ego quoque audebo, nescio quid simile; *[32] nec mei tamen ingenij, aut virium fiducia, sed eorum à quibus mutuor, & sumo verba, sensusque*; & quamuis me non fugiat, quòd 32 Idem lib. 5. politic. cap. 1.

[33] Emendare iocos vna litura potest: 33 Mart.

nihilo tamen serius, teste viro sanctissimo Moyse, per quem *[34] stetit vnda fluens, congregatæ sunt abissi in medio mari*, quemadmodùm legimus 34 In Cantico.
Deum *[35] qui mensus est pugillo aquam*, non solum non abhorruisse à minimis quibusque, sed arctissimo legis vinculo per eum sanxisse, vt primitiæ quoque frugum fructuumque sibi in odorem suauitatis, idest in oblationem offerrentur: ita si lætus ac lubens volumen hoc charactere SERENISSIMI NOMINIS TVI dignoratum primitias, primogenitumque mentis meæ (si fas est cum Platone loqui) tibi dicatum eo, nullus prorsus improbare audeat, cùm poetarum festiuissimus Ouidius mihi suadeat, dum inquit, 35 Esai. 40.

—— *[36] quacunque potes dote placere, place.* 36 lib. 1. de arte aman.

Ideò turpe duxi, nec viro, & viro subdito dignum non adinuenire, quibus principibus placerem viris, quapropter non ab re mihi visum, hanc inire viam tibi placendi. *[37] Nescio* (fateor; vtinam me nec consilij, nec obsequij pęniteat exhibendo quidquid supprimere debueram) *nescio* inquam *vt Smenias tibijs canere, sed non pudet me tibicinem non esse*, quamquam tentauerim, & iam manum ferulæ subduxerim, immo & militauerim non sine gloria. Fortasse obijciet aliquis 37 Apul. de Deo Socr.

—— *[38] O mores vsque adeò ne;* 38 Pers. sat. 1.
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

absit; similem artem exercui, quia nostris hisce temporibus nullus *[39] Appius Claudius Cæcus decantandi ius tibicinibus in publico ademit*; *[40] nescio* quoque *vt Apelles coloribus pingere, vt Lisippus fingere, sed non pudet me non esse significum*: puderet quidem, si tibi vnii SERENISSIME MAGNE DVX, non dicarem hoc opus, cùm sortitus cum cæteris sim præstabilius, ac pulchrius munus Deorum, quale est *[41] castus, & sanctus, & Dijs simillimus Princeps*, effatum illud Adriani quàm iustissimè vsurpas, cùm inquis; *[42] Ita imperium administrabo, vt sciam non mearum rerum, sed subditorum cura me affici debere*; & non vt *quidam*, qui *æternitati se commendare posse per statuas æstimantes, eas ardenter affectant, & quasi plus præmij ex figuris æreis adepturi, quàm ex conscientia honestè, rectèque factorum, eas auro curant imbracteari*. Quàm decipiantur isti, facilè ex te ipso cognosces: *[43] nam non est (mihi crede) tantùm ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quàm à circunfusis vndique voluptatibus; qui eas sua temperantia frenauit, ac domuit, multo maius decus, maioremque victoriam sibi peperit, quàm* qui nouerit 39 Plin. vel auctor lib. de viris illust. 40 Apul. vt sup. 41 Plin. in paneg. ad Traian. 42 Amm. Marc. lib. 14. 43 Liu. lib. 30.

—— *[44] errantem lunam, solisque labores* 44 Virg. Æn. 1
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber, & ignes,

Ar-

Arcturum, pluuiasque hyadas, geminosque Triones,
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Quid vltrà? eorum, quæ gesseris meminit orbis totus, & Europa præsertim, quam planè totam, quod nemo dubitet peragrasti; meminimus & nos, & cur meminimus? immo videmus, dum quotidie quisque nostrum vnà cum exteris te videntibus, mirantibusque clamat (vnde

45 Mart. lib. spect. epig. 3. — *[45] Vox diuersa sonat: populorum est vox tamen vna)*

46 Ouid. 6. fast. — *[46] Sic agitur censura, & sic exempla parantur,*
Cùm iudex, alios quod monet, ipse facit.

Et meritò equidem, cùm dicaris, & sis

47 Luc. lib. 2. — *[47] Iustitiæ cultor rigidi seruator honesti.*

Indixisti, tu inquam indixisti aulæ cuiuscunque in exemplum

48 Iuuen. sat. 14. — *[48] Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,*

49 Mart. lib spect. epig. 20. — *[49] O dulce inuicti principis ingenium!*

Sed

50 Iuuen. sat. 1. — *[50] Nota magis nulli domus est sua, quam* ——

omnibus hæc tua decora; tacebo igitur: nam

51 Ouid. 1. fast. — —— *[51] memorem famam, qui bene gessit habet.*

52 Eum. in paneg. ad Const. — *[52] Dixi propè plura quàm potui, sed pauciora quàm debui, vt iustissima mihi causa sit propitio munere tuo, & nunc desinendi, & sæpe dicendi.*

Florentiæ sexto Kal. Aprilis MDCLXXVII.

CELSITVDINI TVÆ

Humill., addictiss., & obsequentiss. Seruus
F. Dom. M. de Brancaccinis
O.S.B.M.V.



INGENVO LECTORI.



E quidem minimè latet, plerosque, vel ex Neotericis propemodùm omnes;
metaphysicas, quin etiam theologicas in ipso Logices curriculo, immo si dixe-
rim vestibulo, haud quaquam aberrem, eò usque difficultates protrahere; vt
vix dialecticis disputationibus loco relicto, ea quæ ab eorum instituto pluri-
mùm abhorreant, ad obruenda Tyronum ingenia magis fusè pertractent.
Fortassis Dialectica, quæ Ars differendi dicitur, proprijs adeò macra, ieiuna,
sterilis, ac inops videtur disquisitionibus, vt alienis refercienda, atque di-
tanda sit? Quasi eam Plato, qui post homines natos optimus Philosophus ha-
beri, & dici potest, prudentiam disputandi non dixerit. Hæc enim est, vt
Tullius in Bruto disertissimè asserit, quæ Rem vniuersam tribuere in partes,
latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, de-
inde distinguere, postremò habere regulam, quæ vera, & falsa iudicantur, & quæ quibus proposi-
tis sint, quæque non sint sequentia, *docet. Quamobrem impropria, & extranea, quibus nostra tem-*
pestate nimis accuratè in Porphyrij Isagogen, & Aristotelis Categorias disputantes satis abundant,
missa faciendo; dum eadem, fauente Deo, opportuniùs agenda promitto; quæ Dialectica fines non
transcendunt, methodo dilucida, perspicua, vnaque clara, discutienda propono. Ne reputes idcirco
(candide Lector) cum Zenone, simplices, & nudas Dialecticorum artes, iustis mensuris, quæ non
Triticum, nec aliud quidpiam alicuius pretij, sed paleas, & stercora metiuntur, esse comparandas:
nam commodis postpositis, quæ cæteris suppeditat facultatibus, cùm Omnem Hæretici vim veneno-
rum suorum (*D. Ambrosio teste lib. 5. de fide, ad Gratianum*) in Dialectica arte constituant: *peni-*
tus non erunt inutiles, si cauillosas, subdolasque eorum rationes ita dissoluant, vt ipsi sua obterantur
arte. Quod inoffenso vt percurras pede: moniti non immemor superni, Seniorum narrationem præ-
tereundam minimè putes; quinimmo, vt ab ipsis discas intellectum, & in tempore necessitatis des
responsum; *eorum lucubrationes colligendas, ac tibi veluti omnigena sapientia fontem perennem,*
degustandas exhibeo. Exprobent ergo, si libet, quibus hæc scribendi ratio non satis probatur, quòd
nempe actum agitur, quòd eadem transcribantur, quòd millies decantata repetantur: etenim
illis, qui in examinandis, ac retexendis Antiquorum scriptis nauarunt operam, argumenta om-
nia suis locis reddere, atque ad sua reducere principia, ordinem perspicere, virtutem orationis,
qua ipsi vsi sunt penitus intelligere, ac tandem in controuersiam hæc omnia reuocare, haud pa-
rum difficile semper visum est. Quibus tamen nec perterritus, nec piger, non ea solummodò,
quæ Prædicabilium, Prædicamentorum, Perihermenias, Priorum, ac Posteriorum cum omnibus
Scholasticis; verùm etiam, quæ Topicorum, & Elenchorum Libros dilucidant, cum paucis, aut
ferè nullis, redegi, disposui, disputanda paraui, atque ab omnibus Recentiorum argumentis pro-
prio Marte vindicaui. Hoc tandem, te non ignorare percuperem, hunc vnum semper fuisse sco-
pum, illorsum tantùm me collimasse, vt quæ cum labore, plurimos euertendo Codices, indaga-
turus esse, hic gradatim legendo, cum delectatione sedulus reperires. Vale itaque, ac mea
DIALECTICORVM SYLLOGE lætus fruere; omnique studio enitere, ne quis inuidus alterius
marcescat rebus optimis.

AD LECTOREM.

Quicquid habet ſparſim dialectica turba Sophorum,
Hoc vno tantùm codice Lector habes.

AD EVNDEM.

Eſt Sophiæ cor hic liber, eſt & mentis ocellus,
Quo duce, ni graue ſit, vera videre potes.

N.N.

AD AVCTOREM.

SYLLOGEVS ſcribis Dialexis in arte Magiſter,
Atque Sophiſtarum dogmata cuncta ligas:
Singula ſi voluant logico qui puluere ludunt,
Auctoris clarum quiſque ſtupebit OPVS.

Fr. Proſper Bernardi Flor. O.S.

OPERIS APPROBATIO.

Reuerendus P. Magiſter Antonius de Fabbris Florentinus, perlegat Opus, cuius titulus eſt *Sylloge Dialecticorum, &c.* quod A.R.P.M. Dominicus Maria de Brancaccinis Florentinus, Prouinciæ Tuſciæ Prior Prouincialis, typis mandare deſiderat; & referat prout, &c. Dat. Romæ, Die 4. Ianuarij 1675.

F. Ioannes Vincentius Luchesini Generalis Ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis.

Ex commiſſione Reuerendiſsimi Patris Sacræ Theologiæ Magiſtri Fr. Ioannis Vincentij Lucchesini Prioris Generalis Ordinis Seruorum B. M. V. ego ſubſcriptus ſedula attentione perlegi præſens Opus, quod inſcribitur *Sylloge Dialecticorum*, ab Admodum Reuer. Patre Magiſtro Fratre Dominico Maria de Brancaccinis eiuſdem Ordinis Theologo, & Seruorum Tuſciæ Prouinciali meritiſſimo laborioſè elucubratum; & atteſtor, in eo nihil me reperiſſe, quod aut catholicæ Fidei, aut bonis moribus aduerſetur, ſed omnia vtriſque conſona, optimam doctrinam redolere animaduerti. Quinimmo puto fore Opus Scholaſticis omnibus, præſertim verò Dialecticæ ſtudioſis gratiſſimum, quippe quòd Logicam diuiti cognitionum non aliunde emendicatarum ſupellectili affluentem exhibet; dum quæcunque vel minima pars huiuſce facultatis amplam excellenti Auctoris ingenio miniſtrauerit materiam tam varias inſtituendi diſputationes, excitandique difficultates, quas clara methodo diſponit, profunditate examinat, atque ſubtilitate reſoluit. Quare pro communi ſtudioſorum vtilitate, publica typorum luce digniſſimum id cenſeo. In quorum fidem, &c. Datum Florentiæ in Conuentu Annunciationis B. M. V. die 12. Nouemb. 1676.

Fr. Antonius Fabbri Seruita S.T.M.

Fr. Io: Vincentius Luchesini Lucenſis Sac. Theologiæ humilis profeſſor, Sanctæ Vniuerſalis Inquiſitionis Qualificator, ac totius Ordinis Seruorum B.M.V. Prior Generalis.

Dilecto nobis in Chriſto A.R.P. Domin. Mariæ Brancaccini de Florentia Ordinis Noſtri Seruorum B. M. V. in Prouincia Tuſciæ Priori Prouinciali ſalutem.

Opus, cui titulus eſt *Sylloge Dialecticorum, &c.* à te omni ſtudio, ac peculiari diligentia collectum, & abſolutum; & à R. P. Magiſtro Antonio de Fabbris Florentino Ordinis Noſtri, de mandato noſtro accuratè reuiſum, vtpote ſtudioſis omnibus perutile, quantùm ad nos ſpectat imprimi poſſe concedimus, ſeruatis de iure ſeruandis. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu Noſtro S. Marcelli die 26. Nouemb. 1676.

F. Io: Vincentius Generalis Ordinis Seruorum B.M.V.

Videat, & referat Adm. R. P. M. Ioannes Baptista Parigi Ordinis Prædicatorum, &c. die 10. Nouembris, 1676.

Alexander Puccius Vic. Gener. Flor.

Iussu Illustriss., & Reuerendiss. D. D. Alexandri Puccij Vicarij Gener. Florent. Ego infrascriptus legi, ac perlustraui Librum, cui inest titulus *Sylloge Dialecticorum*, ab Adm. Reu. Patre Magistro Fr. Dominico Maria Brancaccini Ord. Seru. B.M.V., & Prouinciæ Tusciæ dignissimo Prouinciali, omni studio compositum; Opus vndequaque absolutum; In quo, ne dum cuncta ad Orthodoxæ Fidei, Christianæq; Philosophiæ normam reperi; Verùm etiam quòd sapientissimus Auctor mira perspicuitate, iuxta tutissima Aristotelis, D. Thomæ Aquin., & præcipuorum Doctorum dogmata propriam firmans sententiam, omne tulit punctum, dum claritatis dulci, intellectus vtile miscuit; Dialecticam namq, proprijs restitutam, ab alienis vindicatam voluit, vt non occupatio pessima tradita filijs hominum, præ difficultate attingendi, censenda videatur, sed tamquam Cynosura pateat ad falsitatis, vel sophismatum scopulos eludendos, ac mentis obiectum in sua puritate assequendum. Quare Opus huiusmodi, quod & Tyronibus, & Emeritis cunctis lucem est præbiturum, vt in lucem, medijs Typis, exeat dignum existimo. In quorum fidem, &c. Dat. in Conuentu S. Marci de Florentia. Die 6. Decemb. 1676.

F. Ioannes Baptista Parigi Sac. Th. Mag. Ord. Prædicator.

Imprimatur ser. ser. 16. Decemb. 1676.
Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Adm. R. P. M. Euangelista Tedaldi Florentinus O. S. B. M. V. Sanctæ Inquisitionis Consult. Theologus, diligenter videat, & referat, &c.

F. Franciscus M. Vicarius Gener. S. Off. Flor.

Hanc *Dialecticorum Syllogem*, opus verè aureum, mira subtilitate, ac speculatione compositum ab A.R.P.M. Dominico Maria Brancaccini Prouinciali Seru. Tusciæ, & Sereniss. Magni Etruriæ Ducis Theologo; cùm nihil in eo, quod Catholicæ Fidei, aut Ecclesiæ sanctionibus aduersetur contineri recognouerim, sed omnia in vera sapientia, & sana doctrina esse disposita, clarè comprehenderim; vt typis quàm primùm mandetur dignum censeo, &c. Dat. Florentiæ in Conuentu SS. Annunciatæ, die 17. Decembris 1676.

Fr. Euangelista Tedaldi Seru. SS. Inquis. Consult. Theologus, &c.

Imprimatur
F. Franc. M. Sac. Theol. Doctor, ac S. Off. Flor. Vic. Gener.

Mathæus de Mercatis Aduocatus pro Sereniss. Magno Duce Etruriæ.



INDEX

Tum Librorum, & Capitum; tum Disputationum, & Quæstionum, quæ in hoc opere continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam, litera marginalis locum distinctum significant.

LIBER PRIMVS INSTITVTIONVM AD LOGICAM.

De vocibus simplicibus, terminis scilicet, eorumque proprietatibus.

Caput 1. De significatione, seu ratione Signi. 1. 1. B.
Caput 2. De natura, & essentia Termini, illiusque prima, & immediata Diuisione. 2. 1. A.
Caput 3. De alijs Diuisionibus termini vocalis categorematici. 3. 1. B.
Caput 4. De Suppositione. 3. 2. A.
Caput 5. De Regulis ad dignoscendas suppositiones. 4. 1. D.
Caput 6. De Ampliatione, Restrictione, Alienatione, & Diminutione. 5. 1. C.
Caput 7. De Appellatione. 5. 2. B.

LIBER II. INSTITVT. AD LOGICAM.

De Propositione, & eius passionibus.

Caput 1. De Nomine, & Verbo. 6. 1. D.
Caput 2. De Oratione. 6. 2. C.
Caput 3. De Definitione. 7. 1. C.
Caput 4. De Diuisione. 7. 2. D.
Caput 5. De Argumentatione. 8. 1. B.
Caput 6. De Propositione, eiusque diuisionibus, ibidem C.
Caput 7. De Propositionibus hypotheticis, earumque diuisionibus. 9. 2. B.
Caput 8. De proprietatibus Propositionum, & primò de Oppositione Propositionum simplicium. 10. 1. B.
Caput 9. De Æquipollentia, & Conuersione Propositionum simplicium. 11. 1. D.
Caput 10. De Essentia, & Speciebus Propositionis modalis. 12. 1. C.
Caput 11. De Proprietatibus Propositionis modalis. 13. 2. D.
Caput 12. De Essentia, & Speciebus Propositionis exponibilis. 14. 1. C.
Caput 13. De Propositione futuri contingentis. 15. 2. D.

LIBER III. INSTITVT. AD LOGICAM.

De Argumentatione, eiusque speciebus, proprietatibus, ac regulis.

Caput 1. De Speciebus Argumentationis. 16. 1. A.
Caput 2. Quid, & quotuplex sit syllogismus. 16. 2. B.
Caput 3. De tribus figuris syllogismorum, earumque Modis. 17. 1. C.
Caput 4. De regulis tam communibus trium figurarum, quàm specialibus vniuscuiusque. 18. 1. B.
Caput 5. De proprietatibus, & passionibus syllogismorum; de probatione scilicet perfectorum, & reductione imperfectorum. 19. 1. A.
Caput 6. De syllogismo demonstratiuo. 20. 1. A.
Caput 7. De syllogismo topico. 20. 1. D.
Caput 8. De syllogismo sophistico. 21. 1. B.
Caput 9. De inuentione Medij. 22. 2. C.
Caput 10. De conditionibus Arguentis, & Respondentis. 23. 1. C.

PROOEMIVM TOTIVS OPERIS.

DISPVTATIO I.

De Existentia, Obiecto, Diuisione, Vtilitate, ac Fine Logicæ.

Quæstio 1. An detur Logica in rerum natura. 24. 2. B.
Quæstio 2. Vtrùm Obiectum formale Logicæ sit quid reale, vel rationis. 25. 2. C.
Quæstio 3. Quodnam Ens rationis sit obiectū in Logica. 28. 2. C.
Quæstio 4. An Logica dicatur docens, & vtens indifferenter quoad omnes sui partes tam magis principales, quàm minùs principales. 32. 1. D.
Quæstio 5. An Logica docens, & vtens sint idē habitus. 34. 1. B.
Quæstio 6. Vtrùm Logica sit scientia. 35. 1. D.
Quæstio 7. Vtrùm Logica sit scientia practica, vel speculatiua. 37. 2. B.
Quæstio 8. Vtrùm Logica sit pars Philosophiæ. 40. 1. A.
Quæstio 9. An Logica sit necessaria simpliciter ad alias scientias acquirendas. 40. 2. B.
Quæstio 10. Quid sit finis Logicæ, tam docentis, quàm vtentis. 42. 1. A.
Appendix Disputationis. De diuisione Logicæ, ac methodo seruanda. 43. 2. A.

PRIMA PARS.

LIBER PRÆDICABILIVM, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO II.

De vniuersali, siue prædicabili in communi.

Quæstio 1. Quid, & quotuplex sit prædicatio. 47. 1. D.
Quæstio 2. Vtrùm in nominibus primæ intentionis, concreta prædicentur de concretis. 48. 2. D.
Quæstio 3. An in nominibus primæ intentionis abstracta tam substantialia, quàm accidentalia, verè prædicentur de abstractis. 49. 2. A.
Quæstio 4. An in nominibus primæ intentionis concreta prædicentur de abstractis, & abstracta de concretis. 51. 1. D.
Quæstio 5. An nomina secundæ intentionis prædicentur tam in concreto, quàm in abstracto non solum de se ipsis, verùm etiam de nominibus primæ intentionis, similiter tam in concreto, quàm in abstracto acceptis. 52. 1. D.
Quæstio 6. An vniuersalia, siue prædicabilia sint tantùm quinque. 54. 1. A.
Quæstio 7. An vniuersale sit genus ad quinque prędicab. 55. 2. D

DISPVTATIO III.

De Genere.

Quæstio 1. Vtrùm accidentia tam in concreto, quàm in abstracto debeant definiri per proprium subiectum. 57. 2. A.

Quæs-

Quæstio 2. Vtrùm accidens in concreto rectè etiam definiatur per concretum superius loco generis. 59. 2. A.
Quæstio 3. Quid sit definitum in definitione generis, & generaliter in definitionibus aliorum prædicabilium, quando definiuntur in concreto. 61. 1. A.
Quæstio 4. Quid ponatur pro genere in definitione huius, & aliorum prædicabilium; & quomodò debeant tam in concreto, quàm in abstracto definiri essentialiter. 63. 1. C.
Quæstio 5. Vtrùm definitio generis tradita à Porphyrio sit bona; & an essentialis, vel descriptiua. 64. 2. B.

DISPVTATIO IV.

De Specie.

Quæstio 1. An Definitiones speciei à Porphyrio traditæ sint bonæ. 66. 1. D.
Quæstio 2. An species, vt formaliter subijcibilis est, sit formaliter vniuersalis. 67. 2. B.
Quæstio 3. Vtrùm indiuiduum benè definiatur à Porphyrio. 68. 2. D.

DISPVTATIO V.

De Differentia.

Quæstio 1. Qualis sit diuisio Differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam. 70. 1. A.
Quæstio 2. Vtrùm secunda definitio Differentiæ non solùm conueniat Differentijs subalternis, sed etiam infimis. 71. 2. A.
Quæstio 3. An Differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad indiuidua, de quibus prædicatur. 72. 1. C.

DISPVTATIO VI.

De Proprio.

Quæstio 1. An Proprium, quarto modo tantùm consideratum, constituat hoc quartum prædicabile. 74. 2. A.
Quæstio 2. Vtrùm Proprium sit vniuersale per ordinem ad speciem, seu essentiam, à qua dimanat, vel per ordinem ad inferiora illius. 76. 1. A.

DISPVTATIO VII.

De Accidente.

Quæstio 1. Vtrùm Accidens rectè definiatur à Porphyrio. 77. 1. D
Quæstio 2. Vtrùm Accidens sit vniuersale per ordinem ad subiectum, vel per ordinem ad inferiora. 78. 1. C.

LIBER CATEGORIARVM, siue Prędicamentorum, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO VIII.

De Vniuocis, Æquiuocis, & Denominatiuis.

Quæstio 1. Vtrùm definitio Æquiuocorum sit bona. 82. 2. D.
Quæstio 2. Vtrùm definitio Vniuocorum sit bona. 83. 2. D.
Quæstio 3. Vtrùm definitio Denominatiuorum sit bona. 84. 1. D.

DISPVTATIO IX.

De Analogis.

Quæstio 1. Quid sit Analogum. 85. 1. D.
Quæstio 2. Quot sunt species analogiæ logicæ. 86. 2. B.
Appendix quæstionis. De mathematicis proportionibus, & proportionalitatibus. 90. 2. D.
Quæstio 3. An conditiones vtriusque analogię sint rectè assignatæ. 93. 1. B.
Quæstio 4. Vtrùm ab analogis abstrahi possit aliqua ratio, quæ simpliciter sit communis, atque ab ipsis præcisa. 96. 1. D.
Quæstio 5. An, & quomodò analogum mediet inter vniuocum, & æquiuocum. 98. 2. D.

DISPVTATIO X.

De diuisione eorum, quæ dicuntur, & sunt.

Quæstio 1. An diuisio dicibilium, seu rerum, vt nominibus significantur, tradita à Philosopho. sit bona. 100. 2. A.
Quæstio 2. An diuisio eorum, quæ sunt, sit sufficienter assignata. 101. 1. D.
Quæstio 3. Vtrùm esse in subiecto inhæsionis, rectè definiatur à Philosopho. 102. 1. B.

DISPVTATIO XI.

De regulis prædicatorum essentialium.

Quæstio 1. An prima regula pro prædicatis essentialibus generis, & speciei sit bene à Philosopho assignata. 103. 1. A.
Quæstio 2. An secunda regula pro prædicatis essentialibus differentiarum sit bene à Philosopho assignata. 103. 2. C.

DISPVTATIO XII.

De diuisione Incomplexorum.

Quæstio 1. Quæ res, & quomodò in prædicamentis collocentur. 106. 2. C.
Quæstio 2. Quot sunt prædicamenta. 108. 2. B.
Appendix. De distinctione prædicamentorum ad inuicem. 109. 2. B.

DISPVTATIO XIII.

De Prædicamento Substantiæ.

Quæstio 1. Quænam sit diuisio Substantiæ in primam, & secundam; & an sit bona. 110. 1. B.
Quæstio 2. Vtrùm definitiones primæ, & secundæ substantiæ sint bonæ. 112. 1. D.
Quæstio 3. Vtrùm prima substantia sit magis substantia, quàm secunda. 113. 2. B.
Quæstio 4. An sex proprietates substantiæ sint rectè assignatæ; & quænam ex illis conueniant ipsi substantiæ quarto modo. 115. 1. A.

DISPVTATIO XIV.

De Quantitate.

Quæstio 1. Quænam sit diuisio Quantitatis in continuam, & discretam. 119. 1. C.
Appendix. De alijs Quantitatis diuisionibus. 121. 2. B.
Quæstio 2. An Quantitates, continua scilicet, & discreta benè definiantur à Philosopho. 123. 1. D.
Quæstio 3. Vtrùm tertia proprietas Quantitatis conueniat illi quarto modo. 125. 1. B.

DISPVTATIO XV.

De Relatione.

Quæstio 1. An definitio Relationis, tradita a Philosopho ex propria sententia, sit bona. 126. 1. C.
Quæstio 2. An diuisio Relationis iuxta illa tria genera rationum fundandi, sit adæquata generisque in suas species. 129. 2. D
Quæstio 3. Quomodò sit proprium Relationi habere contrarium, atque suscipere magis, & minùs. 133. 1. D.
Quæstio 4. An reliquæ tres proprietates conueniant relatiuis prædicamentalibus, quarto modo. 135. 2. D.

DISPVTATIO XVI.

De Qualitate.

Quæstio 1. Vtrùm definitio Qualitatis tradita à Philosopho sit bona. 138. 2. A.
Quæstio 2. Vtrùm diuisio Qualitatis in illa quatuor membra sit adæquata. 140. 1. A.
Quæstio 3. Vtrùm prædicta diuisio sit generis in suas species. 143. 2. A.
Quæstio 4. Quomodo proprij conueniant Qualitati tres illæ proprietates assignatæ à Philosopho. 144. 1. B.

DISPVTATIO XVII.

De sex vltimis prædicamentis.

Quæstio 1. An sex vltima prædicamenta consistant in denominatione extrinseca. 146. 2. B.
Quæstio 2. An sex vltima prædicamenta sint quid absolutum, vel relatiuum. 148. 2. A.
Quæstio 3. Vtrùm Definitiones, Diuisiones, & Proprietates Actionis, & Passionis sint rectè assignatæ. 150. 1. D.
Quæstio 4. Vtrùm Diuisio, Definitio, & Proprietates prædicamenti Vbi, sint rectè assignatæ. 154. 1. A.
Quæstio 5. An Definitio, Diuisio, & Proprietates Quando, sint rectè assignatæ. 157. 1. B.
Quæstio 6. An Definitio, Diuisio, & Proprietates Situs, sint rectè assignatæ. 161. 1. A.
Quæstio 7. Vtrùm Definitio, Diuisio, & Proprietates Habitus, sint rectè assignatæ. 164. 1. A.

DISPVTATIO XVIII.

De postpraedicamentis.

Quæstio 1. Quid. & quotuplex sit Oppositio. 167. 2. A.
Quæstionis appendix. Vtrùm Diuisio Oppositionis sit generis in suas species. 169. 1. A.
Quęstio 2. An relatiuè, & contrariè, opposita sint rectè definita. ibidem D.
Quęstio 3. Vtrùm priuatiuè, & contradictoriè opposita sint bene definita. 171. 1. C.
Quæstio 4. Vtrùm Oppositio contradictoria sit omnium maxima. 172. 2. D.
Quæstio 5. Vtrùm rectè, & sufficienter sint assignati sex Modi Prioris. 174. 2. C.
Quæstio 6. Vtrùm rectè, ac sufficienter sint assignati tres Modi Simul. 176. 1. B.
Quæstio 7. Vtrùm rectè, ac sufficienter sint assignatæ species, siue genera subalterna Motus. 177. 1. D.
Quæstio 8. Vtrùm rectè, ac sufficienter assignati sint septem Modi Habere. 178. 1. C.

SECVNDA PARS.

LIBER PRIMVS
Perihermenias, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO XIX.

De Natura, & Diuisione Signi.

Qu. 1. In quo consistat ratio, & essentia Signi, 181. 2. A.
Qu. 2. Vtrùm signum propriè, & expresè possit esse signum sui ipsius. 183. 2. A.
Qu. 3. Vtrùm diuisio signi instrumentalis in naturale, & ad placitum sit bona, & adequata. 184. 2. B.

DISPVTATIO XX.

De vocibus significatiuis ad placitum.

Qu. 1. Vtrùm voces significent immediatè tam conceptus, quàm res; vel potiùs cōceptus & non res; aut vice versa. 186. 1. D
Quæstionis Appendix. An significatio vocis sit quid reale, vel rationis: quid absolutum vel relatiuum: an forma intrinseca, vel tantùm denominatio extrinseca. 188. 2. B.
Qu. 2. Vtrùm Conceptus ijdem sint apud omnes, voces verò diuersę. 189. 2. D.

DISPVTATIO XXI.

De vocum diuersa significatione.

Qu. 1. An veritas formalis consistat formaliter in prima operatione intellectus. 191. 2. D.
Qu. 2. Vtrùm veritas formalis consistat formaliter in secunda operatione intellectus. 194. 1. A.
Qu. 3. Vtrùm veritas formalis consistat formaliter in respectu formali, quicunque ille sit. qui intercedere potest inter conceptus formales intellectus, & conceptus obiectiuos. 195. 2. D.
Qu. 4. Vtrùm veritas formalis consistat formaliter in relatione conformitatis, quam potest habere conceptus obiectiuus intellectus ad se ipsum in esse rei consideratum; vel potiùs in ipso conceptu obiectiuo expresso, terminante conceptum formalem, seu actum iudicij. 197. 1. D.
Qu. 5. In quo nam formaliter consistat falsitas formalis. 199. 1. C
Qu. 6. Quę nam sint voces, quæ significant veritatem, aut falsitatem formalem; & quæ, nec veritatem, nec falsitatem formalem designant. 200. 2. D.

DISPVTATIO XXII.

De vocis significatiua ad placitum diuisionibus.

Qu. 1. An diuisio vocis significatiuæ ad placitum in simplicem, & complexam sit generis in suas species. 201. 2. A.
Qu. 2. An diuisio vocis significatiuæ simplicis in nomen, & verbum sit generis in suas species. 202. 2. C.
Qu. 3. Vtrùm etiam diuisio vocis significatiuæ ad placitum complexæ, in orationem enunciatiuam, & non enunciatiuam, sit generis in species. 204. 1. C.

DISPVTATIO XXIII.

De Nomine, & Verbo.

Qu. 1. An definitio Nominis allata à Philosopho sit bona; 205. 2. B.
Qu. 2. Vtrùm nomen infinitum, apud Logicos sit verè, & propriè nomen. 206. 2. D.
Quęstionis appendix, An nomina transcendentia infinitari possint: Et an nomen infinitum dicatur vniuocè tam de entibus, quàm de non entibus. 208. 2. A.
Qu. 3. An casus obliqui, à vera, & propria nominis ratione excludendi sint apud Logicos. 209. 1. D.
Qu. 4. An verbum consignificet tempus. 210. 2. C.
Qu. 5. An verbum sit vera pars propositionis. 212. 1. D.
Qu. 6. An verbum infinitari possit intra propositionē. 213. 2. A.

DISPVTATIO XXIV.

De Enunciatione, seu Propositione.

Qu. 1. Vtrùm definitio Orationis sit bene tradita à Philosopho. 215. 2. C.
Qu. 2. An definitio Enunciationis tradita ab Aristotele cap. 4. primi Perihermenias sit essentialis. 217. 1. D.
Qu. 3. Vtrùm Enunciatio mentalis sit vna simplex qualitas. 219. 1. C.
Quæstionis appendix. Quales sint cęteræ Enunciationis diuisiones. 221. 1. A.

DISPVTATIO XXV.

De Oppositione Propositionum categoricarum simplicium.

Qu. 1. Quid, & quotuplex sit Oppositio propositionū 222. 2. C.
Qu. 2. Vtrùm dari possint aliquæ contradictoriæ, quæ simul sint veræ, aut falsæ. 225. 1. C.
Qu. 3. Vtrùm propositiones contrarię, in nulla materia possint esse simul verę, bene tamen simul falsę in materia contingente: propositiones verò subcontrarię ex aduerso, in nulla materia possint esse simul falsę, bene tamen in materia pariter contingente, simul verę. 226. 2. C.
Qu. 4. Vtrùm propositiones de pręterito, & de pręsenti sint determinatè verę, aut determinatè falsę. 229. 1. B.
Qu. 5. Vtrùm propositiones contingentes de pręterito, & de pręsenti sint ita determinatè verę, aut determinatè falsę, vt nunquam possint mutari de veris in falsas, & è contra. 230. 2. D.
Qu. 6. Vtrùm propositiones de futuro contingenti etiam habeant determinatam veritatem, aut falsitatem, sicut propositiones de pręterito, & de pręsenti. 234. 2. B.

DISPVTATIO XXVI.

De Oppositione Hypotheticarum.

Quæstio vnica. An tot modis opponantur Hypotheticę, quot Cathegoricę. 238. 1. A.

DISPVTATIO XXVII.

De Æquipollentia Categoricarum simplicium.

Qu. 1. Vtrùm omnes propositiones oppositę possint fieri ęquipollentes. 240 1. D.
Qu. 2. An propositio affirmatiua de prędicato infinito ęquipolleat negatiuę de prędicato finito, & vice uersa. 242. 1. B.
Quęstionis append x. An etiam Hypothelicę inter se ęquipollere possint. 243. 2. B.

LIBER SECVNDVS
Perihermenias, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO XXVIII.

De Oppositione, & æquipollentia Modalium.

Quęstio 1. An tot modis opponantur Modales, quot Categoricę simplices. 244. 1. D.
Quęstio 2. Vtrùm omnes Modales oppositę possint fieri æquipollentes. 245. 2. D.

TER-

TERTIA PARS

LIBER PRIMVS
Priorum, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO XXIX.
De Termino syllogistico, eiusque passionibus.

Qu. 1. Vtrùm ratio Termini syllogistici conueniat vocibus significatiuis tam intrà, quàm extrà propositionē. 249. 1. A

Qu. 2. Vtrùm Suppositio sit proprietas consequens terminum tantùm formaliter, & in ratione termini acceptum; vel etiam materialiter, & in ratione vocis consideratum. 250. 2. D.

DISPVTATIO XXX.
De Conuersione Propositionum.

Qu. 1. An regulę conuersionis categoricarum de inesse sint bene assignatę. 252. 2. D.

Qu. 2. An regulę conuersionis categoricarum modalium de necessè, sint bene assignatę. 255. 1. B.

Qu. 3. An regulę conuersionis categoricarum modalium de contingenti assignari solitę sint bonæ. 256. 2. C.

Quęstionis appendix. Quomodò Categoricę modales de impossibili conuertendę sint. 258. 2. D.

DISPVTATIO XXXI.
De Consequentia, seu Argumentatione.

Qu. 1. Quales nam sint Diuisiones Consequentiæ in bonam, & malam; & consequentiæ bonæ in formalem, & materialem. 259. 2. B.

Qu. 2. Vtrùm diuisio bonæ consequentiæ in Syllogismum, Inductionem, Enthymema, & Exemplum, sit essentialis, ac generis in suas species, 261. 2. C.

Qu. 3. Vtrùm regulæ bonæ argumentationis sint rectè assignatę. 263. 2. D.

Quæstionis appendix. Quomodò argumentandum sit ex hypothesi impossibili, 167. 1. B.

DISPVTATIO XXXII.
De Syllogismo absolutè sumpto.

Qu. 1. Vtrùm definitio syllogismi sit bona, & essentialis, 268. 1. b

Qu. 2. Vtrùm Conclusio sit de essentia syllogismi, vel potiùs eiusdem effectus. 269. 2. a.

Qu. 3. An syllogismus formaliter differat à discursu, 270. 2. d.

DISPVTATIO XXXIII.
De Syllogismi diuisionibus.

Qu. 1. An syllogismi diuisiones, essentiales sint, vel accidentales, 272. 2. a.

Qu. 2. An figuræ syllogismorum sint tantùm tres, 275. 1. a.

Qu. 3. An regulæ generales trium figurarum sint benè assignatę. 276. 2. b.

Qu. 4. An regulæ particulares pro singulis figuris sint rectè traditæ. 278. 2. a.

Qu. 5. Vtrùm præter decem, & nouem modos vtiles pro tribus figuris assignatos, alij quoque vtiles, & consistentes assignari possint. 279. 2. d.

DISPVTATIO XXXIV.
De Passionibus Syllogismi.

Qu. 1. An principia regulatiua & probatiua syllogismorum sint rectè assignata, 282. 2. b.

Qu. 2. Vtrùm syllogismi imperfecti etiam probari possint per syllogismum expositorium; & quibus hoc præ cæteris conueniat. 284. 2. c.

Qu. 3. Vtrùm syllogismi omnium figurarum conuerti, & reduci possint ad quatuor priores primæ figuræ. 286. 2. b.

Quæstionis appendix. Quomodò reducendi sint syllogismi Hypothetici, Modales, Exponibiles, Obliqui, &c. 287. 2. d.

LIBER SECVNDVS PRIORVM, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO XXXV.
De reductione cæterarum argumentationum ad Syllogismum.

Quæstio vnica, An Inductio, Enthymema, & Exemplum possint reduci ad syllogismum, 289. 2. a.

LIBER PRIMVS
Posteriorum, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO XXXVI.
De Præcognitis ad Demonstrationem.

Qu. 1. An detur in nobis notitia certa, & scientifica. 292. 2. d.

Qu. 2. An dictum illud Aristotelis, Omnem scilicet doctrinam, omnemque disciplinam intellectiuam fieri ex præexistenti cognitione, sit vniuersaliter verum, 294. 1. d.

Qu. 3. An rectè assignentur ab Aristotele duæ Præcognitiones, & tria Præcognita, 295. 2. d.

Qu. 4. An de subiecto præcognoscendum sit, an sit, & quid sit. 297. 1. b.

Qu. 5. Vtrùm de principijs præcognoscendum sit, an tantùm sint vera, & de passione tantùm quid nomē significet, 299. 1. d

Quæstionis appendix. An præcognitiones, & præcognita antecedere debeant demonstrationem tam in suo esse, quàm in suo fieri, 300. 2. b.

Qu. 6. An dum intellectus assentitur conclusioni includatur in tali assensu formaliter etiam assensus principiorum, 301. 1. b.

Qu. 7. Vtrùm assensus præmissarum sit causa efficiens assensus conclusionis, 304. 2. b.

Qu. 8. An habito assensu præmissarum intellectus assentiatur conclusioni in eodem instanti temporis, 307. 1. a.

Qu. 9. An per assensum præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni, 309. 2. d.

Quæstionis appendix. An intellectus in syllogismis probabilibus per assensum præmissarum necessitetur ad assentiendum conclusioni. 311. 2. c.

DISPVTATIO XXXVII.
De essentia, & diuisionibus Demonstrationis.

Quæstio 1. An definitiones Demonstrationis traditæ à Philosopho sint bonæ, 312. 2. d.

Quæstio 2. Vtrùm principia demonstrationis æqualem veritatem veritati conclusionis habere debeant, vel potiùs maiorem, 314. 1. d.

Quæstio 3. Vtrùm demonstratio Propter quid semper procedat ex primis, & immediatis, 316. 1. b.

Quæstio 4. Vtrùm omnis, & sola demonstratio propter quid tantùm procedat ex principijs tanquam ex causis suæ conclusionis, 319. 2. a.

Quæstio 5. Vtrùm sit necessarium, vtranque præmissam demonstrationis semper notiorem, certioremque esse, atque priorem ipsa conclusione, 322. 2. b.

Quæstionis appendix, Quomodò explicandum sit illud dictum Philosophi: Propter quod vnum quodque tale, & illud magis 324. 2. b.

Quæstio 6. Vtrùm demonstratio debeat procedere ex vtraque præmissa necessaria, 325. 1. b.

Quæstio 7. Vtrùm Demonstratio debeat constare ex propositionibus de omni, & per se, 326. 1. d.

Quæstio 8. Vtrùm præmissæ demonstrationis debeant esse de prædicato vniuersali, 328. 1. c.

Quæstio 9. Vtrùm demonstratio procedere debeat ex proprijs, non verò ex extraneis, aut communibus, 330. 2. d.

Quæstio 10. An diuisio demonstrationis in Propter quid, & Quia, sit adæquata, generisq; in suas species, 332. 1. a.

Quæstionis appendix. An, & quomodò liceat vti demonstratione circulari, 335. 2. c.

DISPVTATIO XXXVIII.
De Scientia.

Quæst. 1. Vtrùm scientia rectè sit definita à Philosopho. 336. 2. c

Quæstio 2. Vtrùm scientia sit vnus simplex habitus, & vna simplex qualitas in specie infima, 338. 1. b.

Quæ-

Quæstio 3. An vnitas generica scientiarum desumenda sit ex abstractione à materia, 342. 1. c.
Quæstio 4. Vtrùm vnitas, & distinctio specifica scientiarum desumenda sit tam ex abstractione formali, radicaliter, & passiuè sumpta, quàm ex medijs, seu principijs demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur, 345. 1. d.

DISPVTATIO XXXIX.

De Subalternatione Scientiarum.

Quæstio 1. Vtrùm ad perfectam, & rigorosam subalternationem scientiarum, obiectum scientiæ subalternatę debeat contineri sub obiecto scientiæ subalternantis, tantùm contractum per differentiam accidentalem, 348. 2. b.
Quæst. 2. Vtrùm principia scientiæ subalternatæ sint conclusiones propter quid demonstratę à scientia subalternãte, 350. 2. c
Quæstio 3. Vtrùm scientia subalternata sit verè scientia etiam in eo, qui non habet subalternantem, 352. 1. d.

DISPVTATIO XXXX.

De Opinione, & Solertia.

Quæstio 1. An formido ita sit de intrinseca, & essentiali ratione opinionis, vt tantùm per eam à scientia distinguatur, 355. 2. c
Quæstio 2. Vtrùm Scientia, & Opinio possint esse simul de eodem obiecto, 357. 2. b.
Quæstio 3. Vtrùm solertia sit à scientia distincta, 361. 1. d.

LIBER SECVNDVS Posteriorum, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO XXXXI.

De Medio, seu causa demonstrationis Propter quid.

Quæstio 1. An quodlibet genus causę possit esse medium demonstrationis Propter quid, 362. 2. d.
Quæstio 2. Vtrùm in vnaquaque demonstratione Propter quid omnia causarum genera assumi possint, 365. 2. 2.
Quæstio 3. Vtrùm medium demonstrationis potissimę sit sola causa formalis, 367. 1. 2.
Quæstio 4. Vtrùm medium demonstrationis potissimæ sit definitio subiecti, aut definitio passionis, 368. 2. 2.

DISPVTATIO XXXXII.

De Habitu principiorum.

Quæstio 1. An pręter intellectum, & speciem intelligibilem detur habitus principiorum, 372. 1. c.
Quæstio 2. Vtrùm habitus principiorum sit à natura inditus, vel acquisitus, 373. 2. d.
Quæstionis appendix. An habitus principiorum sit idem secundùm speciem pro omnibus principijs, siue dignitates, siue positiones fuerint; vel diuersus pro diuersis, 375. 2. d.

LIBER PRIMVS TOPICORVM, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO XXXXIII.

De Prædicatis dialecticis.

Quæstio 1. Quid, & quotuplex sit pręducatum dialecticum, 378. 1. c.
Qu. 2. Vtrùm quodlibet pręducatum dialecticum habeat annexum, 380. 1. c.

DISPVTATIO XXXXIV.

De Propositionibus, ac Problematibus dialecticis.

Qu. 1. An Propositio dialectica sit bene à Philosopho definita, 381. 2. b.
Qu. 2. An Problema dialecticum sit bene definitum, 383. 1. b.
Qu. 3. An genera quęstionum, seu Problematum dialecticorum sint tantùm quatuor, 384. 2. d.

DISPVTATIO XXXXV.

De Syllogismo topico, ac de Instrumentis, quibus abundare debemus in eiusdem inuentione.

Qu. 1. Vtrùm syllogismus dialecticus sit tantùm generatiuus opinionis, 386. 1. d.
Qu. 2. Vtrùm tantum sint quatuor instrumenta abundandi in syllogismis dialecticis, 387. 2. d.

LIBER SECVNDVS Topicorum, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO XXXXVI.

De locis dialecticis in communi.

Qu. 1. An locus dialecticus bene sit definitus, 391. 1. b.
Qu. 2. Vtrùm locus dialecticus rectè diuidatur in locum Maximam, & in locum Differentiam maximę, 392. 2. a.
Qu. 3. An locus differentia maximę rectè, & adęquatè diuidatur in locum intrinsecum, extrinsecum, & medium, 393. 2. d.

DISPVTATIO XLVII.

De locis dialecticis intrinsecis absolutè sumptis.

Qu. 1. An locus intrinsecus rectè, & adæquatè diuidatur in locũ à subst. & in locũ à concomitantibus substantiam, 395. 2. d.
Qu. 2. Vtrùm locus à definitione ad definitum sit habitudo identitatis, seu conuertibilitatis ipsorum ad inuicem, 397. 1. c.
Quęstio 3. An locus à toto ad partem teneat constructiuè, vel potiùs destructiuè, 399. 1. d.
Qu. 4. An locus à causa ad effectum, & è contrà, teneat constructiuè, vel destructiuè, 406. 1. 2.
Qu. 5. An loci à generatione ad genitum, & è contrà; & à corruptione ad corruptum, & è contrà, teneant constructiuè, vel destructiuè, 409. 1. c.
Qu. 6. An locus ab vsibus ad vsitata, & è contrà: & an locus ab vno communiter accidentium ad aliud, & è contrà, teneant constructiuè, vel destructiuè, 410. 2. d.

DISPVTATIO XLVIII.

De locis dialecticis extrinsecis absolutè sumptis.

Qu. 1. Vtrùm locus ab oppositis teneat constructiuè, vel destructiuè, 413. 1. 2.
Quęstio 2. Vtrùm loci à Maiori, Minori, Similitudine, & Proportione teneant constructiuè, vel destructiuè, 416. 2. c.
Qu. 3. An loci à transumptione, & auctoritate teneant constructiuè, vel destructiuè, 419. 1. d.

DISPVTATIO XLIX.

De locis dialecticis medijs absolutè sumptis.

Quæstio 1. Vtrùm loci à coniugatis, & à casibus teneant constructiuè, vel destructiuè, 421. 1. c.
Quæstio 2. Vtrùm locus à diuisione teneat constructiuè, vel destructiuè, 423. 2. d

DISPVTATIO L.

De locis dialecticis per ordinem ad problemata accidentis absoluta.

Quæstio 1. Vtrùm substratum, seu denominatum Prędicati accidentis, in quo continentur, & vnde sumuntur loca dialectica, problematum accidentis absolutorum terminatiua, sit non solum accidens in communi, verùm etiam proprium, quinimmo & ipsa substantia, 426. 1. d.
Qu. 2. An prędicatum accidentis, vnde loca eiusdem problema terminantia sumi solent, distinguatur à cęteris prędicatis materialiter, vel formaliter, 428. 2. b.

LIBER TERTIVS Topicorum, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO LI.

De locis dialecticis per ordinem ad problemata accidentis contracta, & comparata.

Quęstio 1. An prędicatum accidentis comparatum, siue ad ipsum prędicatum accidentis annexum, vnde loca ad terminandum problemata accidentis comparata sumi solent, possit esse indifferenter tam substantia, quàm accidens, 432. 1. b.
Qu. 2. An prędicatum accidentis comparatum, vnde loca terminatiua eiusdem problema sumi solent, sit tantùm id, quod magis sapit rationem boni, 435. 2. b.

LI-

LIBER QVARTVS Topicorum, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO LII.

De locis dialecticis per ordinem ad problemata Generis,

Quæstio 1. Vtrùm prædicatum generis, vnde loca ad terminandum eiusdem problema sumi solent, prędicetur de speciebus vt totum, vel vt pars, 493. 1.c.

Qu. 2. An sicut prædictum prædicatum generis in ratione totius potentialis continet species in potentia, debeat etiam eodem modo continere differentias, 442. 1.b.

Quæstio 3. Vtrùm idem prædicatum generis prædicetur per se de differentijs, quas tantùm potestate continet, vel potiùs per accidens, 444. 2.a.

LIBER QVINTVS Topicorum, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO LIII.

De locis dialecticis per ordinem ad problemata Proprij,

Quæstio 1. Vtrùm subiectum prædicati proprij, vnde sumuntur loca dialectica, eiusdem problema terminantia, sit indifferenter tam accidens proprium, quàm commune. 448. 1 a.

Quæstio 2. An definitio prædicati proprij in ratione quarti prædicati, vnde sumuntur loca dialectica &c. possit conuenire proprietati, seu passioni in ratione quarti prædicabilis, 450. 3. b.

LIBER SEXTVS TOPICORVM, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO LIV.

De locis dialecticis per ordinem ad problemata Definitionis secundùm se considerata.

Quæstio 1. Vtrùm prędicatum definitionis, vnde sumuntur loca ad terminandum eiusdem problema, sit bene definitum à Philosopho, 453. 1. d.

Quæst. 2. Vtrùm diuisio prędicati definitionis quid rei in definitionem essentialem, & descriptiuam sit adęquata, & generis in suas species. 457. 2. c.

Quæstio 3. Quę requisita necessaria sint, ad hoc vt rectè sumantur loca dialectica ex prædicato definitionis, eiusdem problema constructiuè terminatiua, 459. 2. d.

DISPVTATIO LV.

De locis dialecticis per ordinem ad problema definitionis, ex parte rei definita consideratum.

Quæstio 1. Vtrùm prędicatum definitionis & subiectum definitum inter se distinguantur actualiter ex natura rei, an tantùm ratione ratiocinata, 463 1. b.

Quæstio 2. Quæ requisita habere debeant subiectum definitum, ad hoc vt ex ipso sumantur loca tam constructiua, quàm destructiua problematis de prædicato definitionis, 466. 2. d.

LIBER SEPTIMVS Topicorum, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO LVI.

De locis dialecticis per ordinem ad problema de Eodem, & de Diuerso.

Qu. 1. Vtrùm prędicatum de Eodem numero, vnde sumi solent loca dialectica ad terminandum eiusdem problema, tantùm dicatur de ijs, quę vnam numero participant physicam materiam, 471. 1. a.

Quæstio 2. Vtrùm prędicatum de eodem, & diuerso siue genere, siue definitione, vnde sumi solent loca dialectica ad terminandum eiusdem problema, possit à parte rei affirmari etiam de vna numero natura. 473. 2. c.

Quæstio 3. An vnitas formalis, dum à parte rei prędicatur de natura indiuiduali, distinguatur actualiter ex natura rei, vel potiùs ratione ratiocinata ab vnitate materiali, & numerica eiusdem, 476. 1. b.

LIBER OCTAVVS Topicorum, eiusq; Synopsis.

DISPVTATIO LVII.

De modis, quibus in disputatione dialectica Interrogans debet procedere.

Quæstio 1. Vtrùm in congressibus, ac dialecticis disputationibus sit vtile arguere ex hypothesi impossibili, 479. 2.c.

Qu. 2. Vtrùm inductio in concertationibus dialecticis sit argumentatio formalis, 482. 1. b.

LIBER PRIMVS ELENCHORVM, eiusque Synopsis.

DISPVTATIO LVIII.

De Disputationis, Meta, locique sophistici diuisionibus.

Quæstio 1. An diuisio disputationis in doctrinalem, dialecticam, tentatiuam, & sophisticam, sit adequata, generisque in suas species, vel analogi in sua analogata. 485. 2. c.

Quæstio 2. An diuisio Metę sophistarum in Redargutionem, Falsum, Inopinabile, Solęcismum, & Nugationem sit adæquata, pariterque analogi in sua analogata. 489. 1. a.

Quæstio 3. Vtrùm tam diuisiones, quàm subdiuisiones loci sophistici sint adæquatę analogique in analogata, 491. 1. b.

DISPVTATIO LIX.

De Fallacijs in Dictione.

Quæstio 1. An fallacia ęquiuocationis consistat formaliter in vnitate vocis, plura, vt plura significantis actu, vel tantùm aptitudine, 494. 2. c.

Qu. 2. Vtrùm fallacia amphibologię consistat formaliter in vnitate vocis complexę, plura, vt plura actu significantis copulatim ex diuersitate constructionis, 497. 1 b.

Qu 3. Vtrùm fallacię compositionis, & diuisionis formaliter consistant in sensu composito & diuiso falso, 499. 1. c.

Qu. 4 Vtrùm fallacia accentus formaliter consistat in potentiali multiplicitate vnius, & eiusdem dictionis, hoc est, in modo proferendi tantùm diuersę. 501. 1.b.

Qu. 5. Vtrùm fallacia figuræ dictionis formaliter consistat in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum, 503. 1. D.

DISPVTATIO LX.

De fallacijs extra dictionem.

Quæstio 1. Vtrùm fallacia accidentis syllogismorum affirmatiuorum consistat formaliter in partiali, & inadęquata identitate accidentis cum re subiecta; negatiuorum verò in partiali, & inadęquata diuersitate eiusdem cum eadem re subiecta, 506. 1. c.

Qu. 2. Vtrùm fallacia à secundùm quid ad simpliciter, vel è contrà, consistat formaliter in analoga identitate rei significatę per dictionem affectam terminatione minuente, vel priuante, cum re significata per dictionem non affectam tali determinatione, & è contrà, 508. 1. d.

Quæstio 3. Vtrùm fallacia ignorationis Elenchi formaliter consistat in apparenti identitate apparentis contradictionis cum vera, 510. 2. a.


Quæstio 4. Vtrùm fallacia petitionis principij consistat formaliter in apparenti diuersitate cum vera identitate antecedentis, & consequentis, 512. 2. c.
Quęstio 5. Vtrùm fallacia consequentis formaliter consistat in apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima, 514 2. b.
Quæstio 6. Vtrùm fallacia non causæ, vt causæ, formaliter consistat in apparenti conuenientia præmissæ non causæ cum premissa causa, 516. 2. d.
Quęstio 7. Vtrùm fallacia plurium interrogationum, vt vnius consistat formaliter in apparenti, conuenientia plurium interrogationum cum vna, 518. 2. b.

LIBER SECVNDVS ELENCHOR., eiusque Synopsis.

DISPVTATIO LXI.

De solutionibus paralogismorum, omnium fallaciarum.

Qu. 1. An tantum sint duo modi soluendi paralogismos 521. 2. b
Qu. 2. & vltima. An Philosophus sufficienter doceat soluere paralogismos tam in dictione, quàm extra dictionem, 523, 1. d.



BREVES
AD LOGICAM
ARISTOTELIS INSTITVTIONES,
IN QVIBVS

Eorum, quæ diffusè per totum Opus tractari ſolent,

ADVMBRATA QVAEDAM IMAGO TYRONIBVS PROPONITVR.



VM Dialectica, ſeu facultas diſputatrix, quã communiter Logicam, ideſt Scientiam ſermocinalem appellant, ſit difficillima; librique, quos de ea ſcripſit Ariſtoteles, non niſi peritis pateant: iure optimo laudabilis, & ab omnibus ſemper accepta fuit conſuetudo illa, ante dialecticas quæſtiones præmittere quaſdam Inſtitutiones, quas Summulas vocant. Ne igitur à tam vtili re decedatur vſu, etiam à nobis eadem via incedendum eſt.

Finis quippe Inſtitutionum (ſi de proximo tamen loquamur) nil aliud eſt, quàm aditum patefacere ad difficilia, quæ in Logica continentur. Finis autem remotus non diſtinguitur à fine totius Logicæ, qui eſt dirigere operationes intellectus, ne erret in cognitione veritatis, vt probabitur ſuo loco.

Verſabitur idcirco huiuſmodi Opuſculum in tradenda notitia vocum, quæ omnino prærequiritur ad veram rerum cognitionem comparandam; non quidem vt voces ipſæ pertineant ad præſens inſtitutum, ſecundùm quòd in eis attenditur congruitas, vel ornatus (ſic enim ad Grammaticam, & Rhetoricam ſpectant) ſed prout deſeruiunt ad diſcernendum verum à falſo. Vnde obiectum, ſeu materia circa
A quam iſtarum Introductionum erit explicare voces, quæ ad veritatem rei manifeſtandam ſummoperè conferunt.

Diuiditur autem præſens Inſtitutum ad modum operationum noſtri intellectus, quibus non modò ipſum deſeruit, verùm etiam tota Logica. Operationes verò noſtri intellectus ſunt in triplici differentia: nam prima dicitur apprehenſio, & eſt actus, quo res ſimpliciter cognoſcimus, abſque eo, quòd aliquid affirmemus, vel negemus: ſecunda dicitur iudicium, ſeu compoſitio, & diuiſio, & eſt actus, quo aliquid de aliquo affirmamus, vel negamus: tertia tandem appellatur ratiocinatio, ſeu diſcurſus, & eſt actus, quo vnum ex alio colligimus. Quia ergo voces, quæ ſunt materia iſtius tractatus, prædictis inſerui-
B unt operationibus; apprehenſioni quidem voces ſimplices: iudicio propoſitiones, quæ eiſdem vocibus ſimplicibus fiunt; diſcurſui denique argumentationes ex talibus confectæ propoſitionibus: ideò Inſtitutiones iſtas tribus libris duntaxat abſoluemus. In quorum primo erit ſermo de vocibus ſimplicibus, ſeu terminis, eorumque proprietatibus: in ſecundo de propoſitione, eiuſque paſſionibus: & tandem in tertio de argumentationibus, eiuſque ſpeciebus, ac proprietatibus.

LIBER PRIMVS.

DE VOCIBVS SIMPLICIBVS, TERMINIS SCILICET, eorumque proprietatibus.

QVia voces simplices aliæ sunt significatiuæ, vt Homo, Animal, &c.; aliæ non significatiuæ, vt Blitiri, Buf, &c.; & cùm non significatiuæ nequeant habere rationem termini, vt ex dicendis patebit: operæ pretium erit, ante explicationem terminorum exponere quid sit Significare, & quid Signum, ratione cuius voces simplices termini appellantur.

CAPVT I.

De Significatione, siue ratione Signi.

SIgnificare namque nil aliud est, quàm *Potentiæ cognoscitiuæ aliud à se repræsentare*; atque ita Signum ex D. Augustino 2. de Doctrina Christ. cap. 1. *est illud, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire*: vestigium enim animalis in puluere, signum est transisse animal; & fumus est signum ignis; nam fumo viso statim ducimur in cognitionem ignis etiam occulti.

Solet autem diuidi Signum in formale, & instrumentale: formale est, quod se ipso, & absque præuia sui cognitione aliquid repræsentat; cuiusmodi sunt actus intellectus, quos non priùs cognoscimus, sed ipsi per se sunt expressæ quædam similitudines rerum. Instrumentale verò est illud, quod præsuppósita cognitione sui, aliquid aliud repræsentat; vt imago Aristotelis est signum instrumentale, quia priùs ipsa cognoscitur, & postea res per illam repræsentata; & hoc est Signum, de quo agitur, & de ipso tradita fuit a D. Aug. illa definitio.

Tale autem Signum instrumentale duplex est, naturale scilicet, & voluntarium, seu ad libitum; naturale est, quod ex sua intrinseca ratione seclusa hominum voluntate, aliquid aliud repræsentat, quomodò fumus est signum ignis, & omnis effectus signum suæ causæ. Ad libitum verò est, quod ex hominum institutione aliud repræsentat, quomodò sonitus cymbali est signum lectionis, & omnes voces rerum, quas significant. Cauendum tamen est, quòd talis impositio vocis debet fieri auctoritate publica, vt dicetur suo loco; quòd potest fieri dupliciter, propriè scilicet, vel metaphoricè: propriè tunc fit, quando vox accipitur secundùm propriam significationem, quomodò vox *Homo* significat hominem; & vox *Leo* Leonem: metaphoricè verò, quando vox significat per translationem, vt dum Agnus significat Christum & Nero hominem crudelem.

Ex quibus licebit colligere, voces non pertinere ad institutum dialecticum secundùm suam realem entitatem, inquantùm scilicet sunt quidam soni in aere causati; sed secundùm quòd impositæ sunt ad significandas res, & vt medijs ipsis proprios explicamus conceptus.

A

CAPVT II.

De natura, & essentia Termini illiusque prima, & immediata diuisione.

TErminus communiter dici solet *Extremum propositionis*; sicut enim extrema puncta alicuius lineæ dicuntur eius termini, quia talis linea nullam habet sui partem extra illa: sic etiam extrema propositionis, nempe subiectum, & prædicatum vocantur termini, quia intra illa tota propositio clauditur.

Terminus igitur prima, & immediata sui diuisione diuiditur in subiectum, & prædicatum: sicut enim in eadem linea tantùm sunt duo puncta extrema; ita in vna propositione tantùm sunt duo termini, scilicet; prædicatum, & subiectum. Prædicatum autem, & Subiectum possunt essentialiter sic definiri; *Prædicatum est terminus, qui dicitur de alio: Subiectum est terminus de quo dicitur aliud.*

B

Rursus Terminus diuiditur in mentalem, vocalem, & scriptum; sicut triplex est propositio, mentalis scilicet, vocalis, & scripta. Terminus mentalis est extremum propositionis mentalis: vocalis est extremum propositionis vocalis: & scriptus propositionis scriptæ.

Terminus ergo mentalis appellatur conceptus mentis, diuiditurque in vltimum, & non vltimum: prior est, qui habetur de re significata per vocem; & dicitur vltimus, quia ibi sistit intellectus, posterior verò est, qui habetur de ipsa voce; & dicitur non

C

vltimus, quia ibi non sistit intellectus, sed transit ad ipsam rem significatam. Diuiditur etiam prædictus terminus mentalis in directum, & reflexum: Directus est, qui habetur de re, vel de voce: Reflexus verò est cognitio præcedentis cognitionis; vt cùm quis cognoscit se cognoscere, vel cognouisse.

Terminus autem vocalis, de quo præcipuè agitur in præsenti, diuiditur prima sui diuisione in categorematicum, & syncategorematicum. Categorematicus idem valet, ac significatiuus, & est ille, qui aliquid per se significat, vt Homo, Leo, &c. Syncategorematicus, idest consignificatiuus, est ille, qui per se separatus non significat aliquid, iunctus autem categorematico facit illum aliter significare, vt Omnis, Nullus, &c.

D

Deinde terminus categorematicus diuiditur in incomplexum, & complexum: incomplexus est, cuius nulla pars separata significat, vt Homo, Leo, &c. complexus verò est, cuius partes separatæ significant iuxta significationem totius, vt Homo albus.

Item terminus categorematicus complexus est triplex; alius vniuocus, qui scilicet significat plura in aliqua vna ratione omnino conuenientia; ut Homo, & Animal; alius æquiuocus, qui scilicet significat

ficat plura nullo modo conuenientia secundùm id, quod per nomen significantur, vt nomen Canis respectu latrabilis, marini, & cælestis, quibus prout sic nihil est commune præter nomen: alius autem analogus, qui scilicet significat plura neque omnino conuenientia, neque omnino disconuenientia, sed medio modo, nempe, quodammodò inter se similia; vt hoc nomen *Sanum* respectu Animalis, Vrinæ, ac Medicinæ; quia sicut animal dicitur sanum, quia habet in se sanitatem, ita vrina quodammodò dicitur sana, quia indicat sanitatem animalis, & medicina, quia sanitatem causat in animali.

Terminus denique scriptus, sicut & propositiones scriptę, licèt suo etiam modo pertineant ad considerationem dialecticam, tamen cùm nihil addant supra terminum, & propositionem vocalem, circa eas non est amplius immorandum.

CAPVT III.

De alijs diuisionibus Termini vocalis categorematici.

Secunda diuisio Termini categorematici vocalis est in communem, & singularem: singularis est, qui tantùm significat vnum, vt Petrus, aut plura coniuncta, vt Collegium; & est quadruplex, scilicet determinatus, qui vnum determinatè significat, vt Petrus: demonstratiuus, qui signo demonstratiuo afficitur, vt hic homo: ex suppositione, qui & si possit plura significare, tamen suppositione facta vnum tantùm significat, quomodò Filius Mariæ Virginis significat Christum; & vagus, qui significat vnum, sed non determinatum, idest, non determinando, an sit hoc, vel illud, vt quidam homo. Terminus autem communis est, qui significat plura diuisim, vt homo in communi significat diuisim hunc, vel illum hominem. Vnde terminus collectiuus, qua ratione est collectiuus, vt Populus, Gens, Ciuitas, &c. non potest esse terminus communis, quia non significat quemlibet hominem seorsim, & diuisim, sed omnes simul.

Tertiò diuiditur terminus vocalis in concretum, & abstractum: concretus est, qui significat formam connotando subiectum, vt album, quod significat albedinem in subiecto: abstractus est, qui tantùm significat formam, vt albedo.

Quarta diuisio est in absolutum, & connotatiuum: absolutus idem est, quod apud Grammaticos nomen substantiuum, & est ille, qui significat ad modum per se stantis: connotatiuus idem valet, ac nomen adiectiuum, & est ille, qui significat ad modum alteri adiacentis.

Quintò diuiditur in terminum finitum, & infinitum: terminus infinitus est, qui afficitur negatione infinitante, vt non homo: finitus verò est, qui simili negatione caret.

Sexta tandem diuisio est in terminum primæ, & secundæ intentionis: prior est, qui significat rem secundùm id, quod habet à parte rei, vt Homo, & Equus: posterior verò est, qui significat rem, secundùm quod habet ex consideratione intellectus, vt Genus, Species, Differentia, &c.

CAPVT IV.

De Suppositione.

A Cognita iam essentia, & multiplicitate terminorum, manet eorum proprietates inuestigare, quæ sunt Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio.

Suppositio *autem est positio, seu vsus termini loco alterius*: supponere enim est, vt terminus, qui significat vnum, repræsentet aliud; vt cùm dicimus, Petrus est Leo, ponitur Leo pro fortitudine, & significat, quòd Petrus sit fortis. Quæ suppositio diuiditur in materialem, & formalem: materialis est positio, seu acceptio termini pro se ipso, scilicet pro ipsa voce; vt

B si dicamus, Homo est dictio duarum syllabarum. Ex quo fit, quòd omnis terminus non significatiuus non possit supponere, nisi materialiter; & sicut terminus non significatiuus non facit ad rem, ita nec talis suppositio materialis. Formalis verò suppositio est positio, seu acceptio termini loco rei significatæ per ipsum; quæ duplex est, propria scilicet, & impropria, siue metaphorica, & per translationem, vt diximus superiùs de termino.

Suppositio formalis propria item duplex est, alia simplex, & alia realis, siue personalis: prima est acceptio termini pro suo immediato, & primo significato tantùm, quod contingit, quando subiectum est terminus primæ intentionis, eius verò prędicatum secundę; vt homo est species; ly enim *homo* non supponit pro Petro, vel Paulo, alias suppositio esset falsa;

C sed tantùm pro natura humana in communi, quæ est primum, & immediatum significatum illius vocis, quod non solùm contingit in his terminis communibus, verùm etiam in terminis singularibus; vt cùm dicitur, Petrus est indiuiduum: Petrus enim tantùm supponit pro immediato significato, nempe pro hoc indiuiduo. Secunda verò, scilicet suppositio realis, siue personalis, est acceptio termini, non solùm pro primo, & immediato, sed etiam pro secundo, & remoto significato; vt in his propositionibus, homo est animal, vel homo disputat; vbi ly *homo* non tantùm supponit pro natura humana, sed etiam pro indiuiduis eius: qui modus non solùm inuenitur in terminis istis communibus, & tunc dicitur suppositio realis communis; sed etiam in terminis singularibus,

D vt cùm dicitur, Petrus studet: tunc enim Petrus præsupponit non solùm pro immediato, sed etiam pro remoto significato, scilicet natura humana; & ita valet, Petrus studet; ergo homo studet: quæ suppositio appellatur realis discreta.

Talis autem suppositio realis iterum duplex est, accidentalis scilicet, & naturalis: accidentalis est acceptio termini pro re existente secundùm tempus importatum per copulam, vel secundùm exigentiam prędicati; vt cùm dicitur, Homo est disputans, ly *homo* ratione copulę supponit pro hominibus pręsentibus, & ratione prædicati supponit pro viris: nam disputare non conuenit fœminis: quę suppositio accidit, quando propositio est in materia contingenti: contingit enim homini disputare. Suppositio autem naturalis est positio termini pro omnibus suis signi-

significatis, tam existentibus, quàm non existentibus, quòd contingit, quando propositio est in materia naturali, nempe, quando prædicatum est de essentia subiecti, vel eius propria passio; vt homo est rationalis, vel risibilis; & ideo tales propositiones dicuntur absolui à tempore.

Vt autem redeamus ad suppositionẽ realem communem, de qua supra; sciendum est, quadruplicem esse: prima appellatur *Distributiua*, & est acceptio termini pro omnibus suis significatis seorsim, & copulatiuè sumptis; vt omnis homo est animal: quæ duplex est, completa vna, incompleta alia. Prima est acceptio termini non solùm pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis; vt omne animal est viuens; nam etiam hic homo est viuens. Secunda verò est acceptio termini pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis earum, vt patet in hac propositione, Omne animal fuit in arca Noe: terminus ille *omne animal* reddit hunc sensum, nempe, ex omnibus speciebus animalis aliquod animal fuit in arca Noe. Secunda verò appellatur *Collectiua*, & est acceptio termini pro omnibus singularibus simul, & non diuisim, vt plures homines sunt multitudo, non autem quilibet homo est multitudo. Tertia appellatur *Determinata*, & est acceptio termini pro aliquibus particularibus, vt aliquis homo est musicus: non enim omnis homo est musicus. Quarta tandem appellatur *Confusa*, & est, quando accipitur terminus pro omnibus significatis simul, & disiunctim confusè tamen, scilicet, pro omnibus simul, sed sub disiunctione confusa; vt in hac propositioue, *Oculus requiritur ad videndum*: ly *Oculus* non supponit determinatè pro vno oculo: sicut si diceremus, Aliquis oculus requiritur ad videndum: nec similiter supponit distributiuè pro omnibus seorsim, & copulatiuè: non enim valet, ergo iste oculus requiritur; sed supponit cum quadam confusione pro omnibus simul, sub diuisione tamen; & sic benè valet, ergo iste, vel ille oculus requiritur ad videndum.

CAPVT V.

De Regulis ad dignoscendas Suppositiones.

QVia terminorum alij sunt categorematici, alij syncategorematici, ad suppositiones vtrorumque dignoscendas diuersæ regulæ adinuentæ sunt. Pro categorematicis igitur, qui nullo afficiuntur signo, hæc vnica regula assignatur, videlicet, quòd dum propositio est in materia contingenti, vt quando prædicatum est accidens commune respectu subiecti, *vt homo est albus*; ly *homo* supponit determinatè, pro aliquibus scilicet particularibus hominibus, non autem pro omnibus. Si autem propositio fuerit in materia naturali, dum scilicet prædicatum est de essentia subiecti, vel eius passio; *vt homo est animal, vel risibilis*: aut fuerit in materia remota, vt dum prædicatum repugnat subiecto; *vt homo est lapis*; ly terminus *homo* supponit distributiuè, pro omnibus scilicet suis significatis, seorsim, & copulatiuè sumptis.

Pro syncategorematicis autem quinque regulæ traduntur; at quia tales termini sunt quædam signa

A categorematicis terminis adiuncta, vt dictum est supra: antequam ad regulas suarum suppositionum accedamus, oportet scire prædicta signa esse in triplici differentia: quædam enim sunt purè vniuersalia, vt omnis, nullus, &c. quædam purè particularia, vt aliquis, quidam, &c. quædam verò mista ex particulari, & vniuersali, vt vterque, idest, aliquorum duorum omnis; neuter, idest, aliquorum duorum nullus; alter, idest omnium duorum aliquis; atque etiam termini numerales, vt bis, tria, &c. idest bis vnum, ter vnum; & etiam semper, idest in hoc tempore, & in hoc tempore, &c. & aliquando, idest hoc, vel illo tempore, & similia. Quibus ergo suppositis-

Prima regula pro signis vniuersalibus est, quòd vniuersale signum affirmatiuum distribuit terminos

B proximos, & confundit remotos, hoc est, subiectum facit supponere distributiuè, prædicatum verò confusè; vt in hac propositione, *Omnis homo est animal*, vbi *homo* supponit distributiuè, vt patet; *animal* verò confusè. Si autem signum fuerit vniuersale negatiuum, distribuit terminos tàm proximos, quàm remotos, prædicatum scilicet, & subiectum, vt in hac propositione, *Nullus homo est equus*, vbi *homo*, & *equus* supponunt distributiuè.

Secunda regula pro signis particularibus est, quòd signum particulare affirmatiuum facit terminum proximum supponere determinatè, remotum verò intactum relinquit; vt *aliquis homo est animal*; vbi *homo* supponit determinatè, *animal* verò, ac si nullum esset signum, vndè relinquit in sua amplitudine. Si

C verò signum fuerit particulare negatiuum, terminum quidem proximum determinat, remotum verò distribuit ratione negationis, vt *aliquis homo non est albus*.

Pro signis mistis duplex regula assignatur, quoniã talia signa sunt in duplici differentia; nam quędam miscentur ex vniuersali, & particulari, vt alter, & vterque; quædam verò ex termino categorematico, & syncategorematico, vt semper homo disputat: vndè tertia regula est pro signis mistis ex vniuersali, & particulari, & est quòd huiusmodi signa, partim distribuunt, & partim determinant terminos immediatos; verbi gratia *Alter*, binarium distribuit, & disiungit: quando enim dicitur, alter oculus est dexter, sensus est omnium duorum iste, vel ille est dexter.

D Quarta regula est pro mistis ex termino categorematico, & syncategorematico, vt semper, idest omni tempore, & nunquam, idest nullo tempore: nam tunc de illis iudicandum est, ac si prædicta signa non essent mista; vndè eadem regula obseruanda est, quam pro signis vniuersalibus primo loco adduximus, vt patet in hac propositione, *Semper homo disputat*: tempus enim ibi distribuitur, homo verò, & alij termini confunduntur. Si autem tale signum erit vniuersale negatiuum, vt *Nunquam*, distribuit tam categorema, cum quo coniungitur, quàm alios terminos, vt diximus in præfata prima regula, vt patet, dum dicitur, *Nunquam homo disputat*; & idem seruata proportione dicendum est de alijs.

Quinta tandem, & vltima regula est, quòd quilibet terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur, & eius declaratio pendet ex declaratione alterius termini; vt dum quis dicit, *bis cantaui missam*; ter-

terminus *Missa* confunditur, quia confusus remanet sensus, an cantauerit duas missas, vel bis cantauerit eandem; vnde eius declaratio pendet ex declaratione alterius termini, nempe *bis*: & hæc signa appellantur specialis confusionis.

Notandum tamen est in fine istarum quinque regularum, quòd potest dari casus, vt plura signa afficiant eundem terminum, quapropter erit necesse obseruare, an illa signa æquipolleant alteri signo, vel non: si primum, debet adhiberi regula illius signi, cui æquipollent: verbi gratia *Non omnis homo est animal*; quia *non omnis* valet, ac *Aliquis non*, ideo talis propositio æquiualet huic, *aliquis homo non est animal*, ac proinde in illa *homo* supponit determinatè, *animal* verò distributiuè iuxta secundam regulam superius allatam. Si autem contingat secundum, nimirum, quòd talia signa alteri non æquipolleant, vnumquodque afficit suum terminum proximum, & non transfunditur in remotum, vt patet in hac propositione, *Nullus equus est aliquis lapis*: nam licèt illud signum negatiuum, scilicet *Nullus*, iuxta primam regulam habeat vim distribuendi tam proximum terminum, quàm remotum; quia tamen impeditur ab altero signo, nempe *Aliquis*, afficit, & distribuit tantùm suum terminum proximum, cùm terminus remotus tantùm supponat determinatè iuxta secundam regulam. Hæc autem omnia sunt valde notanda pro dicendis; nam ex variatione suppositionis oriuntur ferè omnes defectus argumentationis, vt videbitur suo loco.

CAPVT VI.

De Ampliatione, Restrictione, Alienatione, & Diminutione.

Ampliatio *est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem*, vt in hac propositione, *Petrus curret*, ly *Petrus* non solùm supponit pro tempore futuro, sed ampliatur ad præsens, quasi reddat hunc sensum, qui est, vel erit, curret. Duplex autem est ampliatio, alia temporum, quando scilicet, suppositio termini extenditur ad varias differentias temporis, quæ apud Logicos sunt quinque, nempe, præteritum, præsens, futurum, possibile, & imaginarium; vt in hac propositione, *Auarus expetit pecunias*: pecuniæ ampliantur ad omnes differentias temporis, quasi reddat hunc sensum, Auarus expetit pecunias, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, vel sunt possibiles, vel imaginariæ. Alia verò est ampliatio temporum, & suppositorum, quando scilicet, suppositio termini extenditur non solùm ad differentias temporis, sed etiam ad plura subiecta; vt in hac propositione, *Iusti in perpetuum viuent*: nam ly *Iusti* non solùm ampliatur ad tempus præsens, & futurum ratione illius verbi de futuro, sed etiam ad homines præsentes, & futuros: & hæc ampliatio conuenit terminis communibus, vbi illa prior conuenit singularibus.

Restrictio, quæ ampliationi opponitur, *est coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem*. fit autem quatuor modis: primo per copulam implicationis, vt *homo, qui est iustus, diligit Deum*; vbi ly
A *homo* restringitur ad solos iustos; secundo per applicationem substantiui inferioris, vt *animal homo disputat*: tertio per positionem adiectiui ex parte eiusdem extremi, vt *homo albus disgregat visum*. quarto tandem per additionem casus obliqui, vt *doctrina Aristotelis præstantior est alijs*.

Alienatio, *est translatio termini à propria ad impropriam significationem*: vt in hac propositione, Vicit Leo de tribu Iuda; vbi Leo transfertur à propria ad impropriam significationem, dum non amplius animal rugibile, sed Christum Dominum significat.

Diminutio tandem, *est destructio partis suppositionis*: vt quando dicitur, *Æthiops est albus secundùm dentes*; ly *albus* non supponit pro toto homine, sed pro quadam eius parte, scilicet, pro dentibus: quæ proprietas
B etiam appellari solet dictum secundùm quid.

CAPVT VII.

De Appellatione.

Appellatio, *est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius*. Ad cuius euidentiam sciendū est, terminos adiectiuos, siue connotatiuos habere duplex significatum, vnum materiale, formale aliud: vt album v. g. habet pro materiali significato ipsum subiectum, in quo est albedo; pro formali verò ipsam albedinem, quæ est in tali subiecto. Appellatio igitur est applicatio significati formalis vnius termini, ad significatum, siue materiale, siue forma-
C le alterius. Terminus, qui applicatur, dicitur appellans, ille, cui applicatur dicitur appellatus; vt *homo est albus*; ly *albus* appellat super hominem, & facit hunc sensum, homo est affectus albedine.

Ex dictis sequitur primò, terminum appellantem debere esse connotatiuum ad hoc vt possit applicari alteri: nam de ratione eius est, quòd significet per modum adiacentis alteri. Terminus verò appellatus, non est necesse, quòd sit connotatiuus, sed sufficit, quòd sit categorematicus. Secundò etiam sequitur, appellationem esse duplicem, materialem scilicet, & formalem: materialis est, quando applicatur significatum formale vnius termini supra significatum materiale alterius; vt in hac propositione, Plato philosophus, est magnus: ly enim *magnus* non applicatur Platoni ratione Philosophiæ, quæ est forma in Pla-
D tone, sed ratione corporis, quod se habet materialiter. Formalis verò est, quando applicatur significatum formale vnius supra significatum formale alterius, vt in hac propositione, Plato est philosophus magnus; ly *Magnus* non appellat supra Platonem ratione corporis, sed ratione Philosophiæ.

Quædam regulæ pro cognoscendis appellationibus idcirco assignantur, quarum prima est, quòd quando subiectum est terminus concretus, prædicatum verò connotatiuus, connotatiuus applicat suum formale significatum supra materiale absoluti: hac de causa ista propositio est falsa, Christus est factus, quia illud participium appellat supra Suppositum Christ Domini, quod est Verbum diuinum, cui repugna fieri.

Secunda verò regula est, quando ex parte subiecti sunt nomen absolutum & connotatiuum, & ex parte

significatis, tam existentibus, quàm non existentibus, quòd contingit, quando propositio est in materia naturali, nempe, quando prædicatum est de essentia subiecti, vel eius propria passio; vt homo est rationalis, vel risibilis; & ideo tales propositiones dicuntur absolui à tempore.

Vt autem redeamus ad suppositionē realem communem, de qua supra; sciendum est, quadruplicem esse: prima appellatur *Distributiua*, & est acceptio termini pro omnibus suis significatis seorsim, & copulatiuè sumptis; vt omnis homo est animal: quæ duplex est, completa vna, incompleta alia. Prima est acceptio termini non solùm pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis; vt omne animal est viuens; nam etiam hic homo est viuens. Secunda verò est acceptio termini pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis earum, vt patet in hac propositione, Omne animal fuit in arca Noe: terminus ille *omne animal* reddit hunc sensum, nempe, ex omnibus speciebus animalis aliquod animal fuit in arca Noe. Secunda verò appellatur *Collectiua*, & est acceptio termini pro omnibus singularibus simul, & non diuisim, vt plures homines sunt multitudo, non autem quilibet homo est multitudo. Tertia appellatur *Determinata*, & est acceptio termini pro aliquibus particularibus, vt aliquis homo est musicus: non enim omnis homo est musicus. Quarta tandem appellatur *Confusa*, & est, quando accipitur terminus pro omnibus significatis simul, & disiunctim confusè tamen, scilicet, pro omnibus simul, sed sub disiunctione confusa; vt in hac propositione, *Oculus requiritur ad videndum*: ly *Oculus* non supponit determinatè pro vno oculo: sicut si diceremus, Aliquis oculus requiritur ad videndum: nec similiter supponit distributiuè pro omnibus seorsim, & copulatiuè: non enim valet, ergo iste oculus requiritur; sed supponit cum quadam confusione pro omnibus simul, sub diuisione tamen; & sic benè valet, ergo iste, vel ille oculus requiritur ad videndum.

CAPVT V.

De Regulis ad dignoscendas Suppositiones.

QVia terminorum alij sunt categorematici, alij syncategorematici, ad suppositiones vtrorumque dignoscendas diuersæ regulæ adinuentæ sunt. Pro categorematicis igitur, qui nullo afficiuntur signo, hæc vnica regula assignatur, videlicet, quòd dum propositio est in materia contingenti, vt quando prædicatum est accidens commune respectu subiecti, *vt homo est albus*; ly *homo* supponit determinatè, pro aliquibus scilicet particularibus hominibus, non autem pro omnibus. Si autem propositio fuerit in materia naturali, dum scilicet prædicatum est de essentia subiecti, vel eius passio; vt *homo est animal, vel risibilis*: aut fuerit in materia remota, vt dum prædicatum repugnat subiecto; vt *homo est lapis*; ly terminus *homo* supponit distributiuè, pro omnibus scilicet suis significatis, seorsim, & copulatiuè sumptis.

Pro syncategorematicis autem quinque regulæ traduntur; at quia tales termini sunt quædam signa

A categorematicis terminis adiuncta, vt dictum est supra: antequam ad regulas suarum suppositionum accedamus, oportet scire prædicta signa esse in triplici differentia: quædam enim sunt purè vniuersalia, vt omnis, nullus, &c. quædam purè particularia, vt aliquis, quidam, &c. quædam verò mista ex particulari, & vniuersali, vt vterque, idest, aliquorum duorum omnis; neuter, idest, aliquorum duorum nullus; alter, idest omnium duorum aliquis; atque etiam termini numerales, vt bis, tria, &c. idest bis vnum, ter vnum; & etiam semper, idest in hoc tempore, & in hoc tempore, &c. & aliquando, idest hoc, vel illo tempore, & similia. Quibus ergo suppositis.

Prima regula pro signis vniuersalibus est, quòd B vniuersale signum affirmatiuum distribuit terminos proximos, & confundit remotos, hoc est, subiectum facit supponere distributiuè, prædicatum verò confusè; vt in hac propositione, *Omnis homo est animal*, vbi *homo* supponit distributiuè, vt patet; *animal* verò confusè. Si autem signum fuerit vniuersale negatiuum, distribuit terminos tàm proximos, quàm remotos, prædicatum scilicet, & subiectum, vt in hac propositione, *Nullus homo est equus*, vbi *homo*, & *equus* supponunt distributiuè.

Secunda regula pro signis particularibus est, quòd signum particulare affirmatiuum facit terminum proximum supponere determinatè, remotum verò intactum relinquit; vt *aliquis homo est animal*; vbi *homo* supponit determinatè, *animal* verò, ac si nullum esset signum, vndè relinquit in sua amplitudine. Si C verò signum fuerit particulare negatiuum, terminum quidem proximum determinat, remotum verò distribuit ratione negationis, vt *aliquis homo non est albus*.

Pro signis mistis duplex regula assignatur, quoniā talia signa sunt in duplici differentia; nam quędam miscentur ex vniuersali, & particulari, vt alter, & vterque; quædam verò ex termino categorematico, & syncategorematico, vt semper homo disputat: vndè tertia regula est pro signis mistis ex vniuersali, & particulari, & est quòd huiusmodi signa, partim distribuunt, & partim determinant terminos immediatos; verbi gratia *Alter*, binarium distribuit, & disiungit: quando enim dicitur, alter oculus est dexter, sensus est omnium duorum iste, vel ille est dexter.

D Quarta regula est pro mistis ex termino categorematico, & syncategorematico, vt semper, idest omni tempore, & nunquam, idest nullo tempore: nam tunc de illis iudicandum est, ac si prædicta signa non essent mista; vndè eadem regula obseruanda est, quam pro signis vniuersalibus primo loco adduximus, vt patet in hac propositione, *Semper homo disputat*: tempus enim ibi distribuitur, homo verò, & alij termini confunduntur. Si autem tale signum erit vniuersale negatiuum, vt *Nunquam*, distribuit tam categorema, cum quo coniungitur, quàm alios terminos, vt diximus in præfata prima regula, vt patet, dum dicitur, *Nunquam homo disputat*; & idem seruata proportione dicendum est de alijs.

Quinta tandem, & vltima regula est, quòd quilibet terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur, & eius declaratio pendet ex declaratione alterius termini; vt dum quis dicit, *bis cantaui missam*; ter-

terminus *Missa* confunditur, quia confusus remanet sensus, an cantauerit duas missas, vel bis cantauerit eandem; vnde eius declaratio pendet ex declaratione alterius termini, nempe *bis*: & hæc signa appellantur specialis confusionis.

Notandum tamen est in fine istarum quinque regularum, quòd potest dari casus, vt plura signa afficiant eundem terminum, quapropter erit necesse obseruare, an illa signa æquipolleant alteri signo, vel non: si primum, debet adhiberi regula illius signi, cui æquipollent: verbi gratia *Non omnis homo est animal*; quia *non omnis* valet, ac *Aliquis non*, ideo talis propositio æquiualet huic, *aliquis homo non est animal*, ac proinde in illa *homo* supponit determinatè, *animal* verò distributiuè iuxta secundam regulam superius allatam. Si autem contingat secundum, nimirum, quòd talia signa alteri non æquipolleant, vnumquodque afficit suum terminum proximum, & non transfunditur in remotum, vt patet in hac propositione, *Nullus equus est aliquis lapis*: nam licèt illud signum negatiuum, scilicet *Nullus*, iuxta primam regulam habeat vim distribuendi tam proximum terminum, quàm remotum; quia tamen impeditur ab altero signo, nempe *Aliquis*, afficit, & distribuit tantùm suum terminum proximum, cùm terminus remotus tantùm supponat determinatè iuxta secundam regulam. Hæc autem omnia sunt valde notanda pro dicendis; nam ex variatione suppositionis oriuntur ferè omnes defectus argumentationis, vt videbitur suo loco.

CAPVT VI.

De Ampliatione, Restrictione, Alienatione, & Diminutione.

Ampliatio *est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem*, vt in hac propositione, *Petrus curret*, ly *Petrus* non solùm supponit pro tempore futuro, sed ampliatur ad præsens, quasi reddat hunc sensum, qui est, vel erit, curret. Duplex autem est ampliatio, alia temporum, quando scilicet, suppositio termini extenditur ad varias differentias temporis, quæ apud Logicos sunt quinque, nempe, præteritum, præsens, futurum, possibile, & imaginarium; vt in hac propositione, *Auarus expetit pecunias*: pecuniæ ampliantur ad omnes differentias temporis, quasi reddat hunc sensum, Auarus expetit pecunias, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, vel sunt possibiles, vel imaginariæ. Alia verò est ampliatio temporum, & suppositorum, quando scilicet, suppositio termini extenditur non solùm ad differentias temporis, sed etiam ad plura subiecta; vt in hac propositione, *Iusti in perpetuum viuent*: nam ly *Iusti* non solùm ampliatur ad tempus præsens, & futurum ratione illius verbi de futuro, sed etiam ad homines præsentes, & futuros: & hæc ampliatio conuenit terminis communibus, vbi illa prior conuenit singularibus.

Restrictio, quæ ampliationi opponitur, *est coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem*. fit autem quatuor modis: primo per copulam implicationis, vt *homo, qui est iustus, diligit Deum*; vbi ly
A *homo* restringitur ad solos iustos; secundo per applicationem substantiui inferioris, vt *animal homo disputat*: tertio per positionem adiectiui ex parte eiusdem extremi, vt *homo albus disgregat visum*. quarto tandem per additionem casus obliqui, vt *doctrina Aristotelis præstantior est alijs*.

Alienatio, *est translatio termini à propria ad impropriam significationem*: vt in hac propositione, Vicit Leo de tribu Iuda; vbi Leo transfertur à propria ad impropriam significationem, dum non amplius animal rugibile, sed Christum Dominum significat.

Diminutio tandem, *est destructio partis suppositionis*: vt quando dicitur, *Æthiops est albus secundùm dentes*; ly *albus* non supponit pro toto homine, sed pro quadam eius parte, scilicet, pro dentibus: quæ proprietas
B etiam appellari solet dictum secundùm quid.

CAPVT VII.

De Appellatione.

Appellatio, *est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius*. Ad cuius euidentiam sciendũ est, terminos adiectiuos, siue connotatiuos habere duplex significatum, vnum materiale, formale aliud: vt album v. g. habet pro materiali significato ipsum subiectum, in quo est albedo; pro formali verò ipsam albedinem, quæ est in tali subiecto. Appellatio igitur est applicatio significati formalis vnius termini, ad significatum, siue materiale, siue formale
C alterius. Terminus, qui applicatur, dicitur appellans, ille, cui applicatur dicitur appellatus; vt *homo est albus*; ly *albus* appellat super hominem, & facit hunc sensum, homo est affectus albedine.

Ex dictis sequitur primò, terminum appellantem debere esse connotatiuum ad hoc vt possit applicari alteri; nam de ratione eius est, quòd significet per modum adiacentis alteri. Terminus verò appellatus, non est necesse, quòd sit connotatiuus, sed sufficit, quòd sit categorematicus. Secundò etiam sequitur, appellationem esse duplicem, materialem scilicet, & formalem: materialis est, quando applicatur significatum formale vnius termini supra significatum materiale alterius; vt in hac propositione, Plato philosophus, est magnus: ly enim *magnus* non applicatur Platoni ratione Philosophiæ, quæ est forma in Pla-
D tone, sed ratione corporis, quod se habet materialiter. Formalis verò est, quando applicatur significatum formale vnius supra significatum formale alterius, vt in hac propositione, Plato est philosophus magnus; ly *Magnus* non appellat supra Platonem ratione corporis, sed ratione Philosophiæ.

Quędam regulę pro cognoscendis appellationibus idcirco assignantur, quarum prima est, quòd quando subiectum est terminus concretus, prædicatum verò connotatiuus, connotatiuus applicat suum formale significatum supra materiale absoluti: hac de causa ista propositio est falsa, Christus est factus, quia illud participium appellat supra Suppositum Christi Domini, quod est Verbum diuinum, cui repugnat fieri.

Secunda verò regula est, quando ex parte subiecti sunt nomen absolutum & connotatiuum, & ex parte

te prædicati est aliud connotatiuum, istud appellat supra absolutum, seu substantiuum, quod est à parte subiecti, vt in hac propositione, Sortes logicus est magnus: ibi enim magnitudo tantùm appellat supra Sortem, & non supra logicum. Si verò à parte subiecti sit tantùm substantiuum, & à parte prædicati duo adiectiua, seu connotatiua, tunc vnum adiectiuũ appellat suprà aliud, vt in hac propositione, Sortes est logicus magnus.

Tertia regula est, quòd verba significantia aliquẽ actum, siue internum, siue externum, applicant suã actionem supra significatum formale termini, cui iunguntur, & non supra materiale; vt cùm dicitur, Vidi Papam, vel facio calceum, sensus est te vidisse Papam, dum erat Papa, & efficere formam calcei, non verò eius materiam.

Quarta tandem regula est, quòd quando nomina numeralia primitiua, vt duo, tres, quatuor, &c. applicantur terminis substantiuis, non solùm appellant supra significatum materiale, sed etiam supra formale, & ideo vtrumque multiplicant; vt si dicas, Video tres homines, sensus est, te videre tria supposita habentia tres humanitates. Si verò talia nomina applicentur terminis adiectiuis, solùm appellant suprà significatum materiale eorum, & illud tantùm multiplicant; vt cùm dicis, Video duo alba, sensus est, te videre duo subiecta habentia albedinem, etiam si per impossibile vna albedo esset in vtroque.

LIBER SECVNDVS.

De propositione, & eius passionibus.



Cognitis vocibus simplicibus, quæ ad primam operationem intellectus dirigendam pertinent, transeundum est ad propositiones, quæ ex illis componuntur, & secundæ operationi deseruiunt. Cùm autem Oratio sit quid superius ad propositionem, & coalescat ex Nomine, & Verbo, ideo de his tribus, antequam ad ipsam accedamus, agendum est.

CAPVT I.

De Nomine, & Verbo.

Nomen ergo ex Aristotele primo Periher. cap. 2. *est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.* Dicitur *vox significatiua*, vt excludantur voces non significatiuæ: *ad placitum*, vt excludantur signa naturalia: *sine tempore*, vt excludatur verbum, cui proprium est significare cum tempore, vt infra patebit: *cuius nulla pars separata*, &c. vt excludatur oratio: *finita*, vt excludatur nomen infinitum: & tandem additur *recta*, vt excludantur casus obliqui.

Verbum autem ex eodem Philosopho loco citato est *vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & est semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota.* Priores particulæ, scilicet, *vox significatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat*, ex dictis de Nomine explicatæ iam sunt. Vt autem intelligatur, quod sequitur, nempe, particula illa *cum tempore*, obseruandum est, non esse idem significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore: nam illud dicitur significare tempus, quod impositum est ad significandum tempus, vel aliquam partem eius, vt annus, dies, hora, &c. illud verò dicitur connotare tempus, quod significat aliquid inferens, & concernens aliquod tempus, ex eo quòd determinato tempore fieri solet, vt cæna, prandium, &c. illud tandem dicitur significare cum tempore, quod significat quasi in actu exercito aliquam actionem, vel passionem, quæ fiunt in tempore, vt currit, vincit, sustinet, &c. Primum, & secundum conueniunt nomini; tertium verò soli verbo, & participio, & ita per illam particulam *cum*
B *tempore* differt verbum à nomine. Per vltimam verò, scilicet, *est eorum, quæ de altero dicuntur, nota*, differt à participio, quod licèt significet cum tempore, numquam tamen potest esse copula propositionis, seu vnio, & nota extremorum, quę in illa coniunguntur.

Additur etiàm in prædicta definitione *finita*, vt excludantur verba infinita, vt non currit, non legit, &c. nam, vt rectè docet Aristoteles ibidem, tam nomina, quàm uerba infinita non habent determinatam significationem. Tandem additur *recta*, ut præter indicatiui præsens cætera alia tempora, & modi excludantur: cùm enim ibi Aristoteles loquatur de illo uerbo, quod per se potest enunciare ueritatem independenter ab alio, hinc est, quòd solùm præsens indicatiui modi appellat uerbum, etenim alia tempo-
C ra dependenter ab illo enunciant ueritatem: nam ideo hæc propositio, homo cucurrit, est uera, quia aliquando de præsenti fuit uera, & idem est de futuro, ut de se patet.

CAPVT II.

De Oratione.

Oratio definitur ab Aristotele loco supra citato cap. 4. quòd sit *vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata significat.* Per primam partem definitionis Oratio conuenit cum nomine, & uerbo, ut patet; per ultimam uerò partem ab illis distinguitur, ut etiam liquet ex supradictis: ly autem *si-*
D *gnificare*, ut benè notat D. Thomas supra talẽ definitionem, sumitur in omni rigore, prout scilicet, soli termino categorematico conuenit, & distinguitur à consignificare, quod propriè conuenit termino syncategorematico. Vnde dicendum est, quòd sufficit ad rationem orationis, aliquam eius partem significare propriè, & rigorosè, siue esse terminum categorematicum: quare istæ sunt ueræ orationes, Omnis homo, nullus homo, &c.

Diuiditur autem oratio ab Aristotele ibidem in enunciatiuam, & non enunciatiuam; enunciatiua est illa, quæ affirmat, uel negat aliquid, & uocatur alio nomine Propositio, & semper fit per uerbum indicatiui modi, ut homo uigilat, homo non uigilat, &c. non enunciatiua uerò est illa, quę nihil affirmat, uel negat, siue in qua non est ueritas, uel falsitas; siue sit oratio perfecta, nempe, quæ generat perfectum

fectum sensum, & relinquit quietum animum audientis, quales sunt orationes optatiui, & imperatiui modi quæ tamen non enunciant uerum, uel falsum: siue sit oratio imperfecta, quę scilicet non generat perfectum sensum, nec relinquit quietum auditoris animum, ut homo albus, & orationes modi subiunctiui, & infinitiui.

Sub oratione non enunciatiua comprehenduntur modi sciendi, qui sunt tres, nempe Definitio, Diuisio, & Argumentatio, quoniam in eis nulla repetitur ueritas, aut falsitas: etenim in definitione hominis. v. g. quæ est Animal rationale, nisi addatur est, uel non est, non continetur ueritas, aut falsitas. Similiter in Diuisione totius physici. v. g. quæ est materia, & forma, nisi addatur est, uel non est, non continetur in ea ueritas, aut falsitas. Tandem in Argumentatione, licèt ratione propositionum ex quibus coalescit, materialiter reperiatur ueritas, uel falsitas; tamen quatenus Argumentatio quædam illatio est, seu quatenus formaliter sumitur, abstrahit à ueritate, uel falsitate; & si ex præmissis bene infertur, non dicitur uera, sed bona; si autem male, non dicitur falsa, sed mala. Cum hoc tamen discrimine isti tres modi sciendi continentur sub oratione non enunciatiua; nempe, quòd Definitio, & Diuisio appellantur orationes non enunciatiuæ imperfectæ, utpote non generantes perfectum sensum: Argumentatio uerò dicitur oratio non enunciatiua perfecta, quia perfectũ sensum generat, ut patet.

CAPVT III.

De Definitione.

Definitio *est oratio, quod quid est significans, siue explicans naturam rei*. Particula *oratio* facit conuenire Definitionem cum cæteris modis sciendi; nam Modus sciendi nil aliud est, quàm *oratio ignoti manifestatiua*. Per alias autem particulas constituitur particularis modus sciendi, & ab alijs distinguitur. Per ly autem *significans*, uel *explicans*, quod debet intelligi clarè; & distinctè, distinguitur ab omnibus uocibus significatiuis: nam etiam tales uoces significant naturam rei, estò sint simplices, non quidem distinctè, sed tantùm confusè.

Diuiditur primò Definitio in definitionem nominis, & definitionem rei: hæc est illa, quæ explicat naturam alicuius rei, ut dum definitur homo per animal rationale: illa uerò est, quæ explicat significationem alicuius nominis, siue uocis: ut quando dicitur, fari est idem, ac loqui; Cosmos idem, ac mundus. Ad hanc definitionem reducitur Etymologia; ut si dicatur, lapidem sic denominari à lædendo pede: non enim per hoc explicatur natura illius uocis, ut res quædam est, sed simpliciter, ut uox est.

Diuiditur secundò Definitio in Essentialem, Causalem, & Accidentalem, siue Descriptiuam: Essentialis est, quę traditur per partes essentiales, genus scilicet, & differentiam: dicitur autem essentialis metaphysicà, siuè logica, quia genus, & differentia sunt partes essentiales compositi logici, siue metaphysici: genus itaque est id, per quod definitum conuenit cum aliis; differentia uerò est id, per quod distinguitur ab alis, ut patet in hac definitione, Homo est animal

A rationale. Causalis autem est illa, quæ datur per aliquam causam, quæ etiam vocatur physica; quæ si detur per causas intrinsecas, per materiam scilicet, & formam, dicitur pariter essentialis, sed physica: nam istæ causæ physicè constituunt essentiam rei; vt quando dicitur, Homo est compositum naturale constans ex materia, & anima rationali. Datur etiam definitio per causas extrinsecas, & est physica, sed non essentialis, cum sit per aliquid extrinsecum; vt quando datur per causam efficientem, dicendo, quòd Actus humanus v. g. est actus productus ab homine: vel per finalem, vt homo est animal creatum ad videndum Deum. Ista verò Definitio causalis extrinseca, dicitur etiam descriptiua; quæ tamen, vt sit bona, debet tradi per causas proprias, non per causas communes: nam aliàs non conuerteretur cum definito,
B vt patet: vnde nihil bene definiri potest per materiam primam, aut per causam efficientem vniuersalem. Accidentalis tandem, siue Descriptiua est illa, quæ datur per genus, & propriam passionem; vt homo est animal risibile; vel per aliqua accidentia communia, quæ licèt separatim sumpta possint alijs à definito conuenire; tamen simul sumpta, seu eorundem collectio ita definito conuenit, vt nulli alteri conueniat, vt Homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum, &c.

Dantur tamen aliquæ regulæ, siue leges bonæ definitionis. Prima est, vt si fieri potest, tradatur per ea, quæ sunt natura, & nobis notiora: nam debet definitio esse clarior suo definito; alias non esset ignoti manifestatiua, & consequenter nec modus sciendi. Definitum autem est id, quod per definitionem explicatur. Secunda, quòd definitum non de-
C bet ingredi definitionem: alias idem esset simul notius, & ignotius se ipso: nam vt pars definitionis manifestaret se ipsum. Tertia, quòd definitio non debet esse superflua, nec diminuta: nam si superflua, potius pareret confusionem; quòd si diminuta, non explicaret totam essentiam definiti. Quarta, & principalis est, quod constet ex genere, & differentia, vel ad minus aliquo suppleute vices generis, & differentiæ: nam per definitionem debet explicari tota essentia rei: in cuiuslibet autem rei essentia reperitur aliquod commune multis, quod est genus, & aliquod proprium, quod est differentia: vt autem sit optima, debet tradi per genus proximum: nam licèt ista sit bona, homo est substantia materialis; hæc tamen est melior, homo est animal rationale. Quinta tandem, & vltima est quòd definitio conuertatur cum definito, & è contra: cùm enim definitio contineat to-
D tam essentiam rei, & essentia vnius non sit essentia alterius; consequens est, quòd definitio vnius, nulli alteri conuenire potest.

CAPVT IV.

De Diuisione.

Diuisio *est oratio explicans multiplicitatem in aliquo existentem; siue totum in suas partes distribuens*. Res, quæ diuiditur, appellatur diuisum. Partes, in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia. Vnde oratio, quæ tales partes explicat dicitur diuisio. Cùm autem Diuisio totum diuidat, iuxta diuersos mo-

modos totius, sic erunt diuersæ diuisiones: vnde sicut totum est triplex, potentiale scilicet, actuale, & accidentale; sic etiam erit triplex diuisio, nempe, potentialis, actualis, & accidentalis.

Diuisio potentialis, quæ etiam dicitur vniuersalis, est illa, qua totum diuiditur in partes, quas sub se potestate continet. Hæc autem duplex est: nam alia est generis in species; quando scilicet diuisum æqualiter, & essentialiter reperitur in membris diuidentibus, vt animal, v. g. cùm diuiditur in hominem, & equum: vnde partes, seu membra huius diuisionis dicuntur partes subiectiuæ. Ad istam diuisionem reducitur diuisio generis in differentias; vt quando animal diuiditur per rationale, & irrationale; non enim hæc est diuersa diuisio à præcedente, cùm genus propriè non dicatur diuidi in differentias, sed per differentias diuiditur in species. Alia verò est diuisio analogi in sua analogata; quando scilicet, ratio diuisa, seu diuisum ipsum reperitur primò, principaliter, & absolutè in vno analogato; in alijs verò minus principaliter, & per participationem; siue dependenter à primo; sicut Ens, vt plerique docent, respectu Dei, & creaturarum, respectuque substantiæ, & accidentis: quarè dicitur, quòd analogum per se sumptum stat pro famosiori significato.

B

Diuisio actualis est illa, qua totum diuiditur in suas partes, ex quibus actu componitur: quarè, si partes illæ sint physicæ, dicitur diuisio actualis physica; vt hominis, alia pars est anima rationalis, alia corpus: si partes sint logicæ, vt genus, & differentia, dicitur diuisio actualis logica; vt hominis, alia pars est animal, alia rationale: si partes sint integrantes, dicitur diuisio actualis integralis; vt hominis, alia pars est caput, alia pedes, &c. Totum autem integrale aliud est homogeneum, scilicet, quod habet partes eiusdem rationis, vt aqua; aliud heterogeneum, scilicet, cuius partes sunt diuersæ rationis, vt corpus humanum.

C

Diuisio tandem accidentalis est, quando totum accidentale diuiditur in suas partes; quòd contingit tripliciter: primò, quando subiectum diuiditur in accidentia, vt homo, alius albus, alius niger; & ad hanc reducitur diuisio nominis in sua significata; vt canis, alius cælestis, alius marinus, & alius terrestris; secundò, quando accidens diuiditur in sua subiecta; vt alborum, aliud est lac, aliud est nix: tertiò autem, quando accidens diuiditur in accidentia; vt dulcium, aliud album, aliud flauum.

D

Quædam idcirco ad bonitatem Diuisionis assignantur regulæ: prima, quòd membra diuidentia sint opposita, idest inter se distincta re, vel ratione; quia alias non essent partes, de quarum conceptu est se inuicem excludere. Ex quo etiam sequitur, in qualibet diuisione saltem debere esse duo membra diuidentia, vt de se constat. Secunda verò regula est, quòd membra diuidentia sumpta seorsum sint inferiora diuiso, illudque coniuncta sic adæquent, vt ipsum non excedant: & vtriusque ratio est, quia diuisum est totum, & membra diuidentia sunt partes: totum autem, licèt excedat vnam partem, non tamen excedit omnes, neque exceditur ab eis. Tertia tandem regula est, quòd diuisio tradatur per pauca membra diuidentia, ne ipsorum multitudo, obscuritatem, & confusionem pariat, propter quod diuisiones communi-

A

ter assignantur per membra contradictoria, exprimendo scilicet, membrum principale, & loco aliorum negationem eiusdem principalis; vt cùm dicimus, Animal aliud rationale, aliud irrationale: viuens aliud sensibile, aliud insensibile, & sic de alijs. Hæc tamen regula debet intelligi, vt iacet, si omnes species alicuius generis non sint notæ; vel non sit necesse omnes recensere: nam si omnes essent notæ, licèt ratione nostri, talis diuisio tradita per omnes species per accidens causaret aliquam confusionem: tamen secundùm se valde manifestaret diuisum, vnde esset bona.

CAPVT V.

De Argumentatione.

Argumentatio est *oratio explicans illationem vnius ex alio*; seu, vt alij dicunt, est *oratio, in qua vnum ex alio inferri denotatur*; vt Socrates ambulat: ergo mouetur. Ex quo sequitur, ad argumentationem non sufficere, vnum posse inferri ex alio, sed insuper necesse est, vt explicetur illatio: propter quod hæc non est argumentatio, Socrates ambulat, & mouetur; quia ibi non explicatur motum inferri ex ambulatione. Quia tamen de Argumentatione iterum redibit sermo ex professo in tertio libro harum Institutionũ, hactenus de ipsa; ac de oratione enunciatiua perfecta sequetur tractatus.

CAPVT VI.

De Propositione in communi, eiusque diuisionibus.

Propositio ex Aristotele primo Priorum cap. 1. definitur, quòd *sit oratio enunciatiua*; & primo Perihermenias cap. 4. quòd *sit oratio verum, vel falsum significans*; quarum definitionum explicationes cùm ex dictis intelligi possint, nihil vlterius addendum videtur. Diuiditur itaque Propositio primò in simplicem, & compositam, siue in categoricam, & hypotheticam: prima est illa, quæ constat subiecto, prædicato, & copula vniente, vt homo est animal. Subiectum aliquando constat vno termino tantùm; aliquando constat vna oratione, vt homo iustus diligit Deum; & hoc non obstat, quin propositio categorica, & simplex sit: nam prima propositio tantùm gerit vicem subiecti; & copula, quæ in ea reperitur, dicitur copula implicationis, seu minus principalis, quia ex ea non consideratur veritas, neque falsitas propositionis, sed ex secunda, quæ ideo dicitur principalis. Item aliquando in propositione categorica non explicatur prædicatum, sed includitur in verbo, vt homo orat: nam idem valet, ac homo est orans. Composita verò, siue hypothetica propositio illa est, quæ constat propositionibus tamquam partibus principalibus aliqua vnione vnitis; vt magister docet, & discipulus audit.

Diuiditur secundò propositio categorica in affirmatiuam, & negatiuam: affirmatiua est illa, quæ aliquid de aliquo affirmat, & respondet iudicio intellectus, quod appellatur compositio: negatiua verò est illa, quæ aliquid de alio remouet; & respondet iudicio intellectus, quod dicitur diuisio.

Vt

Vt autem faciliùs cæteras propositionis diuisiones cognoscere valeamus, sciendum est, quòd in propositionibus quatuor reperiuntur, forma scilicet, materia, quantitas, & qualitas: forma est vnio illa prædicati, & subiecti secundùm affirmationem, vel negationem de qua satis constat ex dictis: materia verò est habitudo, & ordinatio prædicati ad subiectum, antecedens ipsam vnionem, quæ fit per enunciationem; quæ vtique materia est triplex, sicut triplex est habitudo, quam potest habere prædicatum respectu subiecti: nam alia est naturalis, quando scilicet, prędicatum est de essentia, vel propria passio subiecti: alia contingens, quando scilicet, prædicatum est accidens commune respectu subiecti: & alia remota, quando scilicet, prædicatum repugnat subiecto. Quantitas autem propositionis est illa magnitudo, secundùm quam propositio dicitur vniuersalis, vel particularis. Qualitas tandem propositionis est illa, secundùm quam dicitur vera, vel falsa; affirmatiua, vel negatiua: cum hoc discrimine tamen; quòd qualitas, ratione cuius propositio dicitur affirmatiua, vel negatiua, est qualitas intrinseca, cùm affirmatio, & negatio sint differentiæ essentiales ipsius propositionis: qualitas verò, ratione cuius propositio dicitur vera, vel falsa, est qualitas extrinseca, cùm veritas, & falsitas sint differentiæ accidentales, seu proprietates propositionis. Hę tamen omnes indifferenter appellantur propositionis qualitates: quia interroganti, qualis est propositio, respondere solemus esse veram, vel falsam; affirmatiuam, vel negatiuam: vnde canit Versus.

Quæ? ca, vel hyp. Qualis? ne, vel af.
V quanta par. in sin.

Hoc est, si quæratur, quæ nam sit propositio? respondetur categorica, vel hypothetica. Si qualis? negatiua, vel affirmatiua. Si verò quanta? vniuersalis, particularis, vel singularis.

Quibus ergo cognitis, & consideratis, primò diuidi solet Propositio categorica ratione materiæ in necessariam, contingentem, & impossibilem: necessaria est, quæ enunciat rem, quæ aliter se habere non potest: contingens, quæ aliter se habere potest; impossibilis verò, quæ sic se habere non potest. Quo fit, vt non sit idem, propositionem esse in materia naturali, & esse necessariam: siquidem hæc, homo non est animal, est in materia naturali, & tamen est impossibilis. Similiter non est idem, propositionem esse in materia remota, & esse impossibilem; nam hæc, homo non est equus est in materia remota, & tamen est necessaria.

Quòd vt planè percipiatur, obseruanda est pręsens regula: nempe; quòd in materia naturali omnis propositio affirmatiua est necessaria; negatiua verò impossibilis: in materia autem remota omnis propositio negatiua est necessaria; affirmatiua verò impossibilis: in materia tandem contingenti, tam affirmatiua, quàm negatiua semper manent contingentes.

Secundò diuiditur propositio ratione quantitatis in vniuersalem, indefinitam, particularem, & singularem: vniuersalis est, cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali affectus, vt omnis homo est animal; nullus homo est animal: indefinita est, cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus; quæ si fuerit in materia naturali, & remota, æquiualet vniuersali; si verò fuerit in materia contingenti, æquiualet particulari: particularis verò est, cuius subiectum est terminus communis, signo particulari affectus, vt aliquis homo est animal: & tandem singularis, cuius subiectum est terminus singularis, siue sit determinatus, vt Petrus: siue demonstratiuus, vt hic homo; siue ex suppositione, vt Filius Mariæ Virginis. Vnde sequitur, ad quantitatem cognoscendam respiciendum esse subiectum, non autem prædicatum. Si enim subiectum est terminus singularis, prædicatum verò communis, vt Petrus est animal, propositio est singularis: si autem è contra subiectum est terminus communi, signo vniuersali affectus, prædicatum verò terminus particularis, vt omnis homo est aliquod animal, propositio est vniuersalis.

Tertiò tandem diuiditur propositio categorica ratione qualitatis in veram, & falsam; in affirmatiuam, & negatiuam, eo modo, quo dictum est supra. Quarè propositio vera est, quæ enunciat rem sicuti est in se, falsa verò, aliter, ac sit in se: Propositio autem affirmatiua, quæ affirmat prædicatum dè subiecto; negatiua verò, quæ negat.

CAPVT VII.

De Propositionibus hypotheticis, earumque diuisionibus.

QVid sit Propositio hypothetica, iam vidimus capite præcedenti: nunc autem explicanda sunt membra diuidentia, quæ sub illa continentur. Diuiditur ergo in copulatiuam, disiunctiuam, & conditionalem, ad quam reducitur rationalis, & causalis: copulatiua est illa, cuius partes principales vniuntur coniunctione copulatiua &, ac, nec, & similes; vt si dicatur, homo est rationalis, & equus est hinnibilis: neque homo est lapis; neque equus est risibilis, &c. disiunctiua est illa, cuius partes principales vniuntur coniunctione disiunctiua vel, aut, siue, &c. vt si dicas, vel Petrus loquitur, vel tacet: conditionalis tandem est illa, cuius partes principales vniuntur particula si, aut simili, vt si Sol lucet, dies est. Ad istam autem reducuntur rationalis, & causalis; cùm rationalis sit illa, cuius partes vniuntur per particulam ergo, &c. vt si Sol lucet, ergo dies est: causalis autem sit illa, cuius partes vniuntur per particulam quia, &c. vt quia Sol lucet, dies est.

Ad veritatem autem copulatiuæ requiritur, vt vtraque pars sit vera: ad falsitatem verò, quòd vtraque, vel altera pars sit falsa. Ad veritatem disiunctiuæ, quòd altera pars sit vera; ad falsitatem, quòd vtraqua pars sit falsa. Ad veritatem conditionalis, ac cæterarum, quæ ad illam reducuntur, generaliter tantùm requiritur, vt consequens sequatur ex antecedente; ad falsitatem, è contra: in specie verò, ad veritatem conditionalis vt sic sufficit bonam esse illationem, licèt antecedens, & consequens sint falsa: nam conditionalis ex communi proloquio nihil ponit in esse; vnde ista est vera, si homo habet alas, potest volare: ad falsitatem verò, è contra. Ad veritatem rationalis necesse est, vt antecedens sit verum: ob cuius defectum ista est falsa, equus est homo, ergo animal. Ad ueritatem tandem causalis debet antecedens esse causa consequentis: ad falsitatem,

B è con-

è contra.

Aduertendum tamen est, Propositiones hypotheticas tunc esse affirmatiuas, quando principalis earū copula, quæ est coniunctio illa, qua propositiones simplices, ex quibus hypotheticæ prædictæ coalescunt, coniunguntur; affirmatur, quomodocunque partes sint, scilicèt siue affirmatę, siue negatæ: istæ enim sunt affirmatiuæ; Si homo est animal, est sensibilis; si homo non est animal, non est sensibilis; sunt autem negatiuæ, quando principalis copula negatur, siue partes sint affirmatę, siue negatę; vt non si petrus mouetur, currit; non si petrus non mouetur, non currit.

Etiam ignorandum non est, prædictas propositiones, ratione sui nec esse vniuersales, nec particulares; quia, vt dictum est supra, vniuersalitas, & particularitas propositionum attenduntur penes subiectum; istæ verò de se non constant subiecto, & prædicato, licet ex categoricis, ex subiecto, & prædicato constantibus componantur.

CAPVT VIII.


De Proprietatibus propositionum; & primò De Oppositione propositionum simplicium.

Proprietates propositionum sunt tres, videlicèt, Oppositio, Æquipollentia, & Conuersio: de his duabus vltimis redibit sermo in sequentibus capitibus: sed de Oppositione modò agendum est, & primò de Oppositione simplicium propositionum, quæ ab Aristotele 1. Perhier: cap. 4. definitur, quòd sit *affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*; siue repugnantia inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam eiusdem prædicati, & subiecti. Ex qua definitione primò colligitur, copulam principalem in vna propositione debere esse affirmatiuam, in alia negatiuā; vnde istæ non opponuntur; Plato, qui disputat, loquitur; Plato, qui non disputat, loquitur. Colligitur secundò, quòd in eadem propositione debet remanere idem prædicatum, & subiectum in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco: hæc enim omnia includuntur in illa particula, *eiusdem de eodem*: vnde defectu primæ conditionis istæ non sunt oppositæ; Liber est Aristotelis; Liber non est Aristoteles. Defectu rei significatæ istæ non opponuntur; homo est rationalis, si intelligatur de homine vero; & homo non est rationalis, si intelligatur de homine picto. Defectu integritatis istæ non sunt oppositæ; Æthyops est albus, si intelligatur secundùm dentes; Æthyops non est albus, si intelligatur simpliciter. Defectu eiusdem temporis istæ non opponuntur; Socrates scribit; Socrates non scribit, si pro diuersis temporibus supponant. Defectu similiter eiusdem loci istæ non opponuntur; Socrates est in foro; Socrates non est in foro, si intelligantur diuersi fori. Vnde ad veram oppositionem requiritur, quod in propositionibus seruentur eędem proprietates terminorum, scilicet suppositio, appellatio, &c. præter suppositionem, quæ prouenit a signis afficientibus subiectum, quæ aliquando mutatur: semper tamen debet seruari eadē suppositio simplex, vel realis completa, vel incompleta, &c.

Huiusmodi autem propositionum oppositio qua-

A druplex est; contradictoria scilicet, contraria, subcontraria, & subalterna. Oppositio contradictoria est, quando vna propositio est vniuersalis affirmatiua, particularis negatiua alia; vel è contra: contraria, quando ambæ propositiones sunt vniuersales, vna affirmatiua, alia negatiua: subcontraria, quando ambæ sunt particulares, vna affirmatiua, alia negatiua; subalterna tandem non est simpliciter dicenda oppositio, quia in ea, non est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, cùm in ipsa ambæ propositiones sint affirmatiuæ, vel negatiuæ: est tamen inter ipsas aliqua oppositio, ratione scilicet, quantitatis, cùm vna sit vniuersalis, particularis altera, quæ particularis, cùm sub vniuersali contineatur, dicitur eidem subalternata, vt patet in hac subiecta figura.

B



C Sciendum tamen est, quòd etiam in signis mistis reperitur diuersa oppositio: quia enim, Vterque, & Neuter magis accedunt ad vniuersalia; Alter verò, & Alter magis ad particularia: ideò Vterque, & Neuter opponuntur contrariè. Vterque autem, & alter non, opponuntur contradictoriè: sicut etiam Neuter, & Alter. Alter verò, & alter non, opponuntur subcontrariè. Vterque tandem, & Alter se habent vt subalternans, & subalternatum, sicut & Neuter, & Alter non.

Item Coniunctio *Et*, est signum vniuersale; coniunctio autem *Vel* particulare: & ideò quando subiectum in propositione est copulatum media particula *Et*, debet manere eadem coniunctio in propositione contraria; in contradictoria verò mutanda est in *vel*: v. g. istæ sunt contrariæ, Socrates, & equus D est rationalis; Socrates & equus non est rationalis: istæ autem contradictoriæ; Socrates, & equus est rationalis; Socrates, vel equus non est rationalis: quod si in vtraque propositione, extremum sit copulatum per *vel*, tunc sunt subcontrariæ: vt Socrates, vel equus est rationalis; Socrates, vel equus non est rationalis: at tandem si in vtraque propositione affirmatiua, vel negatiua subiectum vnius sit copulatū particula *Et*, & subiectum alterius particula *Vel*, tūc sunt subalternæ; vt Socrates, & equus est rationalis; Socrates, vel equus est rationalis: vel Socrates, & equus

æquus non est rationalis; Socrates; vel equus non est rationalis. Hoc autem intelligendum est, quando *Et* accipitur diuisiuè, & *Vel* disiunctiuè, & complexa ipsa constant ex partibus singularibus, vt explicatum est: quando enim copulatim, vel disiunctim accipiuntur, hoc est, quando subiectum supponit copulatim vel disiunctim ex eo quòd eius partes copulantur vel disiunguntur in ordine ad verbum de plurali, vt quando dicitur, Socrates, & Plato currunt: seu Socrates, vel Plato currunt; tunc habentur tales propositiones pro singularibus, inter quas, sicut & inter singulares, non est, nisi sola oppositio contradictoria, & talia subiecta inuariata debent manere; vt patet, dum dicitur, Socrates, & Plato currunt; Socrates, & Plato non currunt: seu Socrates vel Plato currunt; Socrates vel Plato non currunt. Idem quoque censendum est de propositionibus de signo collectiuo; vnde hæ solùm opponuntur contradictoriè, Omnes Apostoli Dei sunt duodecim; omnes Apostoli Dei non sunt duodecim: similiter istæ; Isti Apostoli, & isti, & alij sunt duodecim: Isti Apostoli, & isti, & alij non sunt duodecim. In propositionibus autem, quæ constant terminis numeralibus, optimè fit contradictio, quando negatio præponitur secundæ propositioni; vt Bis cantaui Missam; non bis cantaui Missam.

Tandem pro signis mistis ex termino categorematico, & syncategorematico obseruandum est, quòd cùm *Semper*, & *Nunquàm* signa sint vniuersalia primū affirmatiuū, negatiuum secū'ū: *Aliquandò* verò, & *Aliquandò non*, particularia; tunc eorū propositiones erunt oppositæ contrariè, si dicatur, Semper homo disputat. Nunquàm homo disputat; subcontrariè, si dicatur, Aliquando homo disputat; Aliquandò homo non disputat: contradictoriè verò si dicatur, Semper homo disputat; Aliquando homo non disputat; vel Aliquando homo disputat; Nunquàm homo disputat denique subalternè, si dicatur, Semper homo disputat; Aliquando homo disputat; vel Nunquàm homo disputat; Aliquando homo non disputat.

Quibus traditis, & explicatis, huiusmodi regulæ assignari solent pro vnaquaque oppositione. Prima regula pro propositionibus contradictorijs est, in nulla materia posse ipsas esse simul veras, aut simul falsas; secunda regula pro contrarijs est, in nulla materia posse esse simul veras; benè tamen simul falsas in materia contingenti: tertia regula pro subcontrarijs est, nunquam posse esse simul falsas, benè tamen simul veras in materia contingenti; quarta tandem regula est pro subalternis, vt in materia naturali, si vna est vera, alia etiam sit vera, & idem dicendum est de falsitate; in materia verò contingenti vniuersalis potest esse falsa, particularis autem vera, sed non è contra.

CAPVT IX.

De Æquipollentia, & Conuersione propositionum simplicium.

EQuipollentia propositionum, prout ad præsens spectat, duobus modis accipi potest: primo modo largè, pro simplici æquiualentia ipsarum, vt dum habent eandem vim, & sensum; tamen sub differentibus terminis, vt patet, quandò dicitur, Christus

A est Deus; Filius B. V. Mariæ est Deus: Secundo verò modo strictè, pro eadem vi, scilicet, & significatione duarum propositionum proueniente à diuersis signis, & hoc modo accipitur in præsenti; quæ optimè inseruit ad manifestandas propositiones obscuriores, propter quòd à Dialecticis adinuenta est.

Vt autem fiant æquipollentes propositiones, quæ inter se opponebantur, quædam assignantur regulæ, quæ mirificè hoc exprimuntur carmine,

Præ contradic; post, contra; præ postque, subalter.

Hoc est, cum Negatio sit talis naturæ, vt si inueniat post se propositionem affirmatiuam, faciat ipsam negatiuam, & è contra; & si particularem, faciat ipsam vniuersalem, & è contra: ad hoc vt duæ propositiones contradictoriæ fiant æquipollentes, præponenda est subiecto cuiuslibet illarum; vnde dicitur

B *Præ, contradic*; ad hoc autem, vt duæ propositiones contrariæ fiant æquipollentes, postponenda est subiecto cuiuslibet earum, & ideò dicitur *Post, contra*: ad hoc tandem, vt duæ subalternæ fiant æquipollentes; anteponenda, & postponenda est subiecto cuiuslibet earum; & ideò dicitur *Præpostque, subalter*: pro subcontrarijs verò nulla assignatur regula, quia nunquam possunt fieri æquipollentes, etiam si præponatur, vel postponatur negatio, vt consideranti patere potest. Quarè sequitur, talia signa, quæ faciunt propositiones æquipollentes, esse pariter inter se æquipollentiā; quinimmo mutò magis, quàm sint ipsæ propositiones: siquidem ab illis prouenit æquipollentia earum; quòd vt apertè intueatur, ac faci-

C liter memoriæ mandetur, huiusmodi carmina à Dialecticis reperta sunt.

Non omnis, quidam non; omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Vterque non, neuter: neuter non, valet vterque.
Non alter, neuter: non alter non, est vterque.

Altera verò propositionis proprietas est Conuersio cuius notitia ad artem syllogisticam est summè necessaria; quia media illa syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur. *Conuersio ergo est transmutatio vnius extremi totalis in aliud extremum totale:* siue est transpositio partium ipsius propositionis, ita vt ex subiecto fiat prædicatum, & è contra, eadem semper qualitate propositionis seruata; idest, si vna fuerit affirmatiua, etiam alia sit affirmatiua; & si vna negatiua etiam alia negatiua sit; vt Nullus homo est lapis; nullus lapis est homo.

Conuersio autem triplex est: Simplex scilicet, per accidens, & per transpositionem extremorum: Con-

D uersio simplex est, cùm de subiecto fit prædicatum, & è contra; vt Nullus homo est equus, Nullus equus est homo: Conuersio per accidens est, cùm mutatur subiectum in prædicatum, & è contra, mutata tamen quantitate; ut Omnis homo est rationalis; Quoddam rationale est homo: Conuersio tandem per transpositionem extremorum est, cùm mutatur subiectum in prædicatum, & è contra, manente eadem quantitate, & qualitate, sed termini finiti fiunt infiniti; vt Omnis homo est rationalis. Omne non rationale est non homo, Quæ omnia his duobus carminibus memoriæ mandantur.

Simpliciter Feci: conuertitur Eua per acci.
Asto per contra: sic fit conuersio tota.

 In quo

In quo quidem tres illæ voces, *Feci*, *Eua*, & *Asto*, continent quatuor vocales, quarum. A. significat propositionem vniuersalem affirmatiuam; E, vniuersalem negatiuam; I, particularem affirmatiuam; O, particularem negatiuam, iuxta alia carmina.

Asserit, A, negat E; sunt vniuersaliter ambæ.
Asserit, I, negat O; sunt particulariter ambæ.

Ex quibus patet quòd conuersio propositionis vniuersalis negatiuæ, & particularis affirmatiuæ debet esse conuersio simplex; vnde dicitur *Simpliciter Feci*: Conuersio autem Vniuersalis negatiuæ, & vniuersalis affirmatiuę debet esse per accidens; quarè dicitur *Conuertitur Eua per acci*: Conuersio tandem vniuersalis affirmatiuæ, & particularis negatiuæ debet esse per transpositionem terminorum, atque ideò dicitur *Asto per contra*.

Vt autem istæ conuersiones rectè fiant: primò aduertendum est, vt integrum subiectum efficiatur integrum prædicatum, & è contra; aliàs non esset bona consequentia: non enim sequitur; Petrus videt Paulum: ergo Paulus videt Petrum. Petrus est in domo: ergo domus est in Petro; quia ly *Paulum*, & ly *in domo* non sunt integra extrema: debet igitur conuersio fieri hoc modo; Petrus videt Paulum; ergo videns Paulum est Petrus. Petrus est in domo: ergo existens in domo est Petrus. Secundò aduertendum est, vt seruentur omnes, & eædem proprietates terminorum, excepta suppositione, quæ prouenit à signis; nam hæc variari potest, vt dictum est supra cap. 8. Quarè non valet, Homo est nomen: ergo nomen est homo, cùm non sit eadem suppositio. Itē non valet, Senex fuit puer: ergo Puer fuit senex: & ratio est, quia non seruatur in secunda propositione ampliatio primæ, quæ talis est, Qui est, vel fuit senex, fuit puer; vnde hoc modo debet conuerti; quod fuit puer, est, vel fuit senex.

CAPVT X.

De essentia, & speciebus Propositionis modalis.

CVm ex modo deriuetur denominatio propositionis modalis, sciendum est in primis, quòd *Modus est adiacens rei determinatio*: hoc enim significat modificare, idest determinare, seu restringere: quæ modificatio in præsenti non debet sumi vt cumque, quatenus scilicet, modificat extrema propositionis sed quatenus modificat ipsam compositionem, seu vnionem prædicati, & subiecti; vt cùm dicimus, Equum currere est possibile.

Tales autem Modi sex enumerantur, videlicet, Verum, Falsum, Possibile, Contingens, Impossibile, & Necessarium. Ex quibus, cùm Verum, & Falsum non sint propriè modi; & Possibile non distinguatur à Contingenti: tantùm in præsenti erunt attendendi tres vltimi, qui sunt correspondentes tribus materijs propositionum supra explicatis: nam materiæ naturali correspondet Necessarium: remotæ, Impossibile: contingenti verò Possibile, vel Contingens. Erit ergo propositio modalis, quæ aliquo ex his modis afficitur; seu, quæ non solùm exprimit, prædicatum conuenire subiecto, vt sunt propositiones categoricę & de inesse; verùm etiam modum, quo illi conuenit; vt si dicatur, Hominem esse animal est necesse: Pe-

A trum currere est contingens, &c.

Propositio modalis est duplex; alia composita, quæ, scilicet facit sensum compositum; & alia diuisa, quæ scilicet facit sensum diuisum. Sensus autē compositus tunc fit, quando Modus vnit terminos, seu extrema Dicti secundùm significata formalia pro eodem tempore; vt si dicas, Cæcum videre est impossibile: & sensus est, impossibile esse, vt cæcus manens cæcus videat, seu quòd simul sint in eodem subiecto cæcitas, & visio. Tunc autem fit sensus diuisus, quando Modus vnit terminos non secundùm significata formalia, sed significatum formale prædicati vnit significato materiali subiecti, & consequenter pro diuerso tempore; vt si dicas, Cæcum possibile est videre, & sensus est, Cæcum amittendo cæcitatē

B posse videre. Vnde hoc erit signum sensus compositi; nimirùm, quando dictùm subijcitur, & modus prædicatur: & signum sensus diuisi erit, quando modus interponitur partibus dicti; nam tunc illa pars, quæ est prædicatum, quasi disiungitur ab alia, quæ est subiectum: & iuxta regulas appellationis applicat suum significatum formale supra materiale illius.

Sunt verò Propositiones modales diuisæ affirmatiuæ, vel negatiuæ eodem modo, & regula, qua propositiones simplices ac de in esse: compositę autē tunc sunt affirmatiuæ, quando modus affirmatur de dicto, licèt dictum sit negatiuum: sunt vice versa negatiuæ, quando modus negatur de dicto, licèt dictum sit affirmatiuum.

Item Propositiones modales tam compositę, quàm diuisæ tunc sunt vniuersales, quando earum modus

C est vniuersalis: particulares verò, quando est particularis. Qui autem sint modi vniuersales, quique particulares, hoc Disticho explicantur.

Omnis necesse valet: impossibile, nullus.
Possibile, quidam: quidam non possibile non.

Quo significatur, quò Necesse, est modus vniuersalis affirmatiuus, & assimilatur signo Omnis: *Impossibile*, est modus vniuersalis negatiuus & assimilatur signo *Nullus*: *Contingens* autem seu *Possibile*, est modus particularis affirmatiuus, & assimilatur signo Aliquis: & tandem *Possibile non*, seu *Contingens non*, est modus particularis negatiuus; & assimilatur signo Aliquis non.

Circa veritatem tandem, & falsitatem harum propositionum sciendum est, quòd Modalis de possibili

D dicitur vera, quando sua de inesse est possibilis: dicitur autem falsa, quando non est possibilis: Modalis de impossibili dicitur vera, quando sua de inesse est impossibilis; falsa verò, quando non est impossibilis: Modalis tandem de necesse est vera; quando sua de inesse est necessaria; falsa verò, quando sua de inesse non est necessaria.

CAPVT XI.

De Passionibus propositionis modalis.

CVm isti modi ratione quorum propositiones dicuntur modales, æquiualeant signis propositionum simplicium, vt iàm dictum est supra: ideò in propositionibus modalibus eędem reperiuntur proprietates, quæ in simplicibus; scilicet, Oppositio; æquipollentia, & Conuersio; atque idem; proportiona-

tionaliter debet de istis ferri iudicium, ac de illis: quarè *Necesse*, & *Impossibile*, sunt contraria: *Possibile*, vel *Contingens*, & *Possibile non*, vel *Contingens non*, erunt subcontraria: *Necesse*, & *Possibile non*; seu *Contingens non*; & similiter *Impossibile*, & *Possibile* seu *Contingens*, erunt contradictoria: ac tandem *Necesse*, & *Possibile*, seu *Contingens*; ac *Impossibile*. & *Possibile non*, seu *Contingens non*, erunt subalterna.

Ad earum æquipollentiam etiam obseruandæ sunt eędem regulæ expressæ illo carmine, *Præ contradic*, &c. vt magis patebit in tabula paulò inferius apponenda, cum hac tamen aduertentia; quòd in talibus propositionibus modalibus tunc anteponitur negatio, quando negatur modus; tunc verò postponitur, quando negatur dictum; tunc autem anteponitur, & postponitur, quando vtrumque negatur.

Vt clarè pateat, quæ propositiones modales sint æquipollentes, quæ namque oppositæ, & quo genere oppositionis; adinuenta sunt quatuor sequentia vocabula; nempe *Purpurea*, *Iliace*, *Amabimus*, & *Edentuli*; quæ cùm contineant quatuor vocales per A. denotant propositionem modalem affirmatiuam

A de dicto, & de modo: V. verò ab opposito, vtrumque negat, seu denotat negatiuam de dicto, & de modo: I. affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo: E tandem negatiuam de dicto, affirmatiuam de modo; quod totum exprimitur hoc versu;

E, dictum negat, Ique modum: nihil A,
sed V, totum.

Item, quodlibet ex his quatuor vocabulis diuiditur in quatuor syllabas, in quibus singulis est singula vocalis; quarum prima in vnoquoque indicat propositionem de possibili: secunda de contingenti: tertia de impossibili: quarta de necesse. Quarè omnes propositiones, quæ fiunt in *Purpurea*, & *Iliace*, opponuntur contrariè: quæ in *Amabimus*, & *Edentuli*,
B opponuntur subcontrariè: quæ in *Purpurea*, & *Edentuli*, aut *Iliace*; & *Amabimus*, opponuntur contradictoriè: deniquæ quæ in *Purpurea*, & *Amabimus*, siue in *Iliace*, & *Edentuli* opponuntur subalternè. Nihilominus, propositiones omnes cuiuslibet vocabuli inter se æquipollentes sunt, vt sedulò intuenti, subiecta tabula demonstrat.

Pur	*Non est possibile, Petrum non currere.*	Contrariæ.	*Non est possibile, Petrum currere.*	I
pu	*Non est contingens, Petrum non currere.*		*Non est contingens, Petrum currere.*	li
re	*Impossibile est; Petrum non currere.*		*Impossibile est, Petrum currere.*	a
a.	*Necesse est, Petrum currere.*		*Necesse est, Petrum non currere.*	ce

Subalternæ. — Contra | dic | toriæ. — Contra | dic | toriæ. — Subalternæ.

A	*Possibile est, Petrum currere.*	Subcontrariæ.	*Possibile est, Petrum non currere.*	E
ma	*Contingens est, Petrum currere.*		*Contingens est, Petrum non currere.*	den
bi	*Non est impossibile, Petrum currere.*		*Non est impossibile, Petrum non currere.*	tu
mus.	*Non necesse est, Petrum non currere.*		*Non necesse est, Petrum currere.*	li.

Consultò in hac Modalium Tabula posita sunt exempla de dicto siue subiecto singulari: quia, quando dictum est commune, v. g. Animal, Homo, &c. vt oppositio, & æquipollentia sine errore fiant, cauendum est, vt dictum propositionis de necesse in quocunque vocabulo ex illis assignato non habeat eandè quantitatem, ac aliæ tres propositiones, quæ sub illo continentur; sed si dictum aliarum est particulare, hoc est, affecto aliquo signo particulari, dictum propositionis de necesse debet esse vniuersale, & è contra: aliàs sub vocabulis contradictoriarum, vt in *Purpurea*, & *Edentuli* dandæ essent duæ contradictoriæ simul veræ, quod repugnat: valeret enim dicere Necesse est aliquod animal esse hominem; Possibile

est

est, aliquod animal non esse hominem, vt patet: quòd si in altera earum propositionum mutetur quantitas dicti, iam vna erit vera, alia falsa, sicut contradictoriarum natura de se postulat; vt patet, si dicatur, Necesse est omne animal esse hominem; Possibile est aliquod animal non esse hominem.

Item, ad hoc vt rectè fiat oppositio contradictoria in modalibus diuisis, quantitas modorum mutanda est, adeo vt si in una est uniuersalis, in alia modificatio sit particularis; ut contingit quando dicitur, Petrus necessariò est homo: Petrus possibiliter non est homo. Quando autem modalis diuisa est de subiecto, seu Dicto communi, debet similiter mutari quantitas dicti; ut patet si dicatur, Omnis homo necessariò est animal: Aliquis homo possibiliter non est animal.

Circa conuersionem autem prædictarum propositionum; Sciendum est, quòd generaliter loquendo Conuersio reperitur in modalibus tam compositis, quàm diuisis ratione dicti, non ratione modi secundùm regulas generales conuersionis: unde modus nunquam uariatur, nisi in modalibus de necesse, quando tamen subiectum est aliquod concretum accidentale; nam tunc Necesse mutari debet in Possibile; alioquin antecedens esset uerum, consequens autem falsum: ut philosophus necessariò est homo; non inde ualet; ergo homo necessariò est philosophus, sed bene sequitur, ergo homo possibiliter est philosophus. Item sciendum est, quòd quando modi sunt negatiui, & dictum est uniuersale affirmatiuum, non potest propositio modalis conuerti, si subiectum sit superius prædicato: non enim sequitur, Omne animal esse hominem est impossibile: ergo aliquem hominem esse animal est impossibile.

CAPVT XII.

De essentia, & speciebus Propositionis exponibilis.

PRopositio illa dicitur exponibilis, quæ facit sensum obscurum ratione alicuius in ea inclusi, atque ideò debet exponi per aliam propositionem clariorem, quæ dicitur exponens. Enumerantur autem inter eius species primo loco Propositiones exclusiuæ, quæ scilicet, modificantur aliqua dictione exclusiua, ut Solùm, Tantùm, &c. Quæ dictio, si applicetur subiecto, excludit omnia alia subiecta à participatione prædicati; ut Tantùm homo est rationalis; quarè sic exponitur, homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale. Si autem talis dictio exclusiua applicetur prædicato, tunc dicitur propositio de excluso extremo, & excludit à subiecto omnia alia prædicata; ut Angelus est tantùm spiritus quarè sic exponitur, Angelus est spiritus, & non est aliquid aliud. Aliquando tamen istæ dictiones exclusiuæ non rectè explicantur ex inaduertentia, uel ex usitato modo loquendi; seu non propriè adaptantur, cui adaptari debent, subiecto scilicet, uel prædicato, in quo casu ex antecedentibus, & consequentibus colligendus est sensus: nunquam tamen exluduntur ab illo, cui applicantur ea, quæ illud necessariò concomitantur: cùm enim dicitur Tantùm diligo salutem, non exluduntur à tali amore media necessaria ad il-

A lius consecutionem.

Secundo loco inter eius species ponuntur propositiones exceptiuæ, quæ scilicet, afficiuntur dictione exceptiua *Præter*, aut simili; & uocantur exceptiuæ, quia aliquid ex aliquo communi distributo excipiunt: unde talis exceptio ibi propriè non est, ubi non adest præfata distributio; ut manifestè apparet in hac propositione: Homo est albus præter Petrum, cùm in ea subiectum careat tali communi distributione. Istæ uerò propositiones, quando rectè accommodantur, optimè exponuntur, si loco particulæ *Præter* ponatur *Excepto*; ut si dicatur, Omne animal præter hominem est irrationale; exponitur dicendo, Omne animal excepto homine est irrationale; uel per copulam implicationis negatiuam, dicendo: Omne animal, quod non est homo, est irrationale.

Tertio uerò loco ponuntur inter eius species propositiones B reduplicatæ; hoc est, quando propositiones habent subiectum, uel prædicatum reduplicatum propter aliquam dictionem reduplicatiuam, ut Inquantùm, Quatenùs, Qua ratione, Secundùm quòd, &c. quæ dictiones possunt sumi, uel specificatiuè, uel reduplicatiuè: tunc autem sumuntur reduplicatiuè, quando reduplicant causam, cur prædicatum conueniat subiecto; ut Homo inquantum albus disgregat uisum; & istæ optimè exponuntur per causalem, ut Quia homo est albus, disgregat uisum. Sumuntur autem specificatiuè, quando reduplicant rationem formalem, cui adæquatè conuenit prædicatum, quæ tamen non est causa eius, ut Ens inquantùm ens est obiectum Metaphysicæ, & istæ non exponuntur per causalem sed per conditionalem, ut si est Ens, est obiectum metaphysicæ. Sed aduertendum quidē est quòd aliquando dictio illa reduplicatiua *Secundùm* C nec sumitur reduplicatiuè, neque specificatiuè, sed quasi diminutiuè, & secundùm restrictionem, ut Æthyops est albus secundùm dentes: ibi enim nulla ratio formalis reduplicatur; sed attributum, quod poterat conuenire toti homini, limitatur, & restringitur ad aliquam partem.

Quarto loco etiam ponuntur inter eius species propositiones illæ, quas aliqui uocant reflexiuas; alij, se falsificantes; alij uerò indissolubiles, nimirùm, quæ afficiuntur aliqua apparenti contradictione, seu repugnantia, unde ad locos sophisticos reuocari solent, ut si dicatur, Intellectus non cognoscit inintelligibile, sed solùm intelligibile: uel, Intellectus intelligit omne ens reale positiuum, negatiuum, rationis, & nihil aliud, & aliæ similes propositiones: nam prima facie uidentur sibi contradicere, ac repugnare; quia hoc ipso, quòd intellectus cognoscit D hunc terminum *Inintelligibile*, iam est intelligibile; nam si intelligitur, quippe intelligibile est, & consequenter simul inintelligibile, & intelligibile, quòd repugnat. Item, si intellectus intelligit omne ens reale positiuum, negatiuum, rationis, & nihil aliud; secundùm illam partem, qua dicitur intelligere omne ens, omnia comprehenduntur, & nihil excluditur; secundùm uerò aliam partem, qua dicitur intelligere nihil aliud, non concipitur hoc aliud, ut contra distinctum ab omni ente, à quo excluditur: atque ita, uel falsum est, quod dicitur in illa parte, scilicet, concipi omne ens, uel dabitur cognitio sine obiecto secundùm illam partem sanè, qua dicitur *Et nihil aliud*

cùm

eum intelligatur, & supponatur exclusum ab ente, quod tantùm est obiectum cognitionis. Exponuntur itaque istæ, & similes propositiones per has conditionales; nempe, Si intellectus cognoscit aliquid, illud non est verè, & realiter inintelligibile, sed uerè, & realiter intelligibile; & tunc rectè sequitur, quòd si intellectus aliquid intelligit, illud non sit inintelligibile, sed intelligibile: sicut illa alia, qua dicitur Intellectus intelligit omne ens, &c. & nihil aliud; hoc modo pariter exponenda est, scilicet, Si intellectus cognoscit aliquid; illud est uel reale, uel rationis, &c. atque ita illis verbis *Nihil aliud* non correspondet diuersum obiectum ab eo, quod exprimitur per illa verba *cognoscit omne ens*, &c. sed omnino idem, vt patet, cùm non concipiatur vt contradistinctum ab omni ente.

Quinto tandem loco enumerantur inter eius species propositiones illæ, quæ fiunt, uel per uerba *Differt*, *Aliud*, & *Diuersum*; ut homo differt, uel est alius, seu diuersus ab equo: uel per uerba *Incipit*, & *Desinit*; ut Sortes incipit esse; Sortes desinit esse, &c. primarum propositionũ duplex constituitur species; una est affirmatiuarum; ut homo differt, uel est alius, seu diuersus ab equo, &c. alia verò negatiuarum; vt homo non differt, uel non est alius, seu diuersus ab equo, &c. illa per tres exponentes exponenda est, per duas, scilicèt, affirmatiuas, per quas extremorum existentia significatur, & unam negatiuam eorundem extremorum inter se; ut homo est, & equus est, & homo non est equus: ista uerò disiunctiuè contradictorio modo exponi debet, ut homo non est, uel equus non est, uel homo est equus. Secundarum autẽ propositionum, quæ scilicèt, fiunt per uerba *Incipit*, & *Desinit*, sunt in duplici differentia: nam, uel in ipsis talia uerba iunguntur rebus, quæ unico instanti totum suum esse habent, aut perdunt; uel rebus, quæ spatio temporis, & successiuè acquirunt esse, ac deperdunt. Primi generis sunt substantiæ. secundi sunt multa accidentia; & secundùm hoc, uariè tales propositiones exponendæ sunt. Nam uerbum *Incipit* in affirmatiuis, quando iungitur termino significanti substantiam, est resoluendum per hypotheticam copulatiuam, cuius prior pars sit de præsenti affirmatiua, & posterior negatiua de præterito, cum isto aduerbio *Immediatè*, per quod denotatur temporis illius præteriti propinquitas cum tali præsenti; ut Sortes incipit esse; hoc est, Sortes est, & immediatè ante non fuit. Verbum autem *Desinit*, in affirmatiuis similiter, iunctum termino significanti rem, quæ totum esse suum simul habet, exponi debet per copulatiuam, cuius prior pars sit de præsenti negato, & posterior de præterito affirmato, cum illo eodem aduerbio; ut Sortes desinit esse, hoc est, Sortes non est, & immediatè ante hoc fuit. Cæterùm, uerbum *Incipit* pariter in affirmatiuis, quando iungitur termino significanti rem, quæ successiuè habet suum esse, est resoluendum etiam copulatiuè per hypotheticam, cuius prior pars sit de præsenti negato, & de futuro affirmato, cum illo eodem aduerbio; ut Calor incipit esse; hoc est, Calor non est, & immediatè post hoc erit. Verbum autem *Desinit* in affirmatiuis eodẽ modo de rebus successiuis exponendum est, quo de rebus instantaneis seu habentibus totum suum esse simul; in hoc enim non est discrimen; ut cùm dicitur,

A Motus desinit esse; hoc est Motus non est, & immediatè ante hoc fuit. In negatiuis autem, siue sint de rebus habentibus totum suum esse simul, siue de rebus successiuis, semper huiusmodi uerba exponenda sunt disiunctiuè contradictorio modo; ut patet si dicatur, Sortes non incipit esse: etenim hoc modo exponenda est, uidelicet, Sortes non est, uel immediatè ante fuit. Sicut si dicatur, Calor non incipit esse, optimè exponetur, si dicatur, Calor nunc est, uel non immediatè post hoc erit; quod, pro portione seruata, etiam de uerbo *Desinit* dicendum est.

Plures adhuc possent propositiones adduci, quæ expositione indigere uidentur; sed quia ex dictis, & ex dicendis proprijs in locis facilè exponi possunt, ideò breuitatis gratia relinquuntur: sicut de ipsarum oppositione, æquipollentia, & conuersione nihil statuimus; cùm ex notatis pro cæterarum propositio-B num prædictis passionibus, quid dicendum sit, satis haberi possit.

CAPVT XIII.

De Propositione futuri contingentis.

Difficilis admodùm est materia de futuris contingentibus, & ad Theologos meritò translata; propterea non uidetur esse præsentis instituti de illa aliquid agere, quamuis non desint aliqui, qui se in illa maximè diffundant: quarè relictis pro nunc futuris contingentibus quantùm ad rem ipsam; de propositione ad ipsa spectante hoc tantùm ignorandum C non est, nimirùm, quòd Philosophus cap. 6. primi Perihermenias docuit, Propositiones de futuris contingentibus non habere determinatam ueritatem, aut falsitatem; quòd tantùm debet intelligi secundùm se, & antecedenter ad decretum diuinum, ut latiùs probant famosissimi Theologi, tractatu de Scientia Dei, ubi ex professo disputant, an Deus ante Decretum liberum suæ voluntatis cognoscat prædicta futura.

LIBER TERTIVS.

De Argumentatione, eiusque speciebus, proprietatibus, ac regulis. D



Qvia Argumentatione dirigitur tertia intellectus operatio; postquàm in præcedentibus actum est de ijs, quibus dirigitur prima, & secunda eiusdem intellectus operatio; ut Logicam ad debitum finem, qui dirigere est prædictas operationes, perducamus, in hoc tertio Libro de Argumentatione, tum ratione formæ, cùm ratione materiæ agendum est.

CA-

CAPVT I.

De Speciebus Argumentationis.

SVpposito ex 2. lib. istarum Institutionum cap. 5. quòd Argumentatio sit oratio explicans illationem vnius ex alio; antequam eius species assignemus; Sciendum est, Argumentationem diuidi in formalem, & materialem: Formalis est illa, in qua sequitur consequens ex vi artificij, seu dispositionis in antecedente inuentæ; quòd quidem contingit, quando nullus terminus est in consequente, qui non fuerit in antecedente; quamuis aliquis fuerit in antecedente, qui non sit in consequente: in tali quippe artificio, seu dispositione maximè elucet forma argumentationis; atquè idcirco argumentatio formalis meritò nuncupatur. Materialis verò Argumentatio illa dicitur, in qua, licèt consequentia sit bona, quia consequens in rei veritate sequitur ex antecedente, non tamen sequitur ex vi dispositionis terminorum, qui sunt in illo, eò, quòd in consequente est aliquis terminus, qui non fuit in antecedente. Ex quo fit, quòd tantùm Syllogismus dicetur argumentatio formalis; cæteræ verò, argumentationes materiales.

Quatuor autem Argumentationis species communiter assignari solent; Syllogismus scilicet, Inductio, Enthymema, & Exemplum. Syllogismus pro nunc (nam in sequentibus ex professo explicabitur) est argumentatio constans tribus propositionibus, quarũ prima dicitur Maior, secunda Minor, tertia Consequentia; vt omnis homo est animal: Petrus est homo; ergo Petrus est animal. Inductio est argumentatio, in qua ex pluribus singularibus infertur aliquod vniuersale; vt hic ignis calefacit, & ille alius ignis calefacit, & sic de singulis: ergo omnis ignis calefacit. Enthymema verò est argumentatio constans duabus propositionibus, quarum prima vocatur Antecedens; Consequentia, secunda; vt Plato currit: ergo mouetur. Exemplum tandem est argumentatio, in qua ex aliquo singulari, aliud singulare simile colligimus; vt Deus pepercit Petro pœnitenti: ergo etiam Paulo parcet pœnitentiam agenti. Nihilominus tamen, propriè, & in rigore loquendo, duæ tantùm sunt Argumentationis species; nempe Syllogismus, & Inductio; nam Enthymema, cùm sit syllogismus truncus, & Exemplum quædam inductio alicuius particularis, reducitur illud ad integrum Syllogismum, & istud ad Inductionem alicuius vniuersalis, tamquàm imperfectum ad suum perfectum.

Tres autem regulæ omnibus argumentationibus communes, à Logicis traduntur; quarum prima est, quòd ex antecedente vero in bona illatione sequitur consequens verum; & ex antecedente probabili, contingenti, vel necessario sequitur consequens probabile, contingens, vel necessarium: & ratio est, quia antecedens est causa consequentis: causa verò non impedita producit effectum sibi similem. Secunda verò regula est, quòd ex antecedente falso in bona consequentia aliquando sequitur consequens verum; vt Petrus est equus: ergo animal; aliquandò falsum; vt Petrus volat: ergo habet alas. Quòd autem ex falso sequatur falsum, ex ratione super adducta conuincitur: sed quòd ex falso sequatur verum, hoc non procedit ex virtute præmissarum secundùm se; quia causa nunquam producit effectum nobiliorem se; sed ex dispositione illarum propositionum, quæ antecedunt, sequitur aliquid, quod aliunde est verum. Tertia tandem regula est, quòd in bona argumentatione semper conclusio sequitur debiliorem partẽ: hoc est si aliqua præmissarum est particularis, & aliqua negatiua, conclusio debet esse particularis, & negatiua; vt patet, si dicatur, Nullum animal est lapis: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis.

CAPVT II.

Quid, & quotuplex sit Syllogismus.

SYllogismus ab Aristotele 1. Priorum cap. 1. verbis satis obscuris definitus fuit; quarè ad hanc formam Petrus hispanus illius redegit definitionem, nimirùm, *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, ac concessis, necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, & concessa.* Id est, Syllogismus est oratio, in qua, posita maiori, & minori propositione, necesse est per ipsas deuenire ad consequentiam; vt omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.

Syllogismus autem, sicut & quælibet res creata composita, quatuor habet causas, efficientem scilicet, finalem, materialem, & formalem. Causa efficiens & finalis sunt extrinsecæ; aliæ verò intrinsecæ. Causa efficiens syllogismi est solus intellectus humanus, qui discurrendo ipsum format; Causa verò finalis, est cognitio conclusionis ignotæ.

Causa materialis est duplex, proxima scilicet, & remota; remota sunt termini in eo existentes, qui vocantur Medius terminus, Maior, & Minor extremitas. Medius terminus est ratio vnionis maioris, & minoris extremitatis: Maior extremitas illa est quæ in maiori propositione iungitur cum medio termino: Minor autem extremitas illa est, quæ in minori propositione coniungitur cum eodem medio termino. Materia verò proxima syllogismi sunt tres propositiones, quæ necessariò reperiri debent in ipso, & componuntur ex prædictis terminis; quarum prima dicitur Maior, ex eò, quòd in ea sit maior extremitas, secunda dicitur assumptio, seu Minor, ex eò, quòd in ea sit minor extremitas: & ambæ dicuntur Præmissæ, quia præmittuntur conclusioni, quæ est tertia propositio ex illis genita, & producta.

Causa tandem formalis Syllogismi est illa dispositio propositionum, in qua est virtus, & potestas inferendi, ac deducendi conclusionem. Hæc autem forma, seu dispositio est duplex; prima correspondet terminis, & dicitur Figura syllogismi, quæ est apta dispositio terminorum secundùm subiectionem, & prædicationem: secunda verò correspondet propositionibus, & dicitur Modus, qui est ordinatio propositionum secundùm quantitatem, & qualitatem seu secundùm vniuersalitatem, & particularitatem; affirmationem, & negationem.

Diui-

Diuiditur ergo syllogismus primò ratione materiæ proximæ in affirmatiuum, & negatiuum: primus est, cuius conclusio est affirmatiua; secundus autem, cuius conclusio est negatiua. Secundò, ratione eiusdem materiæ proximæ diuiditur in categoricum, & hypotheticum: categoricus est ille cuius propositiones sunt categoricæ; hypotheticus autem, cuius omnes, vel saltem aliqua propositio est hypothetica. Tertiò diuiditur ratione eiusdem materiæ proximæ in demonstratiuum, probabilem, & sophisticum, seu apparentem: Demonstratiuus est, qui constat ex propositionibus necessarijs: probabilis ex probabilibus: Sophisticus ex apparentibus veris, cùm tamen sint falsæ: qui etiam alio nomine dicuntur Posteriorissticus, Topicus, & Elenchus. Quartò autem diuiditur ratione materiæ remotæ in rectum, & obliquum: primus est ille, cuius omnes termini ponuntur in recto; secundus cuius omnes, vel aliqui eius termini ponuntur in obliquo. Quintò tandem, & vltimò diuiditur ratione eiusdem materiæ remotæ in communem, & singularem: Communis est ille, cuius medium est terminus communis: Singularis autem, cuius medium est terminus singularis.

CAPVT III.

De tribus Syllogismi Figuris, earumque Modis.

Figuræ Syllogismorum sunt tres: prima est, in qua medius terminus subijcitur in maiori propositione, & prædicatur in minori: secunda est, cuius medius terminus in vtraque prædicatur: tertia, qui in vtraque subycitur; vt patebit exemplis inferius ponendis; vnde Versus.

Sub, præ, prima: secunda, bis præ: Tertia, bis sub.

Modi vero sunt decem, & nouem; quorum primi nouem assignantur primæ figuræ; sequentes quatuor, secundæ; cæteri sex, tertiæ: qui modi hisce versibus exprimuntur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

Omnes isti modi concludunt directè præter quinque vltimos primæ figuræ, scilicet Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Frisesomorum, qui omnes indirectè concludunt. Concludere autem directè est quando maior extremitas prædicatur de minori in conclusione: concludere verò indirectè est, quando minor extremitas prædicatur de maiori in conclusione.

Notandum tamen est circa prædictos figurarum modos, quòd prima vniuscuiusque modi syllaba docet quantitatem, & qualitatem, maioris propositionis: secunda minoris: tertia conclusionis. Dignoscuntur autem prædictę quantitates, & qualitates ex quatuor illis vocalibus, quæ in prædictis syllabis reperiuntur, scilicet A. E. I. O.; nam A. significat vniuersalem affirmatiuam, &c. vt patet illis versibus *Asserit A, negat E*, &c. de quo suprà lib. 2. cap. 9. Quæ omnia luce clariùs patebunt sequentibus exemplis.

A

Modi primæ figuræ.

Bar- Omne animal est substantia.
ba- Omnis homo est animal:
ra. Ergo Omnis homo est substantia.

Ce- Nullus homo est lapis:
la- Omne rationale est homo:
rent. Ergo Nullum rationale est lapis.

Da- Omne corpus est substantia:
ri- Quoddam animal est corpus:
j Ergo quoddam animal est substantia.

Fe- Nullum rationale est rugibile:
ri- Quoddam animal est rationale:
o. Ergo Quoddam animal non est rugibile.

B

Ba- Omne animal est viuens:
ra- Omnis homo, est animal;
lipt. Ergo Quoddam viuens est homo.

Ce- Nullus homo est lapis:
lan- Omne rationale est homo:
tes. Ergo Nullus lapis est rationalis.

Da- Omnis homo est animal:
bi- Quoddam viuens est homo:
tis. Ergo Quoddam animal est viuens.

Fap- Omne viuens est substantia:
esm- Nullus lapis est viuens.
o. Ergo Quædam substantia non est lapis:

C

Fris- Quoddam animal est homo:
esm- Nullus labis est aolmal:
orum. Ergo quidam homo non est lapis.

Modi secundæ figuræ.

Ces- Nullum animal est lapis:
a- Omnis Iaspis est lapis:
re. Ergo Nullus Iaspis est animal.

Cam- Omnis Iustitia est virtus:
es- Nullum vitium est virtus:
tres. Ergo nullum vitium est Iustitia.

D

Fes- Nullus lapis est animal:
ti- Aliquod viuens est animal:
no. Ergo Aliquod viuens non est lapis.

Ba- Omnis homo est animal:
ro- Quoddam album non est animal:
co. Ergo Quoddam album non est homo.

Modi tertiæ figuræ.

Da- Omne animal est substantia.
rap- Omne animal est corpus.
ti. Ergo Quoddam corpus est substantia.

Fe- Nullus homo est lapis.
lap- Omnis homo est animal:
ton. Ergo Quoddam animal non est lapis.

Dis- Aliquis homo est albus:
am- Omnis homo est animal:
is. Ergo Quoddam animal est album.

Da- Omnis homo est substantia;
tis- Quidam homo est animal:
i. Ergo Quoddam animal es substantia.

Broc- Aliquis homo non est albus.
ar- Omnis homo est animal:
do. Ergo Quoddam animal non est album.

Fer- Nullus homo est arbor.
is- Quidam homo est animal;
on. Ergo Quoddam animal non est arbor.

CAPVT IV.

De Regulis tam communibus trium figurarum, quàm specialibus vnius cuiusque.

Antequàm ad tales regulas tradendas accedamus, sciendum est, totam artem syllogisticam inniti duobus principijs, quorum primum est, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Idest, quando aliqua duo perfectè, completè, & adæquatè vniuntur cum aliquo tertio, seu medio, necesse est, vt vniantur inter se: quod principium deseruit syllogismis concludentibus affirmatiuè. Secundum autem principium est, *Quæcunque sunt eadem inter se, distinguuntur ab vno tertio*. Idest, quando aliqua duo perfectè, & completè vniuntur inter se; si vnum illorū distinguatur ab aliquo tertio, necesse est distingui, & aliud; quod principium deseruit syllogismis concludentibus negatiuè. Sunt autem hæc principia per se nota, quia innituntur vniuersalissimo illi principio *Quodlibet est, vel non est*, quod ex terminis ipsis est manifestum.

His autem duobus principijs innituntur alia duo in Dialectica valde vsitata, quæ a præcedentibus solùm distinguuntur penes hoc, quòd illa sumuntur in ordine ad esse; hæc verò in ordine ad prædicari; appellanturque à Dialecticis, *Dici de omni, & dici de nullo*. Dici de omni reddit hunc sensum: Quidquid vniuersaliter affirmatur de subiecto, affirmatur etiam de quocunque contento sub illo. Dici verò de nullo reddit hunc sensum: Quidquid vniuersaliter negatur de subiecto, negatur etiam de quocunque, quod continetur sub illo; & per hæc principia probant Dialectici omnes syllogismos, vt dicetur suo loco; atque inde, sequentes deducentur regulæ tam generales, quàm particulares ad iudicandum de bonitate consequentiæ in quacunque figura.

Prima igitur Regula generalis est, quòd medius terminus in aliqua saltem propositione ex præmissis debet distribui, vt perfectè possit coniungi, vel disiungi ab extremitatibus; aliàs non haberet locum Dici de omni, & dici de nullo (non loquimur tamen hic de syllogismo expositorio, siue singulari, cuius medium debet esse perfectè singulare, & incommunicabile, vt dictum est supra cap. 2.) Propter quòd ex

A puris particularibus nihil sequitur saltem in secunda figura ex vi illationis: non enim valet Aliquis homo est animal: aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo.

Secunda regula est, quòd in conclusione non debet distribui aliquis terminus, qui non fuerit distributus in præmissis; cùm nihil in conclusione debeat esse, quod excedat virtutem præmissarum.

Tertia regula generalis est, quòd ex puris negatiuis nihil sequitur in quacunque figura; non enim valet hæc consequentia, Nullus homo est irrationalis: Nullus equus est homo: ergo nullus equus est irrationalis.

Quarta verò regula generalis est, quòd medium sub ratione medij non debet ingredi conclusionem: nam quilibet terminus bis tantùm debet poni in syllogismo.

B Quinta tandem regula generalis est, quòd tam in medio, quàm in extremitatibus non varientur proprietates terminorum, excepta Suppositione, quæ prouenit à signis: vnde tam medium, quàm extremitates non debent esse termini æquiuoci; vel in vna propositione ampliari, & in alia restringi, &c. & ratio est, quia in syllogismo, tunc non tres, sed quatuor essent termini.

Ex his insuper generalibus regulis deducuntur aliquæ particulares pro vnaquaque ex tribus figuris; quarum pro prima figura est, quòd in quocunque syllogismo directè concludente, ex maiori particulari nihil sequitur, quia medium in nulla præmissarum distribueretur; atque ita esset defectus contra primā generalem regulam. Ex minori etiam negatiua nihil sequitur; alias maius extremum esset distributum in C conclusione, & non in præmissis, quod est defectus contra secundam generalem regulam. In syllogismis tamen primæ figuræ indirectè concludentibus potest esse maior particularis, & minor negatiua: nam ibi cessant prædicti defectus, vt patet in Fapesmo, & Frisesomorum.

Secunda verò regula particularis pro secunda figura est, quòd si ambæ præmissæ sint affirmatiuæ nihil sequitur; quia cùm medium in vtraque prædicetur, in neutra præmissarum distribueretur, quod est defectus contra primam regulam generalem. Item, maiori existente particulari nihil sequitur; quia tunc maius extremum distribueretur in conclusione, cùm in maiori non esset distributum, contra secundam regulam generalem.

Tertia tandem regula particularis pro tertia figura est, quòd minori existente negatiua, nihil sequitur, D quia maius extremum distribueretur in conclusione, non verò in maiori. Item conclusio semper debet esse particularis: aliter enim minus extremum distribueretur in conclusione, non verò in premissis, & vterque defectus est contra secundam regulam generalem. Hæc autem tertia figura maximè idonea est ad conficiendum syllogismum expositorium, siue singularem, qui est, quando medius terminus est singularis; vt Iudas est damnatus: Iudas est Apostolus: ergo aliquis Apostolus est damnatus.

CAPVT V.

De Proprietatibus, ac passionibus syllogismorum, nempe de Probatione perfectorum, & Reductione imperfectorum.

QVamuis, Modi omnes superiùs enumerati sint boni, & consequentia in illis sit bene deducta, atque ita necessaria, vt nequeat negari; quia tamen in alijs modis, præter primos quatuor primæ figuræ non ita apparet uis illationis: ideò inuenta est ars reducendi omnes alios modos imperfectos ad quatuor illos perfectos; atque ars probandi priores quatuor prædictos perfectos contra proteruos: non enim dantur alij modi clariores, ad quos possint reduci.

In his autem quatuor primis modis concluduntur omnes species propositionum; nempe vniuersalis affirmatiua in *Barbara*; vniuersalis negatiua in *Celarent*; particularis affirmatiua, sub qua etiam coprehenditur singularis, in *Darij*; & particularis negatiua in *Ferio*: in quibus, licèt consequentia sit manifesta, tamen si à proteruis negetur, potest probari per duo illa principia superiùs allata, scilicet per dici de omni si fuerit affirmatiua; per dici de nullo, si fuerit negatiua, siue vniuersalis, siue particularis fuerit, hoc infrascripto modo.

Quare, si quis negauerit consequentiam huius argumenti quod est in *Barbara*, nempe Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia; probabitur per dici de omni sic; Quid quid affirmatur vniuersaliter de subiecto, affirmatur etiam de omni contento sub ipso: sed substantia affirmatur uniuersaliter de animali in maiori cùm sit vniuersalis affirmatiua: ergo debet etiam affirmari de omni contento sub animali: sed homo continetur sub animali, vt patet ex minori, cùm ibi homo sit subiectum, & animal prædicatum: ergo substantia in conclusione debet affirmari de homine; & eodem modo probanda est consequentia facta in *Darij*.

Similiter probantur per dici de nullo (proportione tamen seruata) conclusiones factæ in *Celarent*, & *Ferio*; vt si negetur consequentia huius argumenti, Nullum animal est arbor omnis homo est animal: ergo nullus homo est arbor; sic enim probatur, Quid quid negatur de subiecto vniuersaliter, negatur etiam de omni contento sub ipso: sed negatur vniuersaliter de animali, quòd sit arbor, in maiori, quæ est vniuersalis negatiua: ergo etiam debet negari de omni contento sub animali: sed homo continetur sub animali, cùm in minori animal prædicetur de homine: ergo de illo debet negari, quòd sit arbor; atque ita concedenda est ista conclusio; ergo nullus homo est arbor.

Circa reductionem verò syllogismorũ imperfectorum ad perfectos talis ordo seruandus est; videlicet vt modi incipientes per B, reducantur ad *Barbara*, incipientes per C, ad *Celarent*; per D; ad *Darij*, per F, ad *Ferio*. Quæ reductio, seu conuersio quadruplex est nimirùm, Simplex, per accidens, per transpositionem præmissarum, & per impossibile; vnde Versus extant.

Simpliciter verti vult. S; P. verò per acci:

A *M vult transponi; C. per impossibile duci.*

Cognoscitur autem conuersio, quando facienda est, à prædictis literis S. P. M. C. quæ in syllabis modorũ reducendorum inuenientur. Aduertendum tamen est; quòd semper cum præcedente vocali iungendæ sunt; vt in *Fapesmo*, P. iungenda est vocali A; S, vocali E; & M; prædictæ vocali E; secus autem confunderentur reductiones. Vnde si in aliqua propositione reperitur S. debet reduci per conuersionem simplicem; si P. per conuersionem per accidens; si M; per transpositionem præmissarum; si C; per impossibile.

Conuersio igitur simplex tunc fit, quando de prædicato fit subiectum, & è contra, manente quantitate, & qualitate propositionis; vt in *Frisesomorum*, B conuersio simplex facienda est in maiori propositione vbi reperitur litera S. quæ propositio sic erat, Quoddam animal est homo; vnde dicendum est, Quidam homo est animal.

Conuersio per accidens ea est, cùm de subiecto fit prædicatum, & è contra, manente qualitate sed quantitate mutata; vt in *Fapesmo*, vbi P, reperitur in maiori, quæ erat, Omne viuens est substantia, vnde dicendum est, Quædam substantia est viuens.

Conuersio autem per transpositionem præmissarũ ea est, quando maior fit minor, & è contra; nunquã autem mutatur conclusio; atque ideo M. quæ talem conuersionem indicat, semper iungenda est in diuisione syllabarum cum prima vel secunda syllaba; vt in *Fapesmo*; vbi M. debet collocari in minori; & vbi dicebatur, nullus lapis est viuens, debet dici, Omne C viuens est substantia; quæ erat maior.

Conuersio tandem per impossibile tunc fit, quando sumitur oppositum contradictorium conclusionis; hoc est, si conclusio est particularis negatiua, debet fieri vniuersalis affirmatiua; & ponitur huiusmodi contradictorium loco illius propositionis, in cuius syllaba reperitur C. Deinde debet sumi contradictorium istius propositionis, in cuius syllaba reperitur C. & debet poni loco conclusionis reliqua præmissa remanente vbi est, vt patet hoc exemplo.

Broc-	Aliquis homo non est albus;
ar-	Omnis homo est animal;
do.	Ergo Quoddam animal non est album:
D Bar-	Omne animal est album:
ba-	Omnis homo est animal:
ra.	Ergo Omnis homo est albus.

Aduertendum tamen est, quòd si in aliquo modo contingant fieri plures reductiones, talis ordo seruandus est, nam primò debet fieri reductio simpliciter, si adsit; deinde per accidens, si opus fuerit; tandem per transpositicnem præmissarum, vbi reperitur M. De reductione per impossibile non loquimur: nam vbi contingit, non reperitur nisi C.

CAPVT VI.

De Syllogismo demonstratiuo.

Relictis cæteris Syllogismi diuisionibus penes materiam, cùm ex dictis apprime videantur explicatæ; tantùm in præsenti erit sermo de Syllogismo demonstratiuo; in sequentibus autem de dialectico, & sophistico. Ad Syllogismum igitur demonstratiuum, ratione materiæ duo necessaria sunt: vnum, vt ex necessarijs constituatur: alterum verò, vt in præmissis, propria, & vera causa conclusionis contineatur, propter quam subiecto inest prædicatum; vt si dicatur, Omne compositum ex contrarijs corruptibile est; omne corpus mistum est compositum ex contrarijs: ergo omne corpus mistum corruptibile est. Fit etiam aliquando demonstratio, cùm medium non est causa proprietatis subiecti, sed tantùm aliquis illius effectus; vt dum Ignis v. g. demonstratur per fumum; sed hæc non dicitur demonstratio simpliciter seu propter quid, sed tantù *Quid*, & ab effectu. Syllogismus, autem, qui demonstratio simpliciter dicitur, est adeò efficax, & validus, vt non quamcumque cognitionem producat, sed scientificam; vnde dicitur, quòd Demonstratio est syllogismus faciens scire, & scire nil aliud est, quam rem necessariam per causam cognoscere.

Loci verò, quos Demonstrator perscrutari debet, vt huiusmodi Syllogismos, & argumenta inueniat, tres sunt: primus dicitur ab effectu, qui est proprius eorum argumentorum, quæ pertinent ad demonstrationem *Quia*: secundus autem à causa, qui est communis tam demonstrationi *propter quid*, quam *quia*: nam prout à causa proxima, deseruit demonstrationi *propter quid*; prout à causa remota, demonstrationi *quia*. Circa quod aduertendum est, quòd Demonstrator ex tali loco eas causas vsurpare debet, quas proprias illius facultatis, de qua aliquid demonstrat, animaduertit: proinde Physicus per omnium causarum genera demonstrabit: Metaphysicus omittet causam materialem: Ethicus verò potissimùm vtetur fine, vnde bonitas, & malitia humanorum actuum dependet; & sic de cæteris. Tertius tandem locus est à definitione, quo maxime vtuntur Mathematici, & huiusmodi locus etiam inseruit vtrique demonstrationi: nam si definitio est essentialis, inseruit demonstrationi *propter quid*; si verò descriptiua, demonstrationi *quia*. Quid autem sint tres assignati loci, dicetur infra, cùm loca pro syllogismo topico, seu probabili tradentur; iisdem enim vtuntur, estò diuerso modo, tam Demonstrator, quàm Dialecticus.

CAPVT VII.

De Syllogismo topico, seu probabili.

Syllogismus topicus, seu probabilis, qui etiam dialecticus dicitur cùm ex probabilibus propositio-

A nibus constet, vt dictum est supra cap. 2. huius; non tamen ita ad ipsas est limitandus, ac restringendus, vt quandoque constare non possit ex vna probabili, & ex alia necessaria; vt Omnis virtus est anteponenda diuitijs: Iustitia est virtus: ergo Iustitia est anteponenda diuitijs nam maior est probabilis; minor verò necessaria. Non tamen iste Syllogismus est adeo efficax, sicut demonstratiuus: non enim generat scientiam conclusionis, sed tantùm opinionem, cognitionem, scilicet, non admodùm certam, & infallibilem, secundùm quam aliquando decipi possumus. Vtimur idcirco tali syllogismo in quolibet problemate, seu propositione dubia: est enim Problema, quæstio, seu interrogatio contradictionis alicuius rei, vtramque partem amplectens; vt An diuitiæ bo

B næ sint, nec ne, &c. huius quippe vtramque partem probabiliter disputamus.

Aristoteles in Topicis pro huiusmodi syllogismo 159. ni fallor, assignauit loca, quę tamen Rodulphus agricola ad 24. reuocauit; & Petrus Nunnez; vt referunt Complutenses, in notationibus super libros topicorum, quem multi communiter sequuntur; & nos hoc in loco, ne prolixitate defatigentur tyrones, sequi volumus, ad decem duntaxat, tamquam ad præcipua, vnde cætera deriuantur, sedulò reduxit.

Horum igitur primus est à causis, quo vtimur, quando aliquid laudamus, vel vituperamus ob aliquã causam ex quatuor generibus; vt quando laudamus hominem propter nobilitatem materiæ respectu insensibilium, aut propter nobilitatem formæ; vel efficientis, aut finis respectu animalium irrationalium.

C Secundus locus est ab effectibus, quo vtimur, dum laudare quærimus aliquem per propria gesta, vt milites propter strenuitatem; vel quendam vituperare per propria vitia, vt tyrannos propter crudelitatem, &c.

Tertius locus vocatur à subiectis, quo vtimur, quando probamus arbores v.g. esse bonas, aut malas quia in agro fertili, vel sterili plantatæ sunt. Quartus locus dicitur ab adiunctis, quo vtimur, quando volumus probare aliquid de aliquo per ea accidentia, quæ intrinsecè, vel extrinsecè inhærent subiecto; vt dum probamus nobilitatem hominus propter fortitudinem, ingenium, diuitias, vel fortunam, &c.

Quintus locus est à dissentaneis, quo vtimur, quando intendimus aliquid de aliquo probare, negando oppositum; vt dum in viris probis ostendimus virtu-


D tem negando vitium; quare à dissentaneis dicitur, quia prædicta non possunt de eodem simul affirmari, aut negari. Sextus locus est à comparatis, quo vtimur, quando duo conueniunt respectu alicuius tertij: nam si aliquid respectu tertij licebit vni, etiam licebit alteri; ut quando dicitur, Regi Hispaniæ licet contra Turcas belligerare; etiam licebit Regi Galliæ.

Septimus locus est à nomine, quo vtimur, quando probamus aliquid alicui conuenire propter Etymologiam nominis; vt aiebat Tullius in Verrem: *Non mirum est, furtum fuisse factum à Verre, quia à verrendo dictus est Verres*. Octauus locus est à definitione, quo vtimur, quando in disputationibus assumitur definitio subiecti; vt si velimus probare v. g. Logicam esse necessariam ad alias scientias acquirendas, possumus assumere definitionem Logicæ, dicendo; Scientia docens argumenta conficere, est necessaria ad alias

alias

alias scientias acquirendas: sed Logica est huiusmodi, vt patet ex illius definitione; ergo, &c.

Nonus verò locus est à diuisione, quo vtimur, dum argumentamur per diuisionem, vt quando dicimus, Si est animal, vel est rationale, vel irrationale: sed est rationale: ergo non irrationale. Decimus tandem locus est à testimonio, quo vtimur, dum argumentamur ab auctoritate, vel diuina, vt testimonijs Sacræ Scripturæ; aut humanæ, vt testimonijs Doctorum.



CAPVT VIII.

De Syllogismo sophistico.

SYllogismus sophisticus, seu fallax, quem cap. 2. huius libri diximus cõstare ex apparentibus, quę, scilicet, videntur esse vera, non tamen sunt, accidit dupliciter; vel in dictione, seu vocibus rem significantibus, vel extra dictionem, nempe, in ipsa re significata. Sex autem locis, seu fallacijs vtuntur Sophistæ in dictione, & septem extra dictionem, quas distinctè explicare oportet, non vt aliquem decipiamus, sed vt à decipientibus caueamus.

Prima ergo fallacia in dictione est Aequiuocationis, quæ contingit, quando ponitur in præmissis aliquis terminus æquiuocus; fitque tribus modis: primo, quando est purè æquiuocus; vt Canis est latrabilis: sidus cœleste est canis: ergo sidus cæleste, est latrabile. Secundo, quando prædictus terminus est analogus attributionis, aut proportionalitatis metaphoricæ; vt Quid quid ridet, dilatat os: pratum ridet: ergo pratum dilatat os. Tertio verò, quando vox aliqua seorsim sumpta unam rem significat, quæ tamen alijs coniuncta mutat significationem: ut Qui sanabatur, sanus est: ægrotus sanabatur: ergo ægrotus sanus est.

Secunda Fallacia in dictione est Amphibologiæ, quæ contingit, quando aliqua oratio integra est æquiuoca, habetque plures sensus; fitque duobus modis primus est, quandò est pura æquiuocatio; ut liber Aristotelis possidetur ab Aristotele, sed huiusmodi Elenchorum liber est Aristotelis: ergo possidetur ab Aristotele. Secundus est, quando oratio habet duos sensus, quorum unus significat propriè; alius autem metaphoricè; ut Qui litus arat, terram arato scindit: sed qui operam perdit, litus arat: ergo qui operam perdit, terram aratro scindit.

Tertia, & quarta fallacia in dictione est fallacia cõpositionis, & fallacia diuisionis, quæ proueniunt vel ex sensu cõposito, vel ex sensu diuiso falsis; quod cõtingit tripliciter: primò, cùm fit trãsitus à sensu diuiso ad sensũ cõpositũ; ut omnes homines possibile est esse senes: sed omnes pueri sunt homines: ergo omnes pueros esse senes est possibile. Secundò fit ex transitu ab vno coniuncto, ad idem diuisum; ut numerus, qui componitur ex duobus, & tribus, est duo, & tria: sed quinque non sunt duo, & tria: ergo quinque non componitur ex duobus, & tribus. Tertiò tandem, quando aliqua uox potest iungi partibus antecedentibus, & cousequentibus; vt Qui scit literas, modò didicit illas; sed tu scis literas: ergo modò didicisti

A illas.

Quinta Fallacia in dictione est fallacia Accentus; quæ contingit ex diuersa pronunciatione vocis; fitque quadrupliciter: primò quando mutatur accentus, de acuto in grauem, vel è contra; vt si dicas: Quicumque occidit, moritur: sed sicarius occidit: ergo sicarius moritur. Secundò quando mutatur quantitas syllabæ, sic; Omnis populus est hominum multitudo: sed aliqua arbor est populus: ergo aliqua arbor est hominum multitudo: nam in maiori prior syllaba corripitur, in minori verò producitur. Tertiò, quando mutatur modus proferendi, nunc leniter, nunc asperè vocem pronunciando; vel nunc in vero sensu, nunc per ironiam loquendo; vt si dicas: Omnis ara est in templo: sed porcorum stabulum est hara: ergo porcorum stabulum est in templo. Similiter,

B Qui dicit tibi, præclarè functus es officio tuo, laudat te: sed aliquis illudens tibi, dicit, præclarè functus es officio tuo: ergo aliquis illudens tibi, laudat te. Quartò tandem, quando plures voces coeunt in vnam; vt si dicas: Quid quid fit in vite, est pampinus, uel racemus: sed quid quid fit coactè fit inuitè: ergo quid quid fit coactè, est pampinus, uel racemus.

Sexta tandem fallacia in dictione est figuræ dictionis, quæ contingit, quando fit transitus de vno genere in aliud; quod accidit quadrupliciter: primò, quando fit transitus ab vno genere grammaticorum in aliud; vt quando committitur solęcismus ex eo, quia altera extremitatum est generis fœminini v.g., & altera masculini; vt si dicatur; Omnis substantia affecta albedine est alba: sed paries est substantia af-

C fecta albedine: ergo paries est alba. Secundò, quando fit transitus ab vno prædicamento in aliud; vt si dicatur; Quid quid fuisti heri, es hodie: sed incipiens fuisti heri: ergo incipiens es hodie: ibi enim transfertur Quid in Quale. Tertiò, quando intra idem prædicamentum fit transitus ab vna specie in aliam; vt si dicatur; Digitos, quos olim habuisti, habes hodie: sed paruos digitos olim habuisti: ergo & hodie. Quartò tandem, quando vox significans rem vniuersalem transfertur in vocem significantem rem particularem, & è contra; vt si dicas, Quòd ego sum, tu non es: sed ego sum homo: ergo tu non es homo: vbi vox *Ego*, quæ in maiori est particularis, in minori fit vniuersalis quia iungitur cum *homine*.

Prima verò ex fallacijs extra dictionem est fallacia

D accidentis, quæ fit, quoties tribuimus alicui omnia, quæ tribuimus alteri, quæ tamen non illi, qua parte cum altero vnum est, conueniunt, existimantes propter identitatem, & vnitatem id licere; fitque tribus modis: primo, quando quod est proprium subiecti, tribuitur accidenti; vt si dicas, Iste canis est pater, & est tuus: ergo est pater tuus: nam canis, & pater sunt vnum per accidens; & ita non sequitur, quòd quid est verum de vno, sit verum de altero. Secundò, quando quod conuenit superiori accidentaliter, quia superius est, tribuitur inferiori; vt si dicas Animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus. Tertio, quando inter ea, quæ reciprocantur, quid quid conuenit vni quocumque modo, tribuitur alteri; vt si dicas, Animal rationale est definitio: homo est animal rationale; ergo homo est definitio.

Secunda fallacia extra dictionem est à secundùm quid ad simpliciter, vel è contra, quæ contingit, quan-

quando argumentamur à termino, qui supponit secundùm quid, ad terminum, qui supponit simpliciter; quæ fallacia ab aliquibus appellatur, ab eo, quod est in parte, ad id, quod est in toto; vnde fit duobus modis: primo, quando illud, quod inest parti, cùm possit inesse toti, tribuitur toti; vt Æthiops est albus secundùm dentes: ergo est albus. Secundo modo, quando quod non conuenit alicui sine adiectiuo, tribuitur absque illo; vt Cadauer est homo mortuus: ergo est homo.

Tertia fallacia extra dictionem est ignorationis elenchi, quę accidit, quando videtur colligi contradictio, quæ re vera non colligitur: quare tot modis fit, quot sunt conditiones requisitæ ad veram contradictionem: primo scilicet, quando talis contradictio non est in ordine ad idem; vt si dicas, Quaternarius est duplus binario, & non est duplus quinario: ergo est duplus, & non duplus. Secundo, si non est secundùm idem; vt Æthiops est albus secundùm dentes, & non est albus secundùm corpus: ergo est albus, & non albus. Tertio, si non fit eodem modo, vt si dicas; Vestis aptata corpori tegit corpus; complicata in arca non tegit corpus: ergo tegit, & non tegit. Quarto tandem, si non fit eodem tempore, vt Hispania calescit tempore æstatis, & non calescit tempore hyemis: ergo calescit, & non calescit.

Quarta fallacia extra dictionem est petitionis principij, quæ contingit, quando idipsum assumitur, quod in quæstione versatur; seu quando conclusio, quæ debet probari, sumitur in præmissis; fitque duobus modis: primo, quando vnum synonimum per aliud probatur; vt si probaturi hominem viuere, assumamus esse animatum: secundo, quando assumimus illud, quod est omnino idem cum eò, quod probaturi sumus, etiam si diuerso modo significentur; vt quando probamus hominem esse risibilem, quia animal rationale est risibile.

Quinta Fallacia extra dictionem est fallacia consequentis, quæ accidit, quando argumentamur à termino consequenti ad antecedentem, existimando esse idem inter se; fitque tribus modis: primo, quando quis argumentatur à destructione antecedentis ad destructionem consequentis; vt si homo est, animal est: ergo si non est homo, non est animal: vel à positione consequentis ad positionem antecedentis; vt si pluit, terra est madida: ergo si terra est madida, pluit. Secundo, arguendo ab insufficienti numero singularium; vt Socrates currit, Plato currit: ergo omnis homo currit. Tertio tandem, arguendo à communiter accidentibus quæ, scilicet, contingenter se sequuntur in aliquo subiecto, non autem necessariò; vt Socrates est magnus: ergo Socrates est fortis, vel Socrates est pulcher: ergo est bonus, &c.

Sexta Fallacia extra dictionem est non causæ, vt causæ, quæ contingit, quando falsitas consequentis, attribuitur alicui præmissæ, quæ re vera non est causa; fitque duobus modis: primo, quando præmissa non causa conuenit ex parte subiecti cum præmissa causa; vt si dicatur, Omnis leo est rugibilis: omne animal est leo, & omnis homo est animal: ergo, omnis homo est leo. Secundo modo fit, quando prædictæ causæ conueniunt ex parte prædicati; vt Omne animal est leo: omnis equus est

A animal, & omnis homo est animal: ergo omnis homo est leo: nam in primo modo, animal, quod est subiectum præmissę non causæ conuenit cum leone, qui etiam est subiectum in præmissa causa: & in secundo, leo, qui est prædicatum in præmissa non causa conuenit cum animali, quod pariter est prædicatũ in præmissa causa.

Septima tandem, & vltima Fallacia extra dictionem est plurium interrogationum, vt vnius; quæ contingit, quando opponens petit vnicam sibi responsionem dari illius, cui vnica respõderi non potest; fitque duobus modis: primo, quando plura in singulari numero subijciuntur; vel prædicantur; vt si quęratur, estne Socrates, & Bucefalus homo? Nam si detur vna responsio affirmatiua, tunc infertur, quòd B Bucefalus est homo; si autem negatiua, tunc infertur, quod Socrates non est homo. Secundo verò, quando plura in plurali numero subijciuntur, vel prædicantur, vt si demonstrato vno cæco, & vno vidente, quæratur, vtrum isti duo cæci sint, an videntes? Nam si dicatur, quòd sic, tunc infertur, ergo cæcus est videns; si vero dicatur, quòd non; tunc infertur, ergo videns non videt, &c.

CAPVT IX.

De inuentione Medij.

C AD hoc vt rectè, ac facilè veram, atque vtilem argumentandi Artem attingere possimus: necessaria semper omnibus visa est Ars, siue Regula inueniendi Medium; quòd vt aliquo ordine, ac distinctè fiat, præscire omnino necessarium est, terminorum alium vocari Antecedentem, alium Consequentem, & alium Extraneum, siuè Disparatum. Terminus antecedens est ille, qui a terum infert; cuiusmodi sunt omnia prædicata inferiora respectu superiorum, vt homo est; ergo animal: animal est; ergo sensibile. Terminus consequens è contra est, qui ex altero infertur, huiusmodi sunt omnia prædicata superiora respectu inferiorum, ut animal respectu hominis, & sensibile respectu animalis. Quia uerò prædicti termini aliquando inter se conuertibiles sunt, ut homo, rationale, risibile, &c. hinc est, quòd simul possunt D esse antecedentes, & consequentes, cùm seinuicem inferant, & inferantur. Terminus uerò extraneus, siue disparatus est qui non potest alteri inesse; ut rationale respectu lapidis. Quibus igitur præscitis, ac diligenter notatis; cùm quatuor sint genera propositionum, uniuersalis, scilicet, affirmatiua, uniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, & particularis negatiua; quatuor pariter regulis huiusmodi Ars absoluenda est.

Prima itaque regula inseruit propositionibus uniuersalibus affirmatiuis; & est, quòd ad concludendam aliquam ex illis v. g. Omnis homo est animal, sumendus est pro medio, terminus, qui sit consequens respectu subiecti, nempe *Sensibile*, qui terminus etiam debet esse, sicut de facto est, antecedens respectu prædicati; & sic argumentamur in *Barbara*, Omne sensibile est animal: omnis homo est sensibilis: ergo omnis homo est animal.

Secun-

Secunda regula inseruit propositionibus uniuersalibus negatiuis, & est, quòd ad concludendam aliquam ex illis, v. g. Nullus homo est lapis; pro medio sumendus est terminus consequens ad subiectum, & extraneus, seu repugnans prædicato, nempe *Rationale*; atque ita argumentamur in *Celarent*, Nullum rationale est lapis; omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est lapis.

Tertia uerò regula inseruit propositionibus particularibus affirmatiuis, & est quòd ad concludendam aliquam ex illis, v. g. Aliquis homo est viuens; pro medio sumendus est terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum, nempe *Sensibile*; & sic optimè argumentamur in *Darij*, Omne sensibile est viuens: aliquis homo est sensibilis: ergo aliquis homo est viuens.

Quarta tandem regula inseruit propositionibus particularibus negatiuis, & est, quòd ad concludendam aliquam ex illis, v.g. Aliquis homo non est lapis; pro medio sumendus est terminus consequens ad subiectum, & repugnans prædicato, nempe *Animal*; & sic optimè argumentamur in *Ferio*, Nullum animal est lapis: quidam homo est animal: ergo quidam homo non est lapis. Vnde patet, quòd prima regula identificatur cum tertia, & secunda cum quarta. Exempla verò ponuntur in prima figura, ex eo quia, in illa syllogismi fiunt omnino perfecti.

CAPVT X.

De conditionibus Arguentis, & Respondentis.

HViusmodi Conditiones sunt; quòd Interrogans, siue Arguens debet clarè, ac breuiter proponere argumentum, neque extra formam aliquid loqui; atque ita finet absque confusione Respondentem suas partes agere. Ita tamen in suis probationibus se debet gerere, ut propositio, à Respondente negata, sit consequens argumenti subsequentis; aliàs nihil se fecisse putet; unde optimè nosse debet artem inueniendi medium.

A

Respondens autem argumentum ab Arguente propositum integrum resumat, ut omnino cum Arguente conueniat; deinde iterum ab ipso repetatur Maior, & si fuerit falsa, negetur; si uera, concedatur; si ambigua, distinguatur: si uerò fuerit ita indifferens, & aliena, ut ad eum nihil attineat, an uera sit, uel falsa, dicatur Transeat; quòd etiam agendum est circa minorem propositionem: quacunque tamen earum negata, ibi sistet responsio. Si uerò minor concedatur, repetatur consequens, quod nec concedi, neque nagari potest, sed tantùm distingui, & secundùm unum, aut alterum sensum eiusdem concedetur, uel negabitur consequentia.


B

Itaque Antecedens, seu maior, & minor possunt concedi, negari, distingui, vel transiri: consequens, neque concedi, neque negari, sed solùm distingui: consequentia verò nunquam potest distingui, sed tantùm concedi, aut negari. Qui tamen, concessa maiori, & minori, negat consequentiam, tenetur ostendere defectum formæ argumenti propositi, aliàs conuictus censendus est. Idcirco non licet respondenti, cùm negat, aut concedit aliquam propositionem, ampliùs loqui; licet tamen post distinctionem membra distinguentia, si opus fuerit, breuiter explicare.

C

Hæc igitur sunt, quæ de dialecticis institutionibus nec breuiùs, nec faciliùs adducere valui; in quibus leuiora tantummodò explicaui, ad sequentes disputationes grauiora remittendo; vt patebit.

FINIS.



IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM DISPVTATIONES.

PROOEMIVM.



CVM omnis scientia, quæ ratiocinatione acquiritur discurrendo, ac disserendo tradatur (teste Phil. 1. post: cap 1. & 1. metaph. cap. 7. text.48) necessariò ars, vel scientia aliqua quærenda est, quæ aptas differendi ostendat formas, cuique ante omnes alias sedulò sit incumbendum, ne falsa Doctrina pro vera aliquando obreperet, erroresque Melissi, atque Parmenionis, in quos ob imperfectum argumentandi modum ipsos esse prolapsos narrat idem Phil: initio librorum de physico auditu; iterum, atq; iterum patrarentur. Talem verò artem, siue scientiam, qui primi inuenerunt, Dialecticam dixerunt; veteres exinde Peripatecí Logicã appellarunt; quæ nomina, licèt Aristotelis tempestate, ab ipsoque pro diuersis huius disciplinæ partibus accepta sint, vt notarunt Aphrodisæus, Auerroes, Marsilius, & Lemosius; iam tamen pro tota hac facultate, quæ methodum differendi docet, indifferenter vsurpantur: nam & si ipsum differendi opus omnibus disciplinis commune sit (omnes siquidem ignorationem aliquã ex notis depellunt concessis) Logica tamen docet, quonam modo differendum sit; ad eamque rem, communes leges, ac præcepta tradere, hoc sibi veluti proprium finem, quo à cæteris distinguatur, vendicauit.

Quare factum est, vt non sine causa dixerint grauissimi Auctores, hanc vnam facultatem cæteris omnibus formandis artibus, siue scientijs esse neceßariã; quam proinde alij Apicem disciplinarum, alij disciplinarum Disciplinam, alij Artium Maximam, & omnium Lumen appellare non dubitant. Vnde & symbolicè hanc ipsam exprimunt per manum, clauem tenentem; insinuare volentes eo velut Schemate; eiusdem proprium munus esse pandere aditum, ac gressus dirigere ad omnes alias facultates consequendas.

Continet autem Logica plures libros, siue tractatus: primus est Porphyrij, quem de quinque vocibus appellant; alij omnes sunt Aristotelis, scilicet de Prędicamentis, de Interpretatione, de Priori analysi, siue resolutione, de Posteriori analysi, de Topicis, siue locis, & Elenchis, siue cauillosis redargutionibus. Qui omnes, vt plenè, atque copiosè intelligantur, disputando, & altercando examinandi sunt. At quia, & ea ipsa, quæ modò diximus, suas patiuntur difficultates, idcirco à procemialibus quæstionibus inchoandum est.

DISPVTATIO I. PROOEMIALIS.

De Existentia, Obiecto, Diuisione, Vtilitate, ac Fine Logicæ.



DE qualibet re docet Philosophus 2. Post: cap. 1. quatuor in primis esse quærenda; videlicet, An sit, Quid sit, Qualis sit, & Propter quid sit. Quamobrem, vt narratis in Procemio, æque satisfactum videatur, hæc eadem quæsita de ipsa Logica etiam habenda sunt.

QVÆSTIO I.

An sit Logica; siue an detur in rerum natura?

PRo tituli declaratione sciendum est, quòd ex communi Dialecticorum consensu Logica duplex est, naturalis scilicet, & artificialis: naturalis est facultas illa, seu potentia, qua quisque etiam agrestis

tis potest circa res aliquas ratiocinari, diuidere, aut definire: nam, vt docet D. Tho: p.p. q. 63. art. 1. insunt nobis à natura quædam semina scientiarum; quod semen, siue initium scientiæ circa diuisiones, definitiones, &c. appellatur Logica naturalis. Logica verò artificialis est habitus, seu facilitas intellectus, ipsum dirigens, vt res perfectè, ac fine errore cognoscatur. De prima non quæritur, cùm certum sit existere in rerum natura; sed tantùm de secunda.

Dicendum tamen est, quòd de facto datur Logica artificialis. Probatur primò hæc conclusio experientia: nam videmus eos, qui cum difficultate, ac non finè errore discurrebant, postquam certis Logicæ præceptis sunt instructi; facilè, & absque errore discurrere, quod non semel, aut bis, sed permanenter in omnibus suis actibus: ergo datur in intellectu aliqua habitualis facilitas, à qua proueniat ista mutatio, quam patet ex dictis, esse Logicam artificialem.

Probatur secundò ratione: nam possibilis est ars, immo de facto datur rectè pingendi, canendi, &c. ergo etiam debet dari scientia, vel ars docens modum cognoscendi rectè, & absque errore: sed hæc est Logica artificialis: ergo & ipsa datur. Antec. patet experientia. Consequentia probatur; sicut enim se habet ars ad factibilia, ita intellectus ad intelligibilia: sed datur ars perficiendi factibilia: ergo & ars perficiendi intelligibilia.

Obijcitur primò. Intellectus nequit inuenire talem scientiam benè diuidendi, &c. nisi per experientiam: sed per experientiam scientia acquiri non potest: ergo talis scientia, & facultas non datur. Maior patet; quia intellectus ex diuturna reflexione supra suos actus, aduertendo, quòd aliquando bene, & aliquando malè definiebat, &c. inuenit regulam rectè definiendi, &c. quæ regulæ sunt ipsa Logica artificialis. Minor probatur; nam experientia ex Arist. 1. Metaph. cap. 1. est cognitio accepta ex pluribus particularibus in memoria retentis; sed ex particularibus nō habetur scientia, quia sunt contingentia, & variabilia: ergo per experientiā non potest haberi scientia.

Respondetur distinguendo maiorem: intellectus nequit inuenire talem scientiam, nisi per experientiam, adeò vt prædicta experientia generet habitum scientificum, negatur propter rationem adductam in argumento: adeò vt prædicta experientia sit occasio, vel causa mouens intellectum ad constituenda præcepta vniuersalia bene definiendi, diuidendi, &c. ne amplius incidat in errores, conceditur: & eodem modo distinguenda est minor. Consequentia verò absolutè neganda est.

Obijcitur secundò. Si staret conclusio, esset concedendus processus in infinitum circa cognitiones scientificas, qui tamen non admittitur à Philosophis: ergo Logica non est danda in rerum natura. Conseq. patet. Antec: probatur: nam Logica, vt dicetur infra, est necessaria ad scientias acquirendas, easque debet præcedere: sed etiam ipsa Logica est scientia, vt videbitur: ergo erit necessaria etiam ad se ipsam, seque præcedet, & sic in infinitum.

Respondetur negando sequelam. Ad cuius probationem distinguenda est maior: Logica artificialis est necessaria ad acquirendas alias scientias à se ipsa, conceditur: ad alias scientias cum se ipsa, hoc est, etiam includendo se ipsam, negatur. Ratio verò negationis est; quia virtute Logicæ naturalis potuit saltem vna pars Logicæ artificialis adinueniri, qua mediante potuit & alia pars acquiri; atque ita partes prius inuentæ, iuuarunt ad acquisitionem posteriorum, ac tandem ad totalem perfectionē ipsiusmet Logicæ artificialis. Cùm igitur Logica naturalis sufficiat prædicto modo ad acquisitionem Logicæ artificialis; estò prædicta Logica artificialis sit necessaria ad alias scientias acquirendas; minimè tamen ad se ipsam.

Obijcitur tertiò. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, ex communi Doctorum consensu: sed per Logicam naturalem potest fieri omne id, quod attribuitur Logicæ artificiali: ergo non ex danda Logica artificialis. Minor probatur; nam dirigere intellectus operationes, quod Logicæ artificiali tribuitur tanquam obiectum, vel saltem munus adæquatum illius, optimè exequitur per Logicam naturalem: videmus quippe aliquos ita ingenio pollere, vt absque præuio studio optimè definiant, diuidant, &c. ergo per Logicam naturalem potest exequi omne id, &c.

Respondetur distinguendo maiorem. Frustra fit per plura, &c. cęteris paribus, & æque benè conceditur: quando verò cætera non sunt paria; hoc est, quando per vnum, vel pauciora non fit tam faciliter, ac tam perfectè, sicut per plura, negatur; & eodem modo etiam distinguenda est minor: nam licèt aliqui tantùm virtute Logicæ naturalis definiant, diuidant, &c. hæc tamen nullus cum facilitate, & absque errore operatur, nisi per Logicam artificialem, quæ circa hoc præcepta, & regulas suppeditat.

QVÆSTIO II.

Vtrùm obiectum formale Logicæ sit quid reale, vel rationis.

COgnitis ijs, quæ ad An est Logicę spectare videbantur, rectus postulabat ordo, vt ad Quid sit esset accedendum, nempe inquirendo eius essentialem definitionem: sed cùm 2. lib. Instit. dictum sit, definitionem contrare ex genere, ac differentia, primo loco de illius genere, quærendo, scilicet, An sit scientia quæ est eius genus, quàm de differentia, quę sumitur ex obiecto; erat agendum: Nihilominus, quia scientia ex obiecto dependet, cùm de ipso demonstret passiones, & proprietates, tali pro nunc ordine relicto, loco generis agetur de obiecto, quod est illius differentia, quærendo scilicet, an sit quid reale, vel rationis.

Pro tituli quæstionis intelligentia sciendum est primò, illud appellari obiectum, quod potentiæ, vel habitui obijcitur cognoscendum, sumpta proportionali similitudine à potentia visiua, cuius obiectum proprie dicitur obijci; vnde translatum est ad significanda omnia illa, circa quæ habitus, vel potentia versatur. Appellatur etiam subiectum; non quia illi inhærat cognitio, vel scientia; sed quia subijcitur prædicatis, quæ de illo in tali cognitione, vel scientia demonstrantur. Item, dicitur etiam materia, non quidem in qua, vel ex qua, sed circa quam potentia,

tentia, vel habitus versatur; sumpta similitudine ab operationibus artium, quæ circa res externas, & materiæ participes versantur. Quamobrem hæc nomina, obiectum, subiectum, ac materia respectu habituum intellectus pro eodem communiter vsurpari solent.

Secundò sciendum est, quòd tale obiectum est duplex, seu potius duæ sunt partes integrales obiecti, materialis scilicet, & formalis: pars formalis est illa, quæ per se, siue ratione sui attingitur à potentia, vel scientia; pars verò materialis, siue obiectum materiale est illud, quod per se non attingitur; sed tantùm ratione obiecti formalis; vt patet in colorato, vel lucido, quod est integrum obiectum potentiæ visiuæ, cuius pars materialis est corpus, cùm solùm videatur ratione coloris, & lucis, quæ per se, & ratione sui videntur; vnde obiectum formale sunt.

Tertiò sciendum est, quòd in parte formali obiecti duo quoque reperiuntur, scilicet ratio formalis *qua*, & est res ipsa, quæ per se consideratur à potentia, vel scientia; & ratio formalis *sub qua*, & in esse scibilis, quæ est totum id, sub quo potentia, vel habitus attingit proprium obiectum *formale quod*; quemadmodum lux medij est ratio sub qua potentia visiua attingit colorem.

Quartò etiam sciendum est, quòd obiectum formale adhuc duplex est, adæquatum scilicet, & inadæquatum hoc secundum est quod non adæquat omnia, quæ tractantur in illa scientia cuius est obiectum, adeò vt in ipsa aliqua tractentur, quæ ad tale obiectum nequeant reduci; quod item duplex est; principale scilicet, & minùs principale: quid autem sit hoc obiectum formale inadæquatum principale, & minùs principale, ex ipsis terminis constat. Obiectum verò formale adæquatum est illud, quod non excedit facultatem cuius est obiectum, neque ab ea exceditur, & dicitur etiam obiectum attributionis. Tres autem illi assignantur conditiones, quarum prima est, vt ad ipsum reducantur omnia, quæ tractantur in tali scientia, vel tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam species, vel tanquam proprietates: secunda, vt de illo sit principalis cura in tali scientia, ita vt præcepta, quæ traduntur, sint de ipso: tertia verò, quòd per tale obiectum debeat specificari scientiæ, & interse distingui, modo tamen suo loco dicendo.

Quintò tandem sciendum est, quòd duplex est genus entis; aliud est enim ens reale, quod scilicet, nemine cogitante habet esse in rerum natura: & aliud est ens rationis, quod nil aliud est, quàm id, quod consequitur res prout habent esse obiectiuè in intellectu; vt ratio subiecti, vel prædicati, ratio generis speciei, &c. quæ non conueniunt rebus secundùm se, sed per operationem intellectus.

Quibus suppositis, & prænotatis; vt in hac re maiori distinctione, quàm fit possibile, procedatur; cauendum est quòd hic non inquiritur de obiecto materiali Logicæ, quia, vt infra patebit, certum est huiusmodi obiectum esse aliquid reale: nec similiter pro nunc inquiritur de ratione formali sub qua, cùm de ipsa agendum sit alibi quando de distinctione scientiarum agetur ab inuicem: sed tantùm præsens difficultas est de ratione formali *qua* obiecti adæquati totius Logicæ.

A In qua difficultate reperitur duplex sententia, quarum prima docet, obiectum formale Logicæ esse quid reale Ita Fonseca 2. Met. cap. 3. q. 1. sect. 5. Suarez disp. 1. Met. sect. 4. Conimb. hic q. 5. art. 2. Murcia q. 2. Hurt. disp. 1. sect. 3., & multi recentiores; licèt diuerso modo se explicent.

Secunda verò sententia è contra docet obiectum formale Logicæ esse ens rationis, Ita sentire videntur Aristoteles. 4. Met. cap. 2. D. Thom. ibidem lect. 4. cum omnibus suis discipulis Henric. Gand. in summa art. 53. q. 5. Complut. hic disp. 1. q. 2. §. 3. Mastrius, & Bellut. qui pro se citant Scotum hic q. proœm. §. *Dicendum est*, &c. & fere omnes; quibus etiam consentire videtur Baldius-Gherardesca, p. post. log. q. 1. diff. 3. assertione 3. licèt nomine non vtatur obiecti formalis, sed finalis.

B Notandum est primò pro resolutione difficultatis, quòd obiectum formale Logicæ debet esse tale quid, quod possit inueniri in omni ente: si quidem materia illius in cõmuni opinione est omne ens: sicut propter eandem rationem dicunt, quòd obiectum formale Metaphysicæ debet esse quid inuentum in omni ente: propter hoc enim Metaphysica, & Logica, appellantur scientiæ generales, nimirùm, quia earum obiecta se extendunt ad omnia entia. Duo autem genera prædicatorum inueniuntur in omnibus entibus; alia quidem, quæ illis conueniunt à parte rei secluso intellectu, quæ sunt tantùm ratio entis, & passiones eius, scilicet vnum, verum, bonum, &c. & hæc spectant ad obiectum formale Metaphysicæ: alia verò sunt prædicata, quæ conueniunt omnibus entibus per operationem intellectus; vt esse subiectum, prædicatum, genus, species, &c. quæ proinde dicuntur C secundæ intentiones: vnde intra hoc genus prædicatorum à sufficienti diuisione debet esse obiectum formale Logicæ.

Notandum secundò, quòd omnis scientia est quidem directiua intellectus in suis operationibus, habetque pro fine saltem remoto semper talem directionẽ; cùm sit de ratione habitus, & præcipuè operatiui, perficere potentiam; sed cum hoc discrimine, quòd cæteræ scientiæ à Metaphysica, & Logica dirigunt intellectum in ordine ad cognitionem proprij obiecti & non alterius; vnde rectitudo actus, seu directio illius nunquam fit ab alia scientia nisi ab illa, cuius proprium fuerit obiectum talis actus; atque ideò videmus Geometriam perficere intellectum, vt rectè cognoscat quantitatem continuam. Arithmeticam, in ordine ad quantitatem discretam, & sic de alijs scientijs discurrendum est, quarum vnaquæque perficit, & dirigit intellectum in ordine ad cognitionem D proprij obiecti. Cęterùm, Metaphysica, & Logica, cùm habeant obiectum vniuersalius obiectis cæterarum scientiarum, & quodammodò illa contineat, dirigendo intellectum circa proprium obiectum, consequenter dirigunt eundem aliquo modo etiam circa obiecta aliarum scientiarum, quæ continentur sub obiecto talium scientiarum generalium; non vtique eodem modo; nam Metaphysica ipsum dirigit, vt cognoscat res omnes secundùm sua prædicata essentialia; Logica verò secundùm prædicata rationis, vt iam dictum est supra. Ex quo fit, quòd licèt omnes scientiæ dicantur directiuæ intellectus circa propria obiecta; tamen propter allatam rationem, videlicèt

quia

quia Logica dirigit intellectum, eiusque operationes circa cognitionem omnium rerum, non secundùm earum prædicata realia, sed tantùm rationis: ipsa præ cæteris non minùs dicenda est simpliciter, & absolutè directiua operationum intellectus prædicto modo, quàm Metaphysica, quæ dirigit easdem operationes circa cognitionem omnium rerum secundùm earum prædicata realia.

Dicendum est ergo, quod obiectum formale Logicæ non est quid reale, sed tantùm ens rationis. Prima pars huius conclusionis sic probatur; nam si ab opposito esset quid reale, essent ad summùm actus, seu ipsæ operationes intellectus, vel quatenus directę, & dispositæ in forma definitionis, diuisionis, argumentationis, &c. vel quatenus dirigibiles, hoc est ante talem directionem, & dispositionem: sed neutro modo prædicti actus possunt esse obiectum: ergo tale obiectum non est quid reale. Maior in sententia contraria est certa, cùm ponat pro obiecto formali Logicæ tales actus, & operationes, vt directæ, vel vt dirigibiles sunt, &c. quæ in rei veritate sunt entia realia. Minor verò probatur: non quidem, vt directæ, & dispositæ in forma definitionis, &c. quia hoc modo tales actus, & operationes non sunt entitatiuè definitio, diuisio, &c. quas Logica contemplatur, sed causæ earum, cùm ipsas producant: vnde prædicti actus intantum dicuntur (intelligibiliter tamen) definitio, diuisio, &c. inquantum formant definitionem, diuisionem, &c. quarum species expressæ eas obiectiuè repræsentant intellectui, cuius sunt actus, & operationes, quibus mediantibus producit, & causat prædictam definitionem, diuisionem, &c. Neque minùs poterunt esse obiectum ijdem actus intellectus, vt dirigibiles; nam vt tales sunt, tantùm important potentiam passiuam, vt dirigantur. Quare adsummùm poterunt esse obiectum materiale, cùm à Logica hoc explicato modo non respiciantur, nisi de materiali; quatenus, scilicet possunt dirigi per eius præcepta, & instrumenta.

Secunda verò pars conclusionis probatur primò. Quoniam enti rationis in Logica conueniunt vndecunque tres illæ conditiones obiecti formalis superiùs assignatæ; ergo est tales facultatis obiectum. Antec. probatur: prima enim conditio est, vt omnia, quæ tractantur in tali facultate, reducantur ad obiectum, vel vt principia, vel vt partes, vel vt species, &c. constat autem, quòd omnia, quæ tractantur in Logica, reducuntur ad ens rationis; nam ratio vniuersalis generis; speciei, differentiæ, &c. vniuocum, æquiuocum, analogum, prædicamentum, propositio, æquipollentia, antecedens, consequens, syllogismus, &c sunt entia rationis; & si agitur de substantia, quantitate, atque alijs entibus realibus, non agitur de illis, secundùm quòd sunt partes entis realis; ita enim de illis agit Metaphysica; sed secundùm quòd in eis attenditur subijcibilitas, aut ratio generis, vel speciei. De actibus, seu operationibus intellectus tantùm agitur, vt sunt causæ, & principia istarum intentionum; nec habetur aliquis specialis tractatus de ipsis in tota Logica; sed principalis cura ipsius Logicæ est agere de istis secundis intentionibus, vt patet, quæ est secunda conditio obiecti; vnde de illius operationibus agitur in ordine ad istas intentiones, non verò è contra. Tandem, & hæc A est tertia conditio obiecti per ens rationis Logica distinguitur ab alijs scientijs, vt notatum est supra: ergo ens rationis habet omnes conditiones, &c.

Probatur secundò eadem secunda conclusionis pars: nam in qualibet scientia sunt aliqua principia propria, ex quibus talis scientia conclusiones ducit circa proprium obiectum, & in quæ ipsæ conclusiones resoluuntur, quæ principia vtique debent esse proportionata ipsi obiecto: nam vel sunt eius definitio, vel causæ intrinsecæ, & extrinsecæ, vel proprietates; vnde si obiectum est quid reale principia etiam debent esse realia, seu significantia, & exprimentia aliquid reale: Sed Logica non habet principia realia, quibus probet suas conclusiones: nam pro principijs vtitur tantùm secundis intentionibus, & tota argumentandi ars secundùm communem sententiam fundatur in istis principijs, *Dici de omni, &* B *Dici de nullo*; vel in illis, *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; & Quæcunque sunt eadem inter se, distinguuntur ab vno tertio*; quæ vtique sunt principia rationis, vt patet. Item, ars definiendi fundatur in genere, specie, ac differentia, quæ omnia sua principia rationis: ergo etiam obiectum Logicæ est ens rationis.

Istis quidem validissimis rationibus respondent nihilominus Recentiores, vt videre est apud ipsos locis superiùs citatis; at quia cùm ex dictis, tum ex dicendis facillimè impugnari possunt eorum responsa; idcirco, breuitati consulendo, nihil ampliùs addi videtur.

Obijcitur tamen primò in oppositum primæ partis, quòd Philosophia moralis versatur circa operationes volontatis, sicut Logica circa operationes intellectus: sed Philosophia moralis versatur circa ope- C rationes voluntatis vt dirigibiles, tanquam circa proprium obiectum: ergo etiam Logica; cùm non videatur maior ratio. Sed tales operationes ex concessis sunt entia realia: ergo obiectum Logicæ est quid reale.

Respondetur negando paritatē; nam Philosophia moralis versatur circa operationes voluntatis, sicut reliquæ scientiæ versantur circa actus suæ potentiæ, tanquam circa finem proximum, & obiectiuum; maximè cùm illa sit scientia practica de cuius ratione est dirigere actus voluntatis: Logica verò propter rationem alibi adducendam, versatur circa actus intellectus, tanquam circa finem remotum, & causam effectiuam, seu productiuam sui obiecti (finis enim proximus illius est contemplatio prædicti obiecti ab intellectu producti) vnde ad summum poterit fieri D talis comparatio inter ipsas, ratione finis vt sic abstrahendo à proximo, & remoto. Ideò neganda est vtraque consequentia, cùm finis remotus, non sit idem cum obiecto, sicut est finis proximus; nec rectificatio, seu directio actuum intellectus, quæ habetur per instrumenta logica, qualificet prædictos actus, vt queant attingere entia, de quibus tantùm materialiter agitur, secundùm prædicata realia, & intrinseca; sed tantùm qualificat prædictos actus, vt possint attingere entia rationis, seu entia realia secundùm tamen prædicata rationis, & extrinseca, vt notatum est supra.

Obijcitur secundò præcipuè in oppositum secundæ partis conclusionis: quòd demonstratio, & quid

quid aliud tractatur in Logica, non solùm pro materiali, sed etiam pro formali est ens reale; ergo obiectum Logicæ non est ens rationis. Consequentia patet: nam cùm obiectum sit illud, de quo agitur in tali scientia; si id, de quo tractatur, est ens reale, etiam obiectum erit reale. Antec. autem probatur, & primò de demonstratione; etenim demonstratio, non solùm quoad entitatem actuum, discursus scilicet vel iudicij; verùm etiam quoad illam dispositionem, quam tales actus in demonstratione habent, nempe quoad figuram, & modum, est causa scientiæ, quæ est ens reale: ergo nullo modo potest esse ens rationis; cùm ens rationis respectu entis realis sit inferioris ordinis; & causa semper debet esse nobilior suo effectu.

Item probatur idem antecedens de cæteris rebus, quæ tractantur in Logica, quoniam in ratione subiecti, prædicati, & similium; v.g. in hac propositione, Homo est animal, re vera intellectui repræsentatur natura humana, non præcisè, sed vt subiecta animali, ac proinde vt à parte rei illi subijcitur: ergo esse subiectum, &c. quod proportionabiliter verum est etiam de alijs rebus, quæ tractantur in Logica, non solùm pro materiali, verùm etiam pro formali est ens reale.

Respondetur negando antec. ad cuius primam probationem de demonstratione dicendum est, quòd si sumatur demonstratio formaliter pro secunda intentione, vel pro aggregato secundarum intentionum, quæ in illa sunt non generat scientiam; vnde prædictus ordo, & dispositio non est constitutiua actuum intellectus in esse causæ producentis scientiam, sed tantùm vt conditio sine qua non. Quòd autem ens rationis possit concurrere vt conditio ad productionem entis realis patet: nam voces significatiuæ verè, ac realiter causant in auditu species intentionales rerum, quas significant; cùm tamen significatio, sine qua tales species non causarent, sit quid rationis, resultans in ipsis ex impositione humana. Quinimmo significatio gratiæ in Sacramentis nouæ legis etiam est quid rationis; & tamen iuxta probabilissimam Theologorum sententiam verè est conditio sine qua non causarent realiter gratiam, quæ est quid reale.

Ad secundam probationem eiusdem antec. de cæteris rebus, quæ tractantur in Logica, &c. ex nuper dictis respondendum est, quòd licèt tales, & similes intentiones realiter repræsententur, & repræsentatio sit realis; tamen ipsæ sunt quid rationis, & solùm per rationem, & intellectum conueniunt rebus: non enim homo, v. g. est subiectum, vel prædicatum à parte rei; aliàs semper esset subiectum, cuius contrarium experimur; nam per intellectum modò fit subiectum, modò prædicatum.

Obijcitur tertiò in oppositum eiusdem secundæ partis, quòd ens rationis non habet scibilitatem, nec proprietates, neque terminat relationem realem: ergo non est obiectum Logicæ. Consequentia probatur; nam obiectum scientiæ debet esse cognoscibile, debet habere proprietates, de quo in tali scientia probentur; ac tandem terminare debet relationem realem ad suam scientiam, cùm scientia dicat relationem realem ad obiectum: ergo suppositio quòd ens rationis nihil prædictorum impertet, nequibit

A esse obiectum. Antec. autem in quo est tota difficultas, probatur per singulas partes: non enim habet scibilitatem, quia non habet entitatem, cùm sciri, & intelligi præsupponant esse: non habet proprietates, quia vel essent reales, vel rationis: non reales, quia essent perfectiores sua essentia, à qua fluerent; nõ rationis quia essentialiter includerentur in ente, & ens essentialiter de illis prædicaretur, quod repugnat essentiæ respectu proprietatis: nec tandem potest terminare relationem realem scientiæ ad scibile, seu ad obiectum, quia talis relatio petit terminum realẽ, vt dicendum est suo loco: ergo, &c.

Respondetur negando antec. ad cuius probationẽ de scibilitate, ac entitate dicendum est, quòd licèt ens rationis non possit dici ens simpliciter propter diminutam entitatem, quam habet, sed entis ens;

B tamen non est, cur non habeat aliquam scibilitatem: nam sufficit ad hoc, vt obijciatur intellectui, seu obiectiuè existat in illo. Circa proprietates verò dicendum est, quòd habet proprietates rationis quæ licèt propter transcendentiam entis conuertantur cum essentia, & ens de illis essentialiter prædicetur; quia tamen non sunt proprietates in toto rigore; vt patet etiam apud metaphysicos de proprietatibus entis realis, sufficit ad eas illa expressio peculiaris, quam addunt supra ens, vt habent rationem proprietatis. Ad illud tandem de relatione scientiæ, &c. respondetur, quòd scientia, quæ terminatur ad ens reale, postulat vtique terminum realem, & dicit relationem realem ad ipsum; non verò, quæ terminatur ad ens rationis, & dicit relationem rationis ad

C ipsum.

QVÆSTIO III.

Quodnam ens rationis sit obiectum in Logica.

HViusmodi quæstio supponit ex metaphysicis, ens rationis existere, nec non eiusdem notitiam, atque diuisionem; & meritò quidem: nam cùm sit obiectum in hac facultate, non debet hic probari, sed supponi: scientia enim quælibet non probat (principijs saltem proprijs, intrinsecis, essentialibus, atque ab ipso obiecto originatis) suum obiectum existere; sed tantùm supponit, ex Philosopho. 1. Post.

D cap. 1. Nihilominus quia pro obiecto Logicæ aliqua ex illius speciebus est modò ponenda; non nihil de eodem videtur pariter explicandum. Licèt enim obiectum sit supponendum, re vera tamen penitus non est ignorandum, sed accuratè præcognoscendum, vt dicetur suo loco.

Quapropter sciendum est ex Auerroe. 6. Metaph. tex. comm. 3. Quòd *Ens rationis est id, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu;* idest, quod nullum aliud esse habet, nisi obijci ipsi intellectui, ita vt intellectus cognitione cessante, statim euanescat. Hoc autem duplex est; vnum, quod omnino dependet ab intellectu absque fundamento à parte rei; aliud verò, quod vtique dependet ab intellectu, sed cum fundamento in re. Primum accidit, quando intellectus ex quadã fœcunditate pro libito sui ex veris entibus ficta componit, diuersas coniungendo partes, quæ in re coniungi

coniungi nequeunt; vt dum fingit Chimeram, v. g. Hircum ceruum, aut Sphingem; quod genus entis est multiplicabile in infinitas species iuxta infinitas combinationes, quas intellectus potest fingere inter partes diuersarum specierum. Secundum verò accidit, quando intellectus tribuit rebus, tali, ac tali modo ab eo cognitis, aliquam denominationem, quam petit ipsarum natura tali, ac tali modo cognita; e. g. dum cognoscit naturam humanam abstractam ab indiuiduis, eamque comparat cum eis, eique tribuit talem denominationem, qualem ita cognita eius natura petit, videlicet Speciei: vel dum eandem comparat cum vnico indiuiduo per modum attributionis, illique tribuit aliam denominationem, quam sic considerata petit, nempe prædicati, & sic de cæteris.

Diuiditur autem tale ens rationis cum fundamento in re in negationem, priuationem, & relationem. Negatio est carentia formæ in subiecto inepto ad illam recipiendam; vt equus, qui habet negationem rationalitatis, cùm nullam habeat inclinationem ad illam. Priuatio verò est carentia formæ in subiecto apto nato, quando, & vbi natum est illam habere; vt tenebræ in aere, cæcitas in cane post nonum diem, & similia: quæ quidem negatio, & priuatio, licèt à parte rei non habeant aliquam entitatem, siue essentiam, quia tamen à parte rei sunt remotiones, seu carentiæ entitatis, & formæ, dicuntur entia rationis fundamentaliter, seu cum fundamento in re: tunc enim considerantur ab intellectu per modum entis, estò à parte rei non sint entia, sed tantùm in anima. Quæ entia deinde diuiduntur iuxta diuisionem formarum, quarum sunt carentiæ. Relatio tandem rationis est ens rationis, ex aliqua intellectus comparatione resultans; quapropter diuiditur iuxta diuersas rationes fundandi talem relationem: vnde alia est, quæ pro ratione fundandi habet aliquam entitatem, seu perfectionem realem; vt relatio dextri, & sinistri in columna; relatio creatoris in Deo ad creaturas: alia verò, quæ habet pro ratione fundandi aliquam denominationem extrinsecam, prouenientem à voluntate imponentis significationem vocibus, vt sunt relationes nominum, & vocum apud Grammaticos, & Rethores; quæ item subdiuiduntur in plures, & plures species, de quibus Grammatici, & Rethores: Alia tandem est, quæ similiter habet pro ratione fundandi aliquam denominationem extrinsecam, sed prouenientem ab intellectu cognoscente naturas rerum; vt sunt secundæ intentiones logicales.

Sed vt certa ab incertis separentur, ne intellectus, ac memoria confundantur legentis; antequam ad diuisionem secundarum intentionum logicalium accedamus, sciendum est, quòd in omnium sententia, qui pro obiecto Logicæ ponunt ens rationis, hic non est sermo de ente rationis absque fundamento in re: cùm enim sit omnino fictum, non est doctrinale, neque scientijs deseruire potest. Nec similiter est sermo de ente rationis cum fundamento in re, quatenus est carentia formæ, siue sit negatio, siue priuatio: nam cùm diuagetur per omnia genera realia, non spectabit ad Logicam, quæ tantùm agit de generibus rationum, sed ad illam scientiam successiuè, quæ tractat de forma illa, vel essentia reali, de qua tale ens importat negationem, vel priuationem. Nec minus

A est sermo in hoc loco de ente rationis cum fundamento in re, quod est relatio rationis habens pro ratione fundandi aliquid reale; nam cùm talis ratio fundandi non sit rationis, non spectabit vtique ad aliquam facultatem rationalem, quemadmodùm est Logica. Neque tandem est sermo de ente rationis cum fundamento in re, quod dicitur relatio habens pro ratione fundandi aliquam denominationem extrinsecam prouenientem à voluntate: nam cùm talis ratio sit à voluntate, & non ab intellectu, in quo tantùm est veritas, & ab eo deriuatur ad res; hinc est, quòd præfatum ens non est veritatis ostensiuum; quare nec ad Logicam spectat, cuius proprium munus est veritatem ostendere, vt dictum est supra in principio Institutionum ad ipsam Logicam. Solummodò igi-

B tur erit sermo in præsenti de ente rationis cum fundamento in re, quod appellatur relatio, habens pro ratione fundandi denominationem extrinsecam, prouenientem ab intellectu cognoscente naturas rerum: quod genus entis, cùm in suo esse omnino dependeat a cognitione intellectus modo explicato, alio, sed propriori vocabulo secunda intentio logicalis appellatur.

Diuiditur ergo prædicta secunda intentio logicalis in tria genera iuxta tres operationes intellectus, quibus res possunt denominari cognitæ; nempe in secundas intentiones, quæ præsupponunt apprehensionem, & dirigunt iudicium; & in eas, quæ præsupponunt, & dirigunt discursum. Primum genus plures continet intentiones: aliæ enim sunt, quæ consequuntur apprehensionem rei, vt subijcitur al-

C teri; & ab his res denominantur subijcibiles: aliæ verò sunt, quæ consequuntur apprehensionem rei, vt de alio prædicatur, à quibus res denominantur prædicabiles. Subijcibile autem diuiditur eadem proportione, ac prædicabile: quod diuiditur in prædicabile de vno tantùm, vt indiuiduum; & in prædicabile de pluribus, vt est vniuersale, siue vniuocū. Sub primo membro, continentur etiam prædicata æqualia, vt quando differentia prædicatur de specie. Ad secundum verò, nempe vniuersale, pertinet, reductiuè tamen, analogia, & etiam æquiuocatio, quæ licèt simpliciter sint relationes & intentiones rationis tamen secundùm quid sunt vniuersalitates. Vniuersale deinde diuiditur in genus speciem, differentiam, proprium, & accidens, quæ sunt species infimæ

D illius.

Secundum verò genus secundarum intentionum, illarum scilicet, quæ supponunt, & dirigunt iudicium, potest nomine incomplexo appellari Propositio, quæ diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, quæ tantùm sunt species infimæ: nam aliæ propositionis diuisiones vel sunt analogi in analogata, vel subiecti in accidentia, siue accidentis in subiecta, vt suo loco ostendetur.

Tertium tandem genus secundarum intentionum potest nomine incomplexo etiam appellari Argumentatio, quæ diuiditur in syllogismum, & inductionem, vt dictum est suprà lib. 3. Instit., ex quibus, inductio diuiditur in ascensum, hoc est à singulari ad vniuersale; & descensum, hoc est, ab vniuersali ad singulare: syllogismus autem diuiditur in tres figuras, & vnaquæque in suos modos, qui modi etiam sunt species infimæ, sumpti tamen formaliter pro secun-

secunda intentione; nam aliæ diuisiones syllogismi, nempe in demonstratiuum, topicum, & sophisticum; in singularem, & vniuersalem; in categoricum, & hypotheticum, &c. sunt accidentium in subiecta, vt suo loco videbitur.

Hoc tamen vltimo loco ad maiorem dilucidationem tituli quæstionis, non est ignorandum, quòd Modus sciendi, de quo rudi Minerua aliquid in 2. lib. Instit. cap. 2. & 3. diximus, potest sumi dupliciter: vel strictè; pro illis, scilicet secundis intentionibus, quę perfectè ignotum manifestant, & veritatem proximè ostendunt, sub quo comprehenduntur solùm ista tria generalia instrumenta sciendi nempe definitio, diuisio, & argumentatio: vel potest sumi lato modo, pro illis, scilicet secundis intentionibus, quæ aliquo modo, licèt remotè, disponunt ad acquirendam scientiam, sub quo comprehenduntur omnes secundæ intentiones logicales: nam omnes illę aliquo modo veritatem ostendunt, & adiuuant ad acquirendam scientiam; atque per hoc ens rationis logicum distinguitur ab entibus rationis, quæ pertinent ad Grammaticam, & Rethoricam, vt dictum est supra; Quæstio autem procedit in vtroque sensu.

His igitur prænotatis; varia Philosophorum placita circa Logicæ obiectum essent afferenda, quæ tam varia, & diuersa sunt, vt meritò illud Terentianum verificetur dictum *Quot homines, tot sententiæ*: viginti enim, & ampliùs Mastrius, & Bellutus obseruarunt hic, art. 3. At quia ad ens rationis tantùm, prout est secunda intentio logicalis, quæ plura comprehendit, vt prænotatum est, quæstio iam est eo arctata; videndum pro nunc est, quid in hoc etiam velint Auctores.

Prima enim sententia solam demonstrationem asserit esse obiectum formale Logicæ; pro qua referuntur Alexander, Ammonius, Simplicius, & alij. Secunda verò docet, tale obiectum esse syllogismum. Ita Scot. q. 3. vniuer. & 1. Prior. q. 2 Faber Theor: 6. Ruu. q. 5. procem. Fuentes q. 3. diffic. 3. art. 6. Mast. & Bellut. q. procem. art. 3 §. *Dicendum est*. & communiter Scotistæ.

Tertia sententia tribuitur B. Alb. Auicen. Louan. atque alijs. qui dicunt, omnem argumentationem esse obiectum formale Logicæ.

Quarta verò sententia tenet, prædictū obiectū esse Modū sciendi in stricto, & rigoroso significato. Ita iudicat Masiusq. 14. sect. 1. quem plures alij sequuntur.

Quinta tandem sententia est D. Thom. 1. Periher. lect. 2. quem sequuntur Sotus q. 5. procem. Sanch. lib. 1. q. 17. Araux. lib. 3 Metaph. q. 1. art. 1. n. 5. Compl. disp. 1. q. 3 n. 31. Baldius-Gher. p. 2 q. 1. diff. 3. assert. 3 licèt obiectum formale appellet finem, atque alij permulti, qui omnes docent, obiectum formale Logicæ esse secundas intentiones logicales omnes.

Notandum tamen est, quòd sicut in arte non solùm appellatur modus rectè, ac faciliter formandi artefactum illa vltima dispositio, seu applicatio materiæ ex qua immediatè resultat totum artefactum, sed etiam quælibet alia minima, & inferior dispositio materiæ, ex qua proximè, & immediatè resultant partes, licèt minimæ prædicti artefacti: ita in Logica, non solùm appellanda est modus sciendi illa vltima dispositio, quæ fit per demonstrationem, ex qua

A immediatè resultat cognitio scientifica; sed etiam quælibet pars illius dispositionis, hoc est, quælibet intentio, quomodocumque conducens ad demonstrationem. Ex quo fit, quod sicut in arte principaliter appellatur modus faciendi illa vltima dispositio, ex qua, seu per quam resultat totum artefactum, & minus principaliter altera dispositio, per quam resultat pars nobilior, & sic gradatim ad ignobiliores descendendo vsque ad minimam dispositionem: ita & in Logica, modus sciendi principaliter dicitur de demonstratione, minùs, ac minùs principaliter de cæteris intentionibus, gradatim descendendo vsque ad illas, quæ fundantur in vocibus, inclusiuè, vt sunt suppositiones, ampliationes, &c. In quo sensu indifferenter appellauit Aristoteles 1. Post. cap. 3. B tam demonstrationem, modum sciendi: quàm 2. Metaph. cap. vltimo, methodum, seu modum procedendi in tradendis scientijs; etsi prædicta methodus numerata non sit inter illa tria, nempe inter definitionem, diuisionem, & argumentationem.

Dicendum est ergo primò; quòd ens rationi logicum, hoc est, secunda intentio, seu modus sciendi latè sumptus, prout, scilicet comprehendit omnes secundas intentiones logicales, etiam illas, quæ fundantur in vocibus, est obiectum adæquatum, seu ratio formalis *qua* obiecti Logicæ.

Probatur; quoniam omnes prædictæ secundæ intentiones sunt veritatis ostensiuæ, ac per se conducunt ad dirigendas operationes intellectus: ergo omnes indifferenter continentur sub obiecto adæquato Logicæ, hoc est, si bente rationis, prædicto modo C explicato; & consequenter prædictum ens rationis erit obiectum, &c. Consequentia patet ex eo, quòd omnes participant rationem obiectiuam, per quam Logica secernitur, non solùm ab alijs scientijs realibus, verùm etiam rationalibus, quales sunt Grammatica, & Rethorica, quæ considerant secundas intentiones ostensiuas congruitatis, vel incongruitatis sermonis, non autem veritatis, & falsitatis.

Respondent Mastrius, & Bellutus loco supra citato, obiectione 2. ad 5. concedendo assumptum, sed negando consequentiam, rationem que adducunt, dicendo, quod si propria conditio obiecti est, vt sit id, de quo potissima cura est in tali scientia, & de quo traduntur præcepta; planè potissima cura fuit Aristotelis in sua Logica elucidare secundam intenD tionem, quæ est veritatis manifestatiua per virtutem illatiuam, vt manifestè constat ex verbis ipsius Philosophi 2. Elench. cap. vltimo: hæc autem profectò est sola argumentatio, siue syllogismus, de quo etiam plura reliquit præcepta.

Contra tamen est; quòd id habet præcipuam illam allatam obiecti conditionem, de quo aliqua scientia non tractat materialiter, & per accidens, sed formaliter, & per se, siue ratione sui, licèt non semper primariò, & principaliter, sed aliquando secundariò, & minùs principaliter; vt patet ex notatis, & magis patebit statim in probatione secundæ conclusionis: sed Logica agit de suis intentionibus prædicto modo: ergo eorum solutio non sufficit.

Dicendum secundò quòd intentiones prædictę, licèt omnes secundùm se, & non per accidens spectent ad obiectum formale Logicæ, tamen illæ, quæ fundantur in rebus, primariò, & principaliter spectant,

quæ

quæ verò fundantur in vocibus, secundariò, & minùs principaliter.

Probatur; nam intentiones illæ spectant primariò ad obiectum formale Logicæ, quæ proximiùs conducunt ad acquirendam scientiam, seu veritatis cognitionem: illæ verò secundariò, quæ remotiùs conducunt ad prædictam cognitionem: sed illæ intentiones, quæ fundantur in rebus, proximiùs conducunt ad talem cognitionem; illæ verò, quæ fundantur in vocibus, remotiùs: ergo primæ spectant primariò ad obiectum formale Logicæ; secundæ verò secundariò. Maior de se patet; cùm modus sciendi, seu cognoscendi veritatem sit obiectum Logicæ. Minor autem probatur; quia intentiones, quæ fundantur in rebus, sunt definitio, diuisio, & argumentatio, quæ sunt instrumenta proxima modi sciendi: intentiones verò, quę fundantur in vocibus sunt suppositio, ampliatio, appellatio, &c. quæ sunt instrumenta remota modi sciendi, cùm reducantur ad prædicta instrumenta proxima: ergo intentiones, quæ fundantur in rebus, proximiùs conducunt ad cognitionem veritatis; quæ verò fundantur in vocibus, remotiùs.

Respondent ijdem Mastrius, & Bellut. loco citato, obiect. 3. in responsione ad 3, & 4., quòd ex eo, quòd intentiones, quæ remotiùs conducunt ad acquirendam scientiam, ordinentur ad alias, quæ proximiùs conducunt ad prædictam acquisitionem, adsummùm sequitur, quòd illæ, ad quas ordinantur, tantùm directè, & per se, seu propter se considerentur in Logica, & consequenter, ad obiectum formale illius spectent; illæ verò, quæ ad has ordinantur, tantùm indirectè, & in gratiam alterius considerentur, & consequenter tantùm ad obiectum materiale spectent.

Contra tamen est, quòd prædictæ intentiones, quæ ordinantur, &c. per se, & ratione sui, aliquo modo conducunt, & iuuant ad acquirendam scientiam: nam faciunt suo modo, vt de rebus facilè, breuiter, & absque errore scientia comparetur; quæ est ratio *qua* obiecti Logicæ, vt dictum est supra; ergo licèt ordinentur, &c. tamen non considerantur indirectè, & in gratiam alterius: sed directè, ac ratione sui. Antec. patet ex dictis Conf. verò probatur: quoniam ex eo, quòd admittitur in obiectis partialibus alicuius scientiæ quilibet ordo vnius ad aliud; quia tamen participant eandem rationem formalem obiecti illius scientiæ, nullo modo sequitur, quòd vnum consideretur directè, & per se, aliud verò indirectè, & ratione alterius: ergo talis ordinatio non tollit, quin omnes illæ intentiones considerentur directè, & per se in Logica. Probatur antec. nam ex contrario sequeretur, quòd in qualibet scientia obiectum principale tantùm esset adæquatum; & sic possemus dicere, Deum, aut intellectum esse tantùm obiectum adæquatum Metaphysicæ: siquidem, quæ tractantur in illa ordinantur ad primum ens: sicut, & hominem esse tantùm obiectum adæquatum Philosophiæ naturalis, cùm ad ipsum pariter, vt ad præcipuam substantiam materialem, reducantur omnia, quæ tractantur in illa scientia: ergo, &c.

Dicendum tertiò; quòd obiectum materiale Logicæ sunt res, & voces secundùm suum esse reale; ita vt res sint obiectum principale: voces autem minùs principale. Probatur: quoniam prædictæ res sunt, quæ propriè denominantur genus, subiectum, definitio, &c. sicut voces, rebus ipsis inseruientes denominantur suppositio, ampliatio, appellatio &c. ergo tam res, quàm voces secundùm suum esse reale erunt obiectum materiale Logicæ; res quidem principaliter; voces autem minùs principaliter, eadem proportione, qua supradictum est de intentionibus, quæ fundantur, in rebus, & quæ fundantur in vocibus.

Dicendum est tandem quartò; quòd actus intellectus non sunt materia, quæ denominatur à secundis intentionibus; sed quasi principia, & causæ illarum: possunt tamen aliquo modo appellari obiectum materiale Logicę, quia de illis agit, non ratione sui, sed propter secundas intentiones. Probatur; quoniam operationes siue actus intellectus, vt operationes, & actus sunt, non recipiunt in se secundas intentiones, neque dicuntur genus, definitio, &c. nisi ad summùm obiectiuè, hoc est, in repręsentando, vt dictum est in antecedenti quæstione probando conclusionem; atque de ipsis agitur in Logica, quatenus principia; & causę sunt quodammodò prędictarum secundarum intentionum; ergo non sunt materia denominationis ab ipsis secundis intentionibus, licèt aliquo modo spectent ad obiectum materiale Logicę, cùm de ipsis in ea agatur, non propter se, sed propter secundas intentiones.

Obijcit primò in contrarium prima sententia; quòd demonstratio est finis, in quem Logica tendit tanquam in scopum principalem, ordinatque cætera, quæ in ipsa tractantur; neque quiescit, donec demonstrationis explicet naturam, & requisita: ergo tantùm demonstratio est obiectum formale Logicę.

Respondetur, huiusmodi argumentum, atque similia tantùm probare, demonstrationem esse obiectum formale principale inadæquatum; non autem adæquatum, & totale.

Obijciunt secundò in contrarium secunda, & tertia sententia, quòd Aristoteles de definitione, aut diuisione ex professo non egit, sed solùm de argumentatione, ac syllogismo; atque ita cap. vltimo. 2. Elench. de syllogismis se doctrinam tradidisse confitetur: ergo tantùm syllogismus, vel argumentatio erunt obiectum, &c.

Respondetur; quòd quamuis Aristoteles ex professo non egerit de definitione, aut diuisione, instituendo de ipsis proprios libros; hoc tamen non est ex eo, quia prædictę intentiones non contineantur sub obiecto Logicæ; sed vel ex eo, quia de definitione iam egerat Socrates, de diuisione Plato; nullus autem, saltèm perfunctoriè de arte syllogistica; & sic eam suscepit idem Aristoteles ex professo explicandam; vel fortasse quia, vt refert Laertius lib. 5. in vita Aristotelis, ipse de talibus intentionibus non nulla ediderat volumina, quæ tamen temporis iniuria perierunt: quinimmo, cùm Aristoteles (testante eodem Laertio) de Logica scripserit 150. libros, forsitan de istis, atque alijs intentionibus logicalibus disputauit.

Contra istam responsionem satis videtur facere id, quod Mastrius, & Bell. loco supra citato in probatione conclusionis adducunt; nimirùm, quòd in Pręsenti non est sermo de obiecto Logicæ quam iam fecerat Aristoteles, aut poterat facere: nam loquendo de

de Logica in tota sua latitudine, etiam ipsi conueniunt cum nostra sententia, vt patet ibidem §. *Si de Logica secundùm se, &c.* sed tantùm de obiecto Aristotelis Logicæ, quæ modo extat: ergo insufficiens responsio.

Respondetur, quòd Aristoteles in sua logica, quę modo extat, licèt non instituerit præcipuos libros de definitione, ac diuisione, cùm sint partes obiecti Logicæ, paruæ considerationis; attamen de ipsis sufficientissimè egit, dum disputauit de aliis partibus prædicti obiecti maioris considerationis, ac difficultatis; vt patet, dum sermonem fecit de definitione lib. 2. Post. cap. 10. & 14. & 6. Top. per totum: atque etiam dum multa dixit de diuisione, eodem lib. 2. Poster. cap. 5. 14. & 16. lib. 1. Prior. cap. 32. & 33. quæ loca vtique sufficiunt ad ostendendum, quòd de prædictis intentionibus egit Philosophus tanquàm de partibus obiecti Logicæ, quæ modo extat.

Obijcit tandem tertiò in contrarium quarta sententia, quòd finis Logicæ est iuuare intellectum, vt de qualibet re scientiam habere possit: sed per modum sciendi strictè sumptum sufficienter obtinetur talis finis, vt patet experientia: ergo tantùm prædictus modus sciendi spectabit ad obiectum formale, & adæquatum Logicæ.

Respondetur, quòd licèt definitio, diuisio, & argumentatio proximiùs attingant finem Logicę, quàm aliæ intentiones minoris notæ, hoc tamen non tollit, quin etiam tales intentiones contineantur immediatè sub obiecto illius: quia sicut ex hoc, quòd sola demonstratio proximè, & immediatè attingat consecutionem scientiæ, non sequitur, definitionem, & diuisionem tantùm mediatè contineri sub obiecto Logicæ, cùm & ipsæ contineantur immediatè; ita ex hoc quòd definitio, diuisio, & argumentatio propiùs accedant ad consecutionem scientiæ, non sequitur, alias intentiones ab obiecto Logicæ esse reijciendas: nam vnaquæque conuenit in ratione *quæ* obiecti Logicæ, vt iam dictum est, ac etiam sub ratione *sub qua*, vt constabit in libris Posteriorum, cùm de vnitate scientiarum disputabitur.

QVÆSTIO IV.

An Logica dicatur docens, & vtens indifferenter quoad omnes sui partes, tam principaliores, quàm minus principales.

NOmine Logicæ docentis, quam Græci appellant Logicam à rebus auulsam, intelligitur ipsa Logica, prout præscribit regulas, & docet præcepta definiendi, diuidendi, & argumentandi: nomine verò vtentis, quam ijdem Græci Logicam dicunt rebus concretam, intelligitur eadem Logica, prout prædictis regulis, & præceptis definiendi, diuidendi, & argumentandi vtitur; quæ tamen sumitur tantùm actiuè; quoniam si sumeretur passiuè, etiam Logica docens diceretur vtens: siquidem ea vtuntur aliæ scientiæ.

Sed, vt certa ab incertis segregentur, tria supponenda sunt in hac quæstione: Primum, quòd Logi- A ca docens non tradit regulas, & præcepta nudè, & simpliciter; sed artificiosè, ac scientifico modo; ea scilicet, per suas causas ostendendo, & consequenter in ipsa doctrina tradenda eadem exequitur præcepta, conficit syllogismos, &c. Secundum, quòd Logica docens reperitur indifferenter in omnibus partibus sui ipsius; & ratio est, quia dirigit omnes operationes intellectus, docendo præcepta necessaria, ne circa prædictas partes ipsemet aliquem committat errorē. Tertium tandem, quòd licèt præsens quæstio sit excitata indifferenter quoad omnes Logicæ partes, tam principaliores, quàm minùs principales; nihilominus, breuitatis gratia resoluenda est, quoad principaliores tantùm, nempe, quoad demonstratiuam, topicam, & sophisticam: nam minùs principales in ipsis continentur. Qua de re tantùm vocatur in dubium, an Logica vtens dicatur talis, tam respectu B partis demonstratiuæ, quam topicæ, ac sophisticæ?

Prima sententia est communis fere omnibus Neotericis, qui asserunt Logicam vtentem per demonstratiuam topicam, & sophisticam partem diuagari; licèt respectu partis topicæ, ac sophisticæ peculiari ratione dicatur vtens: ita Ruu. hic q. 3. Gallego contr. 2. Mastrius, & Bellut. q. proœm. artic. 1. §. *Altera difficultas*, &c. qui etiam citant pro se Scot. q. 1. & 2. Elench. atque alij.

Secunda sententia est D. Thom. 4. Met. lec. 4. lib. 1. Post. lect. 20. & opus. 70. q. 6. art. 1. quem inter alios sequuntur Fons. 2. Met. cap. 3. q. 1. sect. 6. Conimb. hic. q 4 art. 2. Compl. hic disp. 1. q. 4. & alij; qui omnes docent Logicam appellari vtentem respectu partis topicæ, ac sophisticæ; minimè verò respectu partis demonstratiuæ.

Notandum est primò, quòd ad iudicandum de C quacunque conclusione, cuius scientiæ sit propria, vel à qua scientia procedat, inspiciendum est medium seu principium per quod prædicta conclusio à scientia probatur, ita vt si sit phisicum pertineat ad Philosophiam naturalem; si mathematicum, ad Mathematicam, si theologicum, ad Theologiam, & sic de cæteris: quod adeò verum est, vt eadem etiam conclusio, e. g. Terra est rotunda, si probetur per media, & principia mathematica, vt per figuras Eclipsium, pertineat ad Astrologiam; si verò probetur per media, & principia naturalia, vt per motus grauium ad centrum, pertineat ad Philosophiam. Ratio autem horum est, quia medium seu principium, per quod scientia procedit ad probandas suas conclusiones, est ratio sub qua proprij obiecti, per quam rationem, vt ex professo dicetur in primo Posteriorum, vnaquæque scientia specificatur, atque ab alia distin D guitur: quapropter illius scientiæ erunt conclusiones cuius sunt principia, per quæ probantur; cùm ab ipsis scientiæ speciem, ac distinctionem accipiant.

Notandum secundò, quòd principia, seu media, per quæ probantur conclusiones necessariæ, debent esse realia, vtpote causæ passionis, & proprietatis subiecti, vt patet ex locis syllogismi demonstratiui, traditis lib. 3. instit. cap. 6. Principia verò, per quæ probantur conclusiones topicæ, & sophisticæ seu in materia probabili, & apparenti, sufficit quòd sint rationis, vt manifestè patet ex locis, seu medijs topicis, & sophisticis loco nuper citato cap. 7. & 8., quo-

quorum fere omnia (scilicet, quæ propriè dialectica A sunt) pro formali important quasdam relationes, seu intentiones rationis, vt consideranti patebit.

Dicendum est ergo, quòd Logica vtens non habet locum respectu partis demonstratiuæ; sed tantùm respectu topicæ, ac sophisticæ. Probatur prima pars: nam si Logica haberet vsum respectu partis demonstratiuæ, vel esset in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia propria: non primum; quia quælibet scientia conficit suas demonstrationes proprias, licèt secundùm regulas, & præcepta tradita à Logica docente; quare tales demonstrationes non procedunt à Logica, sed ab ipsis scientijs, quarum sunt demonstrationes: aliàs, si sola Logica omnes efficeret demonstrationes, ipsa sola esset scientia, quod est absurdum. Neque pariter secundum scilicet in B materia propria: quia vsus partis demonstratiuæ consistit in vtendo principijs rerum, vt notatum est supra secundo loco; quæ principia tantùm ad reales scientias pertinent; non verò in vtendo intentionibus logicis; sed pars demonstratiua Logicæ in materia propria non vtitur principijs rerum sed tantùm intentionibus logicis, vt de se patet, & ipsi Aduersarij libenter concedunt: ergo pars demonstratiua Logicæ in materia propria nullum habet vsum.

Respondent Mastrius, & Bell. loco supra citato, Logicam vtentem habere quidem vsum respectu partis demonstratiuæ, tam in materia necessaria aliarum scientiarum, quàm in materia propria. In materia aliarum scientiarum, dum habitu operatiuo logico, per exercitium sæpè demonstrandi acquisito, concurrit etiam physicè, & elicitiuè ad tales demonstrationes: quare non sequitur ex hoc, quòd sola Logica sit scientia, quia etiam aliæ scientiæ concurrunt quantum in se physicè, & elicitiuè ad proprias demonstrationes, estò hæ quantum ad materiam, illa verò quantum ad formam. Habet etiam talem vsum in materia propria dum scientifico modo ostendit modum struendi demonstrationem.

Contra tamen est, & primò contra id quod dicitur de habitu operatiuo, &c. quòd actus, & exercitia Logicæ vtentis nequeunt ex dictis habere vsum respectu demonstrationis etiam in materia aliarum scientiarum: ergo multò minùs habitus (supposito tamen quòd detur, de quo in sequentibus) cùm ex ipsis conficiatur, eandemque cum eis sortiatur speciem, atque virtutem. Neque aliquid valet id, quod dicebatur, D nempe, alias scientias concurrere etiam, saltem quantùm ad materiam: nam repugnat, quòd cæteris scientijs elicitiuè concurrentibus ad demonstrationem secundùm materiam, Logica etiam elicitiuè concurrat ad eandem demonstrationem secundùm formam: ergo; &c. Consequentia patet. Antec. verò probatur: quia Logica tunc elicitiuè concurreret secundùm formam, & non concurreret; concurreret quidem, vt supponitur: non concurreret autem, quia hoc modo concurrere est efficere dispositionem illam, & ordinem actuum, ex quibus materialiter constat ipsa demonstratio, qui ordo, & dispositio est ens rationis: sed ens rationis non fit à Logica, cùm sit eius obiectum; sed tantùm ab alijs scientijs, non quidem per se primò, sed tantùm per accidens ad productionem, scilicet alicuius actus realis: ergo Logica elicitiuè concurreret secundùm formam, & non concurreret ad talem demonstrationem.

Item secundò, contra id, quod dicebatur de modo construendi demonstrationem ostensione scientifica, est; quòd hoc totum est dirigere ipsam demonstrationem; immo eiusdem actualis directio, vt dictũ est; minimè verò ipsam demonstrationem efficere, vt notum est.

Probatur secunda pars conclusionis, nimirum, quòd Logica verè, & propriè dicatur vtens tantùm respectu partis, topicæ, ac sophisticæ: cùm enim in syllogismo topico, & sophistico descendat Dialectica ex principijs proprijs ad quascunque res reales, atquè ideò appelletur tentatiua, hoc est, ex principijs rebus extraneis procedens, verè tunc est rebus concreta, cùm ipsis admisceatur, nihilque docet de suo obiecto, sed potiùs recipit doctrinam illius, ac iuxta ipsam operatur in extranea materia: ergo Logica respectu partis topicæ, & sophisticæ propriè, ac verè dicitur vtens.

Obijcitur primò in contrarium primæ partis conclusionis; cùm in contrarium secundæ partis parum, aut nihil sit obijciendum; quòd cæteræ scientiæ vtuntur ne dum modo probabili argumentandi à Logica tradito in libris topicorum, sed etiam demonstratiuo, quem docet in libris posteriorum: ergo etiam respectu partis demonstratiuę dabitur, atque dicetur Logica vtens.

Respondetur, prædictum argumentum tantùm probare Logicam vtentem in passiuo significato acceptam esse respectu partis demonstratiuæ; non verò Logicam vtentem, in actiuo significato consideratam C de qua in tali sensu excitatur quæstio, vt prænotatum est supra.

Obijcitur secundò, quòd in parte demonstratiua, ipsa Logica præcepta tradit, atque in eis tradendis, docendisque modis sciendi, eisdem præceptis, & modis vtitur: ergo ibi datur vsus Logicæ, siue ipsa Logica vtens.

Respondetur, quòd quamuis pars demonstratiua Logicæ in tradendis regulis, & docendis modis sciendi, eisdem vtatur regulis, conficiatque syllogismos, &c. vsus tamen iste, seu executio solùm est doctrina actualis, non verò vsus propriè dictus, idest rebus applicatus, seu admistus, in quo sensu tantùm procedit præsens difficultas; vnde ab eo Logica non denominatur vtens: nam talis executio, siue vsus nullo modo distinguitur à doctrina, cùm per ipsum formaliter doceamur, vt dictum est.

Obijcitur tandem tertiò; quòd in tantùm respectu partis demonstratiuæ Logica non est vtens, inquantũ demonstratio non fit ex principijs intentionalibus Logicæ, sed ex realibus cæterarum scientiarum: sed aliquando, etiam respectu partis topicæ, syllogismi non fiunt ex solis principijs intentionalibus Logicæ, vt quando fiunt per loca à causa, ab effectu, &c. quę sunt entia realia; & tamen respectu prædictæ partis Logica est vtens: ergo etiam erit vtens respectu partis demonstratiuæ.

Respondetur, quòd ideò respectu partis topicæ Logica dicitur vtens, licèt vtatur principijs realibus non verò respectu partis demonstratiuæ, &c. quia, cùm respectu partis demonstratiuæ principia debeant esse necessaria, debent pariter esse propria, & determinata alicuius scientiæ ab ipsa Logica; atque ita

Logica nunquam probaret aliquid ex proprijs principijs: at verò respectu partis topicæ, estò talia principia aliquando sint realia, non tamen sunt necessaria, sed contingentia, & probabilia, vnde cùm non sint propria alicuius scientiæ, sed communia, debent quoque spectare ad scientiam communem, & quæ ad probandum de aliquo ente reali, non procedat ex necessarijs, sicut Metaphisica, sed ex communibus, & probabilibus quemadmodùm procedit Logica vtens; quare Logica in tali casu, vtendo principiis realibus, semper tamen dicetur procedere, ac probare ex proprijs.

QVÆSTIO V.

An Logica docens, & vtens sint idem habitus?

QVia resolutio istius quæstionis omnino pendet ex resolutione alterius, nimirùm, à quo nam sumenda sit vnitas specifica scientiarum, breui stilo absoluenda, est remittendo videlicet maiora, & grauiora ad primum posteriorum librum, vbi ex professo scientiarum vnitas examinanda est; referendo pro nunc tantùm opiniones, conclusionem elicendo ac probando, atque argumentis in contrarium, quæ præcipuè in hac difficultate adduci solent, pro viribus satisfaciendo.

Duæ igitur extant Philosophorum sententiæ, quarum prima est Scoti q. 3. prol. dubit. 1. Toleti hic q. 3. Fons. 5. Met. cap. 7. q. 5. sect. 2. Vasquez p. p. disp. 8. cap. 5. Mast., & Bell. hic q. procem. art. 1. §. *Sed circa allatam diuisionem*, &c. atque aliorum asserentium, Logicam docentem, & vtentem esse plures habitus inter se realiter distinctos.

Secunda verò sententia est D. Tho. 1. Post. cap. 22. & p. secun. q. 54. art. 3., quem sequuntur Fland. 2. Met. q. 5. art. 4. Arauxo ibidem q. 3. art. 2. Sot. hic q. 2. Sanch. q. 6. Compl. disp. 1. q. 5. §. 2. n. 45. & fere omnes Thomistæ, qui è contrario docent, Logicam docentem, & vtentem esse realiter eundem habitum.

Dicendum est ergo, quòd Logica docens, & vtens sunt vnus, & idem realiter habitus. Probatur primò. Nam si Logica docens distinguitur realiter à Logica vtente; vel hæc distinctio est specifica, & essentialis, vel tantùm numerica, & materialis; non primum, cùm eadem sint principia secundarum intentionum Logicæ docentis, & vtentis intrà eandem abstractionem à materia, vnde desumitur specificatio habituum, vt dicetur suo loco: non secundum, cùm duo accidentia solo numero distincta non possint reperiri in eodem subiecto, vt puta in eodem intellectu, iuxta probabilissimam sententiam multorum: ergo sunt idem realiter habitus.

Probatur secundò eadem conclusio, ex eo, quòd actus Logicæ docentis, & vtentis habent inter se ordinem; & secundus, nempe vti, nullam addit difficultatem super primum: ergo pertinent ad vnum, & eundem habitum. Consequentia patet ex eo, quòd cùm habitus ponatur ad vincendam difficultatem, vbi non est noua difficultas, superest nobis habitus.

A Antec. verò probatur; quia vt constat ex dictis, ex cognitione scientifica secundarum intentionum, quę est doctrina Logicę procedit ipsa ad demonstrandum probabiliter, aut apparenter in quacumque materia, qui est vsus eius: ergo iste vsus necessariò præsupponit talem doctrinam: ista verò semel habita, nullo labore procedit intellectus ad vtendum eisdem intentionibus circa res reales ad quas descendit Logica vtens: ergo actus eius nullam addit difficultatem supra doctrinam.

Respondent huic secundæ rationi Mast. & Bell. loco citato ad secundum, negando quòd actus Logicæ vtentis nullam addat difficultatem supra actum Logicæ docentis: nam supposita Logica docente, & cognitione materiæ, v. g. physicæ, remanet adhuc difficultas applicationis logicorum præceptorum ad talem materiam physicam, quæ per habitum Logi-B cæ vtentis tolli debet; & dant exemplum paulò superius de tyrone, qui regulas logicales sufficienter callet, sed in conficiendis syllogismis est adhuc inexpertus, & inexercitatus:

Contra tamen est, quòd intellectus, semel habita cognitione sui obiecti per Logicam docentem, naturaliter tendit ad operandum circa illud: ergo non est addenda in tali operatione noua difficultas superanda per Logicam vtentem. Antec. patet ex eo, quòd habitus scientifici, sicut & cæteri omnes, qui immediatè afficiunt potentiam, non eam immediatè terminant ad bene, vel male esse, sicut illi habitus, qui immediatè afficiunt naturam, vt sanitas, e.g. pulchritudo, &c. sed in ordine ad aliquam operationem formaliter exercendum, ex Arist. 5. Met. text. 25. & 2. Eth. cap. 5. Consequentia verò probatur: nam si intellectus per habitum Logicæ docentis im-C mediatè afficitur in ordine ad operandum; ad hoc vt reducat in vsum talia præcepta logicę docentis, quod est eius operatio, non remanet illi noua difficultas superanda per nouum habitum; aliter enim per prædictum habitum Logicæ docentis non diceretur immediatè affectus per ordinem ad operetionem, sed tantùm mediante alio nouo habitu: ergo non est addenda noua difficultas in tali operatione per Logicam vtentem superanda.

Quòd autem in tyrone post accepta præcepta Logicæ docentis detur aliqua difficultas circa syllogismos conficiendos, &c. non est, quòd talis difficultas sit de nouo, sed est eademmet difficultas, quam habebat ante receptionem habitus Logicæ docentis, quæ non est adhuc tota superata: nam habitus scientifici, cùm possint acquiri etiam per vnicum actum ex dicendis suo loco, non semper sunt ita perfecti, vt D tollant omnem & totalem difficultatem, & vt per nouos, ac nouos actus nequeant fieri intentiores, ac perfectiores.

Obijcitur primò: quòd habitus, & scientiæ sumunt vnitatem, & distinctionem specificam ex obiectis, atque etiam ex principiis, per quæ probant suas conclusiones; sed Logica docens, & vtens habent diuersa specie obiecta, & principia: ergo non habent vnitatem specificam, sed sunt diuersi specie habitus. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur: nam obiectum Logicæ docentis, ex dictis quæstione antecedenti, sunt omnes partes principaliores modi sciendi, nempe demonstratio, syllogismus pro-

babilis, & sophisticus; Logicæ verò vtentis, tantùm syllogismus topicus, & sophisticus.

Item, principia Logicæ docentis sunt necessaria, vtentis verò probabilia, & contingentia: ergo habent diuersa obiecta, & principia.

Respondetur negando minorem. Ad probationem autem dicendum est, quòd in esse entis sunt diuersa obiecta, & principia; in esse verò scibilis, seu quatenus conueniunt sub eadem ratione modi sciendi, est idem obiectum: similiter sunt eadem principia, cùm vtraque sint secundæ intentiones, & deriuentur ex aliis, vel ex alterutris intrà eandem abstractionem à materia, à quibus omnibus sumenda est specificatio, vt dicendum est suo loco.

Obiicitur secundò: quòd in moralibus, non solùm dantur Synesis, idest bona sensatio, & Eubulia, scilicet bona consiliatio, quæ bene iudicant, & consiliant; sed vltra dandus est distinctus habitus, qui imperet, & exequatur, nempe Prudentia: ergo pariter debet dari in Logica duplex habitus, vnus contemplatiuus, qui est Logica docens; alius verò operatiuus, qui erit Logica vtens.

Respondetur negando paritatem: nam in moralibus, ob corruptionem naturæ, & difficultatem obiecti, quod est medium, & honestas, vltra habitum bene consiliandi, & iudicandi, debet dari circa ipsum obiectum alius habitus, scilicet Prudentia, quippe quæ prædictum iudicium, atque consilium exequatur; cùm Prudentia sit recta ratio agibilium; quod non contingit in Logica ob rationes adductas &c.

Obiicitur tandem tertiò: quòd ex communi natura omnium facultatum videmus, quòd quælibet diuiditur in docentem, & vtentem; tamquam in duos habitus specie distinctos; vt patet de Medicina e.g. & arte Cytharizandi, quæ diuiduntur in theoricas, & practicas: ergo ita dicendum est de Logica, quòd alia sit theorica, nempe docens: alia verò practica, scilicet vtens.

Respondetur negando consequentiam: nam, vt constabit in sequentibus, tam Logica docens, quàm vtens sunt vnus, & idem habitus speculatiuus, non autem vnus practicus, speculatiuus alius, sicut contingit in alijs facultatibus: Logica enim vtens non dirigit alias operationes ab intellectu sed ipsas intellectus operationes, sicut Logica docens; quare mirum non est, quòd non sint duo habitus, quemadmodum speculatiuum, & practicum in allegatis, cæterisque facultatibus; sed vnus speculatiuus habitus, modo tamen inferiùs explicando.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Logica sit scientia?

HOc est, ex adductis quatuor, alterum quæsitum, ad quid sit Logicæ spectans, in cuius gratiam præcedentes (prima tantùm excepta) examinatæ sunt quæstiones: quare, vt plenè titulus percipiatur, atque ab eo omnis amoueatur ambiguitas, prænotandum est primò, quòd hic non sumitur scientia indifferenter pro quacunque cognitione; sed strictò modo, nempe in eo sensu, quo locutus est Philosophus 1. Post. cap. 2. videlicet pro *habitu per demonstrationem acquisito*; in qua definitione, Scientia conuenit in esse habitus cum alijs habitibus intellectualibus; in eo autem, quòd sit per demonstrationem acquisitus, differt ab illis: nam eo ipso est euidens, per quod differt à fide diuina, quæ licèt sit omnino certa, est tamen obscura. Et cùm euidentia sit manifestatio certitudinis; ex hoc ipso, quòd scientia est habitus euidens, est etiam certus; per quod differt ab opinione. Insuper, ex hoc, quòd acquiratur per demonstrationem, differt Scientia, à Prudentia, & Arte, quæ versantur circa singularia, de quibus vtique non est demonstratio; & etiam differt ab habitu primorum principiorum, qui pariter solet appellari intellectus, seu intelligentia de quo constat non acquiri per demonstrationem. Secundò quoque prænotandum est, huiusmodi difficultatem procedere tam de Logica docente, quàm vtente: An, scilicet indifferenter sint scientia verè, & propriè?

Prima sententia est Ammonij, Simplicii, Philoponi, atque aliorum, quos secuti sunt Villalp. q. 5. proœm. Zab. lib. 1. de nat. Log. cap. 5. Bald.-Gherardesca 2. parte Log. quæst. 3. q. vnic. diffic. prima, docentium tam Logicam docentem, quàm vtentem non esse scientiam; licèt non eodem modo se explicent.

Secunda sententia est eorum, qui affirmant, tam Logicam docentem, quàm vtentem esse scientiam, vt Murcia q. 3. proœm. Didacus à Iesu q. 5. Cauero. disp. 2. dub. 4. & alij ex modernis.

Tertia tandem sententia est Plat. de Repubb. D. Isid. 2 Ethim. cap. 22 D. August. 8. de Ciuit. cap. 4. D Tho. 4 Met lect. 4. Scot. q. 1. præd. Henr. Gand. p. p. a 7. q. 12. Mastr. & Bell. q. proœm. art. 4. Gosij hic. art. 1. q. 3. & fere omnium, qui docent, Logicam docentem quoad omnes suas partes esse vere, & propriè scientiam; Logicam verò vtentem, non entitatiuè, sed formaliter acceptam, vt scilicet vtens est degenerare non parùm à modo; & ratione scientiæ.

Notandum est primò pro resolutione difficultatis, quòd actus, quos per se primò respicit aliqua scientia, debent quidem esse scientifici, seu demonstratiui: quia talis scientia respectu eorum seruat perfectionem scientiæ, eosque elicit formaliter, vt scientia est. Cæterùm non repugnat ex hoc, eandem scientiam habere aliquos alios actus secundarios, & imperfectos, qui scilicet defectu alicuius requisiti non pertingant ad rationem actus scientifici: nam, cùm non addant aliquam specialem difficultatem supra primarios, sed procedant ex iisdem principiis, ac mediis, sub eadem abstractione à materia, nec non de eadem iudicent conclusione (non vtique per medium necessarium, sicut primarii) non debent requirere alium habitum distinctum, sed debent contineri in virtute eiusdem scientiæ, ad eamque spectare, atque ab ipsa elici, ac fieri; licèt tunc a ratione formali scientiæ, aliquo modo talis scientia recedat, & degeneret. Quod totum in eo patet, qui acquisita iam scientia de aliqua conclusione per medium necessarium, rursus cognoscit eandem per aliquod signum, seu medium contingens.

Notandum secundò, quòd speciali modo præ cæteris facultatibus conuenit Logicæ tales actus secun-

darios, & non scientificos elicere: ratio enim est; quia, cùm Logica sit ministra, & instrumentum aliarum scientiarum, modo tamen inferius explicando; notitiam secundarum intentionum, non omnino propter se ipsas quærit, sed propter res, quarum cognitioni deseruiunt. Et sic oportet, non solùm quòd Logica, dum consideratur à rebus auulsa, habeat actus scientificos, quibus naturam, & passiones suarum intentionum doceat verùm etiam, quòd vtendo eisdem intentionibus, descendat ad ipsas res reales, illisque admisceatur, aliquamque earum notitiam comparet. Quæ quidem notitiæ, siue actus, quamuis à ratione scientifici degenerent, cùm procedant per medium extraneum, & contingens, disponunt tamen, & sunt viæ ad cognitionem scientificam de rebus habendam per alias scientias; vnde in rigore Logica vtens, licèt non sit scientia, non est tamen dicenda propriè ars, sed tantùm analogicè, vt videbitur in sequentibus.

Dicendum est ergo primò, quòd Logica docens quoad omnes sui partes est verè, & propriè scientia. Probatur; quia habitus per demonstrationem acquisitus est verè, & propriè scientia: sed Logica docens quoad omnes sui partes est huiusmodi; ergo quoad omnes sui partes est verè, & qropriè scientia. Maior, & consequentia constant. Minor verò probatur: nam de qualibet parte Logicæ potest aliquid demonstrari; vt de analytica posteriori, quòd demonstratio generet scientiam, cùm procedat ex necessariis: & similiter de definitione, diuisione, ac aliis intentionibus logicalibus, proprias passiones, cum fluant ab earum essentia, & quidditate. De parte verò topica etiam demonstrari potest, quòd syllogismus probabilis generet opinionem, ex eo quòd procedat ex incertis, & contingentibus. Tandem de parte sophistica pariter demonstrari potest, quòd syllogismus pseudographus, & sophisticus generent errorem, & deceptionem, cùm procedant ex falsibus, & apparentibus: ergo Logica docens quoad omnes sui partes est habitusp er demonstrationem acquisitus.

Respondet Baldius Gherardesca loco supra citato ad secundum, demonstrationes in materia logica non esse simpliciter tales; quia non habent necessitatem nisi ex suppositione rei contingentis: nam scire nostrum non est simpliciter necessarium; sed, eo concesso, necessarium est etiam dari talia principia demonstratiua; sicut in artefactis, non est necessarium esse domum; sed si domus construenda est, necesse est fundamenta iacere, &c.

Contra tamen est: quòd illæ demonstrationes sunt simpliciter tales, & non ex aliqua suppositione, quę supponunt aliquod necessarium à natura institutum: sed prædictæ demonstrationes sunt huiusmodi: ergo, &c. Maior est ipsius Baldii loco citato. Minor verò sic probatur: quoniam ideò demonstratio generat scientiam, quia à natura, scilicet ab intellectu, qui est potentia naturalis, statutum est, quòd nostrum scire procedens ex necessariis, sit scientificum: atque ideò syllogismus topicus generat opinionem, quia, à prædicta potentia naturali statutum est, quòd nostrũ scire ex communibus, & probabilibus sit opinio. Sicut, ideò syllogismus sophisticus generat errorem, aut deceptionem, quia à prædicta natura statutum est, quòd nostrum scire procedens ex falsis, aut apparentibus est error, aut fallacia: ergo licèt nostrum scire vt sic non sit simpliciter necessarium; scire autem prædicto modo, nempe, vel ex necessariis, vel ex probabilibus, aut apparentibus, necesse est, quòd sit vel scientia, vel opinio, vel sophisma; quòd vtique sufficit ad scientiam rationalem, quemadmodum est Logica, cùm illi satis sit procedere circa proprium obiectum, demonstratiuo modo.

Respondet adhuc Baldius loco citato ad 3. huiusmodi argumentum conuincere tantùm de necessitate secundùm quid, & ex suppositione finis, seu obiecti non omnino necessarii: cæterùm nullo pacto conuincere de necessitate simpliciter, qualem requirit materia scientifica.

Contra tamen est, quòd in obiectis scientiarum non exigitur necessitas incomplexa, nec de tali loquitur Philosophus 1. Post. cap. 2. vbi talia docet; alioquin, nec Philosophia, nec aliqua cognitio de rebus creatis posset habere rationem scientiæ; cùm omnes secundùm se sint de corruptibilibus; atque ita, tantùm de Deo, Angelis, &c. scientia foret; sed sufficit necessitas complexa, nempe necessitas complexionis, & vnionis alicuius prædicati essentialis cum prædicto obiecto: sed talis necessitas locum etiam habet in entibus rationis, quemadmodum est obiectum Logicæ; ergo prædictæ demonstrationes logicales non sunt omnino ex suppositione obiecti contingentis, sed obiecti aliquo modo necessarii, nempe necessitate complexa, quæ est sufficiens ad materiam scientificam. Maior patet, & consequentia bene deducitur. Minor verò probatur; quia Logica docens considerat syllogismos, definitiones, ac similes intentiones quoad sua prædicata essentialia, & proprias passiones, ex quibus suo modo fiunt prædicationes necessariæ, atquè æternæ veritatis sicut in entibus realibus; vt, quòd genus prædicetur de pluribus differentibus specie; de quocunque dicitur subiectum dicitur quoque prædicatum, &c. ergo prædicta necessitas etiam habet locum in Logica docente.

Dicendum secundò, quòd Logica vtens, licèt entitatiuè sit scientia, vtpote idem habitus cum docente; veruntamen formaliter, vt vtens est, degenerat, & recedit à modo scientiæ. Probatur; quia Logica tantùm dicitur vtens respectu partis topicæ, ac sophisticæ, vt iam ostensum est; sed vsus in istis partibus est constructio syllogismi probabilis, & apparentis, in quibus, licèt forma, & illatio sint necessariæ, materia tamen est contingens, & incerta: ergo Logica in illorum constructione degenerat, & recedit a modo scientiæ. Consequentia patet, quia scientia, quatenus scientia est, non inclinat ad syllogismos probabiles, & apparentes, sed ad necessarios, & demonstratiuos producendos.

Obijcitur primò in contrarium primæ conclusionis auctoritas Aristotelis tum 1. Reth. ad Theod. cap. 2. vbi dicit, quòd nec Rethorica, neque Logica sunt scientiæ. Tum 2. Met. cap. 3., vbi Logicam modum sciendi appellans dicit: Absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi. Tùm denique 1. Met. cap. 1. vbi in scientię diuisione non ponit Logicam: ergo non est scientia.

Respondetur ad primum locum Aristotelis, ibi esse sermonem tantùm de parte topica, vt patet ex contextu. Ad secundum verò locum dicitur, sensum

illo-

illorum verborum esse, quòd non sunt addiscendæ aliæ scientiæ simul cum Logica; quia Logica est, quæ tradit communem modum procedendi in aliis scientijs, & sic debet priùs didici: ex quo nihil sequitur contra conclusionem. Ad 3. denique locum respondetur, Aristotelem in illa diuisione solùm numerasse partes principales scientiæ speculatiuæ, atque, ideò non meminisse Logicæ; non, vtique, quòd ipsa non sit vera scientia, sicut cæteræ, sed quia simul est ministra, & instrumentum earum, vt explicabitur infra.

Obijcitur 2. in contrarium eiusdem conclusionis; quòd scientia debet cognoscere suum obiectum per causam, cùm scire sit rem per causam cognoscere: sed obiectum Logicæ non habet causam; quia ens rationis non habet causam, vt dictum est: ergo Logica non est scientia. Tum etiam, quòd scientia debet esse de obiecto simpliciter scibili; sed obiectum Logicæ non est simpliciter scibile; quia eius obiectum est ens rationis, & scibilitas est proprietas entis realis, quod est simpliciter ens: ergo Logica, &c.

Respondetur ad primam rationem, quòd ens rationis, licèt non habeat causam realem, habet tamen causam rationis; & nullum est inconueniens, quòd effectus rationis habeat causam rationis: præterquamquòd, effectus rationis emanat etiam à causa reali, puta ab intellectu, &c. licèt non primariò, sed secundariò, & per resultantiam, vt dictum est supra. Ad secundam verò respondetur negando Minorem; nam entitas, & scibilitas petuntur à diuerso principio; entitas enim petitur ab esse, quod habet id, cuius est entitas; scibilitas verò ab hoc, quod aliquid habeat proprietates demonstrabiles: vnde potest stare, quòd aliquid non sit ens simpliciter, & sit simpliciter scibile.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum secundæ conclusionis, quòd ex dictis, Logica docens est verè, & propriè scientia: ergo, & Logica vtens, cùm sint idem habitus. Consequentia probatur, tum quia esse scientiam, & non esse scientiam contradictoriè opponuntur; ergo nequeunt de eodem reali habitu verificari. Tum etiam, quia eo ipso, quòd sunt idem habitus, non potest non Logica vtens inclinare in eundem actum, in quem inclinat Logica docens: sed hæc inclinat in assensum verè scientificum: ergo, & illa.

Respondetur negando consequentiam: & ratio adducta tantùm probat, quòd habitus Logicæ vtentis entiatiuè, ac realiter est scientia; non verò formaliter, & reduplicatiuè: Atque ita nullum est inconueniens, quòd idem habitus dicatur esse, & non esse scientiam, comparatione diuersorum actuum, ad quos potest inclinare; quia sic non opponuntur contradictoriè.

Ex quibus omnibus potest elici definitio essentialis Logicæ propter quam omnia præcedentia tradita sunt: ex hac enim quæstione, vbi probatum est esse scientiam habemus genus illius; ex antecedenti verò differentiam: nam cùm scientiæ sumant speciem ab obiecto, & per ordinem ad illud constituantur; prædictum obiectum ponendum est loco differentiæ, de cuius ratione est constituere, quod tamen fit in obliquo, vt detur intelligi, quòd obiectum non est intrinseca differentia scientiæ, cùm hæc tantùm sit ordo, & habitudo ad ipsum. Quare, cùm obiectum Logicæ sint secundæ intentiones, quæ sunt veritatis ostensiuæ, seu modus sciendi latè sumptus, vt dictum est, hæc consequenter erit quiddidatiua Logicæ definitio, *Logica est scientia secundarum intentionum, quæ sunt veritatis ostensiua: vel Logica est scientia modi sciendi latè sumpti*.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Logica sit scientia practica, vel speculatiua?

EXplicato quid sit Logicæ, deueniendum est ad quale sit, quod est in ordine tertium principale quæsitum; & meritò quidem; nam cùm probatum sit, Logicam esse scientiam, statim naturali inclinatione ferimur ad inquirendum qualem scientiam, an scilicèt, speculatiua, vel practica sit. Cuius rei optimè resolutio dabitur, si horum nominum, nempe speculatiuum, & practicum, ex his, quæ in metaphysicis tradi solent, aliquantulum vis perpendatur.

Speculatiuum ergo quod à speculatione trahit originem, idem est, ac contemplatiuum; vnde *Scientia speculatiua illa communiter dicitur, quæ in sui contemplatione sistit, neque vltra in opus ordinatur*. Practicum verò, quod oritur à græco nomine *Praxis*, idem est in tota latitudine sua, ac operatiuum, factiuum, vel actiuum. Sed cùm operatiuum ob sui amplitudinem, etiam complectatur speculatiuum (speculatio enim vera operatio est) vt aliquo modo praxis ab ipso distinguatur, debet tantùm includere in sui significatione illas duas operationes, actionem scilicet (transeuntem tamen) ac factionem, vtpote à speculatione omnino distinctas; itaque *Illa erit scientia practica, quæ circa praxim versatur*.

Licèt autem circa prædicta sit vna communis Doctorum sententia, attamen valdè discriminantur in assignando, quid propriè sit Praxis, & in qua potentia reperiatur, an scilicet, in intellectu vel voluntate? Quare, relicta sententia Molinæ. p. p. q. 1. art. 4. disp. 2. & Vasquez ibidem disp. 8. atque aliorum; cum Scoto q. 4. prologi dicendum videtur, quòd *Praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, posterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi, ad hoc vt rectus sit*. Ex qua profectò definitione tria præcipuè colliguntur. Primum, illas actiones non esse practicas, quæ sunt priores intellectione: vt sunt actiones partis vegetatiuæ, & etiam partis sensitiuæ illæ, quæ antecedunt intellectionem, nec vllam, ab ea habent dependentiam. Secundum autem per ly *alterius potentiæ*, &c. intelligitur volontas; vnde solæ actiones voluntatis sunt practicæ, quæ necessariò sunt posteriores intellectione: nihil enim volitum, quin præcognitum. Duplex autem est actio voluntatis; vna elicita, vt velle, amare, frui, &c. quæ est intrinsecè, & essentialiter practica; alia verò imperata, vt scribere, currere, & quæcunque alia actio, etiam intellectus, quæ sequitur ad imperium voluntatis, atque ita talis actio est tantùm extrinsecè, & secundariò practica; & hoc modo Practicum se extendit non solùm ad operationes voluntatis, verùm etiam

etiam ad quascunque alias operationes, atque actiones, quæ cadunt sub electione. Vnde pariter colligitur Tertium, nimirum, quòd in intellectu essentialiter non reperitur praxis, sed solùm extensiuè: idest, actus intellectus, vt sic, & absolutè consideratus non est practicus, sed tantùm, vel ex eo, quòd cadit sub electione libera voluntatis, quę essentialiter est praxis, sicut cadunt alij actus etiam externi; & sic talis actus à voluntate ordinatur ad operationem alterius: vel ex eo, quòd per prudentiam dirigit praxim, aliasque operationes practicas: Prudentia enim in intellectu est, vt docent Morales.

Quapropter ex his omnibus, vniuersaliter colligendum videtur, quòd Scientia practica est illa, quæ dirigit operationes alterius potentiæ ab intellectu, cùm versetur circa praxim, ad quod profectò non sufficit, quòd obiectum illius sit practicum, sed vltra requiritur, quòd tendat in ipsum practico modo: si enim tenderet modo speculatiuo, non habens pro fine operationem, erit scientia speculatiua, quamuis de re practica. Vnde clarè etiam patet, quòd scientia speculatiua, & practica, fine differunt, & principio: fine quidem (intellige tamen scientiæ, non scientis) quia finis speculatiuæ est cognitio rei, tantùm vt cognoscatur: finis verò practicæ est cognitio rei potiùs vt operetur, quàm vt cognoscatur. Principio verò differunt; quia in speculatiuis principium est in ipsis rebus, nam ab ipsis accipimus cognitionē, quæ ab ipsis mensuratur, vnde res sunt principium, & mensura cognitionis nostræ; in practicis autem, principium est in nobis: nam sumus causa actuum, & rerum, quarum mensura est nostra scientia, & tunc veræ sunt, ac perfectæ, quando conformantur nostrę scientiæ: sicut per contrarium, cognitio speculatiua est vera, quandò rebus ipsis conformatur.

Quibus suppositis, manet soluenda proposita difficultas, quæ non tantùm coarctanda est ad Logicam docentem, sed etiam amplianda ad Logicam vtentem: nam, licèt formaliter vt vtens non sit scientia, potest tamen de ipsa vocari in dubium, an sit habitus speculatiuus, vel practicus, nempe propriè, ac simpliciter ars.

Quatuor in hac quæstione reperiuntur sententiæ, quarum prima est Gerardi de odonis in prol. Ethic. q. 3. apud Maurit. q. 1. vniuer. qui asserit Logicam non esse practicam, nec speculatiuam, sed esse instrumentum ad vtranque; quem secuti sunt Zabar. lib. 1. de nat. Log. cap. 11. & 12. Petrus niger q. 14. art. 6. & alij.

Secunda sententia docet Logicam esse simul practicam, & speculatiuam. ita Vasq. p. p. disp. 8. cap. 5. & disput. 9. cap. 3. Suarez disp. 44. met. Ruu. hic q. 5. Hurt. disp. 2. sect. 2. Toletus ibidem, atque alii.

Tertia verò sententia docet Logicam esse scientiam practicam, quam defendunt Ocham. in prol. sent. vbi Gabriel q. 11. Greg. q. 5. art. 2. Aurel., & alij, quos sequuntur Ponf. tract. 2. cap. 3. q. 2. sect. 4. Conimb. q. 4. procem. art. 5. Auersa q. 1. sect. 6. Arriaga disp. 3. sect. 3. Bal.-Gher. 2. par. Logicæ disp. 1. quæst. 4. q. vnica, diff. 2., & alij.

Quarta tandem sententia est D. Tho. p. secun. q. 57. art. 3. & alibi. Scoti q. 4. prol. quos communiter sequuntur Thomistæ, ac Scotistæ, vt videre est

A apud Compl. hic disp. 1. q. 6. & apud Mastrium, & Bellu. q. procem. art. 5. §. *Altera difficultas*, qui docent Logicam simpliciter, & absolute, tantùm esse scientiam speculatiuam, licèt secundùm quid, & per quandam analogiam, appallari etiam possit practica, & ars.

Notandum est primò; diuisionem intellectus ex Aristotele 3. de Anima cap. 10. atque scientię 6. Met. cap. 2. in speculatiuam, & practicam non esse vtcunque, sed totalem, & adęquatam; nam cognitio practica, & speculatiua rationes contradictorias præ se ferunt; vel enim sistit in contemplatione veritatis, & sic est speculatiua; vel non sistit, sed ordinatur ad opus, & sic est practica: vnde inter istas cognitiones non datur medium neque per abnegationem extremorum, videlicet, quòd sit aliquis intellectus, vel scientia, quæ neque sit practica, neque speculatiua,

B vt docet prima sententia: neque per participationem prædictorum extremorum, ita vt detur intellectus, aut scientia, quæ participando saltèm inadæquatè extrema cognitionis practicæ, ac speculatiuæ, simul sit speculatiua, & practica, vt docet secunda opinio.

Notandum secundò pro maiori explicatione prædictorum; esse implicantiam, quòd duo obiecta, quæ respiciuntur à duabus potentijs, vel habitibus secundùm aliquas duas rationes, adæquatè; secundùm easdemmet respiciantur inadæquatè ab alia tertia potentia vel habitu: sed si respiciantur ab illa tertia potentia, hoc debet fieri sub alia ratione superiori, in qua eminenter, ac virtualiter contineantur & adunentur aliæ diuersæ rationes inferiores, vt patet exemplo, quod adducit D. Tho. p. p. q. 1. art. 3. ad 2. nempe, quòd ex eo, quòd color, & sonus respiciuntur adęquatè à visu, & auditu secundùm proprias

C & specificas rationes, implicat, quòd secundùm easdem respiciantur à sensu communi, etiam inadæquatè; sed debent ab illo respici secundùm aliquam rationem superiorem continentem eminenter rationes particulares obiectorū sensuum exteriorum, nempe, sub ratione sensibilis vt sic; alioquin sensus communis non esset potentia distincta à sensibus esterioribus, sed quid aggregatum ex illis: & ita proportionaliter, practicum, & speculatiuum, eò quòd secundùm proprias rationes conspiciuntur adæquatè ab aliquibus scientiis inferioribus, non possunt secundùm easdem rationes respici ab alia scientia inferiori, qualis est Logica, etiam inadæquatè; quamuis secundùm aliquam superiorem rationem possint ab aliqua scientia superiori, qualis est Theologia, considerari, quæ ob suam excellentiam, & eminentiam in sua ratione formali *qua* Deitatis, & sub ratione *sub qua*

D reuelationis diuinæ, plurima contemplatur vt vnum, quæ diuiduntur secundùm alias rationes particulares in multis scientiis, vt docent Theologi.

Dicendum est ergo primò; quòd Logica non potest esse simul practica, & speculatiua simpliciter: Probatur; quia vnus, & idem habitus scientiæ inferioris, & omnino naturalis nequit esse simul speculatiuus, & practicus simpliciter: sed Logica est huiusmodi: ergo, &c. Minor, & Consequentia constant. Maior verò probatur: nam scientiæ practicæ, ac scientiæ speculatiuæ omnino naturales subordinātur habitibus principiorum essentialiter diuersis, nempe synderesi, & Intellectui, cùm specie differant; ergo vnus,

uire, & idem habitus scientiæ inferioris, & omnino naturalis nequit esse simul practicus, & speculatiuus simpliciter.

Dicendum secundò; quòd Logica simpliciter, & absolutè, tantùm est scientia speculatiua. Probatur, quoniam actus, quos dirigit Logica non sunt praxis; quia non sunt actus voluntatis; sed speculatio: ergo ipsa simpliciter non est practica, sed speculatiua. Antec. de Logica docente patet manifestissimè; de vtente verò sic potest insinuari: nam, licèt vt sic, seu formaliter sumpta deficiat à ratione scientiæ, vt dictum est supra; ideò tamen non est propriè ars, nec in rigore dicenda est practica: siquidem terminatur & ipsa ad actus intellectus, qui non sunt praxis, neque operatur ea intentione, vt operetur, sed vt cognoscat: ergo actus, quos dirigit Logica, siue docens, siue vtens, non sunt praxis.

Confirmatur, quia Logica, neque est factiua, vt de se patet, cùm non versetur circa actiones transeuntes; neque actiua; quoniam hæc versatur circa actiones, vt operationes, quarum principium est electio, quod non reperitur in operationibus, quas Logica dirigit, nisi extensiuè, & per accidens, vt prænotatum est supra: ergo non est scientia practica, sed speculatiua.

Respondet Auersa loco supra citato, parùm referre, quòd actus, quos dirigit Logica non sint praxis, sed actus intellectus; nam ipsa Logica non sistit in contemplatione veritatis de ipso suo obiecto; sed ordinatur ad illud efficiendum: siquidem Logica versatur circa definitiones, syllogismos, ac similes intentiones, quæ sunt à nobis operabiles, & tradit modum, & præcepta, quibus rectè conficiantur; quod est agere de illis modo operabili.

Contra tamen est, quòd licèt in mathematicis sciētiis, quæ vtique sunt speculatiuæ ex Aristotele 6. Met. textu primo, fit constructio alicuius operis, nempe Trianguli, Sphæræ, aut Astrolabii, &c. attamen, quia talis constructio non extrahit illas à contemplatione veritatis, quinimmo, & ipsa constructio ordinatur ad cognoscendam veritatem, non tollit, quòd prædictæ scientiæ non sint speculatiuæ, vt omnes fatentur: ergo cùm Logica dirigat operationes intellectus, & conficiat syllogismos, &c. non quidem, vt operetur, sed vt rectè cognoscat, atque in tali opere efficiendo non intendat opus, sed veritatem, non est, cur non sit dicenda speculatiua.

Dicendum est denique tertiò; quòd Logica, secundùm quid, & per quandam analogiam potest denominari practica, & ars. Probatur: nam Logica in huiusmodi operibus efficiendis habet aliquam similitudinem cum artibus propriè dictis: ergo per quandam analogiam potest denominari practica, & ars. Antecedens patet, consequentia probatur; quia propter eandem rationem, Geometria, & Arithmetica, quæ sunt scientiæ speculatiuæ, appellantur secundùm quid artes, &c. ergo multò magis Logica, quæ, cùm sit magistra, & instrumentum aliarum scientiarum, aliquantulum videtur deficere à rigore cæterarum non habentium tale magisterium; propter quod inter illas non est enumerata à Philosopho. 6. Met. cap. 1.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis quòd Logica non solùm procedit modo resolutiuo ad

A instar scientiæ speculatiuæ; sed etiam modo compositiuo, qui constituit scientias practicas: ergo est simul speculatiua, & practica. Cons. patet. Ant. probatur; quia Logica verè contemplatur naturam, & passiones sui obiecti per resolutionem vsque ad prima principia; simulque introducit formam syllogismi, aut definitionis in materiam: ergo procedit vtroque modo.

Respondetur negando antec. quoad secundam partem. Ad cuius probationem dicitur, quòd quando compositio ipsa, seu introductio formę in materiam non exit extra intellectum, tota ordinatur ad cognitionē veritatis; ac proinde nihil ibi inuenitur praxis, neque à tali compositione denominatur modus ille compositiuus, qui constituit scientias practicas.

B Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis; quòd Logica est communis ianua, & generale quoddam instrumentum ad acquirendas omnes scientias: sed inter has quædam sunt speculatiuæ, & quædam practicæ; ergo Logicæ concedi debet vtraque ratio; speculatiuæ quidem, vt speculatiuis viam aperiat, & practicæ, vt ad practicam introducat.

Respondetur; Logicam non esse ianuam ad scientias practicas, aut speculatiuas, reduplicatiuè, vt practicæ, aut speculatiuæ sunt: sed secundùm quòd sunt scientiæ, eas vtpote dirigens, vt scientificè, & ordinatè procedant, in quo omnes scientiæ conueniunt: ac proinde, bene potest esse, quòd Logica sit ianua ad scientias practicas, absque eo, quòd ipsa practica sit.

C Obiicitur tandem tertiò in oppositum secundæ conclusionis; tum quia, scientia speculatiua est nobilior scientiis practicis, ex Aristotele. 6. Met. tex. 2. Logica verò, cùm habeat obiectum ignobilissimum, & incertissimum non potest esse illis nobilior. Tum etiam, quòd scientiæ speculatiuæ non quæruntur quasi ad aliquid vtiles, sed vt per se honorabiles, vt ex eodem Aristotele 6. Ethic. lect. 6. probat D. Tho.: Logica verò, cùm sit via, & instrumentum aliarum scientiarum, quæritur propter ipsas, vt patet: ergo nequit esse scientia speculatiua.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd, cùm Logica non sit scientia speculatiua principalis, sed ministra, & instrumentum, non est necessarium, quòd simpliciter sit nobilior scientiis practicis D sed sufficit, quòd sit nobilior secundùm quid; ex modo, scilicet, speculatiuè procedendi circa proprium obiectum. Ad secundam verò rationem dicitur, quòd Logica, ex qua parte est scientia speculatiua, verè est propter se appetibilis, vtpote, quæ tradit cognitionem plurium veritatum circa secundas intentiones, quæ cognitio bonum quoddam est & perfectio intellectus; cū quo tamen stat, quòd ex ea parte, qua est ministra, & instrumentum aliarum, quæratur propter illas, in quo deficit à rigore, & perfectione, qua aliæ appellantur theoricæ, & speculatiuæ.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Logica sit pars Philosophiæ.

ANtiquiores Peripatetici, nimis strictè Aristotelis principis literam intelligentes, Logicam à Philosophiæ partibus excludebant, teste Plutarco lib. 1. de placitis Philosophorum cap. 1. Zeno verò cum omnibus Stoicis, quos secuti sunt D. August. 8. de ciuitate Dei cap. 4., ac omnes Philosophi; inter Philosophiæ partes enumerat. Quæ communis, & vniuersalis sententia, vt breuiter, facilèque percipiatur, præcipuè cùm ex dictis satis videatur explicata; duabus tantummodò conclusionibus absoluenda est.

Dicendum est ergo primò, quòd Logica docens est pars Philosophiæ; licèt qua ratione est instrumentum, non sit pars principalis illius, sed aliquid ad ipsam reductum. Probatur prima pars, tum ex illa perantiqua, & recepta apud omnes Philosophiæ diuisione in naturalem, moralem, ac rationalem, per quam Logica intelligitur. Tum etiam ex illa Philosophiæ definitione; nempe, quòd *Philosophia est comprehensio cuiuscunque admirabilis veritatis*. Cùm igitur Logica docens sit propriè scientia, erit quoque cognitio veritatis; & per consequens Philosophiæ pars.

Probatur secunda pars conclusionis; nam scientiæ speculatiuæ sunt de illis rebus, quæ propter se ipsas cognosci quæruntur; sed res, de quibus est Logica, non quęruntur cognosci propter se ipsas, sed vt adminiculum quoddam ad alias scientias: ergo Logica non continetur sub Philosophia, quasi pars principalis, sed tantùm vt aliquid ad ipsam reductum; prout scilicet eidem ministrat instrumenta, vt syllogismos, definitiones, & alia huiusmodi, quibus Philosophia maximè indiget.

Dicendum secundò; quòd Logica vtens formaliter accepta, vt vtens est; non est pars Philosophiæ, simpliciter loquendo; sed tantùm instrumentum. Probatur: nam Logica formaliter, vt vtens, non est scientia; deseruit tamen, modo supradicto, ad scientias: ergo Logica vt vtens non est pars Philosophiæ, cùm Philosophia sit scientia; sed tantùm est instrumentum, &c.

Obijcitur primò in oppositum primæ partis primę conclusionis: nam quod est instrumentum respectu alicuius, non est eius pars: sed Logica est instrumentum Philosophiæ; ergo non est pars eiusdem.

Respondetur huiusmodi argumentum tantùm probare secundam partem eiusdem primæ conclusionis, nempe, quòd ea ratione, qua Logica est instrumentum, non sit principalis pars Philosophiæ; non autem quòd aliquo modo non sit eius pars.

Obijcitur secundò in oppositum eiusdem, quòd Philosophia versatur in consideratione rerum: sed Logica versatur in consideratione secundarum intentionum: ergo non est pars Philosophiæ.

Respondetur, quòd etiam Logica, dum versatur circa secundas intentiones, versatur circa res, sed non reales, bene quidem rationis; quare Philosophia rationalis appellari solet.

A Tertio tandem obijcitur in oppositum eiusdem, quòd partes vnius scientiæ non miscentur inter se, sed ab inuicem separantur: at Logica Philosophiæ est permista: ergo non est pars illius.

Respondetur, quòd Logica docens, inquantum scientia, & pars Philosophiæ est, traditur separata ab aliis partibus Philosophiæ; quamuis, inquantum instrumentum, aliquo modo illis permisceatur. Vnde argumentum probat adsummùm secundam conclusionem: quia Logica vtens, propriè est, quæ singulis scientiis permiscetur.

QVÆSTIO IX.

An Logica sit necessaria simpliciter ad alias scientias acquirendas.

B PRo tituli intelligentia supponendum est primò; aliquid esse necessarium respectu finis consequendi, posse intelligi dupliciter; simpliciter scilicet, & secundùm quid, seu ad melius esse: illud autem dicitur necessarium simpliciter, sine quo finis haberi non potest; quomodò cibus necessarius dicitur ad vitam: & illud dicitur necessarium secundùm quid, & ad melius esse, sine quo finis vtique haberi potest, sed non ita commodè, quemadmodum cibi pretiosi, ac delicati ad vitam degendam.

Secundò supponendum est, scientias omnes, quarum Logica est ianua, sumi posse dupliciter: primò secundùm esse imperfectum, nempe, vt important cognitionem vnius, vel alterius conclusionis tantùm; secundò in esse completo, & perfecto, quatenus scilicet, C integræ, ac perfectæ scientiæ sunt, atque omnium, vel fere omnium conclusionum seriem includunt, quæ in eis demonstrantur.

Tertiò tandem supponendum est, quòd, licèt in præsenti indifferenter sit sermo tam de Logica docente, quàm vtente; tamen ob hoc non quæritur, an ad probandas conclusiones cæterarum scientiarum demonstratiuo modo, Logica vtens sit necessaria simpliciter, nec ne: quia, cùm ex dictis q. 4. non habeat vsum in parte demonstratiua, certum est non esse necessariam, neque simpliciter, neque secundùm quid: sed tantùm quæritur, an, vt vtens est, saltèm sit necessaria simpliciter ad probandas tales conclusiones topico, seu probabili modo.

Circa hoc tres extant sententiæ, quarum prima absolutè negat, Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias, non solùm sub statu imperfecto, D verùm etiam perfecto. Ita Iand. 2. Met. q. 12. Henr. Gand. in Summ. arr. 1. q. 4. Iauell. tract. 1. Log. cap. 4. Mast. & Bell. q. proœm. art. 6. Gosius hic art. 1. q. 1. Bal. Gher. p. p. Log. quæst. 4. q. vnica diff. 1. atque alii.

Secunda verò sententia è contra affirmat, Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias etiam sub statu imperfecto. Ita Arauxo 2. Met. q. 3. art. 3. Gallego. hic controu. 1. & alii.

Tertia denique sententia docet, Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias tantùm sub statu perfecto. Ita D. Tho. opusc. 58. & 70. Ægid 1. Poster. B. Alb. tract. 1. Log. cap. 3. Tolet. hic

hic q. 1. Ruu. q. 1. Ioan. à S. Tho. q. 1. art. 2. Compl. disp. 1. q. 7. & alii.

Quare notandum est, quòd licèt Philosophia, & aliæ scientiæ præbeant facilitatem ad conficiendas definitiones, diuisiones, ac demonstrationes circa suum obiectum; non tamen ad cognoscendam ipsam naturam definitionis, diuisionis, aut argumentationis; hoc enim facit Logica, atque ideò dirigit alias ad definiendum, diuidendum, &c. circa propria obiecta. Vnde, quamuis tales scientiæ semel acquisitæ circa aliquam conclusionem disponant ad cognoscendas alias; hoc tamen non est sine ope, ac directione Logicæ: sicut, licèt virtus Temperantiæ e. g. sit facilitas ad exercendum actus eius; non tamen absque virtute Prudentiæ poterit quis medium Temperantię rectè attingere.

Dicendum est ergo primò, quòd ad acquirendas scientias sub statu imperfecto, Logica non est necessaria simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Probatur: quia ad acquirendam aliquam scientiam sub statu imperfecto sufficit conficere vnam, aut alteram demonstrationem facilem in qualibet materia illius: sed ad hoc non est simpliciter necessaria Logica; ergo nec ad scientias sub statu imperfecto acquirendas. Maior patet ex dictis. Minor verò probatur: nam in scientiis sunt aliquæ conclusiones ita proximè innitentes principiis lumine naturali notis, vt explicatis terminis, nullo negocio tales demonstrationes conficiamus: atque ex alia parte ad cognoscendam bonitatem illationis sic per se manifestæ: sufficit Logica naturalis; ergo Logica artificialis non est simpliciter necessaria ad prædicta.

Dicendum est secundò, quòd ad acquirendas scientias sub statu perfecto, Logica simpliciter est necessaria. Probatur ex eo, quòd nemo potest perfectè scientiam aliquam comparare, nisi sciat conclusiones omnes resoluere in sua principia, cognoscatque bonitatem illationis, necessitatem, & conditionem præmissarum, deceptiones, quæ circa eas solent contingere, & alia plura in libris posteriorum, & alibi explicanda; quæ satis ex se patent, absque Logica artificiali haberi non posse: ergo ipsa est necessaria simpliciter ad scientias acquirendas sub statu perfecto.

Respondent Mastrius, & Bell. loco supra citato, prædictam rationem non probare Logicam esse necessariam simpliciter ad scientias acquirendas, sed tantùm secundùm quid, & ex suppositione; cùm solùm probet esse necessariam ad perfectè, & non ad simpliciter acquirendas: sicut, si quis probaret statum religiosum esse necessarium ad salutem animæ perfectè acquirendam, ex hoc tamen non probaret esse necessarium simpliciter, cùm prædicta salus possit etiam per statum laicalem sufficienter acquiri, licèt non tam perfectè.

Contra tamen est, quòd illud dicitur necessarium simpliciter ad perfectionem rei acquirendam, sine quo prædicta perfectio haberi nequit: sed respectu acquisitionis alicuius scientiæ perfectæ, Logica est huiusmodi; ergo licèt respectu acquisitionis scientiæ vt sic, Logica non sit necessaria simpliciter, vt per allatum exemplum ostenditur, atque in prima conclusione probatum est; attamen respectu acquisitionis perfectæ scientiæ est necessaria simpliciter.

Confirmatur insuper experientia, cùm nullum vi-
A dimus absque Logica in aliis scientiis euasisse consummatum; quinimmo in turpissimos errores, antiquos Philosophos esse prolapsos testatur Aristoteles 1. Poster. cap. 3. & si aliqui fortasse absque Logica Aristotelis, Mathematici, ac Philosophi perfectissimi fuerunt, non tamen absque Logica proprio marte acquisita, vt videre est apud eorum scripta: & quod magis vrget, cùm, vice versa, multos vidimus, & audiuimus solius Logicæ ductu, absque alio magistro, plures scientias perfectè comparasse, vt præ cæteris de D. Augustino testatur Possidonius, qui eum appellat solius Dialecticæ discipulum: ergo signum est, quòd Logica simpliciter est necessaria.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis; quòd vera scientia nequit haberi sine Logica:
B sed scientia imperfecta est vera scientia: ergo nequit haberi sine Logica. Cons. bene deducitur. Minor patet ex eo, quòd sicut animal, licèt imperfectum, est verum animal: ita scientia, licèt imperfecta, erit vera scientia: Maior autem probatur; quia nullus habet veram scientiam alicuius conclusionis, nisi illam sciat resoluere vsque ad prima principia, ex 1. Post. cap. 2. sed absque Logica nemo sit resoluere etiam imperfectè, cùm hoc fit ex difficilioribus, quæ tractantur in Logica: ergo sine illa nequit acquiri vera scientia.

Respondetur negando Maiorem; ad cuius probationem dicendum est, ad resoluendam aliquam conclusionem facilem in sua principia, in quo consistit ratio scientiæ veræ, sed imperfectæ esse sufficientissimam Logicam naturalem, vt dictum est: quare hæc
C solummodò erit necessaria ad resoluendas conclusiones in sua principia, minimè verò Logica artificialis.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis; quòd habitus naturalis non datur ad simpliciter posse, sed ad faciliùs posse: ergo id, quod potest facilè consequi intellectus cum habitu Logicæ artificialis, poterit vtiquè simpliciter consequi sine illo: sed mediante tali habitu potest facilè comparare alias scientias sub statu perfecto: ergo etiam sine illo poterit easdem simpliciter comparare.

Respondetur, prædictum argumentum probare primam conclusionem: nam ex eo, quòd habitus non datur ad simpliciter, sed ad faciliùs posse; probatur consequenter, habitum Logicæ non esse necessarium simpliciter ad acquirendas scientias quoad substan-
D tiam, sed tantùm quoad perfectionem.

Obiicitur tandē tertiò iterum in oppositum primæ conclusionis; qòd Logica est velut quædam causa vniuersalis concurrens ad actus aliarum scientiarum: ergo est omnino necessaria, tam quoad actus perfectos, quàm imperfectos. Cons. patet in Sole, aliisque causis vniuersalibus, quarum concursus necessarius est ad productionem animalium, tàm perfectorum, quàm imperfectorum.

Respondetur negando antecedens: nam Logica non concurrit elicitiuè ad actus aliarum scientiarum, vt dictum est supra q. 4. contra responsionem Mastrii, & Belluti; sed tantùm directiuè, quæ directio solùm necessaria videtur ad actus perfectos, & difficiliores; non autem ad imperfectos, & faciliores, vt cernitur manifestè.

QVÆSTIO X.

Quid sit finis Logicæ tam docentis, quàm vtentis,

VT titulus quæstionis plenè intelligatur, tria scienda sunt. Primò finem esse illum, cuius gratia aliquid fit, atque ideò tres sequentes habere debet conditiones: prima, vt sit quid extremum, cùm finiat: secunda, vt sit quid bonum, verum, vel apparens, cùm appetatur; solùm enim bonum appetitur, ex Phil. 1. Ethic. cap. 1. tertia verò, vt de illo nulla sit consultatio; nam consultatio tantùm est de medijs, quæ nam, scilicet, eorum sint proportionata ad talem finem, ex 3. Ethic. cap. 3. Secundò sciendum est, prædictum finem esse duplicem, nempe proximum, & remotum: proximus est ille, qui proximè terminat, remotus verò, qui remotè. Tertiò tandem sciendum est, vtrunque finem diuidi in finem *qui*, & finem *cui*; primus est, ad quem aliquid ordinatur, medijsque acquiritur: finis verò *cui*, est, cuius gratia finis *qui* acquiritur. Totum autem id patet in medicina: nam si ægrotus ipsam sumit, vt sanitatem adipiscatur, ac Deo inseruiat; tunc sanitas est finis proximus, seruitium Dei est finis remotus; ipsemet verò ægrotus est finis *cui*; nam sibi siue propter se ipsum sanitatem quærit.

Quibus diligenter consideratis; quatuor in hoc quæsito reperiuntur sententiæ; quarum prima est Rodulphi agricolæ 2. de inuentione cap. 3. & aliorũ asserentium finem Logicæ esse probabiliter disserere in omnibus; cui sententiæ non parùm videtur fauere Bald Gber. 2. par. quæst. 4. q. vnica diff. 2. dum expressè docet, Logicam esse habitum instrumentarium practicum seu operatiuum, non autem contemplatiuum syllogismorum.

Secunda est Stoicorum, docentium finem Logicæ esse discernere verum à falso.

Tertia verò est Alexandri, ac cæterorum Græcorum, qui tradunt finem Logicæ esse demonstrationem, seu argumentationem in communi.

Quarta tandem sententia distinguit inter finem proximum, ac remotum, & inter Logicam docentem, & vtentem; ac finem proximum Logicæ docentis docet esse contemplationem proprij obiecti; Logicæ verò vtentis constructionem syllogismorum probabilium, & apparentium; finem autem remotum tam Logicæ docentis, quàm vtentis, tradit esse directionem operationum intellectus, licèt cum aliquo discrimine infra explicando, dum elicientur conclusiones; pro qua sententia citantur fere omnes Doctores.

Notandum est ergo primò pro resolutione, quòd inter scientias aliquæ sunt, quæ dicuntur Reginæ, quæ sunt propter se ipsas, nec ad alias ordinantur, & istæ habent vnum finem tantum, nempe suum obiectum, ad quod per se ordinantur, licèt alias possint esse multi fines scientis: aliquæ verò dicuntur Ancillæ, quæ subordinantur, ac deseruiunt superioribus, & istæ duos habent fines; vnum proximum, siue intrà artem, aut scientiam; alium remotum, siue

A extra artem, aut scientiam: proximus est earum obiectum: remotus verò est obiectum, siue finis scientiæ superioris, ad quam ordinatur: e. g. finis proximus Artis militaris est victoria, remotus verò est pax, quæ est finis Politicæ, ad quam ordinatur militaris.

Notandum secundò, quòd inde sequitur, vt esto Logica sit verè scientia, & Philosophiæ pars; tamen quia instrumentum est, & introductio ad alias scientias, habeat rationem scientiæ inferioris siue ancillæ, cùm præbeat alijs instrumenta, quibus procedunt circa demonstrationes, &c. & consequenter habeat duos fines, videlicet suum proprium, & proximum intrà se; & remotum extra se, finem, scilicet omniũ aliarum scientiarum; non tamen secundùm aliquam

B considerationem vnicuique particularem, & propriã: alias essent quasi infiniti eius fines; sed secundùm aliquam rationem communem, sub qua omnes fines aliarum scientiarum comprehendantur. Cum quo tamen stat, quòd Logica non ita est ancilla, vt sit quasi operans id, quod aliæ imperant, seu vt concurrat efficienter ad earum actus; sed potius è contra, ita vt ipsa dirigat alias, directiuè concurrendo ad earum actus; quare non propriè, ac rigorosè est ancilla, sed potius consiliaria, & pædagogus aliarum; idcirco communiter dicitur Ars artium, Scientia scientiarum.

Dicendum est ergo primò, quòd finis proximus Logicæ docentis est contemplatio, & cognitio sui obiecti. Probatur: nam finis proximus cuiuslibet scientiæ est id, ad quod proximè ordinatur scientia, vt

C patet ex terminis: sed quælibet scientia proximè ordinatur ad cognoscendum suum obiectum: ergo finis proximus cuiuslibet scientiæ est cognitio, ac contemplatio sui obiecti; & consequenter etiam Logicæ docentis, cùm sit scientia.

Dicendum secundò, quòd finis proximus Logicæ vtentis est constructio syllogismorum probabilium, & apparentium, seu disserere in materia probabili, & apparenti. Probatur; quoniam Logica vtens versatur solùm circa partem topicam, & sophisticam, vt dictum est: ergo eius obiectum est constructio syllogismi probabilis, & apparentis: sed obiectum scientiæ, vel artis est eius finis proximus: ergo finis proximus Logicæ vtentis est constructio, &c.

Respondent Aduersarij, quòd syllogismis nequit

D propriè conuenire ratio finis, & conditiones eiusdem, cùm & ipsi ordinentur ad producendam opinionem, vel existimationem obiecti.

Contra tamen est; quòd huiusmodi responsio tantùm conuincit de fine remoto, & vltimo: minimè verò de proximo, & intermedio, de quo est sermo in conclusione; ergo, &c.

Dicendum est tertiò, quòd finis remotus Logicæ docentis est perficere, ac dirigere intellectum in suis operationibus, docendo, & tradendo illi præcepta, vt rectè; ac sine errore procedat in cognitione veritatis circa quamcunque materiam pertinentem ad alias scientias.

Probatur: quia finis remotus scientiæ inferioris, siue ministræ sunt fines proximi scientiarum superiorum, quibus ministrant: sed Logica ministrat omnibus scientijs, vt dictum est: ergo fines proximi omnium scientiarum sunt finis remotus Logicæ: sed fines

nēs proximi ſcientiarum ſunt cognitiones veritatum, quæ circa illarum obiecta tractantur: ergo finis remotus Logicæ docentis erit dirigere operationes intellectus, &c. A

Dicendum eſt tandem quartò, quòd finis remotus Logicæ vtentis eſt vt præceptis Logicæ docentis vtendo, & in actu exercito probabiliter, vel apparenter differendo, dirigat intellectum in ſuis operationibus ad rectè procedendum in acquiſitione opinionis obiecti probabilis, atque exiſtimationis obiecti apparentis.

Probatur eodem modo: nam illud ad quod ordinatur finis proximus alicuius ſcientiæ, vel artis, eſt ex ſupradictis finis remotus prædictæ ſcientiæ, ſiue artis: ſed finis proximus Logicæ vtentis, eſt conſtructio ſyllogiſmi probabilis, & apparentis, vt dictum eſt: ergo conſecutio opinionis obiecti probabilis, & exiſtimatio obiecti apparentis, ad quam ordinatur talis finis proximus Logicæ vtentis, eſt finis remotus eiuſdem.

Obijciunt primò Auctores primæ ſententiæ; quòd Logica definitur, quòd ſit ars differendi: ergo eius finis eſt probabiliter differere in omnibus: definitiones enim ſcientiarum ab earum finibus deſumuntur.

Reſpondetur, quòd Logica tunc definitur à fine remoto: à fine enim proximo definita eſt definitione eſſentiali q. 6. quare negatur etiam conſequentia: nam ſi eſt ars differendi, non ideò ſequitur tantùm probabiliter, ſed etiam demonſtratiuè, & apparenter.

Obijciunt ſecundò Auctores ſecundæ ſententiæ; quòd finis Logicæ ex dictis eſt dirigere intellectus operationes, vt in ipſis abſque errore procedat: ſed hoc eſt diſcernere verum à falſo, vt ex ſe patet: ergo diſcernere verum à falſo eſt finis Logicæ.

Reſpondetur, quòd ſi diſcernere verum à falſo accipiatur pro cognitione veritatis, hoc pertinet ad omnes ſcientias: ſi verò accipiatur pro directione intellectus, vt verum diſcernat à falſo, eſt finis quidem remotus Logicæ docentis, vt dictum eſt.

Obijciunt tandem tertiò Auctores tertiæ ſententiæ; quòd obiectum formale ſcientiæ eſt eius finis: ſed obiectum formale Logicæ eſt demonſtratio, vel argumentatio in communi; cùm ad hæc, omnia, quæ tractantur in ipſa, ordinentur: ergo demonſtratio, &c. ſunt finis, &c.

Reſpondetur ex dictis; nimirum, argumentum ſupponere falſum: ſupponit enim, argumentationem, ac demonſtrationem eſſe obiectum adæquatum, ac totale Logicæ, quod tamen partiale eſt, ac inadæquatum, vt probatum eſt ſupra.

DISPVTATIONIS APPENDIX.

De diuiſione Logicæ, ac methodo ſeruanda.



QVemadmodum lapides, lateres, ligna, & tegulæ, inordinatè proiecta, ad nihil quidem vtilia ſunt; cùm verò deorſum, ac ſurſum ordinantur, tunc Domus benè conſtructa dicitur: ita ſanè in re literaria, licèt omnium eruditionum materies abundet; niſi ordo, & partium interſit diſpoſitio, totum opus, ipſaque *Oratio*, vt verbis vtar Quintiliani, *tumultuetur neceſſe eſt, & ſine rectore fluitet, nec cohæreat ſibi, multa repetat, multa tranſeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio, nec fine propoſito, caſum potius, quam conſilium ſequatur*. Quamobrem, progymnaſmatibus expletis, de operis diſtributione, ac methodo ſeruanda, non quidem Scholaſticorum more, ſtrepitu ſcilicet diſceptationis, cùm id occaſio renuat; ſed documentis, ac monitis Didaſcalicorum ad inſtar, hæc pauca, veluti auctarium quoddam, præſenti diſputationi appendenda congruentiùs duxi. B

Relicta igitur diuiſione illa Logicæ in rationem diuidendi, definiendi, & argumentandi, quam ex Arabibus collegit Boetius; dicendum eſt cum D. Thoma 1. Periher. lect. 1. & 1. Poſt. lect. 1. Logicam eſſe diuidendam in tres partes generales iuxta triplicem operationem intellectus; quarum prima eas ſibi vendicat intentiones explicandas, quæ primæ operationi deſeruiunt, complectiturque Porphyrii Iſagogen, & Ariſtotelis prædicamenta. Secunda verò alias intentiones ſibi attribuit, quibus intellectus ſecunda dirigitur operatio, in cuius ſortem duo Perihermenias, ſeu de interpretatione aſſignantur Libri. Tertia tandem, cui Priorum, Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum Libri adſcribuntur, cæteras intentiones, quibus tertia dirigitur intellectus operatio, ſingillatim conſiderat. C

Circa ordinem, & Methodum in Logica aliiſque diſciplinis ſeruandam, animaduertendum eſt, quòd Methodus, quam alio nomine Veteres dixerunt *Viam rectam*; Quintilianus *Breue compendium*; Ariſtoteles *Modum ſciendi*; ex eodem Ariſtotele 1. de partibus animalium cap. 1. ſub nomine *Peritiæ* ita definitur; *Methodus eſt via communis, & ordinata, qua breuiter, & cum ratione ad optatum finem peruenimus*; vbi hoc conſiderandum eſt, quòd cùm poſſit acquiri veritas non tantùm per rationem, verùm etiam per ſenſum, & experientiam; ideò in allata definitione ponitur, ly *cum ratione*, vt oſtendatur quòd Methodus tantùm conducit ad inquirendam veritatem per rationem, minimè verò per ſenſum, ſiue experientiam. D

Diuiditur autem Methodus in naturalem, arbitrariam, & artificioſam: naturalis eſt illa, quæ procedit ſecundùm regulas infra tradendas: arbitraria verò eſt illa, in qua propter aliquam rationem vrgentem, ordo Methodi naturalis prætermittitur: artificioſa denique eſt illa, quæ de induſtria totum ordinem

dinem peruertit; ita vt, quæ sunt priora, posteriùs, & quæ sunt posteriora, priùs tractentur; sed hæc artificiosa propriè spectat ad Oratores, & Poetas: arbitraria verò non est admittenda, nisi raro, & vrgenti de causa.

Methodus autem naturalis diuiditur in Methodũ compositionis, & resolutionis: compositionis est, dum progredimur à simplicioribus, & prioribus ad magis composita, & posteriora; quod potest contingere quatuor modis. Primo, quando procedimus à simplicioribus ad magis composita; vt ad docendum modum legendi, procedimus à literis ad syllabas, & à syllabis ad vocabula; & in summulis, siue institutionibus priùs agitur de terminis, deinde de propositionibus, tandem de argumentatione. Secundo, quando procedimus à magis ad minùs vniuersalia; vt si disputaturi e. g. de animalibus, priùs ageremus de animalibus in communi, postea de homine, vel aliquo alio speciali animali, quemadmodum obseruauit Philosophus in tota Philosophia. Tertio, quãdo procedimus à causis ad effectum; quemadmodum obseruaret, qui disputando de Lunæ eclipsi, priùs ageret de interpositione terræ. Quarto tandem, quando procedimus à mediis ad finem, quemadmodum obseruat Architectus, incipiens, & ordinans fundamentum; erigens deinde parietes, & tandem constituens tectum, ad quod sequitur secura, & commoda habitatio, quæ est finis operis.

Methodus item resolutionis, contraria procedit via, immo potius est via contraria, qua procedimus à posterioribus ad priora, & à magis compositis ad simpliciora; fitque prædictis quatuor modis, sed vice versa, vt à compositioribus ad simpliciora; à minus ad magis vniuersalia; ab effectu ad causam; & à fine ad media.

Ex his duabus methodis, resolutionis methodus est accommodata ad artes, & scientias inueniendas: etenim ex notione finis artes, ac scientiæ sunt adinuentæ: idcirco Aristoteles ex demonstratione, quæ est quid vltimum in Dialectica, inuenit totam artem: quia enim ad demonstrationem necessariæ sunt propositiones, de ipsis egit in libris Perihermenias, & A quia ad propositiones necessarii sunt termini simplices, de ipsis egit in libro Prædicamentorum.

Methodus compositionis, præcipuè duobus primis modis, apta est ad disciplinas tradendas; cùm enim ars imitetur naturam, teste Aristotele 1. Phys. cap. 3. & hæc in suis operibus progrediatur, vel à simplicibus ad composita, vt patet in elementis, ex quibus procedit ad mista: vel ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia, vt patet in generatione hominis, in qua iuxta doctrinam eiusdem Philosophi 2. de Generatione Animalium cap. 34. priùs embrio est viuens, deinde animal, & postea homo: consequens est, vt quælibet ars, aut scientia tradenda sit methodo compositionis. Huiusmodi ergo Methodi vterque modus in hoc opere seruari debet: nam ab intentio- B nibus rerum simplicium, ad propositiones; & ab his ad argumentationem cum eodem Aristotele deueniendum est, iuxta tres generales illas partes assignatas; & in vnaquaque earum ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia est descendendum.

Ex quibus omnibus tradi solent aliquæ regulæ, vt rectè prædicta compositionis Methodus obseruetur in qualibet materia: prima est vt si res habeat principia, causas, vel elementa, ab illis incipiatur; & ita Aristoteles 1. Phys. disputat priùs de principiis corporis mobilis quàm de ipso corpore mobili agat: secunda, vt quantùm fieri potest ab vniuersalioribus, ad minùs vniuersalia procedatur. tertia tandem, vt etiam quantùm fieri potest, à notioribus nobis, ad notiora natura, & secundùm se procedatur: sic enim præcipit, & obseruat Philosophus in Metaphysica, C vbi acturus de substantiis separatis, priùs agit de materialibus. Dictum est *Quantùm fieri potest*; nam aliquando talia præcepta possunt se impedire: quapropter, dum prædictæ regulæ non se compatiuntur, tunc ratio habenda est eorum, quæ tractantur: non enim æqualiter est in omnibus immorandum, sed quæ sunt principaliora, principaliori, & exactiori modo pertractanda. Similiter ratio habenda est Auditorum, atque eorum captui Methodus est omnino attemperanda. Et hæc de Procemialibus dicta sufficiant.



PRIMA



PRIMA PARS LOGICAE:

DE SECVNDIS INTENTIONIBVS, quibus dirigitur prima intellectus operatio;

IN QVA DISPVTATIONES CONTINENTVR, AC QVAESTIONES, quæ agitari solent, tum in Porphyrij Isagogen, tum Aristotelis Categorias.





CVM prima intellectus operatio sit simplicium apprehensio, tunc sufficienter existimabitur directa, quando res simplices sicut sunt in se apprehendentur. Hoc vtique rectè fiet, quotiescunque rationes genericæ, in quibus vnaquæque res cum alijs conuenit, ac rationes differentiales, per quas ab alijs differt, non erunt ignotæ. Idcirco Philosophus omnes res, quæ in mundo sunt, mirabili artificio ad certa genera reuocauit, assignando insuper eorum species per differentias vsque ad indiuidua. At quia haud facilè foret hæc omnia intimè penetrare, ignorando intentiones generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis; hinc est, quòd Porphyrius in gratiam Crisaorij, cui non satis manifesta ea ipsa videbantur; Isagogen, siue Institutionem, in qua de quinque prædictis intentionibus agitur, edidit, communique beneficio exposuit: vnde emanauit communis Dialecticorum vsus, Libro prædicamentorum, vbi de rebus ab illis intentionibus denominatis agitur, Libellum de quinque vniuersalibus, siue Prædicabilibus Porphyrij præmittendi; quippe qui vsus etiam in præsenti, veluti optimus, ac necessarius, omnino seruandus est.

LIBER PRÆDICABILIVM, EIVSQVE SYNOPSIS.



VOcari communiter solet huiusmodi Liber de quinque vniuersalibus, siue prædicabilibus, quia eius obiectum (quidquid dicant alij) est Vniuersale in communi; non quidem sumptum pro natura illa reali, quæ denominatur vniuersalis, neque pro aggregato ex ipsa, & secunda intentione denominante, sed formaliter, & præcisè pro secunda intentione tantùm: & licèt de tali vniuersali, sicut de cæteris secundis intentionibus, non solùm Porphyrius, verùm etiam omnes loquantur in concreto; non tamen sequitur inde, quòd vniuersale, siue secunda intentio sit aliquod concretum; sed tantùm, quòd cùm Logica non omnino quærat notitiam secundarum intentionum propter se ipsas, sed propter res, quarum cognitioni deseruiunt, cùm vnaquæque intentio sit veritatis manifestatiua; rebus ipsis, tradantur, & explicentur vt adiunctæ.

Diuiditur ergo præsens Liber in tres partes, quarum prima continet proœmium, secunda vniuersalia, siue prædicabilia ipsa; tertia verò comparationem eorundem ad inuicem. Quare in primo capite proponit Porphyrius necessitatem huius tractatus ad prædicamentorum doctrinam acquirendam: deinde ostendit materiam, de qua acturus est, enumerando quinque vniuersalia: ac tandem faciliores quæstiones, altioribus omissis, explicare pollicetur. Appellat autem altiores quæstiones illas, quæ tali indigent inquisitione, qualem Tyrones vix capere possunt de quarum numero (inquit) sunt an vniuersalia

salia in re subsistant, vel in sola intellectus notitia; an corporea sint, vel corporis expertia: an separata, vel in sensibilibus posita.

In secundo capite tradit tres acceptiones generis, duas physicas, & vnam Logicam. Prima physica est, dum sumitur Genus pro collectione aliqua hominum habentium ordinem ad vnum principium; vt Romanorum genus, quod habet ordinem ad Romulum, à quo deriuatur. Secunda acceptio physica est, dum sumitur Genus pro generationis principio, quod trahitur a Patre, vel à Patria, quo sensu dicunt Orestem ducere genus a Tantalo, illum ab Hercule, etenim Hercules, & Tantalus horum fuere Patres: sicut etiam dicunt Pindarum Poetam, genere fuisse Thebanum, Platonem genere Atheniensem: siquidem Patria est vtriusque principium generis, non secus ac Pater. Tertia verò acceptio logica est, dum sumitur genus pro eo, cui supponuntur species; in quo sensu Porphyrius definit Genus dicens: *Genus est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.*

In tertio capite ponit primo loco duas acceptiones Speciei, physicam vnam, Logicam alteram, physica est, dum sumitur Species pro pulchritudine: ac venustate, quo sensu dicitur, quòd præstantissima facies digna est imperio: Logica verò, dum sumitur Species pro eo, quod sub genere collocatur, vt homo sub animali, quare ipsam Speciem in tali sensu definit dicens, esse *Id, quod subijcitur generi, & de quo genus in quid prædicatur.* Item alio modo nempe *quod prædicetur de pluribus differentibus numero in quid;* & subdit hanc secundam definitionem tantùm conuenire speciei infimæ; primam vero etiam conuenire speciebus subalternis. Secundo verò loco docet in quolibet prædicamento esse vnum supremum genus, supra quod scilicet non est aliud; esse etiam speciem infimam, nempe sub qua non est alia species: & tandem esse genera intermedia, quæ scilicet genera simul sunt, & species respectu diuersorum: nam si superioribus comparentur sunt species, si verò inferioribus genera, vt patet in subiecto exemplo.

Extensibilis.—Substantia.—Inextensibilis.

Alterabile. —Corpus. — Inalterabile.

Compositum.—Generabile.— Simplex.

Animatum.—Mistum. — Inanimatum.

Sensibile. —Viuens. — Insensibile.

Rationale. —Animal— Irrationale.

Sortes. — Homo. — Plato.

Tertio loco docet genera suprema esse decem; species verò infimas, licèt sint plures, & plures, habere tamen determinatum numerum, & indiuidua esse infinita, propter quod Plato iubebat à generibus descendere ad species infimas, ibique sistere infinita verò omittere, quia sub scientia cadere non possunt. Quarto tandem loco assignat tres acceptiones Indi-

A uidui, nempe pro aliquo determinato, vt Socrates, Plato, &c. pro aliquo demonstrato, vt hic homo, designato Socrate e. g.; & pro aliquo ex suppositione, seu circumlocutione, vt Sophronici filius, supposito, quòd Socrates fuerit vnicus filius Sophronici. Indiuiduum autem vt sic, seu omnibus commune definit dupliciter, primò ita, *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur*: secundò verò, *quod ex talibus proprietatibus constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet.* Huiusmodi proprietates, seu conditiones indiuiduantes septem sunt, quæ hoc carmine continentur.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Appellantur idcirco indiuiduantes; quia si in vno sunt, collectiuè in alio esse non possunt, vt de se patet.

B In quarto capite enumerat primo loco quinque diuisiones Differentiæ, quarum prima est, quòd differentiarum alia est communis, vt currere; alia propria, vt risibile; & alia propriissima, per quam scilicet, res distinguitur ab aliis essentialiter vt rationale ab homine. Secunda diuisio est, quòd differentiarum alia facit aliud, seu diuersum per se; alia facit alteratum, nempe diuersum per accidens prima est propriissima; secunda communis, & propria. Tertia diuisio est, quòd alia est separabilis, vt moueri, & quiescere; alia inseparabilis, vt aquilinum, & simum; rationale, & irrationale, &c. Quarta diuisio est, quòd prædicta differentia inseparabilis quandoque est per se, vt rationale, quod est de substantia rei, & non suscipit magis, & minùs; quandoque est insepa-C rabilis per accidens, potestque suscipere magis, & minùs; vt aquilinum, & simum. Quinta tandem diuisio est, quòd prædicta differentia inseparabilis per se quandoque est diuisiua generis, vt rationale, & irrationale respectu animalis; quandoque est constitutiua speciei, vt sensibile respectu animalis, & rationale respectu hominis. Secundo verò loco definit Differentiam quinque definitionibus, quarum prima est quod *Differentia est, qua species excedit genus*, cùm species actu contineat differentias, genus verò tantùm potentia. Secunda definitio est, quòd sit *illa, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*; hoc est, essentialiter, licèt non ad modum substantiæ, sed ad modum accidentis seu adiacentis. Tertia definitio est, *quòd sit illa, quæ separat ea, quæ sub eodem genere sunt.* Quarta verò definitio est, quòd D sit *id, quo singula differunt.* Quinta tandem definitio est, quòd sit *illa, quæ ita singula differunt, vt pertineat ad substantiam, & rationem; sitque pars rei cuius est differentia.*

In quinto autem capite quatuor modis accipit Proprium: primo modo pro eo quod conuenit soli speciei, sed non omni indiuiduo eius, vt esse medicum, vel musicum: secundo pro eo, quod conuenit omni indiuiduo, sed non solius speciei, vt esse bipedem: tertio verò modo pro eo, quod conuenit omni indiuiduo solius speciei, sed non semper, vt canescere; quarto tandem modo pro eo, quod conuenit omni, soli, & semper, vt risibile; quamuis enim homo non semper rideat, semper tamen habet ridendi facultatem; & hoc inquit Porphyrius, appellatur maximè Proprium.

In

In sexto capite tradit tres definitiones Accidentis, & vnam diuisionem. Prima definitio est, quòd *Accidens est, quod adest, & abest à subiecto præter subiecti corruptionem*. Statim autem Porphyrius diuidit illud in separabile, vt dormire; & in inseparabile, vt esse nigrum respectu corui, vel æthiopis; quod dicit intelligendum esse tantùm realiter, non autem per intellectum: nam, mente, optimè concipere possumus coruum, atque æthiopem absque nigredine; & sic verificatur allata definitio. Secunda definitio est, quòd *Accidens est id, quod inesse, & non inesse eidem potest*. Tertia denique Accidentis definitio est, quòd *neque sit genus, neque species, neque differentia, neque proprium; sed semper sit in subiecto*.

In capite tandem septimo omnia prædicta prædicabilia inter se prolixè comparat, tradendo in quo differant, quę omnia iam patent ex dictis, ac magis patebunt ex dicendis, cùm ex professo de omnibus disputabitur.

DISPVTATIO II.

De Vniuersali, seu Prædicabili in communi.



VM Vniuersale dupliciter vsurpari possit, nempe absolutè pro animi conceptu à particularibus seiuncto; & respectiuè, idest, quatenus ad ipsa particularia refertur; ex additione illius particulę in titulo appositæ, nempe *Prædicabili*, facilè in cognitionem quis venire poterit, quæstiones de ipso esse examinandas, non in primo sensu, cùm & ipse Porphyrius dicat se abstinere velle à tali inquisitione; sed in secundo, cùm hoc modo valdè conferat ad rectam notitiam Aristotelis prædicamentorum.

QVÆST. I.

Quid & quotuplex sit Prædicatio.



Icèt excitata quæstio sit ad prædicationem limitata, & coarctata; veruntamen quia & ipsa prædicatio, seu prædicabilitas est quædam passio, à secunda intentione naturæ vniuersalis proueniens: nō erit superfluum, immo quàm maximè necessarium videbitur, si ante resolutionem quæstionis nonnulla de quidditate, ac essentia naturæ vniuersalis, tam ex parte materiæ, seu naturæ denominatæ, quàm ex parte formæ, siue prædictæ intentionis denominantis, ex Metaphysica prænotemus; essentia enim sufficienter cognita, innotescunt magis eiusdem passiones, ac proprietates.

Supponendum est ergo, Vniuersale vt sic, aliud esse complexum, aliud verò incomplexum: primum est principium illud generale, seu propositio vniuersalis, in qua veritates alicuius scientiæ fundantur, & in hoc sensu omnis propositio, signo vniuersali affe-

A cta, dicitur vniuersalis; sed de hoc vniuersali non est sermo in præsenti, cùm de ipso agendum sit ex professo secunda, & tertia parte huius operis.

Vniuersale autem incomplexum duplex est, materiale scilicet, ac formale; materiale est natura realis, intentioni vniuersalitatis subiecta; seu cui applicatur per intellectum talis intentio; quod adhuc multiplex est: nam aliud appellatur vniuersale in *causando*, & est illud, quod dicit ordinem ad plura, vt causa eorum; quemadmodum est Deus, aliæque causæ vniuersales; aliud in *repræsentando*, quod est illud, quod ordinatur ad plura, vt exemplar, & similitudo eorū, cuiusmodi sunt ideæ artificis, & species intelligibiles; aliud verò dicitur vniuersale in *significando*, & est illud, quod ordinatur ad plura, vt signum ipsorum,

B quemadmodum sunt voces communes, &c. aliud tandem appellatur vniuersale *in essendo, siue in prædicando*, quod alio nomine vniuersale philosophicum, seu metaphysicum, fundamentale, ac potentiale etiam vocari solet; & est illud, quod est vnum in multis, potestque prædicari de multis, vt animal, homo, &c. & hoc à parte rei non datur seiunctum à suis singularibus, & dicitur simpliciter, & absolutè vniuersale: nam cętera vniuersalia materialia superiùs enumerata, non sunt propriè vniuersalia, cùm entitatiuè, & simpliciter sint singularia, vt per se constat; solumq; dicuntur vniuersalia, quia vel causant, vel repręsentant, vel significant plura.

Vniuersale verò formale est relatio ipsa vniuersalitatis, quæ vtique forma est, à qua prædicta natura realis, denominatur vniuersalis, quæ forma vocatur

C secunda intentio, seu relatio rationis, per quam refertur talis natura ad indiuidua; quare alio nomine etiam appellari solet vniuersale logicum, siue actuale; & non reperitur in rebus, sed tantùm est obiectiuè in intellectu, vt dictum est in proœmialibus.

Prædicto vniuersali incomplexo, præ cæteris minoris notæ duæ assignari solent proprietates, scilicet *esse perpetuum*; & *esse prædicabile*; quarum prima, cùm illi conueniat ratione materiæ, seu naturæ denominatæ (ipsę namque vniuersales naturæ sunt, & dicuntur perpetuæ) alibi examinabitur vbi de ipsis quæretur, an, & quomodo sint perpetuæ, atque æternæ: Secunda verò, cùm illi conueniat ratione formę (ipsa enim secunda intentio vniuersalis est prima radix, & ratio, quare prædictæ naturæ reales prędicantur de

D inferioribus) explicabitur in præsenti; cùm spectet ad Logicam, more aliarum scientiarum, agere de proprietatibus, & passionibus proprij obiecti, cuius pars est etiam prædicta relatio vniuersalitatis, quæ est relatio rationis, vt dictum est.

Tandem supponendum etiam est, quòd cùm prædicta prædicabilitas sit potentia, seu aptitudo naturæ, vt prædicetur de inferioribus, eisque attribuatur per actualem prædicationem, vt ex supradictis patet; plena, & integra eius cognitio erit omnino dependens ex notitia, & cognitione prædicationis: quamobrem priusquam accedamus ad disputandum de singulis prædicabilibus, quæ nil aliud sunt, quàm prædicabilitates quædam in concreto; idcirco quæritur in præsenti, quid, & quotuplex sit talis prædicatio; Et cùm in hac re omnes Doctores conueniant; breuiter, ac immediatè per has conclusiones respondendum est.

Di-

Dicendum est ergo primò, quòd *Prædicatio est attributio, seu oratio enunciatiua, in qua prædicatum attribuitur, vel enunciatur de subiecto*. Probatur; quoniam actus est perfectio potentiæ: ergo, si prædicabilitas, quæ est potentia, est aptitudo naturæ, vt prædicetur de inferioribus; prædicatio, quæ est eius actus, erit enunciatio, in qua prædicatum enunciabitur de subiecto, siue inferioribus. Probatur consequentia: nam posse prædicari, siue enunciari de inferioribus perficitur per actualem prædicationem, seu enunciationem prædicati de subiecto.

Dicendum secundò, quòd Prædicatio generaliter diuiditur in identicam, disparatam, & mediam. Probatur: nam cùm prędicatio nil aliud sit, quàm enunciatio prædicati de subiecto; quot modis generaliter enunciabitur prędicatum de subiecto tot erunt generaliter prædicationes: sed tribus tantùm modis prædicatum generaliter enunciatur de subiecto: ergo, &c. Maior patet. Minor verò probatpr: nam vel prædicatum enunciatur de subiecto vt habens identitatem cum ipso, & sic est prædicatio identica, vt homo est homo; vel vt nullam habet cum ipso connexionem, sed repugnantiam, & hæc est prædicatio disparata, vt homo est lapis; vel tandem vt aliquam habet cum ipso connexionem, licèt non identitatem, & sic est prædicatio media, vt homo est animal: Sed cùm præter istos modos enunciandi nullus alius sit assignabilis, vt patet: ergo tribus tantùm modis prædicatum, &c.

Dicendum est tertiò, quòd Prædicatio media subdiuiditur in directam, & in indirectam. Probatur; quia duobus tantùm modis prædicatum potest habere connexionem cum subiecto, de quo enunciatur; vel scilicet vt quid superius aut saltèm æquale, & vt forma à parte rei, vt dum dicitur homo est animal; vel vt quid inferius, & vt materia à parte rei, vt dum vice versa dicitur animal est homo: sed primo modo constituitur prædicatio directa; secundo verò indirecta, vt patet: ergo prædicatio media, in qua prædicatum habet prædictam connexionem, subdiuiditur in directam, & in indirectam.

Dicendum est quartò, quòd sola prædicatio directa est propriè, & absolutè prædicatio, propriè que ad scientiam pertinet. Probatur; quia propriè, & absolutè illa dicenda est prædicatio, & ad scientiam pertinens, in qua prædicatum habet connexionem cum subiecto vt quid superius, & forma illius: sed sola prædicatio directa est huiusmodi: ergo, &c. Minor patet. Maior verò probatur; nam cæteræ prædicationes enumeratæ vel non pertinent ad scientiam, vt sunt identica, & disparata; vel reduci debent ad directam, vt præcipue patet de indirecta: ergo propriè, & absolutè tantum prædicatio directa est dicenda prædicatio, &c.

Dicendum est deniquq quintò, quòd Prædicatio formalis, & directa subdiuiditur in essentialem, & accidentalem. Probatur; nam vel prædicatum in ipsa est forma substantialis, vt dum dicitur homo est rationalis; vel forma accidentalis, vt dum dicitur homo est risibilis: si primo modo, constituitur prædicatio essentialis: si secundo, accidentalis: ergo cùm præter hos modos nullus alius sit assignandus, quo prædicatum possit esse forma, vt patet; prædicatio formalis, & directa optimè subdiuiditur in essentialem. &c.

Obiicitur primò dictum Porphyrii capite de specie, dum ait. *Nam aut paria de paribus, aut maiora de minoribus prædicentur oportet, minora vero de maioribus non oportet*: sed talis prædicatio, ac similes sunt tantùm directæ: ergo præter talem prædicationem directam non est assignanda aliqua alia prædicatio.

Respondetur, prędictum argumentum tantùm probare quartam conclusionem: ita enim intelligunt Porphyrium Interpretes.

Obiicitur secundò, quòd hæc prædicatio, scilicet Hoc animal est homo, est vera prædicatio: sed ad nullam reducenda est ex assignatis, vt patet, cùm de ipsa neque explicitè neque implicitè facta sit mentio: ergo Prædicationis non sunt determinatæ species.

Respondetur, quod si per *hoc animal* designetur aliquis homo singularis, tunc illa est prædicatio directa: si verò significetur aliquis leo, aut aliud brutum, erit prædicatio disparata ratio enim est, quia ad hoc vt cognoscamus propositionem esse directam, vel indirectam, debemus respicere ad suppositionem, nimirum aduertere pro quo supponat illius subiectum.

Obiicitur tandem tertiò, quòd illæ propositiones in quibus vnum accidens in concreto prædicatur de alio similiter in concreto considerato, vt album est dulce, dulce est album, &c. non sunt reducibiles ad aliquam speciem prædicationis ex prædictis: ergo tales species non sunt rectè assignatæ.

Respondetur, quòd prædictæ prędicationes in concreto sunt directæ, licèt si fierent in abstracto, essent disparatę: & ratio est, nam cùm concreta importent simul formam, & materiam obseruandus est locus, vbi prędicta concreta situantur in talibus propositionibus: quare si ponantur, & situentur in loco subiecti, habent rationem materię, si verò in loco prædicati, habent rationem formæ, vt magis patebit in sequentibus. Abstracta verò, cùm tantùm formam importent, & vna forma nequeat habere connexionem cum alia; non possunt constituere nisi prędicationem disparatam.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in nominibus primæ intentionis concreta prædicentur de concretis.

PRo tituli declaratione supponendum est, quòd cùm prima intentio sit, quãdo intellectus cognoscit res secundùm id quod habent à parte rei, vt dum cognoscit hominem esse animal, equum esse hinnibilem: nomina concreta prædictę intentionis erunt homo, animal, equus, &c. de quibus modo quęritur an vnum prædicetur de alio, siue prędicta nomina sint substantialia, vt homo, animal, &c. siue accidentalia, vt album, & coloratum; siue vnum substantiale, aliud verò accidentale, vt homo, & album: ita vt hę propositiones sint verę, homo est animal, album est coloratum, homo est albus, &c. Excluduntur tamen ab hoc quęsito sicut à sequentibus præter prædicationes identicas, & disparatas, prædicationes indirectæ, atque propositiones negatiuæ.

Qua

Qua in re cùm omnes Doctores affirmatiuæ parti A adhæreant, haud valdè immorandum est.

Dicendum est ergo, quòd propositiones, in quibus concreta de concretis prædicantur, siue concretum sit substantiale, siue accidentale, sunt veræ, ac concedendæ. Probatur; quia concretum significat formam cum alijs permistam, & sumitur vt totum, vnde non præscindit etiam ex modo significandi ab alijs, quæ inueniuntur vel in eodem suppositio, vel in eodem subiecto: sed in prædictis propositionibus omnia illa, quæ per ipsas enunciantur, vel sunt in eodem supposito, vel in eodem subiecto, nec significant cum præcisione aliorum, sed potiùs sumuntur vt tota, permistè continentia quid quid est in alijs: ergo inter talia vera, & recta est prædicatio.

Objicitur primò quòd ista propositio, nempe intellectuale est corporeum, est quidem falsa, vt patet B de natura angelica: ergo etiam falsum est, quòd vnũ concretum prædicetur de alio in nominibus primæ intentionis.

Respondetur destinguendo antec. nam si ly intellectuale supponat pro natura angelica, vt probat argumentum, concedendum est: si verò pro natura humana, negandum est: nam verum quidem est, quòd homo, qui est intellectualis, est etiam corporeus: quare neganda est consequentia; nam in præsenti sermo tantùm est de prædicatione media, & directa; vnde excludenda est disparata, & indirecta, qualis esset, si intellectuale supponeret pro natura angelica.

Objicitur secundò, quòd pars nequit verè prædicari de toto: sed animal e. g. est pars hominis, & coloratum albi; ergo talia concreta nequeunt prædicari de alijs concretis. C

Respondetur, quòd animal, & coloratum possunt dupliciter considerari, nempe vel vt sunt partes actuales hominis, & albi; vel vt totum potentiale contrahibile per hominem, & leonem, &c. aut per album, & nigrum, &c. primo modo conceditur, quòd sint partes, &c. non autem secundo modo, vt accipitur in præsenti: nam hoc modo sunt quid superius ad hominem, & leonem, ad album, & nigrum; continentque in potentia rationalitatem, ac rugibilitatem; disgregationem, ac congregationem visus.

Objicitur tandem tertiò, quòd nihil potest prædicari de alio, nisi contineat illud: sed vnum concretum non continet, quid quid est in alio: ergo vnum concretum non potest prædicari de alio. Minor probatur: quia homo e. g. addit supra animal rationale; & D album addit supra coloratum propriam differentiam albedinis nempe disgregare visum.

Respondetur negando antec. quia animal, vt totum potentiale continet in potentia quoque rationalitatem, vt dictum est; quod pariter affirmandum est de colorato.



QVÆSTIO III.

An in nominibus primæ intentionis abstracta tam substantialia, quàm accidentalia verè prædicentur de abstractis.

PRo tituli intelligentia supponendum est, abstractionem duplicem esse; totalem, seu vniuersalem vnam; formalem, seu præcisiuam alteram: prima est, qua vniuersale abstrahitur à particularibus, vt animal ab homine: secunda verò est per quam forma, seu id, quod habet rationem formæ, abstrahitur à materia, seu ab eo, quod habet rationem materiæ, vt humanitas ab homine, albedo ab albo. A prima abstractione verè, & propriè nomina non appellantur abstracta: nam homo animal, viuens, &c. verè, & propriè sunt nomina concreta; sed tantùm à secunda abstractione, vt constat.

Quo supposito, vt certa ab incertis secernantur, pro certo in primis tenendum est, prædicationes, quæ fiunt inter abstracta accidentium, quorum vnum est de essentia alterius, esse omnino veras, & formales; vt si dicatur. Albedo est color, color est qualitas, Logica est scientia, &c. accidentia enim ita significata propriè ponuntur in prædicamento, suntque entia per se atque completa, & habent propriè genera, & species, vt videndum est infra suo loco.

Secundò, etiam pro certo tenendum est (loquendo de abstractis substantialibus) quòd omnes illæ propositiones sunt omnino falsæ, in quibus abstractum, quod ponitur loco prædicati, non pertinet ad essentiam abstracti, quod ponitur loco subiecti, vt humanitas est risibilitas: rationalitas est animalitas, & è contra: ratio enim est manifesta; nam quando prædicatum non est de essentia subiecti, non potest prædicari de illo in quid, sed tantùm in quale, & consequenter prædicatio erit accidentalis. Vt autem prædicatio accidentalis sit vera, prædicatum debet significari adiectiuè, seu per modum alteri adiacentis; quod vtique non contingit, quando prædicatum significatur in abstracto. Ob quam rationem erit quoque falsa illa propositio, in qua abstractum differentiæ prędicatur de abstracto speciei, vt si dicatur humanitas est rationalitas, &c. nam licèt differentia sit de essentia speciei, tamen quia prædicatur in quale quid, hoc est non substantiuè, sed per modum adiacentis, non debet poni in abstracto.

Tertiò tandem pro certo tenendum est, quòd cùm differentia formaliter non includat genus, vt dicetur suo loco: illæ propositiones erunt falsæ, in quibus abstractum generis prædicabitur de abstracto differentiæ, vt cùm dicitur, rationalitas est animalitas, &c. Item cùm differentia infima non includat formaliter differentias superiores, & cùm istæ de illa debeant prædicari per modum adiacentis; illę pariter propositiones erunt falsæ, in quibus abstractum differentiæ superioris prædicabitur de abstracto differentiæ inferioris, vt quando dicitur rationalitas est sensibilitas, &c.

Tota ergo difficultas reducitur ad abstracta sub-

stantialia, quorum vnum est de essentia alterius, & prædicatur in quid; vt quando de humanitate prædicatur animalitas, vel quilibet alius gradus genericus: vnde quærimus, an sicut hæ propositiones in concreto sunt veræ homo est animal; animal est corpus, &c. ita etiam istæ in abstracto, humanitas est animalitas; animalitas est corporeitas, &c. Procedit autem ista difficultas in sensu formali: nam in sensu identico certum est apud omnes esse veras: siquidem ipsa res, quæ est humanitas, est eadem res, quæ est animalitas, aut corporeitas.

Prima sententia est negatiua, quæ defenditur à Scoto in 1. sent. dist. 2. q. 7. & dist. 5. q. 1. Nipho 3. Met. q. 2. Mastr. & Belluto hic disp. 10. q. 3. art. 2. Ruu. tract. de prædicat. n. 14. atque ab aliis non paucis.

Secunda verò sententia est affirmatiua, quam tenent, & defendunt Sotus q. 3. Sanch. lib. 3. q. 13. Suarez disp. 6. Met. sect. 10. Masius sect. 4. de vniuer. q. 6. Didacus à Iesu disp. 3. q. 2. dub. 2. Complut. disp. 4. q. 4. §. 2. & alii.

Notandum est ergo primò pro resolutione difficultatis, quod tam abstracta substantialia, quàm accidentalia præcisè secundùm abstractionem formalem, seu præcisiuam, quam inuoluunt, nullum dicunt ordinem ad inferiora, sed tantùm ad concretum, vel suppositum, à quo abstracta, & separata sunt: non enim dicitur color alicuius albedinis est color, sed alicuius colorati: nec item dicitur, animalitas, alicuius humanitatis est animalitas, sed alicuius animalis: nam abstracta sic considerata non habent rationem totius, sicut debet habere id, quod dicit ordinem ad inferiora: sunt etenim tantùm actus, & forma respectu eorum, à quibus sic abstrahuntur, vnde significantur per modum partis, vel vt quo aliquid est tale. Quapropter nullum abstractum præcisè ratione talis abstractionis formalis potest prædicari de aliquo, nisi quoque interueniat abstractio vniuersalis, modo tamen statim explicando.

Notandum est idcirco secundò, quòd sicut non repugnat, abstractum accidentale simpliciter habere rationem totius, & secundùm quid rationem partis respectu compositi, & concreti accidentalis: ita non erit absurdum, abstractum substantiale simpliciter habere rationem partis, & secundùm quid rationem totius respectu compositi, & concreti substantialis. ratio enim est; quia non minus per abstractionem formalem, & præcisiuam abstractum accidentale habet rationem partis secundùm quid, quam abstractum substantiale rationem partis simpliciter: vnde sicut ex eo, quod abstractum accidentale habet rationem partis secundùm quid, non impeditur, quòd vltra non sit capax alterius abstractionis, nempe abstractionis vniuersalis, atque ita simpliciter habeat rationem totius: ita ex eo, quod abstractum substantiale habet rationem partis simpliciter respectu compositi, & concreti substantialis, nullum erit impedimentum, quo reddatur incapax alterius abstractionis nempe vniuersali, ac secundùm quid habeat rationem totius. Quapropter sicut abstractum accidentale, vt habet simpliciter rationem totius, habet etiam continentiam confusam suorum inferiorum, & de illis prædicatur; ita & abstractum substantiale, vt habet prædictam rationem totius secundùm quid, habebit etiam continentiam confusam suorum inferiorum, ac de illis prædicabitur.

A Dicendum est ergo primò, quòd abstracta substantialia, prout important abstractionem formalem, seu quatenus sumuntur cum præcisione suorum inferiorum, non possunt de illis prædicari. Probatur, quoniam nulla pars potest prædicari de toto, vt explicandum est disput. de prædicato Generis: sed abstracta substantialia, prout important prædictam abstractionem, & præcisionem, sunt partes respectu suorum inferiorum, vt notatum est primo loco: ergo nequeunt de illis prædicari.

Dicendum est secundò, quòd huiusmodi abstractis non repugnat, seruata eorundem natura, sumi absque tali præcisione, & prædicari de inferioribus. Probatur: nam ad veram prædicationem de inferioribus

B sufficit prædicatum aliquo modo habere rationem totius respectu illorum, atque ea continere in confuso: sed hoc non repugnat prædictis abstractis: ergo neque ipsis repugnat, seruata eorundem natura, sumi absque præcisione, ac prædicari de illis. Maior constat ex dictis. Minor verò probatur; quia ex vi abstractionis formalis, quam essentialiter exigunt huiusmodi abstracta, tantùm præscinduntur à concreto, siue à supposito, & significantur vt partes illius: sed cum tali abstractione formali, & præcisione respectu concreti non repugnat aliqualis abstractio vniuersalis, & continentia confusa respectu inferiorum: ergo illis non repugnat habere rationem totius respectu suorum inferiorum, eaque continere confusè.

C Dicendum est tertiò, quòd tales prædicationes abstractorum substantialium, non per se, & simpliciter, sed tantùm secundùm quid, & per reductionem pertinent ad prædicabilia. Probatur; quoniam abstracta substantialia secundùm se, & simpliciter non sunt quædam tota, sed tantùm secundùm quid, cùm sint simpliciter partes: ergo eorum prædicationes non simpliciter, sed tantùm secundùm quid spectabunt ad prædicabilia. Consequentia patebit ex dicendis: nam prædicationes, quæ spectant ad prædicabilia, debent esse entium per se, & completorum, non autem partium, siue entium partialium, & incompletorum. Antec. autem probatur: nam huiusmodi abstracta significantur vt partes compositi substantialis: ergo simpliciter conuenit illis esse partes, & per consequens secundùm quid tantùm possunt induere rationem

D totius. Et probatur hæc consequentia ex differentia compositi substantialis, & accidentalis: illud enim, cùm sit ens per se, & simpliciter vnum & totum; componitur necessariò ex partibus, quæ simpliciter partes sunt, & consequens nunquam erunt simpliciter tota, sed tantùm secundùm quid: at verò compositum accidentale, quia est ens per accidens, secundùm quid tantùm est vnum, & totum; & consequenter partes eius, secundùm quid tantùm erunt partes, simpliciter autem quædam tota: ergo quod significatur vt pars compositi substantialis, qualiter significatur abstractum substantiale, ex modo significandi simpliciter erit pars, & per consequens non poterit esse simpliciter totum, sed tantùm secundùm quid: sicut, quod significatur vt pars compositi accidentalis, qualiter significatur abstractum accidentale, quia tantùm est pars secundùm quid, optimè poterit esse simpliciter totum.

Ob-

Obiicitur primò, tantùm in contrarium secundæ conclusionis, cùm in ipsa maximè sit difficultas, quòd Auicenna, vt refert D. Thom. cap. 3. & 4. de ente, & essentia, ait: *Equinitas tantùm est equinitas*; vnde non est animalitas: ergo abstracta substantialia non prædicantur inter se, quando vnum est de essentia alterius.

Respondetur, in illa propositione Auicennæ non excludi à subiecto prædicata essentialia, & generica, vt est animalitas respectu equinitatis, sed omnia alia, quæ non conueniunt naturæ secundùm se, sicut esse vniuersale, vel singulare: atque ita sensus illius est equinitas tantùm est equinitas, hoc est de se non habet prædicari, vel subiici; aut quòd sit vniuersalis, vel singularis.

Obiicitur secundò, quòd omne abstractum abstractione formali, nec actu nec potentia includit id, à quo abstrahitur, quinimmo potiùs illud excludit: siquidem prout sic comparatur ad illud vt pars ad suam compartem: ergo vt sic nequit prædicari, &c.

Respondetur huiusmodi argumentum tantùm probare primam conclusionem; ex qua vtique non sequitur abstractum esse incapax alicuius abstractionis vniuersalis, ratione cuius etiam habeat rationem totius respectu suorum inferiorum, vt patet in abstractis accidentalibus.

Obiicitur tandem tertiò, quòd animalitas e. g. est illa ratio formalis, qua constituitur animal vt sic, sicut humanitas est ratio formalis constitutiua hominis vt sic, vt communiter docent Philosophi: sed ratio formalis constitutiua animalis vt sic, non est ratio formalis constitutiua hominis vt sic; alias, esse animal, esset formaliter homo, quod est absurdum: ergo ista abstracta substantialia non prædicantur inter se.

Respondetur, quòd animalitas, & humanitas sub ratione constitutiui præcise animalis, & hominis sumuntur vt abstracta abstractione formali, & sic non possunt prædicari, vt dictum est in prima conclusione; temen non repugnat illis aliqua abstractio vniuersalis. Hoc autem ignorandum non est, quòd licèt tam concreta, quàm abstracta substantialia comparata inferioribus, possint sumi, vel cum omnimoda præcisione, vel sine illa: attamen propter eorum naturam frequentiùs abstracta sumuntur cum tali præcisione; concreta verò sine illa. Ex quo fortasse in aliquo decipiuntur Auctores, qui contrariam defendunt sententiam.

QVÆSTIO IV.

An in prædictis nominibus primæ intentionis concreta prædicentur de abstractis, & abstracta de concretis.

PRo maiori explicatione huius difficultatis, antequam ad ipsius resolutionem accedamus, nonnulla de concretis, & abstractis, quæ variis in locis præcedentium quæstionum reperiebantur dispersa, non erit inutile congregare; cum hoc præcipuè modo ordo confusionem adimat, ac repetitio memoriam

A consolidet.

Sciendum est idcirco concreta, & abstracta in aliquo conuenire, sed in multis differre: conueniunt quippe, quia eandem prorsus rem significant, album enim e. g. licèt non tantùm importet formam, verùm etiam subiectum, tamen in recto importat tantùm formam, cùm subiectum importet in obliquo. Differunt autem ex modo significandi talem rem, seu formam: nam concretum ipsam significat vt alteri adiacentem, idest connotando subiectum; abstractum verò per modum substantiæ, seu per se stantis. Differunt insuper ex prædicto modo significandi adhuc tripliciter: primò, quia abstracta sunt talia per se ipsa; nam albedo per se ipsam est albedo: concreta verò sunt talia per abstracta; album enim est tale per

B albedinem. Secundò, quia abstracta denotant formas simplices, puras, & impermistas; albedo enim solam albedinem significat sine permistione alterius qualitatis: concreta verò significant formas sine præcisione aliarum qualitatum, cum quibus permistæ sunt, vt album significat albedinem in subiecto, in quo etiam reperiuntur quantitas, calor, &c. & hæc est radix quare abstracta diuersarũ specierum nequeunt inter se prædicari etiam si reperiantur in eodem subiecto: hæc enim est falsa, Albedo est dulcedo, quãuis vtraque existat simul in lacte; cùm tamen earum concreta de se mutuò prædicentur: verè enim dicitur; Album est dulce; Dulce est album. Tertiò denique differunt, quia abstracta sumuntur vt partes; concreta verò vt tota: quamuis enim vtraque nomina significent eandem rem; quia tamen ex modo signi-

C ficandi abstractum significat vt quo aliquid est: concretum verò vt quod habet formam; inde est, quòd abstractum ex modo significandi sumitur vt pars formalis respectu concreti: concretum verò vt totum compositum ex subiecto, & accidente. Et hæc est tota radix quare abstracta, formaliter cum præcisione sumpta, nequeunt prædicari de concretis, cùm nulla pars prædicetur de toto, vt dictum est superiùs.

Cùm omnes Doctores in re, ac substantia conueniant, in modo verò explicandi paulisper differant, pro recta solutione difficultatis notandum est, quòd tunc abstractum ex modo significandi sumitur propriè vt pars, quando concretũ includit aliquid aliud præter ipsum abstractum, vt contingit in humanitate respectu hominis, in albedine respectu albi, & si-

D milibus: homo enim præter humanitatem includit personalitatem seu suppositum; & album præter albedinem includit subiectum; quare nequeunt ad inuicem prædicari, cùm nec pars in recto possit prædicari de toto, nec totum de parte; quòd si contingat è contra, nimirum quòd concretum nihil aliud includat præter abstractum, vt docent Theologi de Deitate respectu Dei, & Metaphysici de Entitate respectu entis, &c. tunc propter omnimodam identitatem realem vtriusque poterit vnum de altero prædicari. Cum quo tamen stat quòd propter modum significandi diuersum tali abstracto conuenit esse rationem, qua concretum est tale: nam de Deitate verè dicimus esse rationem, qua Deus est Deus, quod tamen de concreto, scilicet de Deo affirmare prohibemur: falsum enim est, Deum esse rationem Deitatis, vt rectè docent Theologi.

Dicendum est ergo, quòd estò in prædicatis generali-

ralibus, atque diuinis abstracta verè prædicentur de concretis, & è contra; id tamen repugnat in rebus creatis, & prædicatis particularibus: vnde hæ propositiones sunt falsæ, Homo est humanitas, Albedo est alba, &c. & è contra.

Probatur; quia inter prædicatum, & subiectum debet esse vnitas, seu identitas realis; sed quando concretum includit aliquid aliud præter abstractum, vt contingit in rebus creatis, & particularibus, non sunt idem realiter concretum, & abstractum, sed distinguuntur distinctione reali includentis, & inclusi: ergo repugnat, quòd ad inuicem prædicentur.

Confirmatur; quoniam in his rebus abstractum verè, & propriè est pars concreti; quod non contingit in prædicatis generalibus, & diuinis: ergo licèt in his concretum verè prædicetur de abstracto, & è contra; in aliis verò id omnino repugnat.

Obiicitur tamen hoc tantùm in contrarium, cùm cætera, quæ obiici solent, facilè ex dictis dilui possint nimirum, quòd huiusmodi propositiones sunt veræ, Linea est quanta; Superficies est quanta, &c. easque libenter admittunt Dialectici ergo non solùm in prædicatis transcendentalibus, ac diuinis, verùm etiam in prædicatis particularibus concreta prædicantur de abstractis, & è contra.

Respondetur, quòd quando Dialectici admittunt prædictas prædicationes, nempe Linea est quanta, &c. ibi non accipitur subiectum vt abstractum, seu vt mensura, sed vt concretum, seu vt quid mensuratum, & facit hunc sensum, scilicet, Hoc mensuratum est quantum: & ratio est; quia Quantitas hoc habet speciale, quod simul sit mensura substantiæ, & mensurabilis per aliam quantitatem; quare non est mirum, quòd Linea, Superficies, &c. quæ sunt species Quantitatis respectu diuersorum habeant rationem mensuræ, & mensurati: mensuræ quidem respectu substantiæ, mensurati verò respectù alterius quantitatis e. g. bipalmaris, tripalmaris, &c. & consequenter neque erit absurdum nominibus habentibus rationem tam concreti, quàm abstracti significari. Cuius doctrinæ signum euidens est, quòd similes prędicationes solent admitti, vbi non habemus nomen abstractum, & concretum alicuius rei, vt contingit in linea, superficie, &c. atque ideò sumitur idem nomen interdum vt concretum, interdum vt abstractum.

QVÆSTIO V.

An nomina secundæ intentionis prædicentur tam in concreto, quàm in abstracto non solùm de se ipsis; verùm etiam de nominibus primæ intentionis similiter tam in concreto, quàm in abstracto acceptis.

PRo intelligentia quæsiti duo breuiter supponenda sunt, ex quibus facilè quoquè peruenire possumus ad resolutionem eiusdem, cùm nulla sit inter Doctores controuersia. Primum, quòd cùm secunda intentio sit, quando intellectus cognoscit res non se-

A cundùm ea, quæ illis conueniunt à parte rei, sed secundùm ea, quæ habent ab operatione eiusdem intellectus; vt quando idem intellectus cognoscit animal e. g. esse genus, aut hominem esse speciem: nomina consequenter secundarum intentionum in concreto erunt genus, species, &c. in abstracto verò genereitas specieitas, &c.

Secundò supponenda sunt ea, quæ supra notauimus circa concreta, & abstracta accidentalia realia respectu substantiæ: nam cùm entia rationis, siue secundæ intentiones sint quędam accidentia rationis, nempe relationes rationis, & consequenter debilissimæ entitatis, cognituque difficillimæ; de illis agendum est proportionabiliter, ac per quandam analogiam ad accidentia realia (par enim ratio, vt plurimùm de illis procedit) atque ita, sicut fieri solet in

B alijs, per notiora, ea quæ minùs nota sunt, patefiunt.

Dicendum est ergo primò, quòd nomina secundæ intentionis in abstracto non prædicantur de nominibus primæ intentionis, nec in concrero, neque in abstracto consideratis. Probatur quoniam inter nomina primę intentionis non fiunt tales prædicationes propter rationem superiùs adductam: non enim dicimus, homo, vel humanitas est albedo, &c. ergo à paritate rationis nomina secundæ intentionis in abstracto non prædicantur de primis, nec in concreto, neque in abstracto consideratis; atque ideò non dicimus, animal est genereitas, quantitas est specieitas, &c.

Dicendum est secundò, quòd nomina secundæ in-

C tentionis accepta in concreto prædicantur de nominibus (substantialibus tamen) primæ intentionis similiter in concreto sumptis, non autem in abstracto: vnde ista prædicatio est vera, animal est genus: ista verò falsa, animalitas est genus, &c.

Probatur, quoniam ad hoc vt nomina primæ intentionis propriè, & absolutè denominentur à nominibus secundę intentionis acceptis in concreto, debent esse entia completa; sed tantùm nomina substantialia primæ intentionis in concreto, non verò in abstracto accepta, sunt entia completa: ergo de ipsis in concreto, & non in abstracto acceptis nomina secundæ intentionis in concreto possunt tantummodò prædicari. Maior patet ex eo, quòd cùm genera, & species propriè reponantur in prædicamentis; ea, quæ gene

D ra, & species denominantur, debent esse entia completa: nam in prædicamentis, tantùm entia completa reponenda sunt, vt ex dicendis patebit suo loco. Minor autem sic probatur: quia ea tantùm sunt entia completa, quæ habent rationes totius, minimè verò partis; sed tantùm nomina substantialia primæ intentionis in concreto sunt huiusmodi (animalitas enim e. g., & humanitas habent rationem partis, vt patet) ergo nomina substantialia primæ intentionis tantummodò in concreto sunt entia completa.

Dicendum est tertiò, quòd nomina secundæ intentionis accepta in concreto prædicantur de nominibus (accidentalibus tamen) primæ intentionis acceptis in abstracto, non autem in concreto: vnde ista prædicatio est vera, albedo est species; hæc verò falsa, album est species.

Probatur: nam ad hoc vt primæ intentiones propriè, & simpliciter denominentur à secundis, non solùm

solùm exigunt, vt fint entia completa; fed infuper debent effe entia per fe: fed nomina primæ intentionis, tantùm in abftracto fignificata, funt entia per fe: ergo ad hoc vt fecundæ intentiones de illis prædicentur, debent fumi tantùm in abftracto. Maior patet ex eo, quòd cùm ea, quæ denominantur à nominibus fecundæ intentionis genera, & fpecies directè ponantur in prædicamentis, non poffunt non effe entia per fe, vt dictum eft. Minor autem probatur; quia concreta accidentium funt entia per accidens: conftant enim ex entibus completis, & diuerfarum categoriarum: ergo nomina accidentalia primæ intentionis in abftracto tantùm, erunt entia per fe.

Dicendum eft quartò, quòd quando vna fecunda intentio eft de effentia alterius, poteft de illa prædicari tam in concreto, quàm in abftracto. Probatur: nam prædicationes in fecundis intentionibus debent proportionari his, quæ fiunt in primis: fed in primis intentionibus quando vnum nomen eft de effentia alterius poteft de illo prędicari tam in concreto quàm in abftracto: iftæ enim prædicationes primarum intentionum funt veræ, Albedo eft color, color eft qualitas album eft coloratum, coloratum eft quale, &c. ergo etiam in fecundis intentionibus: vnde iftæ prædicationes pariter veræ funt, genereitas eft vniuerfalitas; vniuerfalitas eft relatio rationis: item genus eft vniuerfale; vniuerfale; eft relatiuum rationis, &c.

Dicendum eft quintò, quòd quando vna fecunda intentio non eft de effentia alterius, & inter fe funt repugnantes, nullo modo prædicantur ad inuicem: quando verò inter fe non funt repugnantes, fed poffunt eidem naturæ conuenire, tunc poffunt prædicari in concreto, nullo verò modo in abftracto.

Probatur; quia in accidentibus primæ intentionis quæ habent repugnantiam, non fiunt prædicationes neque in concreto, neque in abftracto; quare iftæ funt falfæ calor eft frigus; calidum eft frigidum: fi autem nullam habent repugnantiam prædicationes fiunt quidem in concreto, fed non in abftracto, vnde ifta eft vera album eft dulce; ifta verò falfa albedo eft dulcedo; ergo & in fecundis intentionibus fi habeant repugnantiam nullo modo fiunt ad inuicem prædicationes, nec in concreto, nec in abftracto; vnde iftæ funt falfæ, genus eft differentia; genereitas eft differentieitas, &c. fi autem non habeant talem repugnantiam, tales prædicationes poffunt fieri in concreto, fed nõ in abftracto; quare ifta eft vera genus eft fpecies fubalterna; ifta verò eft falfa genereitas eft fpecieitas fubalterna.

Dicendum denique eft fextò, quòd licèt in fecundis intentionibus vna in abftracto non poffit prædicari de alia in concreto, vt conformiter dictum eft de primis intentionibus; vna tamen in concreto poteft prædicari de alia in abftracto, in quo differunt à primis.

Probatur prima pars proportionabiliter per ordinem ad primas intentiones, vt dictum eft. Secunda verò pars fic probatur: nam vna fecunda intentio in abftracto poteft effe fundamentum alterius, & habere rationem primæ refpectu illius; quia, quid quid poteft effe obiectum intellectus poteft denominari à fecundis intentionibus: ergo quando vna fecunda intentio eft capax denominationis alterius, poteft in concreto fignificata prædicari de ea in abftracto accepta;

A quare iftæ funt veræ vniuerfalitas eft genus; genereitas eft fpecies, &c.

Obiicitur primò in contrarium quartæ conclufionis, cùm cæteræ priores paruam, aut nullam afferant difficultatem; quòd fi fecundæ intentiones prædicarentur inter fe, deberet hoc fieri fecundùm aliquam analogiam ad nomina primæ intentionis: atque ita ficut genus in abftracto prædicatur de fpecie, vt humanitas eft animalitas, etiam dici poterit in abftracto quòd fpecieitas fit genereitas, quod non eft admittendum: ergo nomina fecundarum intentionum non prædicantur inter fe.

Refpondetur negando fequelam, quoniam in allato exemplo non currit paritas, & eft quędam fallacia; nam in primis intentionibus fpecies illa eft fub genere, nec habet incompoffibilitatem cum eo; vnde
B animalitas verè prædicatur de humanitate: in fecundis autem intentionibus intentio, fiue ratio fpeciei, quæ dicitur fpecieitas, non eft fub ratione generis, feu genereitate, nec habent conuenientiam ad inuicē; fed vtraque continetur vt fpecies oppofita fub vniuerfalitate. Quare nihil facit contra quartam conclufionem, in qua fermo eft de fecundis intentionibus non habentibus inter fe repugnantiam, fed effentialem conuenientiam.

Obiicitur fecundò in oppofitum fextę conclufionis, cùm nihil quintæ opponendum videatur; quòd ratio pro ea adducta ftare non poteft: nam fi vna fecunda intentio poffet effe fundamentum alterius, daretur proceffus in infinitum, quod non admittitur; quia fundamentum debet effe maioris entitatis, quàm id
C cuius eft fundamentum: quare fi daretur talis proceffus, deueniretur tandem ad aliquod debiliffimum, quod nequiret effe fundamentum ratione fuæ paruæ entitatis: ergo vna fecunda intentio in concreto nequit de alia prædicari in abftracto; cùm vna fecunda intentio in abftracto nequeat effe fundamentum alterius in concreto.

Refpondetur, quòd non eft inconueniens in fecundis intentionibus, immo eft valdè confentaneum admittere proceffum in infinitum; quia confequuntur actiones intellectus, in quibus neceffariò admittendus eft talis proceffus: nam qualibet intellectione pofita, poteft intellectus illam actu reflexo intelligere, & hanc rurfus alio actu, & fic in infinitum. Neque verum omnino eft, quòd fundamentum fit femper maio-
D ris entitatis, quàm res fundata, vt patet in materia prima, quæ habet rationem fundamenti refpectu formæ fubftantialis: Vnde licèt hoc femper verificetur in accidentibus realibus refpectu fubftantiæ, cui inhærent, & à qua oriuntur, & conferuantur: hoc tamen neceffarium non eft in entibus rationis, fiue fecundis intentionibus, quę fe habent merè paffiuè ad inuicem: vna enim recipit aliam ab intellectu à quo producuntur, & conferuantur, nec vna alteri inhæret realiter, fed potiùs adhæret.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Vniuersalia siue Prædicabilia sint tantùm quinque.

Estò Prædicabile, seu naturam vniuersalem posse prædicari de inferioribus non sit ipsissimum vniuersale, sed eiusdem proprietas, & passio, vt dictum est suprà: attamen quia in præsenti disputatione agitur de vniuersale formali, & logico, quod non est quid absolutum, sed respectiuum, siue relatiuum ad particularia (est enim relatio rationis, per quam natura realis, & materialiter tantùm vniuersalis refertur ad indiuidua, vt dictum est supra) hinc est, quòd tam sub ratione vniuersalium, quàm prædicabilium, non tantùm disputatio, verùm etiam examinanda est præsens quæstio.

Nominibus verò concretis, nempe Generis, Speciei, &c. modò vtuntur Dialectici, quia magis vsitata sunt, re vera tamen non loquuntur de toto illo concreto, seu coniuncto, sed de ipsis secundis intentionibus, Genereitate scilicet, Speciei tate, &c. his enim propriè, ac per se conuenit esse species vniuersalis incomplexi, de quo est sermo; minimè verò earum concretis, cùm illa, non ista sint entia per se simpliciter, & inconplexa. Quamobrem dum inquiritur, quot sint vniuersalia, & an vniuersale sit genus; legitimus, & proprius sensus est, quot sint vniuersalitates, seu secundæ intentiones vniuersalium; & an vniuersalitas sit genus ad eas.

Tres in hoc quæsito adinueniuntur sententiæ, quarum prima attribuitur Græcis, nempe Dexippo in prædicam. cap. 24. Simplicio ibidem cap. 6. & 9. atque alijs asserentibus duo tantùm esse vniuersalia, Genus scilicet, & Speciem; quibus etiam videtur fauere Pasqualig. disp. 25. sed ne a communi videatur penitus recedere, vniuersale distinguit à prædicabili; & quinque concedendo prædicabilia, asserit duo esse vniuersalia.

Secunda verò sententia septem enumerat prædicabilia: nam præter Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, addit Indiuiduum vagum, atque Definitionem. Ita Caiet. cap. de specie, ac quidam alij.

Tertia tandem sententia docet quinque tantùm esse vniuersalia, seu prædicabilia. Ita Porphyrius hic, & cum eo communiter omnes; licèt non omnino conueniant in assignando rationem prædicti numeri quinarij.

Notandum est idcirco primò, propriam & essentialem differentiam tam in accidentibus realibus, quàm in istis intentionibus rationis sumi ex proprio, & adæquato subiecto, vt ostendetur disputatione sequenti: propter quod, quando definiuntur in abstracto (ita enim propriam habent, & perfectam definitionem) subiectum ipsum ponitur loco differentiæ; vnde hæc erit optima via ad cognoscendas species alicuius accidentis generici; videlicet inuestigare, quot possint esse subiecta adæquata, & inter se distincta intra illud genus: ita quippe inuenientur omnes differentiæ diuisiuæ talis generis, & per consequens numerus specierum eius;

A Notandum secundò, istam diuisionem vniuersalis in quinque species, non esse immediatam: vniuersale enim priùs diuiditur in essentiale, & accidentale; & rursus essentiale in genus, speciem, & differentiam: accidentale verò in proprium, & accidens. Quare Porphyrius eam tradendo, solùm enumerauit species infimas, quod vtique non est inconueniens: quia, vt rectè docet Soto lib. 2. Summ. cap. 4. lect. 2. diuisio alicuius generis, etiam subalterni, potest fieri assignando omnes species infimas, quando illæ possunt certo numero comprehendi.

Dicendum est ergo, quòd Vniuersalia, seu Prędicabilia sunt tantùm quinque. Probatur à priori sic. Nam subiectum proprium, & adęquatum vniuersalitatis in communi est natura simpliciter vna: ergo

B quot fuerint diuersi modi, quibus prędicta natura potest esse subiectum vniuersalitatis, tot erunt differentię diuisiuę, ac species eiusdem vniuersalitatis, seu prædicabilia: sed prędicti modi tantùm sunt quinque: ergo quinque pariter erunt differentiæ diuisiuę, & species vniuersalitatis, seu prædicabilia. Anteced. & prima consequentia patent ex dictis. Minor verò subsumpta, cùm tria contineat notatu digna, singillatim, ac distinctè videtur probanda: continet enim in primis, quòd modi, quibus natura simpliciter vna potest esse subiectū vniuersalitatis, sunt quinque: quòd sunt inter se diuersi: & quòd prædicta natura in ratione subiecti vniuersalitatis nequeat aliis modis considerari.

C Probatur itaque, quòd prædicti modi sint tantùm quinque: nam vel talis natura potest esse subiectum vniuersalitatis vt quid perfectibile, & sic vniuersalitas cuius est subiectum, est genereitas, siue genus: vel vt quid perfectiuum seu constitutiuum; & sic vniuersalitas, cuius est subiectum est differentialitas, seu differentia: vel vt quid perfectum, vel constitutum; atque ita vniuersalitas, cuius est subiectum, est specieitas, siue species: vel est quid profluens ab essentia atque ita vniuersalitas, cuius est subiectum, est proprietas siue proprium: vel tandem vt quid extrinsecum, seu contingens; atque ita vniuersalitas, cuius est subiectum est accidentalitas, seu accidens: ergo cùm perfectibile, perfectiuum, perfectum, & cætera enumerata sint tantùm quinque: quinque pariter erunt modi, quibus natura simpliciter vna potest esse

D subiectum vniuersalitatis.

Probatur autem, quòd prædicti modi sint inter se diuersi: quoniam natura perfectibilis comparatur ad inferiora, vt quid in illis potentiale, & per modum materiæ: natura verò perfectiua comparatur ad inferiora vt constitutiuum essentiæ ipsorum, & per modum actus seu formæ: item natura perfecta comparatur ad inferiora vt tota eorum essentia, seu per modum compositi, vel constituti ex potentia, & actu: natura verò profluens comparatur ad inferiora vt quid necessariò coniunctum cum eorum essentia: & tandem natura extrinseca, seu contingens comparatur ad inferiora ut quid potens adesse, & abesse ab eorum essentia: ergo naturæ ipsæ diuerso modo comparantur ad inferiora, & per consequens sunt diuersę in ratione subiecti vniuersalitatis.

Probatur denique, quòd prædicta natura in ratione subiecti vniuersalitatis nequeat aliis modis considerari:

rari: quia vel talis natura comparatur ad inferiora vt quid illis essentiale, vel accidentale: si primum, tantùm possunt formari illæ tres priores cōsiderationes: sicut enim in essentia, præter potentiam, & actum, atque compositum ex vtroque nihil aliud est; ita natura prædicta non nisi tribus illis modis potest ad inferiora comparari. Si autem secundum, vel comparatur ad inferiora vt accidens proprium, vel commune, nec possibilis est alius modus, cùm proprium, & commune opponantur contradictoriè: commune enim æquiualet non proprio: manet ergo quinque tantùm esse subiecta vniuersalitatis, & consequenter quinque differentias diuisiuas, & species eius.

Obijciunt primò Doctores primæ sententiæ; tum quia omne accidens completum est genus, vel species; siquidem habet propria inferiora de quibus essentialiter prædicatur: ergo non constituit diuersa vniuersalia. Tum etiam quia vniuersalia sunt quædam attributa, seu prædicata dialectica: sed Aristoteles 1. Topic. cap. 3. 4 & 5. quatuor tantùm enumerat, nempe genus, definitionem, proprium, & accidens: ergo estò vniuersale, seu tale accidens rationis constitueret diuersa vniuersalia, atque distincta: attamen non erunt quinque.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd tam differentia essentialis, quam proprium, & accidens per ordinem ad sua inferiora sunt genus, vel species: sed vniuersalia non distinguuntur per ordinem ad subiecta, seu naturas, quas denominant, vt iam dictum est. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd in illo loco Aristoteles agit de modis, quibus possunt fieri problemata, seu propositiones dialecticæ; & dicit, quòd quatuor modis, primo essentialiter conuertibiliter, & hoc per definitionem; secundo essentialiter inconuertibiliter, & hoc per genus; tertio accidentaliter conuertibiliter, & hoc per proprium; quarto accidētaliter inconuērtibiliter, & hoc per accidens; speciē autē non nominat, quia de ipsa formātur, & sunt talia problemata, vt dicetur suo loco. Hic autē est sermo de vniuersalibus, & prædicabilibus, vt deseruiunt prædicamentis, scilicet quatenus comparantur ad inferiora, & debent esse quid incomplexum, atque ideò excluditur definitio, & includuntur species, & differentia, vt patet, quæ verè possunt ad inferiora vt quid incomplexum comparari.

Obiiciunt secundò Fautores secundæ sententiæ, quòd Aristoteles 4. Met. cap. 1. dicit tot esse partes vniuersalis, quot entis; constat autem, quòd partes entis sunt decem, nempe prædicamenta, ac proinde tot erunt vniuersalia. Item 1. Topic. cap. 12. ait; tot modis dici vnum contrariorum, quot aliud: sed vniuersale, ac singulare sunt contraria, & singularia sunt infinita: ergo & vniuersalia.

Respondetur, quòd primo loco Aristoteles loquitur de vniuersale materiali, non autem de vniuersale formali: hoc est vult quod tot sint naturæ reales, quę possunt denominari vniuersales, quot sunt partes entis: hic autem agitur de numero vniuersalium formalium. Secundo verò loco Aristoteles loquitur de oppositis formaliter vt opposita sunt; ita enim quot modis dicitur vnum, dicitur & aliud; hoc est, quot sunt acceptiones vnius, tot debent esse alterius; non

A tamen inde sequitur tot dēbere esse subiecta materialia vnius, quot alterius, nam albedo, & nigredo e. g. sunt opposita, & tamen non est necesse, quod tot sint subiecta nigra, quot alba.

Obijciunt tādem tertiò Fautores eiusdem sententię quòd indiuiduum vagum, vt hic homo, prædicatur de pluribus, & tamen non est aliquod prædicabile ex assignatis. Item quòd existentia est in pluribus, atque prædicatur de ipsis, & tamen non est genus, aut species, vel differentia, cùm existentia in creaturis sit extra earum essentiam; nec similiter est proprium, cùm sit prædicatum quoddam commune omnibus entibus, illisque conueniens ex tempore per actionem causæ efficientis, & per consequens contingenter: nec tandem est accidens commune, quia existentia

B non potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione: ergo constituent diuersa prædicabilia, & consequenter erunt septem.

Respondetur ad primam rationem dē indiuiduo vago, quòd prædictum indiuiduū significat naturam cum determinato modo essendi, scilicet vt particulariter subsistentem, quamuis abstrahat ab hoc, vel illo determinato modo subsistendi. Quare cùm hæc conuenientia indiuiduorum solùm sit in habere modum particulariter subsistendi, qui non est aliqua natura integra, vt requiritur ad rationem vniuersalis, ideò aliquod vniuersale non constituit. Ad secundam verò rationem de existentia respondetur, quòd illa non est natura completa, sed est terminus essentiæ: vnde, sicut dictum est de alijs abstractis substantialibus, non respicit inferiora, sed substantiam, quam

C terminat, nec in suo conceptu generali est vniuoca, sed analoga, cùm priùs dicatur de substantiali, quàm de accidentali, quando aliquo modo induit rationem totius: vniuersale autem debet esse aliquod totum simpliciter, ac vniuocum; vnde tamtùm reductiuè, sicut & alia incompleta, potest dici vniuersale.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia.

D SVb alijs, titulis solet agitari ista quæstio: nam aliqui inquirunt, An diuisio prædicabilium, seu vniuersalium sit generis in suas species: alij, An vniuoci in sua vniuocata, an potius analogi in sua analogata; qui tituli cùm re vera in idem coincidant; peculiari, distintaque explicatione non indigent: sed hæc pauca pro eorum declaratione tantummodò prænotanda sunt.

Nimirum, quòd cùm vniuersale sumi possit dupliciter, materialiter scilicet, ac formaliter; si sumatur primo modo, certum est non esse genus sed quoddam analogum: non enim omnes naturæ uniuocè conueniunt, ut patet in substantia, & accidente; quare difficultas omnino erit de uniuersale formali, quod cùm adhuc dupliciter considerari posit, uidelicet completè, & inconpletè, quemadmodum sunt differentiæ constitutiuæ ipsarum specierum uniuersalis: certum quoque est hoc secundo modo non posse esse genus;

genus; nam differentiæ constitutiuæ, &c. potiùs partes sunt uniuersalis, quam uniuersale ipsum, ut patet; ergo tantùm erit difficultas de uniuersali completo.

Prima opinio docet uniuersale non esse genus, & consequenter eius diuisionem esse analogam, licèt in qualitate analogiæ eius fautores non conueniant. Ita docere videntur B. Albertus Mag. tract. 2. prædicam: cap. 9. Onna q. 2. vniu. Niger 2. p. Clyp. q. 16. atque alii.

Secũda verò opinio affirmat vniuersale esse genus, &c. quam tenent, ac defendunt D. Tho. 1. contra gent. cap. 32. & opusc. 55. de vniu., quem sequuntur ferè omnes Thom. Scot. q. 8. vniuer. quem sequuntur Scotistæ. Henric. gand. in summa art. 43. q. 2. ad 1. Gofius hic art. 3. q. 2. atque alii.

Notandum idcirco primò est, quòd cùm vna secunda intentio possit gerere uicem primæ respectu alterius, & denominari ab illa, & hæc ab alia, & ad inuicem prædicari, & sic in infinitum propter varias reflexiones intellectus vt dictum est suprà q. 5 pro secunda parte conclusionis, & ad 2. non erit absurdum, si aliquando genus denominetur species, species sit supra suum genus; genus sit indiuiduum suæ speciei, & similia; non quidem prædicatione essentiali, & quidditatiua: etenim hoc modo impossibile est, quòd species prædicetur de genere; sit supra ipsum, &c. vt patet, sed tantùm prædicatione denominatiua, & accidentali: quare prædictæ prædicationes, ac si quæ aliæ inueniri poterunt, spectabunt ad quintum prædicabile.

Notandum secundò, quòd ad dignoscendum quomodò prædicatio, seu propositio sit essentialis, vel accidentalis, aut denominatiua, adhiberi debet huiusmodi regula: quoniam tunc est essentialis, quando prædicatum est de quidditate subiecti; cuius signum est, si prædicatio sit vera tam in abstracto, quam in concreto, vt patet in istis, Genereitas est vniuersalitas; Genus est vniuersale, &c. Tunc autem est accidentalis, siue denominatiua, quando prædicatum accidentaliter, siue denominatiuè conuenit subiecto; cuius signum est, si prædicatio, quæ in concreto est vera, in abstracto sit falsa, vt patet in his, quæ in concreto sunt veræ, Vniuersale est genus; Genus est species vniuersalis, &c. & tamen in abstracto sunt falsæ, Vniuersalitas est genereitas; Genereitas est speciei-tas; &c.

Dicendum est ergo, quòd vniuersale formale, siue uniuersalitas est uerum, & proprium genus, ad quinque prædicabilia. Probatur, quoniam uniuersale, seu potiùs uniuersalitas prædicatur de quinque prædicabilibus æqualiter, & in quid, tanquam de pluribus differentibus specie, quæ est definitio generis: ergo est genus, &c. Quod prædicetur in quid, probatur ex eo, quòd interroganti quid est genus, quid est species, &c. bene respondetur, quod sunt uniuersalia. Quòd autem talia prædicabilia distinguantur specie, patet ex præcedenti quæstione. Quòd tandem prædicetur æqualiter, probatur: nam quinque prædicabilibus uerè, & propriè conuenit esse relationes rationis, quibus naturæ abstractæ referuntur ad multa, in quo formaliter consistit ratio vniuersalitatis: nec hanc rationem participat vna istarum intentionum cum dependentia ab alia: siquidem vnaquæque earum esset vera vniuersalitas, etiam si aliæ

A intentiones essent impossibiles; quod non contingit in analogatis, vt videbitur suo loco: ergo vniuersalitas prædicatur de illis essentialiter, & æqualiter, &c.

Obiicitur primò quòd genus magis participat rationem vniuersalitatis, quàm species, cùm de pluribus prædicetur, quàm ipsa. Item quòd aliqua ex illis prædicantur immediatè, alia verò mediatè. Denique quod genus, species, & differentia prædicantur de multis nobiliori modo, quàm proprium, & accidens, cùm hæc accidentaliter, illa essentialiter prædicentur: ergo vniuersale non est genus ad ipsa, cùm non participetur æqualiter, &c.

Respondetur, quòd prædicari de multis conuenit per se vniuersali, cuius essentia est esse in multis: sed B prædicari in quid, vel in quale; mediatè, vel immediatè, &c. sunt extra essentiam vniuersalis, & sunt variæ eius differentiæ: quamobrem, sicut in aliis inæqualitas differentiarum non præiudicat conceptui vniuoco generis, ita neque in istis, & consequenter eò minus prædicari de pluribus, vel paucioribus.

Obiicitur secundò, quòd saltem proprium, & accidens non sunt vniuoca in ratione vniuersalitatis; quia ex Aristotele cap. 1. prædicam. habetur, quòd denominatiua non sunt synonyma, siue vniuoca; constat autem proprium, & accidens, vt constituunt quartum, & quintum prædicabile, esse denominatiua: nam tantùm prædicantur de propriis subiectis, non autem de pluribus inferioribus. Præter quam quòd, cùm prædicentur in concreto, non videntur C entia per se: ergo nec uniuersalia; & consequenter vniuersale non est genus, &c.

Respondetur, quòd licèt denominatiua formaliter inquantùm talia non sint vniuoca: siquidem pro formali important secundas intentiones essentialiter diuersas; materialiter tamen sæpe coincidunt cum vniuocis: nam contingit eandem rem diuersis comparatam denominari ab vtraque intentione, ac simul dici denominatiuam, & prædicabilem, sicut de specie subiicibili, ac prædicabili dicetur suo loco: quare denominatiua, vt sunt ista duo prædicabilia in ordine ad formam denominantem, à qua nominis appellationem habent, non sunt vniuoca propter rationem assignatam in argumento: sunt tamen vniuoca in ordine ad sua inferiora, in quibus æqualiter reperiuntur. D

Ad illud verò, quod additur de concreto accidentali, &c. Respondetur non esse propriè ens per accidens, cùm in recto significet solam formam, vt dictum est suprà in prænotatis ad quæst. 4. quamuis enim ex modo significandi sumatur vt tale, tamen quando ponitur à parte prædicati, vt contingit in prædicationibus quarti, & quinti prædicabilis, magis in illo attenditur res significata, quàm modus significandi, vt dictum est suprà q. 1. ad 3. Quo fit, vt ipsa res significata, entitas scilicet accidentis, non autem totum concretum, prout inuoluit subiectum, recipiat in se secundas intentiones constitutiuas proprii, & accidentis, quod sufficit, vt natura denominata ab illis sit simpliciter vna, atque ens per se, quamuis non debeat significari in abstracto, sed in concreto; nam ista prædicabilia ad differentiam aliorum prædicantur in quale.

Obi-

Obiicitur tandem tertiò, quòd Vniuersale prædicatur de omnibus prędicamentis, estque illis superius: sed supra prædicamenta ex dicendis nullum datur genus: ergo vniuersale nequit esse genus.

Confirmatur; quia ideò ens non est genus respectu suorum inferiorum, quia transcendit eorum differentias: sed vniuersale transcendit differentias quinque prædicabilium: ergo non est genus respectu eorum. Minor probatur: quoniam differentia est vnum ex quinque prædicabilibus: ergo quælibet differentia est vniuersalis: ergo vniuersale transcendit differentias.

Respondetur distinguendo maiorem; vniuersale prædicatur de omnibus prædicamentis, &c. quatenus prædicta prædicamenta considerantur secundùm propriam entitatem, & essentiam, negatur: quatenus verò à secunda intentione vniuersalitatis denominantur vniuersalia: conceditur. Ad minorem autem: sed supra predicamenta non datur genus, primo modo considerata, conceditur, vt videbitur suo loco: secundo verò modo, negatur: ergo, &c. negatur consequentia.

Ad confirmationem autem respondetur negando minorem: nam ad hoc vt aliquid sit transcendens respectu suorum inferiorum, oportet, vt in ipsis imbibatur, consideratis tamen secundùm propriam entitatem, & essentiam; & quòd de ipsis essentialiter prędicetur (vniuersale verò tantùm imbibitur in ipsis vt denominatis à secunda intentione vniuersalitatis) quare de eorum entitate, & essentia non prædicatur essentialiter: falsa enim est hæc propositio, Differentia constitutiua genereitatis essentialiter est vniuersalitas; sed duntaxat accidentaliter, ex eo scilicet, quia tali differentiæ possumus tribuere intentionem, à qua denominetur vniuersalis, & in hoc sensu differentia dicitur vniuersalis. Hoc autem respectu essentiæ, atque entitatis est omnino accidentale, & tantùm accidentaliter prædicatur, vt patet.

Ex quibus etiam soluta manet illa difficultas, an scilicet vniuersale sit substantia, vel accidens: nam si sumatur pro formali, semper est accidens; si verò pro materiali, aliquando est accidens, nempe si natura denominata est accidens; aliquando verò substantia, si natura scilicet denominata est accidens.

DISPVTATIO III.

De Genere.



CVM vsque modò disputatum sit de prædicabilibus in communi, incipiendũ est tandem disputare de ipsis in particulari; & cùm inter ipsa non immeritò primum locum teneat Genus, de ipso instituenda est præsens disputatio; in qua non tantùm propria generis tradentur, verùm etiam non nulla cęteris prædicabilibus communia; vt sunt ea, quæ de modo definiendi, de definito, ac definitione prædicabiliũ in lagari solent.

A

QVÆSTIO I.

Vtrùm accidentia tam in concreto, quàm in abstracto debeant definiri per proprium subiectum.



VAriũ diccdi modi apud Auctores, huiusmodi circa estant difficultatẽ; at quia in sequẽti quęstione commodiùs explicandi sunt, satis erit pro nunc auctoritas Philosophi 7. met. cap. 13. docentis accidentia per proprium subiectum esse definienda.

B

Notandum est tamen primò pro recta difficultatis resolutione, quòd cùm ex dictis in præcedenti disputatione, concreta, & abstracta accidentium in re significata conueniant, & ex modo significandi differant (abstracta enim significant formam quasi per se stantem; concreta verò quasi alteri adiacentem) estò concreta quoad rem significatam sint entia per se, sicut abstracta; ex modo tamen significandi sumuntur vt entia per accidens. Quapropter accidentia in abstracto tantùm significata poterunt propriè, ac rigorosè definiri: siquidem hæc tantùm propriè sunt, & significantur vt entia per se. Cæterùm, quia accidentia in concreto, saltem quoad rem significatam sunt entia per se, non omnino excludi debent à definitione, sed possunt, & solent quodammodò definiri,

C

vt ex Aristotele, & Porphyrio liquet: non quòd in eorum definitionibus inueniantur propriè, ac rigorosè definitionis conditiones, vt infrà cernetur; sed quia tales definitiones possunt reduci ad definitiones suorum abstractorum, quæ seruant leges rigorosæ definitionis: eo proportionabili modo, quo syllogismi imperfecti non excluduntur à ratione syllogismorum, sed facta aliqua transpositione, ad perfectos, quos virtualiter in se continent, reducuntur; vt clarè constat in definitionibus Simi. e. g. & Simitatis: nam Simus, cùm sit nasus curuus optimè reducitur per transpositionem terminorum ad curuitatem nasi, quæ est definitio Simitatis.

Notandum secundò, quòd pro subiecto proprio

D

accidentis hic non intelligitur sola substantia; nam cùm hęc sit commune omnium subiectũ nullo modo constitui poterit pro differentia alicuius; sed pro ipso intelligitur proprium principium, a quo causatur (eadem enim est causa efficiens, ac materialis accidentium) nam actus, & potentia ita intrinsecè, & essentialiter sibi correspondent, vt in naturalibus impossibile sit dari aliquam potentiam, quæ per se non respiciat aliquem actum, per quem constituatur, ac definiatur; ac proinde dari actum, cui per se non correspondeat aliqua potentia, per ordinem ad quam cognoscatur, & definiatur. Ex quo autem fit, quòd cùm omne accidens sit actus quidam saltem secundùm quid, illi debet correspondere propria, & non communis potentia, seu subiectum, ac principium efficiens, per quod constituitur, ac definitur; & licèt ab eodem gradu generico, specifico, vel indiuiduali substantiæ plura emanent accidentia, quia tamen

talis emanatio fit quodam ordine, ac dependentia, ita vt primum tantùm emanet immediatè ab ipsa substantia, quæ respectu illius est proprium subiectũ; & secundum non emanet à sola substantia, sed ab ipsa simul cum primo accidente; hinc est, quod substantia cum primo accidente habet rationem principii adæquati, ac proinde proprii subiecti respectu secundi accidentis. Quia tamen propria principia, & immediata subiecta accidentium non semper sunt nobis nota; immo sæpe sæpius ea ignoramus; inde est, quòd non semper in eorum definitionibus, prædictam regulam possumus obseruare; sed cogimur ex effectibus vel proprietatibus eorum quærere differentias, vt quando definimus colorem per congregatiuum, vel disgregatiuum. Hæc tamen ignorantia ex parte nostri, non præiudicat veritati regulæ generalis.

Dicendum est ergo primò, quòd accidentia tam in concreto, quàm in abstracto debent definiri per proprium subiectum. Probatur; nam quidditas, & essentia accidentium siue in abstracto, siue in concreto est inhærere proprio subiecto, ac dependere ab ipso: ergo per proprium subiectum, cui inhærent, debent definiri. Antec. ferè ab omnibus recipitur. Conseq. verò probatur: nam definitio debet perfectè exprimere conceptum adæquatum sui definiti: sed absque expressione subiecti, cui inhærent accidentia, nequit de ipsis definitio exprimere perfectè talem conceptum: ergo, &c. Maior de se patet. Minor verò probatur; quia tunc definitio perfectè exprimit conceptum adæquatum sui definiti, quando intellectus in ea sistit, ac quietatur: sed intellectus non quietatur in definitione formæ inhærentis, nisi per talem definitionem exprimatur etiam subiectum, cui prædicta forma inhæret, vt patet: ergo sine expressione prædicti subiecti nequit definitio exprimere perfectè talem conceptum.

Dicendum secundò, quòd accidentia in concreto debent definiri per proprium subiectum loco generis, per prædicatum verò, seu gradum superiorem, qui inuenitur in eorum essentia, loco differentiæ. Probatur; quoniam concreta accidentium eodem modo definienda sunt, ac substantiæ compositæ vel corporeæ; sed prædictæ substantiæ definiuntur per materialia loco generis, per formalia verò loco differentiæ: ergo concreta accidentium debent definiri per subiectum, quod correspondet materiæ loco generis; & per gradum superiorem, qui correspondet formæ loco differentiæ. Consequentia bene sequitur ex eo, quòd subiectum habet rationem potentiæ sicut materia, & gradus ille superior, rationem actus sicut forma. Maior quoque patet: siquidem concreta accidentium, ex modo significandi non minùs censentur composita ex subiecto, & accidente, quàm substantiæ corporeæ ex materia, & forma, vt dictum est in antecedenti disputatione. Minor autem probatur: nam genus cùm sit quid potentiale, non debet sumi radicaliter nisi ab eo, quod habet rationem potentiæ in prædictis substantiis: sicut differentia, cùm sit quid actuale non debet sumi nisi ab eo, quod in illis habet rationem actus, sed tantùm materialia in prædictis substantiis habent rationem potentiæ; formalia verò actus: ergo tales substantiæ definiuntur per materialia loco generis, & per formalia loco differentiæ.

Dicendum est tandem tertiò, quòd accidentia in

A abstracto debent definiri per prædicatum, seu gradũ superiorem, qui inuenitur in eorum essentia loco generis; per proprium verò subiectum, loco differentiæ. Probatur: nam abstracta accidentium eodem modo definienda sunt, ac substantiæ spirituales: sed tales substantiæ definiuntur per conceptum indeterminatum, & perfectibilem loco generis; per conceptum verò determinatum, & perfectiuum loco differentiæ: ergo abstracta accidentium debent definiri per prædictum gradum superiorem, qui habet rationem conceptus indeterminati, & perfectibilis, loco generis; & per proprium subiectum, quod habet rationem conceptus determinati, & perfectiui, loco differentiæ. Consequentia bene sequitur ex eo, quòd talis gradus superior respondet priori conceptui, & subiectum posteriori. Maior quoque patet: siquidem essen-

B tia accidentium in abstracto non componitur ex materia, & forma, nec aliqua alia compositione reali saltem physica actus, & potentiæ, sicut essentia substantiæ spiritualis. Minor verò probatur: nam cùm genus, & differentia se habeant vt contrahibile, & vt contrahens, non debent radicaliter sumi in prædictis substantijs spiritualibus, nisi ab eo, quod habet rationem perfectibilis, & perficientis: sed in illis tales conceptus tantùm, habent rationem perfectibilis, & perficientis, cùm sint substantiæ spirituales: ergo tales conceptus in earum definitionibus ponendi sunt loco generis, & differentiæ, &c.

Obijcitur primò in contrarium secundæ conclusionis, nam in contrarium primæ nihil videtur obiiciendum consideratione dignum; quòd in definitione es-

C sentiali alicuius rei, de qua definitione loquimur in præsenti, genus, & differentia debent pertinere ad idem prædicamentum, vt ex se patet: sed in definitione accidentis in concreto subiectum, & gradus superior non spectant ad idem prædicamentum, vt constat in definitione Simi, in qua nasus, qui est subiectum, est substantia; curuitas autem, quæ est gradus superior ipsius accidentis, nempe Simi, est accidens: ergo concreta accidentium nequeunt definiri per subiectum loco generis, ac per talem gradum loco differentiæ.

Respondetur, prædictum argumentum tantùm probare definitionem accidentis in concreto deficere à rigore perfectæ definitionis, vt notatum est suprà, & tantùm habere rationem definitionis essentialis, seu potiùs explicatiuæ essentiæ prædicti accidentis in

D concreto ratione definitionis sui abstracti, quam in se virtualiter continet, & ad quam reduci potest facta transpositione.

Sed contra est, quòd prædictum genus, & differentia, non minùs spectant ad diuersa genera, seu prædicamenta in definitione accidentis in abstracto, quæ est ex concessis propria, & rigorosa definitio, quàm in concreto; cùm non sit maior ratio: ergo vel etiam definitio accidentis in abstracto deficit à rigore definitionis, quod est contra id, quod concessum est, vel prædicta definitio accidentis in concreto, etiam ratione definitionis sui abstracti, quam in se virtualiter continet, non est essentialis.

Respondetur negando antecedens: nam cùm subiectum in definitione abstracti ponatur in obliquo, per ipsum tantùm significatur dependentia, & ordinatio gradus superioris, essentiæ accidentis ad proprium subiectum, quæ dependentia, & ordinatio

non

non spectant ad diuersum prædicamentum, cùm sit ipsemet gradus superius essentiæ accidentis, non vtcumque, sed vt ordinati, ac respicientis proprium subiectum. Cæterùm, cùm in definitione concreti subiectum ponatur in recto, sicut & ratio superior; nil aliud significat præter se ipsum, hoc est, aliquid aliud ab essentia accidentis; ac proinde non ad idem sed ad diuersum spectat prædicamentum in quo non parum deficit à ratione veræ ac rigorosæ definitionis talis definitio, vt dictum est; quod vtique affirmari non licet de definitione eiusdem accidentis in abstracto, vt patet.

Obijcitur secundò in oppositum tertiæ conclusionis; quòd differentia debet esse quid essentiale, ac intrinsecum rei, quæ definitur: sed subiectum non est tale respectu accidentis, quod definitur in abstracto; vt patet de naso respectu curuitatis: ergo subiectum in definitione abstractorum accidentalium nequit habere rationem differentiæ.

Respondetur, quòd licèt subiectum non sit essentiale, & intrinsecum accidenti; tamen dependentia, & ordo accidentis ad proprium subiectum est illi essentialis; quia accidens essentialiter est entis ens, siue ens in alio: quapropter, tale subiectum in definitione abstractorum accidentalium non debet poni in recto, sed in obliquo, vt dictum est nimirum, vt detur intelligi non esse propriam differentiam simitatis, sed id vnde sumitur propria eius differentia, seu per ordinem ad quod constituitur in ratione simitatis.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum vtriusque conclusionis; quòd genus in qualibet definitione est id, quo definitum conuenit cum aliis; differentia verò, qua differt ab aliis: sed impossibile est per eandem rem definitum conuenire cum aliis, & simul differre ab illis: ergo impossibile quoque est, quòd tam gradus superior, quam subiectum ponatur vt genus in vna definitione, & vt differentia in alia.

Respondetur, quòd in definitione abstracti, cùm sit propria, & rigorosa definitio, seruantur in rigore leges definitionis, atque ideò, vt in ea sit conuenientia cum rebus eiusdem generis, collocatur pro genere id, quod propriè est genus, & pro differentia id, quod propriè est differentia intra illud genus: at in definitione concreti, cùm sit definitio tantum secundùm quid, & impropria, sufficit ponere, & ea collocare, quæ tantùm secundùm quid, & impropriè habent rationem generis, & differentiæ; atque ideò cùm fiat conuenientia cum rebus diuersi generis in hoc tantùm, quòd insunt eidem subiecto ponitur pro genere ipsum subiectum, in quo conueniunt, & pro differentia id, quod pertinet ad proprium genus vnius cuiusque. Nec quidem repugnat illud, quod in vna definitione est simpliciter differentia, in alio sit genus secundùm quid, & è contrà, respectu diuersarum rerum: nam solet contingere, quod id, quod in vna diuisione est superius, & diuisum respectu aliquorum, in alia sit membrum diuidens respectu vnius illorum, vt patet de albo e. g. quod in diuisione accidentis in propria subiecta est superius ad hominem, & equum; in diuisione verò subiecti in accidentia, homo, vel equus sunt quid superius respectu albi, & nigri.

QVÆSTIO II.

Vtrùm accidens in concreto rectè etiam definiatur per concretum superius loco generis.

DVbium hoc præcipuè procedit quando ignoratur proprium subiectum accidentis, ac ita definitur per suum effectum formalem, aut per propriam passionem; & quæritur, an sicut hæc est bona definitio albedinis; Albedo, scilicet est color disgregatiuus visus: ita pariter & ista, Album est coloratum disgregatiuum visus. Quod dubium eodem modo excitatur, sicut & antecedens excitatum fuit, nempe de accidentibus realibus; vt data proportione, videatur, quid dicendum sit de secundis intentionibus. Quamobrem eadem erit differentia inter abstracta, & concreta secundarum intentionum; eodemquo modo eorum definitiones erunt inuestigandæ, quo in accidentibus realibus.

Prima opinio in hac re est valdè plausibilis inter recentiores, qui non tantùm affirmant accidens in concreto rectè definiri posse per concretum superius loco generis, verùm etiam talem definitionem, illa perfectiorem esse, quæ traditur per proprium subiectum. Ita Tataret q. 1. antepræd. dub. 2. Didacus disp. 6. q. 2. Mastrius, & Bellut. disp. 5. q. 1. art. 2. atque alij.

Secunda verò opinio negat, concretum rectè definiri posse per concretum superius loco generis. Ita D. Tho. 1. de interp. lect. 4. & de Ente, & ess. cap. 7. Sonc. 7. Met. q. 6 Zanar. ibidem q. 3. Ruu. hic q. 3. Complut. in append. ad q. 2. disp. 5. Masius, & alij non pauci.

Pro resolutione tamen difficultatis, hoc tantùm breuiter notandum est; nimirum quòd si concretum non sumatur propriè, & formaliter vt concretum est; idest secundùm suum proprium modum significandi, quem exigit; sed tantùm attendatur in eo res significata: tunc sicut non remanet, per quod distinguatur ab abstracto, ita erit omnino vtriusque eadem definitio; & consequenter idem erit dicere, Albedo est color disgregatiuus visus; & Album est coloratum disgregatiuum visus: hoc tamen erit tantùm abuti terminis, atque omnia inter se confundere, vt patet.

Dicendum est ergo, quòd seruata proprietate concreti accidentalis, ac retento proprio significandi modo, & definiendi, quem exigit, quatenus tale est, nunquam definitur rectè per concretum, seu connotatiuum superius loco generis.

Probatur; nam si staret oppositum conclusionis, tunc idem modus esset significandi, & definiendi concreti, & abstracti, & vtriusque definitio esset æquè perfecta: vtraque enim esset per suum verum, & proprium genus; ac tandem tam concretum, quàm abstractum æquè propriè collocarentur in prædicamento; sed hoc repugnat ex dictis in præterita quæstione: ergo, &c.

Respondent Mastrius, & Bellutus loco suprà citato negando sequelam; quia prædictum concretum

superius non ingrederetur definitionem concreti inferioris vt significat tantùm formam, quemadmodum abstractum superius ingreditur definitionem abstracti inferioris; sed cum proprio modo significandi, hoc est, seruata connotatione proprii subiecti; quare talis definitio semper esset in ratione definitionis imperfecta, vtpote tradita per additamentum. Et licèt vtrumque æquè propriè collocaretur in prædicamento tamen multò magis conuinceretur concretum superius esse verum genus respectu inferioris: aliter enim ad nihilum valeret illa famosa, & vulgata regula argumentandi Summolistarum, quòd à concretis ad abstracta tenet consequentia, cùm ibi sit prædicatio per se, idest superioris de inferiori; vt quando dicitur Album est coloratum; ergo albedo est color.

Contra tamen est, quòd licèt prædictum concretum superius ingrederetur definitionem concreti inferioris, seruata connotatione proprii subiecti, &c, nunquam tamen ingrederetur connotando concretum inferius loco generis, quod indispensabiliter requiritur ad definitionem concreti accidentalis, vt probatum est in præcedenti quæstione; sed vt forma superior, non quidem loco generis, sed vt verum, & proprium genus prædicti concreti inferioris, ad eum modum, quo abstractum superius ingreditur definitionem abstracti inferioris, quemadmodum etiam videntur concedere prædicti Auctores in fine allatæ responsionis: ergo semper valet illa sequela, videlicet quòd nulla esset differentia inter definitiones concreti, & abstracti; & quòd in ratione definitionis vtraque esset æquè perfecta, vtpote tradita per verum, & proprium genus, ac veram, & propriam differentiam; non autem per proprium subiectum loco generis, & per gradum superiorem loco differentiæ, in quo definitio concreti videtur deficere in perfectione à definitione abstracti, vt notatum est suprà.

Probatur iterum conclusio; nam concretum siue connotatiuum, quando prædicatur vt tale, prædicatur in quale, non autem in quid: ergo repugnat ponere tale concretum superius connotatiuo modo in definitione inferioris per modum generis, de cuius ratione & prædicari in quid, non verò in quale.

Respondent Mastrius, & Bellutus ibidem, tale concretum superius in definitione inferioris prędicari in quid de suo inferiori, quia est eius genus, ac prædicari in quale de subiecto implicitè connotato; vnde quando dicimus, Album, e. g. est coloratum, ly coloratum respectu corporis siue subiecti se habet adiectiuè; sed respectu albi, quod est formale corporis, se habet substantiuè; atque ita respectu subiecti, eius prædicatio est denominatiua, & adiectiua; respectu verò albi, quod est suum inferius, est prædicatio quidditatiua ratione formæ importatæ.

Contra tamen est, quòd ad hoc vt concretum superius in definitione concreti inferioris prædicetur vt tale, ac connotatiuo modo, non tantùm debet prædicari in quale de proprio subiecto, verùm etiam de prædicto concreto inferiori: ergo cùm tale concretum superius prædicetur in quid de inferiori, & vt genus, non prædicabitur de ipso connotatiuo modo. Consequentia patet. Antec. verò probatur: nam sicut concretum vt sic de proprio subiecto prædicatur in quale quando prædicatur de ipso connotatiuo modo; ita propter eandem rationem, cùm prædicatur de concreto inferiori, debet prædicari in quale: ergo cùm in definitione concreti inferioris supponatur prædicari connotatiuo modo; non tantùm de proprio subiecto, verùm etiam de ipso concreto inferiori debet prædicari in quale.

Quapropter, quando proprium subiectum accidentis est ignotum, atque ideò definitur per suum effectum formalem, aut passionem; ponendum est pro genere subiectum concreti superioris: e. g. supponamus subiectum coloris esse perspicuum; & proprium subiectum albedinis non esse nobis notum; atque ideò album esse definiendum per suum effectum formalem nempe per disgregare visum; tunc quidem recta erit definitio albi, si dicatur, Album est perspicuum disgregatiuum visus, minimè verò si dicatur, Album est coloratum disgregatiuum visus.

Obiicitur primò: quòd concretum tantùm significat formam, licèt connotet subiectum: ergo in eius definitione potius seruandus est modus, quo forma ipsa in abstracto definitur, seruata tamen semper connotatione: sed forma in abstracto definitur per suum proprium genus (albedo enim per colorem definitur, non autem per corpus) ergo eius concretum nempe album, potius definiri debet per suum concretum genericum; scilicet per coloratum, quàm per suum subiectum.

Respondetur, quòd huiusmodi argumentum se ipsum destruit, & potiùs probat oppositum: nam hoc ipso quòd in definitione concreti, debet seruari, & retineri connotatio, apertè sequitur, quòd non est definiendum per verum, & proprium genus sicut abstractum in quo nulla seruatur connotatio subiecti; sed tantum per subiectum loco generis: aliter enim nulla esset differentia inter definitionem abstracti, & concreti.

Obiicitur secundò: quòd hæc est vera, & perfecta definitio albedinis; Albedo est color disgregatiuus visus: ergo hæc etiam erit vera, & perfecta definitio albi, scilicet Album est coloratum disgregatiuum visus. Probatur consequentia: quia sicut se habet genus in abstracto ad formam in abstracto definitam; ita genus in concreto ad formam in concreto definitam: ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam, cùm potiùs sequatur oppositum: quare ad eius probationem negatur paritas: cùm enim res definiuntur secundùm quòd nominibus significantur; & modus significandi concreti, & abstracti sit valdè diuersus, atque oppositus, quam vis res significata sit eadem: hinc est, quòd modus illam definiendi etiam debet esse diuersus & oppositus.

Obiicitur tandem tertio quòd aliquando subiectum accidentis non est vniuocum: ergo saltem tunc non poterit accidens definiri per illud loco generis. Antec. patet in natura, quæ est subiectum genereitatis, & aliarum intentionum, sub qua comprehenduntur naturæ reales, & rationis, & omnia prædicamenta, quibus tamen nihil potest dari commune vniuocum.

Respondetur non esse necessarium, quòd subiectum ponendum loco generis in definitione concretorum accidentalium, sit vniuocum, vt dicetur infra.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quid sit definitum in definitione generis, ac vniuersaliter in definitionibus aliorum prædicabilium, quando definiuntur in concreto.

SVpponendum idcirco est, in genere (quod etiam, proportione seruata, de aliis prædicabilibus asserendum est) quinque posse considerari. Primò, naturam denominatam genericam secundùm suam entitatem realem. Secundò, secundam intentionem generis, siue genereitatem secundùm se. Tertiò, aggregatum ex vtraque, quod scilicet ex æquò includat tam naturam, quam secundam intentionem. Quartò, ipsam naturam, vt connotat secundam intentionem, ita tamen vt natura principaliter, & quasi in recto; secunda verò intentio tantùm in obliquo, & de connotato sumatur. Quintò tandem è contrà, ipsam secundam intentionem, non quidem secundùm se, sed vt connotat nuturam, adeò, vt intentio principaliter, ac in recto sumatur, natura verò tantùm in obliquo, & de connotato. De omnibus autem istis quæritur in præsenti, quod nam sit definitum, non tantùm in definitione generis, verùm etiam aliorum prędicabilium.

Sed vt certa ab incertis secernantur; certum in primis omnino debet esse, naturam denominatam à secunda intentione, e. g. Animal secundùm suam entitatem realem non esse definitum in definitione generis: cuius ratio est euidens; quia iam propriè definitio conueniret accidentaliter suo definito (accidit enim animali prædicari de pluribus) quod est vtique contra lumen ipsum rationis: siquidem nihil est alicui magis intrinsecum, & essentiale, quàm sua propria definitio.

Item certum est, quòd secunda intentio generis secundùm se, & vt præscindit à natura, non est definitum in hac definitione, &c. ratio enim est, quia intentio generis prout sic, necessariò significatur in abstracto, vt patet: sed forma in abstracto significata non potest esse definitum in definitione sui concreti: siquidem neque concretum, neque definitio eius prædicatur de suo abstracto, vt dictum est disputatione præcedenti: ergo secunda intentio generis secundùm se, vt præscindit à natura non potest esse definitum, &c. Quamobrem tantùm manet difficultas circa reliquas acceptiones generis, iuxta quas variæ reperiuntur Doctorum sententiæ.

Prima enim asserit definitum esse aggregatum ex natura, & secunda intentione, adeò vt vtraque directè definiatur, natura quidem vt *quod*; secunda verò intentio vt *quo*; sic docet ex recentioribus quam plures, vt Ruuius q. 2. Murcia q. 3. Hurtad. disp. 4. sect. 1. Caber. hic tract. 3. disp. 2. dub. 1. & alii.

Secunda verò asserit definitum esse naturam vt connotat secundam intentionem, ita vt principaliter, & in recto definiatur ipsa natura; secunda verò intentio quasi de connotato, & in obliquo; ita Toletus atque alii, quos refert Onna. q. 1. vniuer. art. 1. A quam opinionem etiam defendit Raphael de Auersa. q. 8. Log. sect. 2.

Tertia tandem sententia docet definitum in definitione generis esse secundam intentionem, vt connotat naturam, siue secundam intentionem in concreto significatam; ita vt ipsa secunda intentio sit res definita; natura verò connotetur ex modo definiendi concretum. Ita Scot. q. 14. vniuer. & cum eo passim Scotistæ. Caiet. hic, & de ente, & essen. cap. 9. Sanch. lib. 3. q. 3. Masius sect. 1. q. 3. Compl. disp. 5. q. 3. atque alii quam plures; cui opinioni etiam nouissimè fauent Mastrius, & Bell. disp. 5. q. 1. art. 1. nec non Bald-Gherard. p. 2. logicæ disp. 2. quæsito vnico q. 2. diffic. 3, licèt sub aliis verbis talem sententiam explicent; nam dicunt prædictam secundam intentionem esse definitum in definitione generis, & B aliorum prædicabilium in actu signato, seu vt est signum, & forma, per quam natura denominatur genus. non autem in actu exercito, seu in ratione subiecti, in quo exercetur talis prædicatio de pluribus: nam tunc natura ipsa est definitum per talem definitionē, cùm sit id, quod in exercitio prædicatur de pluribus.

Quamuis autem præfati Doctores ita sentiant non tamen eodem modo talem defendunt sententiam: nā quidam dicunt ipsam entitatem secundæ intentionis esse definitum *quod*, cui consequenter conuenit vt quod prædicari de pluribus, &c. Ita Caiet. Sanch. Masius, Mastrius, & Bellut. Alii verò, de quorum numero sunt Scotus hic q. vnica concl. 1. Complut. & Bald Gherard. è contrà defendunt talem entitatem esse definitum vt *quo*, cui consequenter tantùm con- C uenit prædicari vt quo de pluribus, &c.

Notandum est idcirco primò, quòd licèt prædicationes accidentales, facta reduplicatione supra formā fiant essentiales; vt quando dicimus, Homo inquantum albus est disgregatiuus visus: Animal inquantum genus est vniuersale, &c. tamen, facta reduplicatione tantùm supra subiectum, seu capacitatem subiecti ad illam formam; vt cùm dicimus, Corpus inquantum subiectum albedinis est album, &c. semper prædictæ prædicationes manent accidentales: nam quantumcunque consideretur subiectum inquantùm subiectum, semper manet vt pars compositi accidentalis, vnde semper altera pars compositi accidentalis, scilicet forma, manet extra essentiam talis subiecti, atque accidentaliter de illo prædicatur. Quapropter tales reduplicationes vanæ ac superfluæ omnino D sunt: & ratio est, quia ex vi prædicationis subiectum prædicato subiicitur, ac recipit illud ratione suæ capacitatis, seu potentiæ passiuæ, quam habet: ad quid ergo tales reduplicationes; cùm idem omnino sit dicere, Corpus inquantum subijcitur albedini est album; ac simpliciter, & absolute dicere, Corpus est album.

Notandum secundò, quòd cùm definitio prædicetur in recto de definito; in definitione perfecta necessariò assignandum est definitum, cui vt *quod* conueniat definitio: nam ibi tantùm explicatur natura definiti, & nihil ampliùs connotatur; ac proinde eadem res est, quam significat, & pro qua supponit nomen definiti. At verò in definitione imperfecta, quemadmodum sunt definitiones concretorum accidentalium, vt dictum est suprà, in quibus præter rem illam quæ est definitum, sit etiam suppositio pro re, & su

& subiecto, in quo exercetur ipsa definitio; non est necesse, vt assignetur aliquod definitum, cui vt *quod* conueniat talis definitio, sed sufficit, quòd illi conueniat vt *quo*: nam proprium est quidditatis, & essentiæ accidentium tantùm esse principium *quo*, non autem *quod* suorum effectuum.

Dicendum est ergo primò, quòd definitum in definitione generis non est aggregatum ex natura, & secunda intentione. Probatur; quia compositum ex accidente, & subiecto non potest vnica definitione definiri, cùm sit aggregatum per accidens: sed compositum ex natura, & secunda intentione est huiusmodi: siquidem constat ex ente reali, & rationis: ergo nequit vnica definitione definiri.

Respondent Aduersarii, quòd compositum ex subiecto, & accidente nequit vnica definitione definiri, quando subiectum, & accidens definiri debent æqualiter; adeò vt vtrumque definiatur vt *quod*: at in casu nostro, cùm subiectum, seu natura definiatur vt *quod*; accidens verò, siue intentio, vt *quo*; poterit optimè vnica definitione definiri: tunc enim non habent rationem duorum entium completorum, sed tantùm incompletorum; quare compositum ex illis non erit ens per accidens.

Contra tamen est; quòd illud compositum dicitur ens per accidens, & vnica non potest definitione definiri, cuius vna pars est diuersi generis ab alia, & vni conuenit definitio essentialiter, alteri verò accidentaliter: sed estò natura definiatur vt *quod* intentio verò, vt *quo*; sunt tamen huiusmodi: ergo compositum ex illis est ens per accidens, &c. Maior patet ex differentia entis per se, cuius partes includuntur ad inuicem sub eodem genere, & omnibus essentialiter, & per se conuenit eadem definitio compositi. Minor verò probatur; quoniam natura quolibet modo prædicetur, est quid reale; intentio verò est quid rationis: natura prædicatur de pluribus ratione intentionis, cui subiicitur, intentio verò secundùm se: ergo licèt vna prædicetur vt *quod*; altera verò vt *quo*; semper vna est extra genus alterius; & definitio generis vni conuenit essentialiter, nempe intentioni; alteri verò accidentaliter, nempe naturæ.

Dicendum secundò, quòd definitum in definitione generis non est natura, vt subiicitur secundæ intentioni.

Probatur: nam si prædicta natura tali modo considerata, esset pars principalis definiti, seu ipsum definitum *quod*; iam definitio conueniret accidentaliter saltem vni parti definiti, scilicet ipsi definito *quod*: sed hoc est impossibile ex Aristotele 1. Post. cap. 4. afferente definitionem, & partes eius prædicari de definito in primo modo dicendi per se, nempe essentialiter: ergo natura nequit esse principale definitum, seu ipsum definitum *quod* in tali definitione.

Dicendum est tertiò, quòd definitum in definitione generis est secunda intentio in concreto significata, seu vt connotat naturam; ita quòd intentio ipsa sit res definita, natura verò connotetur ex modo definiendi.

Probatur, tum quia definitiones istæ debent dari per subiectum loco generis, vt dictum est, ac dicetur ampliùs in sequenti quæstione: ergo definitum illarum est secunda intentio in concreto significata. Patet consequentia, quia iste est modus proprius definiendi

A concreta accidentium, de quorum numero est secunda intentio in concreto. Tum etiam quia hic definiri debet aliquid commune entibus realibus, & rationis: siquidem in vtrisque reperiuntur genera, & species, vt patet: sed nihil potest esse illis commune nisi secunda intentio: ergo ipsa est sola res quæ definitur.

Dicendum tandem est quartò, quòd definitio generis conuenit naturæ vt *quod*, secundæ verò intentioni vt *quo*: seu quod idem est, natura est id, quod prædicatur, intentio verò, id quo mediante natura prędicatur.

Probatur: nam licèt sola secunda intentio sit res definita in hac definitione, & similibus; ex modo tamen significandi connotatur natura tamquam id, in quo exercetur talis definitio, seu tamquam id, quod
B in actu exercito prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: ergo prædictæ naturæ conuenit talis definitio vt *quod*, intentioni verò vt *quo*; tanquam rationi, qua subiectum, idest natura denominatur genus. Antec. patet. Consequentia vèrò probatur; nam si id quod prædicatur de pluribus, &c. est natura, & id, quo talis natura prædicatur prædicto modo, est secunda intentio genereitatis: ergo prædicari prædicto modo, quod est definitio generis, conuenit naturæ vt *quod*; intentioni verò vt *quo*.

Obiiciunt primò Fautores primæ sententiæ, tum auctoritatem Auicennæ dicentis Logicam tractare de secundis intentionibus adiunctis primis; ergo aggregatum ex illis debet esse definitum in definitionibus logicalibus prædicabiliùm, &c. Tum etiam hanc rationem nimirum, quòd illud est definitum in aliqua
C definitione, cui per se conuenit talis definitio: sed tale aggregatum est huiusmodi: ergo, &c. Minor probatur, quoniam naturæ essentialiter conuenit esse id, quod prædicatur, intentioni similiter, essentialiter conuenit esse id, quo natura prædicatur: ergo aggregato ex illis conuenit per se talis definitio. Consequentia patet; quia quod conuenit essentialiter conuenit omnino per se.

Respondetur, & primò ad auctoritatem, quòd dictum illud non est ita intelligendum, vt ex æquò concernat primas, & secundas intentiones: nam Logica tractat de intentionibus formaliter, & per se, de rebus verò materialiter, & denominatiuè; quapropter aggregatum ex illis non erit definitum in illis definitionibus, sed tantùm secunda intentio. Ad rationem
D verò respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd esse id, quod prædicatur, non conuenit naturæ essentialiter, & per se; sed tantùm per accidens: nam intantùm conuenit naturæ, inquantùm secunda intentio est id, quo talis natura de pluribus prædicatur.

Obiiciunt secundò Fautores secundę sententiæ tum auctoritatem Porphyrii cap. de genere, & Aristotelis 1. Topic. cap. 4 qui post traditam definitionem generis statim subiungunt, vt *Animal*: ergo ipsa natura per animal designata, principaliter, ac in recto definitur. Tum huiusmodi rationem; nam secunda intentio non prædicatur de multis scilicet de pluribus differentibus specie in hac definitione, sed tantùm est ratio quare natura prædicatur: ergo natura non verò intentio principaliter, & in recto est definitum in istis definitionibus, &c.

Respondetur, & primò ad auctoritatem, quòd per

per allatum exemplum de animali tantùm conuincitur, quòd prædicta definitio exercetur in natura tanquam in subiecto; vnde *animal*, seu natura adsummùm erit definitum in actu exercito. Ad rationem autem respondetur negando consequentiam: nam estò secunda intentio non prædicetur, &c. quia tamen definitiones concretorum accidentalium tantùm *vt quo* debent conuenire rei, quæ propriè est definitum, planè sequitur secundam intentionem esse propriè definitũ, atque illi conuenire definitionem essentialiter: naturã verò esse tantùm definitum secundùm quid, atque accidentaliter sibi conuenire prædictam definitionem.

Obiiciunt tandem tertiò iidem Fautores eiusdem secundæ sententiæ; quòd concretum accidentale supponit pro subiecto: ergo genus supponit pro natura: ergo natura est, quæ definitur. Vtraque consequentia videtur manifesta. Antecedens verò probatur, quia actiones, & passiones non tribuuntur formis, sed suppositis: albedo enim non disgregat visum, sed album, nec forma generatur, sed compositum: ergo concretum accidentale, &c.

Respondetur negando consequentiam vltimam: nam quamuis nomen concretum ex modo significandi supponat pro subiecto; sola tamen forma est res significata, & consequenter illa sola propriè loquendo est definitum.

QVÆSTIO IV.

Quid ponatur pro genere in definitione huius, & aliorum prædicabilium: & quomodò debeant tam in concreto, quam in abstracto essentialiter definiri.

QVamuis ex dictis facilè resolui possit huiusmodi quæsitum; quinimmo ferè resolutum remaneat: nihilominus ad vberiorem, ac clariorem notitiam naturæ prædicabilium non erit superfluum modò propriis in terminis illud ipsum examinare.

Controuertitur idcirco inter eosdem Doctores, qui superiùs q. 2. ab inuicem dissentiebant; vltra quos aliqui videntur addendi, qui talem difficultatem in specie, & in particulari prout ad præsens spectat, de quinque prædicabilibus discutiunt; qui etiam in duas diuiduntur classes: nam quidam docent, in prædictis definitionibus talium concretorum non esse ponendum pro genere subiectum, seu naturam; sed aliquod concretum superius, in quo sensu explicant omnes illas definitiones à Porphyrio traditas, licèt valdè laborent in assignando quid sit tale concretum superius: nam aliqui, vt Louanienses Titelmannus, & alii, quos refert Masius hic sect. 1. q. 5. dicunt esse vniuersale. Toletus verò, & alii dicunt esse prædicabile. Niger tandem, & alii, quorum meminit idem Masius loco citato, asserunt esse vtrumque, vniuersale scilicet, & prædicabile.

Alia verò classis pro viribus defendit, quòd dum huiusmodi prædicabilia definiuntur in concreto, loco generis debet poni subiectum seu natura quæ significatur per particulam illam *Quod* appositam in definitionibus ipsorum; quando verò definiuntur in abstracto debet poni vniuersalitas seu vniuersale in abstracto; vt in quæstionis calce explicabitur. Ita Aristoteles 7. Met. text. 4. D. Tho. ibidem lect. 4. Soncin. 7. Met. q. 7. Zanard. ibidem q. 3. Iauell. in hoc cap. Masius, vt suprà. Complut. hic disp. 5. q. 4. Bald Gherard. disput. 2. quæsit. vnic. q. 2. difficult. 3. & alii.

Notandum est idcirco primò, quòd cùm genus, & differentia, etiam in definitionibus concretorum accidentalium rationis, non sint simpliciter talia, sed tantùm secundùm quid, vt dictum est suprà q. 1. ad 3. non est necesse, quòd genus in illis contineat plura, tantùm specie differentia, vt vniuersalitas, e. g. respectu naturæ perfectibilis & perfectæ, quæ specie differunt, genere autem conueniunt, sed sufficit, quòd contineat plura, quæ conueniant in ratione essendi in subiecto communi, licèt genere sint differentia; vt subiicibile. e. g. & vniuersale, quæ secundùm se genere differunt, conueniunt verò, quia vtrunque potest reperiri in eodem subiecto, seu in eadem natura perfectibili, vt patet. Item differentia prædictum genus diuidens, non est necesse, quòd constituat vnam rationem specificam, faciatque specie differre, quemadmodum est natura perfectibilis. e. g. quæ diuidit vniuersalitatem, & constituit genereitatem, sed sufficit, quòd constituat vnam rationem genericam ab alia differentem, seu, quòd idem est, faciat differre genere; vt patet de vniuersali generico, quod simul cum subiicibili pariter generico diuidit prædictam naturam perfectibilem, constituit genus, & facit ipsũ differre genere à subiicibili generico. Et ratio est quia diuisio, quæ supponitur in definitionibus prædictorum concretorum non est accidentium in sua subiecta, vt quando diuiditur vniuersalitas in naturam perfectibilem, & naturam perfectam, &c. sed è contra, subiecti scilicet in accidentia: quare non est necesse, vt prædicta accidentia differant specie, & conueniant in genere; sed sufficit, quòd in ratione essendi in communi subiecto conueniant, licèt genere differant.

Notandum est secundò, quòd licèt prædicta verificentur de accidentibus rationis in concreto seruata proportione eorum, quæ traduntur de accidentibus realibus; nihilominus inter hæc, & accidentia rationis adest disparitas valdè notanda: nam subiectum respectu accidentium realium non est merè subiectum sed habet etiam rationem principii, & causæ: eadem enim est causa efficiens, & materialis accidentis, vt dictum est supra q. 1. not. 2. cùm autem principium accidentis per aliquam vnam rationem constituatur in esse principii eius; consequens est vt etiam per aliquam vnam rationem constituatur in esse subiecti talis accidentis, ac proinde quòd subiectum in eius definitione possit supponere distributiuè, & esse vniuocum ad omnia subiecta, in quibus reperitur tale accidens. At quidem respectu accidentium rationis, cùm non causentur in rebus ex principiis intrinsecis earũ, sed à causa merè extrinseca, nempe ab intellectu; subiectum habet merè rationem subiecti, atque ita non est necessarium, vt in esse talis constituatur per aliquam rationem vniuocam, sed potest intellectus rebus quantumuis diuersis tribuere ista accidentia rationis. Ex quo tandem fit non esse necessarium, vt su-

subiectum adæquatum eorum supponat distributiuè, vel sit vniuocum, vt dictum est suprà q. 2. ad 3.

Dicendum est ergo primò, quòd id, quod ponitur loco generis in eiusdem definitione, atque aliorum prædicabilium, quando definiuntur in concreto, est subiectum, seu natura, quæ significatur per illud relatiuum *Quod*, à Porphyrio positum.

Probatur tum ex dictis, q. 1. tum etiam, quia Porphyrius docet excludi Indiuiduum ab hac definitione per has particulas *Quod prædicatur de pluribus*; quod esset falsum si vniuersale esset genus; nam per ly *vniuersale* sufficienter excluderetur sine additione aliarum particularum. Quinimmo esset impossibile, quòd excluderetur per prædictas particulas: nam propriè loquendo, per differentiam definitionis, definitum non distinguitur, nisi ab illis, cum quibus conuenit in genere; vnde cùm indiuiduum non conueniat in vniuersali tanquam in genere, non poterit excludi per prædictas particulas, quæ ponuntur loco differentiæ; quod inconueniens vtique cessat, si subiectum, seu natura ponatur loco generis.

Dicendum secundò, quòd, quando genereitas, & aliæ intentiones prædicabilium in abstracto significatæ definiuntur, vniuersalitas debet poni loco generis. Probatur: nam cùm definitiones abstractorum accidentalium sint propriæ, ac perfectæ definitiones, vt suprà explicatum est, in eis debet poni pro genere id, quod est verè genus definiti: sed huiusmodi est vniuersalitas respectu genereitatis, & cæterarum intentionum, vt ostensum est suprà disput. 2. q. 7. ergo vniuersalitas debet poni pro genere in definitionibus illarum.

Obiicitur primò in oppositum primę conclusionis, cùm ibi vigeat difficultas; quòd definitio, & definitũ sunt idem: sed secunda intentio, quæ est definitum huius definitionis, cùm sit ens rationis, non potest esse idem quod subiectum, seu natura realis posita loco generis: ergo in definitione prædicabilium in concreto subiectum, vel natura non debet poni loco generis, sed potiùs poni debet aliquod concretum, &c.

Respondetur, quòd tantũ n vera, & propria definitio debet esse idem cum definito; non autem definitio secundùm quid, qualis est definitio accidentis in concreto.

Obiicitur secundò, quòd definitio essentialis, & quælibet eius pars prædicatur essentialiter de definito ex Aristotele 1 Post. cap 4 sed subiectum, siue natura denominata, ac significata in recto non prædicatur essentialiter de genere, atque aliis prædicabilibus: alioquin ens reale prædicaretur essentialiter de entibus rationis: ergo subiectum non potest poni in recto, siue loco generis, &c.

Respondetur, Aristotelem intelligendum esse de vera, perfecta, & essentiali definitione, non autem de imperfecta, & secundùm quid, quemadmodum sunt omnes istæ definitiones in concreto:

Manet autem satisfacere etiam secundę parti huius quæsiti, quomodò scilicet definienda sint prædicabilia definitionibus essentialibus, tam in abstracto, quàm in concreto. In abstracto quidem hoc modo rectè definientur, si dicatur, Genereitas est vniuersalitas naturæ perfectibilis, seu constituibilis. Speciceitas est vniuersalitas naturæ perfectæ, seu constitutæ. Differentialitas est vniuersalitas naturæ perfectiuæ, seu constitutiuæ. Proprietareitas, siue proprietas est vniuersalitas naturæ profluentis ab essentia. Accidentaleitas denique est vniuersalitas naturæ extrinsecæ, seu contingentis. Cùm ergo ex definitione abstracti formetur definitio concreti inuertendo terminos; hæc etiam erit essentialis definitio Generis in concreto; Genus est natura perfectibilis vniuersalis: per quem etiam modum formantur essentiales definitiones aliorum prædicabilium, atque ita omnia, quæ dicta sunt, valdè consonant.

QVÆSTIO V.

Vtrùm definitio Generis tradita à Porphyrio, dum dixit, Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, sit bona, & essentialis.

HÆC itaque est principalis quæstio, in cuius gratiam cæteræ superiores examinatę sunt, in qua duo queruntur, an scilicet definitio illa Generis sit bona, & an essentialis, vel potiùs descriptiua.

Circa primum, Laurentius Valla, vt testantur Louanienses in hoc loco, impugnat prędictam definitionem tanquam defectibilem: cęteri autem Philosophi eam admittunt cum Aristotele 1. Top. cap. 4. 4. Topic. cap. 1. 5. Met cap. 28. & alibi.

Circa secundum verò, Scotus hic q. 14. & 15. ac discipuli eius, licet Mastr. & Bellut. disp. 5. q. 1. art. 2. problematicè loquantur propter aliam auctoritatem ipsius Scoti ex 2. Sent. distinc. 3. q. 1. Hurt. hic disp. 4. sect. 1. Bald. Gherard. disput. 2. vniuer. quæsito vnico, q. 2. diffic. 2. atque alij asserunt definitionem prædictam esse essentialem.

Porphyrius autem hoc in loco. B. Albertus tract. 3. prædic. cap 34. & D. Tho. opusc. 48. tract. 1. cap 2. quos sequuntur Sotus q. vnica huius §. vltimo Tolet. q. 2. Ruu. q. 3. Complut. disp. 5. q. 1. atque alii, è contrà docent esse descriptiuam.

Notandum est idcirco primò, inter hæc relatiua, nempe *Quid*, & *Quale*, prout ad præsens attinet hanc esse differentiam, quòd relatiuum *Quid* est substantiuũ & significatur per modum substantiæ, siue per se stantis: relatiuum verò *Quale* est adiectiuum seu conotatiuum, & significatur per modum accidentis, seu alteri adiacentis. Quare ad interrogationem factam per *Quid*, respondemus nominibus substantiuis Generis, ac speciei: ad interrogationem verò factam per *quale*, nominibus adiectiuis, scilicet Differentiæ, Proprii, & Accidentis, cum hæc tria significentur per modum accidentis, seu alteri adiacentis, licèt non eodem modo: nam Differentia, qua ratione pertinet ad substantiam, siue essentiam rei non omnino significatur vt *quale*, & qua ratione exprimitur per modum alteri adiacentis non omnino significatur vt *Quid*, atque ideò dicitur quòd Differentia significatur vt *quale quid*. Per quod denotatur Differentiam quantùm ad rem significatam esse de substantia siue de essentia ipsius; ex modo tamen significandi sumi vt accidens, seu adiacens ipsi rei: at verò Proprium, &

Acci-

Accidens tam quoad rem significatam, quàm ex parte modi significandi sunt omnino extra essentiam rei, atque idcirco significantur vt quale.

Notandum secundò, quòd sicut omnis forma dicitur qualitas materiæ: non quia semper sit accidens de prædicamento qualitatis, sed quia in illa recipitur, & quasi subiectatur; ita etiam in quacunque propositione prædicatum dicitur qualitas subiecti, non quòd semper sit accidens illius, ac de eo in quale prædicetur, sed quatenus habet rationem formæ respectu illius eique quodammodo adiacet: ideòque Aristoteles cap. de Substantia dixit: Primam substantiam significare hoc aliquid, secundas verò potiùs quale quid: idest quòd primæ substantiæ, nempe indiuidua, seu supposita semper habent rationem materiæ, ac subiecti respectu secundarum: secundæ verò, scilicet genera, & species, semper habent rationem formæ, ac prædicati respectu primarum; quòd tamen non tollit quò minùs secundæ substantiæ prædicentur per modum per se stantis seu in eo quod quid, ac prædicentur primæ: sicut ob id non tollitur quò minùs forma substantialis adiacens materiæ prædicetur in eo quod quid, ac prædicetur forma ipsa per se subsistens.

Dicendum est ergo primò, quòd definitio prædicta Generis est optima. Probatur, quoniam non tam seruat communes leges bonæ definitionis, ex eo quòd nihil habet superfluum, aut diminutum, & traditur per notiora definito, exprimitque aliquid, quod habet rationem generis, & aliquid, quod habet rationem differentiæ; verùm etiam obseruat speciales leges definiendi concreta accidentalia, cùm tradatur per subiectum loco generis, vt patet ex dictis: ergo, &c.

Respondent Aduersarii negando quòd prædicta definitio seruet omnes leges, & regulas bonæ definitionis, cùm conueniat definitioni vt sic, quemadmodũ contingit quando definitur animal. e. g. nam viuens sensibile prædicatur de pluribus differentibus specie. Item conuenit etiam Enti, Animæ, &c. quæ non sunt genera, neque vniuersalia logica, vt patet.

Contra tamen est quòd particula illa *Quod* posita loco generis in allata definitione, significat quòd Genus, qua ratione est vniuersale, debet esse natura quædam simpliciter vna (est enim vniuersale quid vnum in multis) & consequenter vniuoca, completa, & incomplexè significata, vt dictum est suprà disp. 2. q. 1. in principio vbi rudi Minerua explicatum fuit vniuersale logicum, &c. sed Ens est quid analogum, Definitio quid incomplexum, & Anima, quid incompletum, cùm sit quædam pars compositi humani: ergo illis vtpote non vniuersalibus, nequit conuenire definitio allata generis.

Dicendum secundò, quòd allata definitio non est essentialis, sed descriptiua. Probatur: quoniã definitio, quę traditur per passionem definiti nõn est essentialis, sed tantùm descriptiua: sed allata definitio generis est huiusmodi, cùm tradatur per prędicari de pluribus, quæ est passio vniuersalis: ergo est tantùm descriptiua.

Respondet Bald-Gherard. loco suprà citato ad primum, quòd prædicari respectu naturæ potest dupliciter considerari, vel respectu naturæ secundùm se, vel vt substratæ intentioni: primo modo est quoddam accidens, & passio, seu affectio ipsius naturæ: secundo verò modo nequaquam.

Contra tamen est, quòd prædicari respectu naturæ, etiam vt substratæ intentioni fluit ab ipsa, eandemque supponit in esse vniuersali iam constitutam; cùm vniuersale sit quid vnum in multis, atque ideò prædicetur de multis: ergo prædicari respectu naturę etiam vt substratæ intentioni, est quoddam accidens, & passio eiusdem.

Obiicitur primò in oppositum primę conclusionis; quòd quidquid definitur, debet esse species, ex Aristotele 7. Met. text. 30. sed genus non est species: ergo genus nequit definiri. Nec sufficit, si dicatur, genus esse speciem vniuersalis, & hoc modo posse definiri: nam allata definitio conuenit generi inquantùm genus: sed genus inquantùm genus non est species: ergo vel non potest definiri, aut si definitur, non definitur inquantùm species.

Confirmatur; nam quòd definitur, debet constare ex genere, & differentia: sed non datur genus generis, alias istius generis daretur aliud genus, & sic in infinitum: ergo genus nequit propriè definiri.

Respondetur, illam responsionem optimè sufficere; ad cuius impugnationem dicitur, quòd genus inquantùm genus est etiam species vniuersalis, cùm non implicet idem esse genus respectu inferiorum, de quibus prædicatur, & esse speciem respectu superioris, quod de se ipso prædicatur, vt patet de animali respectu substantiæ, quod est species, & respectu hominis, quod est genus.

Ad confirmationem autẽ respondetur distinguendo minorem: non datur genus generis generalissimi, conceditur; generis subalterni negatur. Ad illud verò, quod dicebatur, quòd scilicet daretur genus generis in infinitum, negatur; quia sistendum est in genere generalissimo, quod non potest propriè vt tale definiri, cùm non habeat suprà se aliud genus, per quod definiatur.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis; quòd etiam differentia prædicatur in quid de pluribus differentibus specie: ergo, &c. Probatur antec. cùm enim differentia quatenus actus, sit perfectior genere, quod est potentia, habet prædicari nobiliori modo, quàm genus (modus enim prædicandi sequitur modũ essendi, vtpote eius proprietas) quare cùm prædicari in quid perfectius sit, quàm prędicari in quale, differentia quoque prædicabitur in quid, cùm prædicetur & ipsum genus, quinimmò eò magis, atque ita prædicta definitio generis conueniet etiam differentiæ, & consequenter non erit bona.

Respondetur, quòd esto differentia habeat perfectiorem modũ essendi secundùm se considerata, quàm genus, non tamen prout concipitur à nobis, cùm illam apprehendamus ad modum accidentis, siue qualitatis generi adiacentis; genus autem ad modum substantiæ, siue subiecti ipsam recipientis: vnde quia modus prædicandi sequitur modum essendi, non vtcunque, sed vt concipitur, & comprehenditur à nobis, ideò genus nobiliorem essendi, ac prædicandi modum habebit, ac ipsa habeat differentia.

Obiicitur tandem tertiò in oppositũ secundæ conclusionis, quòd obiectum formale huius tractatus non est vniuersale, sed prædicabile: ergo hic consideratur genus formaliter quatenus prædicabile est: sed genus quatenus prædicabile, essentialiter definitur

 tur

tur per prædicationem, quæ est proprius actus prædicabilitatis: ergo allata definitio erit essentialis,

Respondetur, huiusmodi argumentum supponere falsum: non enim prædicabile, sed vniuersale est obiectum huius libri, vt dictum est suprà in Proœmio eiusdem, ratio enim est quia vniuersale, ac prædicabile considerantur per se in hoc libro, & illud se habet tanquam essentia, istud verò vt propria passio: igitur in hoc libro agitur de vniuersali tanquam de proprio obiecto, de prædicabili verò tanquam de passione, quæ de tali obiecto demonstratur.

DISPVTATIO QVARTA.

De Specie.



Ompositionis Methodus, quæ ex dictis in appendice disput. 1. a simplicioribus ad composita procedit, omnino postulat, vt generis disputationem differentia consequatur, vtpote simplicior specie, illiusque constitutiua: attamenècontrà, quia species, quæ significatur per modum substantiæ, est prior differentia, quæ significatur per modum adiacentis: non absque ingenioso artificio ante illam à Porphyrio collocata fuit: nam quando duo se impediunt intra idem genus methodi, vtenda est methodo arbitraria; idest priùs agere de vno, quàm de alio, relinquit arbitrio scriptoris, quod tamen non sine fundamento, & ratione factum esse credamus; quoniam genus, & species sunt correlatiua; quare videretur incongruum huiusmodi duo prædicabilia ab inuicem disiungere. Quamobrem ne ratio, atque artificium Auctoris deseratur, cum eodem de specie, posteà de differentia disputandum est.

QVÆSTIO I.

An definitiones Speciei à Porphyrio traditæ sint bonæ.



RO recta intelligentia quæsiti nonnulla ante eiusdem resolutionem supponenda sunt. In primis enim supponendum est, quòd eadem penitus natura intra seriem prædicamentalem secundùm diuersos respectus, & prædicabilis dicitur, & subiicibilis: prædicabilis quidem, vt respicit inferiora; subiicibilis verò, vt respicit superiora. Quamobrem supponendum est etiam, verba, quibus vsus est Porphyrius in prima speciei definitione, non componere omnino vnicam eiusdem definitionem, vt docent Auicenna, Sotus, Toletus, & alii; sed duas integras, & diuersas inter se definitiones, vt asserunt Boetius, B. Albertus Magnus, Canterus, Ruu. Bald Gherard. & alij; idque satis expressit ipsemet Porphyrius, qui de tali definitione non in singulari, sed in plurali locutus fuit, dicendo, *Cæteræ verò definitiones, &c.* Itaque priora illa verba, *Species est id, quod subijcitur generi*, conficiunt vnam integram definitionem ab alia diuersam, quæ constituitur per verba posteriora, nempe *Species est id, de quo genus in quid prædicatur*: differunt enim penes hoc, quòd prima est essentialis; secunda verò descriptiua; nam sicut de genere dictum est, quòd esse in pluribus speciebus est essentia eius; prædicari verò de illis est propria passio. Ita pariter in specie, quatenus est correlatiua generis, seu quatenus est subiicibilis, duo possunt considerari, nempe esse id, in quo existit ratio superior, scilicet genus; & esse id, de quo eadem ratio superior prædicatur.

B Notandum est tamen primò pro resolutione difficultatis, quòd subiicibilitas, quam habet species respectu generis, & prædicabilitas, quam habet respectu indiuiduorum, sunt relationes inter se disparatæ: ratio enim est, quia non solùm respiciunt diuersos terminos, genus scilicet, & indiuidua, quæ sunt termini adæquati inter se diuersi; sed etiam habent diuersa fundamenta, siue rationes fundandi, quas idem nomen speciei inuoluit; videlicet cognitionem passiuam naturæ specificæ vt id, de quo dicitur generica, & cognitionem passiuam eiusdem vt id, quod dicitur de indiuiduis. Quapropter species æquiuocè dicitur de subiicibili, & prædicabili, & consequenter non habet aliquam vnam definitionem, prout comprehendit vtrunque, sed diuersam, vt contingit C in aliis æquiuocis. Vnde sicut canis. e. g. quatenus canis est, nec est solùm latrabilis, nec solùm marinus, sed vtrunque: ita species quatenus species, nec solùm habet respectum ad genus, nec solùm ad indiuidua, sed ad vtrunque.

Notandum secundò, quòd licèt Porphyrius in hoc capite dicat prædicata intermedia habere duos respectus; extrema verò vnum tantùm; illius tamen mens, vt grauissimi notant expositores, non fuit excludere à specie infima, & atoma prædictos duos respectus; sed tantùm docere, quòd prædicta extrema, nempe genus supremum, & species atoma, non habent diuersos respectus, vnde sumant diuersas denominationes, sicut habent prædicata intermedia: hæc namque respectu superiorum appellantur species, & respectu inferiorum genera; vnde alio nomine nun- D cupari solent genus, & species subalterna, hoc est, quòd simul genus, & species esse possunt: vt genus supremum dato quòd respiciat rationem communem entis vt quid aliquo modo superius, respectu tamen eius non denominatur species, sed adhuc retinet denominationem generis, quā habet respectu inferiorum, quod pariter dicendum est de specie infima, quæ tam respectu superiorum, quàm inferiorum semper denominatur species.

Dicendum est ergo definitiones Speciei à Porphyrio traditas esse optimas. Probatur ex dictis in præcedenti disputatione: omnes quippe traduntur per propria subiecta loco generis, & quæ ex eis sunt descriptiuæ, per propriam passionem loco differentiæ, nihilque continent superflui, aut diminuti, vt magis patebit ex solutione obiectorum: ergo sunt optimæ.

Obiicitur primò, quòd ambæ definitiones speciei subiici-

subiicibilis conueniunt indiuiduo: siquidem verè ponitur sub genere, & de ipso genus in quid prædicatur: ergo saltem illæ non sunt bonæ, cùm aliis à definito conueniant.

Respondetur negando antec. Nam ad hoc vt prædictæ definitiones conueniant indiuiduo, ipsummet immediatè debet poni sub genere, & genus inquantùm genus debet de ipso prædicari, vt patet de specie; quæ conditiones ita necessariæ sunt, vt licèt aliquando indiuiduum immediatè ponatur sub genere, vt constat de indiuiduo generico, veluti hoc animal, hæc quantitas, &c. quia tamen non ponitur sub genere, scilicet sub animali, vt genus est, neque vt genus de prædicto indiuiduo prædicatur, sed tantùm quatenus quædam species est; hinc est, quòd nullo pacto prædictæ definitiones indiuiduo conueniunt, & per consequens aliis à definitio non conueniunt.

Obiicitur secundò, quod saltem definitio speciei prædicabilis conuenit aliis à definito: conuenit enim Deo, Animæ rationali, Puncto, &c. quæ non sunt vniuersalia logica: ergo, &c. Probatur antec. nam Deus prædicatur de tribus Personis numero differentibus: item Anima rationalis, & Punctum de pluribus animabus, & punctis in quid, solo numero differentibus: ergo, &c.

Respondetur negando antecedens: nam Personæ diuinæ propriè non differunt numero, vt docent Theologi, cùm habeant vnam, & eandem numero naturam, indiuidua verò, de quibus prædicatur species non habent vnam, & eandem numero naturam, sed tantùm specie; quare in diuinis non est pluralitas absolutorum, sed tantùm relatiuorum. Punctum autem Anima rationalis, &c quia sunt entia incompleta, non sunt simpliciter vniuersalia, sed tantùm secundùm quid; quare nec prædicantur de pluribus differentibus numero simpliciter; sed tantùm secundùm quid, in quantùm scilicet reducuntur ad aliquod prædicabile, cuius similitudinem sortiuntur.

Obiicitur tandem tertiò, quòd Sol, Luna, Phænix, & quælibet species Angelica non prædicantur de pluribus, cùm vnicum habeant indiuiduum, in quo conseruantur. Item species rerum spiritualium nequeunt etiam prædicari de pluribus differentibus numero; siquidem cùm earum indiuidua careant materia, & quantitate, non poterunt differre numero, qui est de specie quantitatis: ergo saltem definitio speciei prædicabilis non est rectè assignata.

Respondetur, quòd Sol, Luna, Phænix, licèt vnicum tantùm habeant indiuiduum de facto, non tamen de possibili repugnat saltem ex principiis specificis talium naturarum habere plura, quare saltem habent potentiam logicam, seu non repugnantiam ad prædicandum de pluribus specie differentibus. Species autem angelicæ, si considerentur secundùm se quatenus scilicet formæ simplices sunt, nequeunt sanè prædicari de pluribus: at verò secundùm nostrũ modum intelligendi, qui est cognoscere naturam specificam præcisam à conditionibus indiuiduantibus prædictæ species sunt vniuersales, ac de pluribus prędicabiles; nam tunc abstrahunt ab hoc, vel illo indiuiduo, cùm abstrahant à conditionibus indiuiduantibus, & concipiantur ab intellectu indifferentes ad hoc, vel illud indiuiduum: vnde si per impossibile plura haberent indiuidua, determinarentur ad vnum

A quodque eorum per differentiam indiuidualem vnius cuiusque; quod est ipsas concipere vt vniuersales, ac prædicabiles, vt patet. Ad illud verò, quod dicitur de speciebus rerum spiritualium: Respondetur quòd numerus, cuius est sermo in definitione, non est prędicamentalis, ac de specie quantitatis, sed transcendentalis, qui reperitur in omnibus rebus, ac prædicamentis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Species vt formaliter subiicibilis, sit formaliter vniuersalis.

B

ANte resolutionem difficultatis supponere debemus, quòd in homine, e.g. sunt quatuor relationes rationis; duæ respectu inferiorum, ac totidem respectu superiorum: respectu inferiorum sunt vniuersalitas, prædicabilitas; respectu verò superiorum, subiicibilitas naturæ *in qua*, scilicet est prædicatum superius, e.g. animal, & subiicibilitas naturæ *de qua*, scilicet tale superius prædicatur: & sicut prædicabilitas est passio vniuersalitatis; ita subiicibilitas naturę *de qua* est passio subiicibilitatis naturæ *in qua*. Dubium itaque procedit de natura specifica, quatenus dicit relationem ad superiora, quæriturque, an species vt subiicibilis est, pariter vniuersalis sit, quod intelligitur in sensu formali; nam in sensu materiali certum C est eandem naturam esse simul (secundùm diuersos respectus tamen) subiicibilem, & vniuersalem, seu prædicabilem.

In hac quæstione tria sunt Doctorum placita: primum est Caiet. in hoc capite, atque aliorum asserentium subiicibilitatem in specie habere rationem essentiæ, a qua tanquam passiones oriuntur vniuersalitas, & prædicabilitas; vnde sequitur; quòd species formaliter vt subiicibilis, sit etiam formaliter vniuersalis sicut sequitur, quòd homo inquantùm homo sit etiam risibilis.

Secundum verò placitum est Toleti in hoc cap. q. vnica ad. 1. Sanch. qu. 33. & aliorum asserentium in specie vniuersalitatem habere rationem essentiæ, à qua tanquam passiones procedere prædicabilitatẽ, D ac subiicibilitatem: vnde tenentur concedere, quòd si species inquantùm prædicabilis, est vniuersalis, sit etiam vt subiicibilis, cùm per prædictos Doctores non sit maior ratio de prædicabilitate, ac de subiicibilitate, vtpote ambæ passiones vniuersalitatis.

Tertium tandem placitum est ferè omnium Doctorum, tam ex schola D. Tho. vt videre est apud Compl. disput. 5. q. 3. quàm ex schola Scoti, vt testantur Mastrius, & Bell. disput. 5. q. 2. art. 2. asserentium vniuersalitatem, ac subiicibilitatem non habere inter se rationem essentiæ, & proprietatis, sed esse omnino disparatas, & diuersas, & consequenter speciem vt subiicibilem nunquam esse posse formaliter vniuersalem.

Notandum tamen est pro resolutione difficultatis, quòd ideò prædicabilitas est passio vniuersalitatis, quia immediatè fluit ab ipsa, & omnino ab ea dependet: nam ex eo, quòd intellectus comparat naturam

ram ad inferiora vt quid in illis existens, quod est essentia vniuersalis, tunc prædicta natura redditur aptior, & vltimò disposita, vt comparetur ad ipsamet inferiora tamquam id de illis prædicabile, quod est passio vniuersalis: hoc autem sequitur, quia ista secunda comparatio intellectus ad inferiora pendet à prima: nam, quia natura est in multis, redditur aptior vt de illis possit prædicari. Hoc tamen non verificatur de relatione subiicibilitatis: nam ex eo, quòd intellectus comparat naturam specificam ad superiora, scilicet ad genus, vt quid eidem generi subiicibile; natura illa per talem comparationem non fit aptior, nec vltimò disposita, vt comparetur ad inferiora vt quid de illis prædicabile; & consequenter, cùm ista secunda comparatio, nempe ad inferiora vt quid de illis prædicabile, non dependeat à prima, secundùm quam species generi subiicitur, hinc est, quòd relatio subiicibilitatis non est essentia, a qua fluit prædicabilitas; nec vniuersalias est essentia, à qua fluit subiicibilitas.

Dicendum est ergo, quòd species quatenus formaliter subiicibilis est, non est formaliter vniuersalis. Probatur ex dictis; quia natura specifica constituitur in esse subiicibilis per ordinem ad genus, cui comparatur vt subiectum ab eo contentum: vniuersale verò constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad inferiora respectu quorum est prędicatum continens ipsa: ergo species inquantùm subiicibilis, non est formaliter vniuersalis.

Dices; relatio, qua species respicit genus, necessariò supponit vniuersalitatem in specie; alias definitio speciei subiicibilis conueniret aliquo pacto etiá indiuiduo: ergo subiicibilitas in specie erit tanquam passio ab ipsa vniuersalitate proueniens; & consequenter, si species inquantùm prædicabilis est vniuersalis, quia prædicabilitas est passio vniuersalitatis; propter eandem rationem species subijcibilis erit vniuersalis, scilicet quia subiiciuilitas est passio vniuersalitatis eiusdem.

Respondetur, subiicibilitatem, qua species respicit genus, tantùm requirere in specie vniuersalitatem metaphysicam, seu fundamentalem, scilicet indifferentiam negatiuam, quam habet ipsa natura ab abstractione intellectus per quod sufficienter distinguitur species subiicibilis ab indiuiduo: statim enim ac natura est sic abstracta, potest intellectus, prout sibi placuerit, ipsam comparare, vel ad genus, vel ad indiuidua; atque ita tales relationes videntur omnino disparatæ, ac diuersæ.

Obijcit primò in oppositum prima sententia, quòd de ratione speciei est respicere genus, & sub ipso collocari; sed quod collocatur sub genere, habet sub se indiuidua, eaque respicit: ergo relatio respiciendi indiuidua, & de ipsis prædicandi erit passio subijcibilitatis: ergo species vt subiicibilis, erit formaliter vniuersalis, ac prædicabilis, cùm vniuersalitas, & prædicabilitas sint passiones subiicibilitatis.

Respondetur negando minorem; quia non ex eo, quòd species collocatur sub genere, respicit indiuidua, & de illis prædicatur; sed ex eo, quia in illis reperitur. Quare etiam negatur consequentia: nam passio subijcibilitatis naturæ *in qua*, est tantùm subijcibilitas naturæ *de qua*, vt præsuppositū est suprà; minimè verò prædicabilitas.

A Obijcit secundò secunda sententia, quòd correlatiua, vt sunt genus, & species, sunt sub eodem genere: sed genus in quantùm genus, est vniuersale: ergo species subijcibilis inquantùm subijcibilis, etiam debet esse vniuersalis.

Confirmatur; nam quòd immediatè subijcitur generi, prædicatur de multis, & est vniuersale: sed species quatenus subijcibilis, immediatè subijcitur generi: ergo quatenus subijcibilis prædicatur de multis, & est vniuersalis; maximè quia vt subijcibilis reduplicatiuè constat ex genere, ac differentia.

Respondetur, quòd correlatiua solùm habent, quòd sint sub eodem genere remoto relationis: nam dantur correlatiua disquiparantiæ, quæ sunt sub diuerso genere proximo, vt dicetur suo loco: nec genus B habet prædicari de pluribus formaliter ex hoc, quòd subijcitur vniuersali, quia subijci, & prædicari important diuersos respectus. Nec Confirmatio aliquid aliud concludit, quàm speciem, vt subijcitur, esse materialiter vniuersalem, hoc est, illam rem, quæ subijcitur generi, debere esse naturam quæ denominari possit vniuersalis, non formaliter prout subijcitur, sed aliunde: neque genus, & differentia prout constituunt speciem, habent rationem vniuersalis formaliter.

Obijcit tandem tertiò eadem secunda sententia, quòd species subijcibilis prædicatur essentialiter, de hac, & illa specie subijcibili: ergo quatenus subijcibilis, est etiam vniuersalis.

Respondetur concedendo quidem antecedens; sed hoc ideò est, quia prædicto modo considerata, est suC bijcibilis tantùm materialiter; formaliter autem, vel est genus, si prædicetur de pluribus differentibus specie; vel species, si prædicetur de pluribus differentibus numero.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Indiniduum rectè à Porphyrio definiatur.

IN hac quæstione est Auersa cap. de Genere, qui primam reprehendit indiuidui definitionem, qua D dicitur esse *id, quod de vno solo prædicatur*, tanquam non conuenientem tum indiuiduis substantiæ, tum indiuiduis accidentis. Cæteri verò affirmant talem definitionem esse optimam, licèt in eam explicando non omnes eodem modo conueniant.

Notandum tamen est primò, quòd sicut natura specifica potest significari tam nominibus primæ intentionis, vt sunt homo, leo, &c. quam nominibus secundæ intentionis, vt species, vniuersalis, &c. ita etiam natura particularis significari potest nominibus primæ intentionis, vt sunt persona, hypostasis, prima substantia, petrus, hic homo, &c. & etiam nominibus secundæ intentionis, vt sunt singulare, indiuiduum, particulare, suppositum, &c. quapropter prædicta prima indiuidui definitio, nempe *quod sit id, quod de vno solo prædicatur*, non quidem prædicatione doctrinali, & artificiali, sed tantùm identica, & naturali; conuenit indiuiduo secundò inten-

intentionaliter sumpto: secunda verò definitio, quòd scilicet sit *id cuius collectio proprietatum ita est in vno, vt nunquam in alio fiat*, conuenit indiuiduo primòintentionaliter sumpto. Vtraque verò definitio facit hunc sensum, nempe indiuiduum est natura quędam, quę ad se ipsam, & non ad plura refertur, ac de se ipsa, & non de pluribus prędicatur.

Notandum secundò, quòd sicut in definitionibus vniuersalium res definita est secunda intentio in concreto; ita vt ipsa secunda intentio sit res, quæ definitur; natura verò sit id pro quo supponit, & in quo exercetur definitio: sic in hac definitione definitum est secunda intentio, à qua res denominatur indiuidua, & singularis; naturæ verò particulares sunt id, pro quo supponit, & in quo exercetur definitio, absque eo, quòd detur aliquid reale vniuocum prædictis naturis commune, vt dictum est suprà disput. 3. q. 4. not. 2. Vnde fit, quòd sicut definitio, e. g. generis non solùm conuenit secundæ intentioni, sed etiam naturæ, cum hoc discrimine tamen, quòd secundæ intentioni conuenit immediatè, principaliter, & essentialiter; naturæ verò tantùm mediatè, secundariò, & denominatiuè; ita etiam à pari prædicta prima indiuidui definitio primò, immediatè, & essentialiter conuenit secundæ intentioni; naturæ verò, siue indiuiduis substantiæ, quæ sunt indiuidua primòintentionaliter sumpta, conuenit, secundariò, mediatè, ac denominatiuè.

Dicendum est ergo, quòd talis definitio indiuidui secundòintentionaliter sumpti, nempe quòd sit id, quod de vno solo prædicatur, est optima, quæ etiam conuenit indiuiduis substantiæ, denominatiuè tamen.

Probatur prima pars; quoniam habet aliquid loco generis, scilicet ly *quod prædicatur*; & aliquid loco differentiæ, nempe ly *de vno solo*: neque est superflua, cùm præter particulas necessarias non contineat alias; ac per ipsam distinguitur indiuiduum ab vniuersalibus, cùm vniuersalia prædicentur de pluribus: ergo est optima, licèt descriptiua, sicut definitio generis, & speciei: nam definitio essentialis indiuidui in abstracto esset hæc; scilicet, indiuidualitas est relatio rationis naturę, quę tantùm potest respicere se ipsam, relatione prædicabilitatis; seu quæ nulla habet inferiora, de quibus prædicabilis sit.

Probatur secunda pars: quoniam ex dictis indiuidua substantiæ, seu primæ substantiæ sunt, quæ denominantur ab intentione indiuiduitatis, indiuidua, & mediante tali denominatione sunt id, quod de vno solo prædicatur: ergo mediatè, ac denominatiuè illis conuenit prædicta definitio.

Obijcitur primò in oppositum primæ partis conclusionis, nam Aristoteles 7. Met. cap. 15. docet, quòd indiuiduum, siue singulare non potest definiri, neque de ipso potest dari scientia: ergo talis definitio non est rectè assignata.

Respondetur, Aristotelis dictum intelligendum esse de indiuiduo primòintentionaliter sumpto, prout significat, vel includit determinatum indiuiduationis principium; non autem secundòintentionaliter.

Contra tamen est, quòd per secundam indiuidui definitionem, quando dicitur *cuius collectio proprietatum, &c.* definitur indiuiduum primòintentionaliter sumptum, vt dictum est suprà: ergo nulla responsio.

Respondetur; indiuiduum primòintentionaliter

A posse dupliciter sumi, vel materialiter, ac determinatè, vt includit in se determinatum indiuiduationis principium, vt Sortes, & Plato; & sic non potest definiri, vt dictum est: vel formaliter, & secundùm quandam communitatem, prout scilicet Sortes, & Plato significant naturam cum particulari modo essendi, abstrahendo ab hoc, vel illo essendi modo; & sic potest definiri, ac definitum fuit à Porphyrio, sicut definiuit Aristoteles primam substantiam; cùm habeat sufficientem communitatem.

Obijcitur secundò in oppositum eiusdem primæ partis, quòd indiuiduum dicitur de Sorte, Petro, Paulo, &c. nam valet dicere, Sortes est indiuiduum, Petrus est indiuiduum, &c., ergo prædicatur de pluribus, & non de vno tantùm.

B Respondetur, in illis prædicationibus, tantùm prędicari secundam intentionem, quæ est omnibus communis, & quid vniuersale, non verò naturam particularem; ac proinde prædicationes adductæ non sunt prędicationes indiuidui, sed accidentis: nam sicut hęc prædicatio, Animal est genus, non est prædicatio generis, cùm non per se, sed tantùm accidentaliter conueniat animali esse genus (propriè enim hæc tantùm est prædicatio generis, Homo est animal, cùm animal essentialiter, ac per se conueniat homini) ita hęc prædicatio, Sortes est indiuiduum, non est prædicatio indiuidui, sed tantùm accidentis.

Obijcitur tandem tertiò in oppositum secundę partis conclusionis, quòd Aristoteles cap. de Subs. dicit, quòd prima substantia, e.g. Petrus, non est in subiecto,

C neque de subiecto dicitur. Deindè 7. Met. ait, quòd à prima substantia nulla est prædicatio: sed prima substantia non differt ab indiuiduo prædicamenti substantiæ; ergo hęc definitio non conuenit indiuiduis de prædicamento substantiæ; & consequenter non est bona, cùm non conueniat omnibus sub definito.

Respondetur, quòd quando Aristoteles dixit indiuiduum substantiæ de nullo prædicari, intellexit de prædicatione formali, & doctrinali, cùm ibi subiectum, & prædicatum non habeant rationem neque subiecti, neque prædicati propriè dicti; non autem asseruit de nullo prædicari prędicatione naturali, & identica.

D

DISPVTATIO V.

De Differentia.

Explicatis vniuersalibus, quæ prædicantur in quid, accedendum est ad illa vniuersalia, quę prædicantur in quale; & primo loco agendum est de differentia, quæ prædicatur in quale essentiale, deinde de aliis, quæ prædicantur in quale accidentale, cùm omne essentiale præcedat accidentale.

QVÆS-

QVÆSTIO I.

Qualis sit diuisio Differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam.



SVpponendum est primò, per prædictam diuisionem, tantùm diuidi differentiam, quę aliquo modo potest pertinere ad hoc prædicabile, hoc est, quæ potest recipere intentionem vniuersalitatis, ac prædicabilitatis; quapropter excludenda est ab hac diuisione differentia indiuidualis, qua Sortes, e.g. differt à Platone, cùm sit incapax vniuersalitatis, vt patet. Potest tamen aliquo modo reduci ad differentiam proprijssimam, ex ea parte scilicet, qua facit differre substantialiter, sumiturque radicaliter ab vna parte substantiæ, in quo assimilatur differentiæ proprijssimæ; licèt ex qua parte sumitur etiam à quantitate, iuxta ea, quæ dici solent in metaphysicis, & appellatur accidentalis, reducatur quodammodo ad communem: quantitas enim est accidens commune, vt dicetur suo loco.

Supponendum est etiam secundò, prædictam diuisionem esse adæquatam, cùm includat omnes differentias, & præter istas nulla alia sit assignabilis: nam quidquid verè differt ab alio, vel differt secundum essentiam; vel secundùm accidentia: si primum, erit differentia proprijssima, seu essentialis: si secundùm; vel est accidens proprium, & sic erit differentia propria; vel accidens commune, & sic erit differentia communis: præter istos autem modos differendi non videtur alius assignabilis, vt manifestum est.

Supponendum est tandem tertiò, tam diuisum, quàm membra diuidentia (quidquid dicant Mastrius, & Bell. disput. 5. q. 3. §. *Altera difficultas*) hic sumi secundòintentionaliter; tum quia sic communiter explicant Doctores: tum etiam quia nomen differentiæ est terminus secundæ intentionis sicut genus, species, &c. tum denique quia sic diuisio ista propriè per se pertinet ad Logicam tam ex parte diuisi, quam ex parte membrorum diuidentium: atque ita sensus diuisionis erit; Secunda intentio differentiæ alia est, quæ facit differre communiter, alia propriè, & alia proprijssimè; in quo sensu dubitatur à Dialecticis, qualis sit ista diuisio, æquiuoca scilicet, an vniuoca, vel analoga.

Prima sententia fuit aliquorum, quos sinè nomine citant Complut. disp. 7. q. 1. dicentium prædictam diuisionem esse purè æquiuocam.

Secunda verò sententia docet talem diuisionem esse vniuocam, generisque in suas species. Ita Onna hic q. 1. art. 2. Cauer. tract. 3. disput. 4. dub. 2. & alij moderni; quibus etiam fauent Mastrius, & Bell. loco citato §. *Vltima difficultas*, licèt addant esse cum analogia admistam.

Tertia tandem sententia docet prædictam diuisionem, etiam secundòintentionaliter sumptam esse analogam. Ita Auicenna in sua logica. B. Albertus M. tract. 5. in Porph. cap. 1. Iauell. Caiet., & Sot. in

A hoc cap. Masius ibidem q. 3. sect. 1. Sanch. lib. 3. q. 22. Bald-Gherard. disput. 2. q. 4. diff. 1. atque alij.

Notandum tamen est, quòd cùm ex dictis disp. 3. q. 4. propria ratio differentialitatis, secundùm quòd constituit hoc tertium prædicabile consistat in hoc, quòd scilicet sit vniuersalitas naturæ constitutiuæ, seu contractiuæ; necesse erit, quòd id, quod simpliciter habet talem rationem, sit in eodem genere cum potentia, seu cum constituendo, cuius est actus siue constitutiuum, aliàs ex vtroque non fieret vnum per se, sed tantùm per accidens. Hoc autem nullo modo potest competere differentijs communi, & propriæ, quippe quæ sunt extra genus, & prædicamentū illius, quod actuant, & constituunt, faciuntque cum illo compositum accidentale, vt patet. Optimè B tamen conuenire potest differentiæ proprijssimæ, quę est in eodem genere, seu prædicamento, cum ipso genere, quod actuat, & constituit (loquimur autem de genere, ac differentiis subalternis) vt patet de sensitiuo, quod est in eodem prædicamento substantię cum animali, quod actuat, & constituit. Quamobrē sola differentia proprijssima simpliciter habebit rationem differentialitatis; cæterę verò secundùm quid, nempe per quandam analogiam: & proportionem.

Dicendum est ergo, quòd diuisio Differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam, etiam secundòintentionaliter sumpta, est analoga. Probatur, quoniam illa diuisio dicenda est analogi in sua analogata, cuius membra diuidentia non æqualiter participant rationem formæ denominantis, sed vnum simpliciter, cætera verò secundùm quid: sed in hac C diuisione membra diuidentia, nempe differentia communis, propria, & proprijssima, non æqualiter participant rationem formæ denominantis, scilicet differentialitatem, sed vnum simpliciter, quemadmodum est differentia proprijssima, cætera verò secundùm quid: ergo talis diuisio est analogi in sua analogata. Consequentia benè deducitur. Minor constat ex notatis. Maior autem probatur ex ijs, quæ dicenda sunt in Antepraedicamentis loquendo de analogis, in quibus ratio, seu forma denominans non æqualiter ab omnibus participatur, sed à primo analogato simpliciter, à cæteris verò secundùm quid: sanitas, e.g. simpliciter participatur ab animali, à medicina verò, & vrina tantùm secundùm quid, cùm vna illarum eam causet, altera tantum demonstret.

D Obiicitur primò, quòd adducta ratio non obstat, quin vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia: nam duo priora prædicantur essentialiter, & posteriora accidentaliter: ergo non obstabit etiam, quin intentio differentiæ sit genus vniuocum ad tres particulares intentiones per hoc, quòd vna faciat differre propriissimè, alia propriè, alia tantùm communiter. Probatur consequentia: cùm eadem sit vtrobique ratio; nam ideò vniuersale est genus, quia omnia prædicabilia, simpliciter sunt rationes prædicandi de pluribus independenter ab inuicem: sed etiam illæ tres intentiones differentiæ faciunt differre independenter ab inuicem; nam licèt tolleretur differentia propriissima, adhuc remanerent aliæ: ergo diuisio prædicta est vniuoca, generisque in suas species.

Respondetur negando consequentiam; ad cuius probationem dicendum est, quòd sublata differentia

pro-

propriissima auferretur etiam tertium prædicabile, tam physicè, quàm logicè loquendo; quia tunc nihil esset, quod intra idem genus posset esse simpliciter actus, & constitutiuum respectu generis, & consequenter neque simpliciter denominari differentia; quod tamen non contingit in prædicabilibus essentialibus respectu accidentalium, vel è contrà, vt consideranti patebit, & ideò ratio vniuersalis potest esse omnibus illis vniuoca, non verò ratio differentiæ istis tribus.

Obiicitur secundò, quòd licèt substantiæ, & accidenti nihil detur physicè vniuocum, & accidens physicè dependeat à substantia; tamen æqualiter denominantur à secunda intentione generis, & speciei, genera, & species: ergo à pari licèt differentiæ communis, & propria dependeant physicè à propriissima, & sic nihil habeant commune vniuocum; tamen secunda intentio differentiæ potest illis esse quid commune vniuocum; quod apertè docuit Porphyrius in hoc capite, asserens Commune esse his tribus differentiis facere differre.

Respondetur negando consequentiam; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt physicè accidens dependeat à substantia, tamen ad fundandas intentiones istas generis speciei differentiæ, &c. se habent æqualiter: nam in vtroque est compositio ex actu, & potentia; atque ita æqualiter in illis inuenitur ratio perfectibilis perfectiui, ac perfecti, & consequenter in illis sunt vera genera, veræ species, ac differentiæ. Differentia autem communis, propria, & propriissima se habent inæqualiter, etiam respectu eius, cuius sunt differentiæ, & duæ priores faciunt cum illo compositionem accidentalem; vnde tantùm reductiuè, & per quandam analogiam sunt differentiæ, & hoc modo explicandus est Porphyrius in hoc capite.

Obiicitur tandem tertiò, quòd intellectus noster aliquando distinguit Petrum, e. g. ab æthiope, & ab equo, per albedinem, ac risibilitatem, absque eo, quòd apprehendat albedinem esse accidens, siue differentiam communem, & risibilitatem esse proprietatem, siue differentiam propriam; sed solùm apprehendit prædicta sub ratione differentiæ vt sic: ergo ratio differentiæ æqualiter attribuitur ab intellectu his tribus intentionibus scilicet differentiæ communi, propriè, ac propriissimæ; ac proinde est vniuoca huius diuisio, generisque in suas species.

Respondetur, quòd quando intellectus comparat differentiam propriam, & communem inter Petrum, æthiopem, & equum; sicut quando comparat aliquid incompletum habens modum generis, aut speciei respectu suorum inferiorum, vt quando animam apprehendit vt genus respectu vegetatiuæ, ac sensitiuę, aut punctum vt speciem respectu huius, aut illius puncti: tunc per tales actus resultant intentiones in huiusmodi naturis, quæ intentiones ex suo genere sunt quid imperfectum, & tantùm reducuntur ad aliquod prædicabile, sicut embrio reducitur ad speciem animalis, licèt secundùm se ad nullam pertineat: sed hoc nihil ad præsens, cùm sit sermo de prædicabilibus secũdum se, non autem per reductionem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm secunda definitio differentiæ non solùm conueniat differentijs subalternis, sed etiam atomis, & infimis.

SVpponendum est in hac quæstione, Porphyrium adduxisse omnes illas definitiones, quibus tunc solebat definiri differentia; vnde non est necessarium, quamlibet definitionem esse in re distinctam ab alia, aut explicare diuersam perfectionem, siue munus differentiæ, vt patet in tertia, & quarta, quæ inter se parum, aut nihil differunt, atque ideò non omnes sunt exactæ, sed tantùm secunda, & vltima, quare in vltima quasi correxit alias (secũda tamen excepta) quæ poterant conuenire, etiam differentiæ communi, & propriæ: nam per ly *Quod pertineat ad substantiam, & rationem, sitque pars rei*, ita restrinxit ad differentiam propriissimam, vt non conueniat alteri: propterea omnes etiam has definitiones ad duas possumus reducere, nempe ad secundam, & vltimam, quæ adæquatè conueniunt differentiæ propriissimæ; ex quibus hæc vltima est essentialis coinciditque cum ea, quam supra disput. 3. q. 4 diximus formandam esse ex definitione essentiali sui abstracti, vt consideranti patebit: altera verò est descriptiua, quia traditur per prædicari, quod est proprietas vniuersalis, de qua modò quæritur, an conueniat tam differentiis subalternis; quàm vltimis.

Extant autem circa hoc duæ sententiæ, quarum prima asserit, hanc secundam definitionem differentię competere differentiis vltimis; sed eius Auctores non omnino conueniunt in explicatione: aliqui enim dicunt, quòd ly *Prædicari de pluribus differentibus specie*, non solùm intelligitur de his, quæ inter se specie differunt; verùm etiam de his, quæ licèt inter se specie non differant, ab aliis tamen specie distinguuntur; vt patet de rationale, quod dicitur de Petro, & Paulo, qui estò inter se specie non differant; differunt tamen ab equo, & leone. Hos autem refert Auicenna cap. præsenti, & Beatus Albertus M. tract. 5. cap. 6. Alii verò asserunt, hanc definitionem conuenire per non repugnantiam differentiis vltimis, de quorum numero sunt Caiet. in explicatione huius definitionis dub. vnico, & Sotus hic q. vnica ad 6.

Secunda verò sententia est D. Tho. 2. Post. lect. 13. Scoti hic, & fere omnium eorum discipulorum, qui asserunt, hanc definitionem conuenire tantùm differentiis subalternis.

Notandum est idcirco primò, Porphyrium specialiter definiuisse differentiam subalternam quia eius vsus frequentior est in disputationibus, diuisionibus, ac definitionibus; quapropter in sequenti capite ècontrà tantùm definiuit proprium infimum, licèt proprium subalternum verè, & simpliciter sit proprium, sicut differentia infima verè & simpliciter sit differentia: quapropter in hoc imitatus est Aristotelem, qui estò vltimas cognouerit differentias, tamen 2. Post. cap. 14. 15. 16. & 17. & 1. Top. cap. 3. agens ex professo de differentia in ordine ad demonstra-

menstrationem, & argumenta probabilia, solùm meminit subalternarum; ac tandem. 1. Topic. cap. 3. agens de proprio, solùm illud firmum definiuit.

Notandum secundò, quòd essentia, & propria passio alicuius rei non potest illi conuenire negatiuè, aut per non repugnantiam, sed tantùm positiuè, vt patet: quapropter repugnat prædictam definitionem differentiæ conuenire differentiis vltimis per non repugnantiam; quamuis enim definitio illa sit descriptiua, tamen repugnat propriam passionem alicuius rei conuenire eidem per non repugnantiam, siue negatiuè; cùm passiones tutum sit esse re risibilitatem, e. g. conuenire homini per non repugnantiam, siue negatiuè: nam est aliquid positiuum proueniens ab essentia, vnde positiuè pariter, homini competere debet.

Dicendum est ergo, definitionem differentiæ subalternæ non competere differentiis vltimis. Probatur manifestè: quoniam differentiæ vltimæ prædicantur de pluribus differentibus numero: ergo illis nequit conuenire prædicari de pluribus differentibus specie, quemadmodum prædicatur differentia subalterna. Consequentia patet. Antecedens probatur: rationale enim, quæ est differentia vltima, dicitur de Petro, Paulo, &c. qui solo numero differunt.

Obiicitur primò: nam definitio Quanti, nempe *quod sit diuisibile in ea, quæ insunt, &c.* vt videbitur suo loco, licèt positiuè conueniat aliquibus rebus puta ligno, lapidi, &c. aliis etiam conuenit negatiuè, & per non repugnantiam, vt cælo, quod cùm sit incorruptibile, diuidi non potest; puncto, &c. quæ licèt quanta sint, illis tamen repugnat diuidi: ergo à pari definitio ista differentiæ, per non repugnantiam, etiam conuenire poterit differentiis vltimis.

Respondetur, propriam passionem quantitatis non esse diuisibilitatem naturalem, & realem, sed mathematicam, siue per designationem; vnde quamuis cælum non sit realiter diuisibile propter rationem adductam, est tamen diuisibile mathematicè, nempe quatenus quantum. Punctum, autem si consideretur mathematicè, non est quantum, & consequenter indiuisibile; vnde nec per non repugnantiam illi potest conuenire definitio quanti: quòd si aliàs consideretur naturaliter, ac realiter, scilicet vt minimum naturale, quamuis vt tale nequeat diuidi, mathematicè verò, seu vt quantum est per designationem diuidi potest & consequenter falsum est, definitionem quanti prædictis, ac similibus rebus conuenire per non repugnantiam, cùm illis positiuè conueniant.

Obiicitur secundò, quòd in hac definitione definitur ratio essentialis differentiæ: sed eadem ratio formalis, & essentialis differentiæ conuenit differentiæ subalternæ, & atomæ: ergo per hanc definitionem vtraque differentia definitur. Maior de se patet. Minor verò probatur: nam tam differentia subalterna, quàm atoma, essentialiter est differentia: ergo tam differentiæ subalternæ, quam atomæ conuenit hæc definitio.

Respondetur, quòd ratio essentialis differentiæ potest dupliciter considerari, vel vt sic; vel vt contracta per aliquod accidens vni differentiæ proprium, & alteri improprium, seu non conueniens. Quapropter si per huiusmodi definitionem esset definita ratio formalis, & essentialis differentiæ vt sic, vtique A concedendam esset vtrique differentiæ conuenire: at quia est definita ratio essentialis differentiæ per aliquod accidens contracta, nempe per prædicari de pluribus differentibus specie, quod tantùm conuenit differentiæ subalternæ: hinc est, quod negatur vtrique differentiæ conuenire.

Obiicitur tandem tertiò, quòd hæc definitio supponitur bona: ergo vt talis debet conuenire omni contento sub definito: ergo etiam differentiæ atomæ.

Respondetur negando secundam consequentiam: nam satis est, quòd conueniat omnibus differentiis subalternis, ad hoc vt dicatur conuenire omni contento sub definito: nam Porphyrius hic non definiuit differentiam in ratione quarti prædicabilis vt notatū est supra, sed differentiam subalternam. Quòd si B quæratur, quomodò definienda sit differentia in ratione quarti prædicabilis; respondetur, quòd definienda est hoc pacto, nimirum *Differentia est illa, quæ prædicatur de pluribus in quale quid*; & hæc conuenit omnibus differentiis propriissimis, siue subalternæ sint, siue atomæ; quia non exprimitur, an de pluribus differentibus specie, vel numero prædicetur.

QVÆSTIO III.

An differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad indiuidua, de quibus prædicatur.

C Titulus quæstionis propriè, & principaliter debet intelligi de differentia infima, quia hæc propriè potest comparari ad speciem, quam constituit, & ad eius indiuidua, de quibus prædicatur: attamen potest etiam trahi ad differentiam subalternam, proportione seruata, quamuis sub se propriè non habeat indiuidua; nam loco indiuiduorum habet alias species sub se inferiores; vt patet de Sensibili, e. g. quod constituit animal, habetque sub se species inferiores, scilicet rationale, & irrationale. Quare sensus quæstionis est, an tam differentia subalterna respectu suarum specierum inferiorum, quàm differentia vltima respectu suorum indiuiduorum sint formaliter vniuersales; an verò respectu generum, & D specierum, quæ constituunt.

Tres circa huiusmodi quæsitum extant sententiæ, quarum prima est aliquorum, quos sine nòmine refert Sanch. lib. 3. log. q. 28. asserentium, differentiam non esse vniuersalem neque per ordinem ad speciem, quam constituit, neque per ordinem ad indiuidua; sed tantùm per ordinem ad propria inferiora; vt loquendo, e. g. de differentia vltima, nempe de rationale, dicunt non esse vniuersale respectu hominis, neque respectu Sortis, ac Platonis, sed tantùm respectu huius, aut illius rationalis.

Secunda sententia docet, differentiam verè esse vniuersalem per ordinem ad speciem, quam constituit. Ita Caiet. Sotus. Tolet. in hoc cap. Bald. Gherard. q. 4. diffic. 4 atque alii.

Tertia tandem sententia docet, differentiam esse vniuersalem formaliter, tantùm per ordinem ad indiuidua, de quibus prædicatur. Ita D. Tho. 2. Post. lect.

lect. 13. Scot. q. 27. vniuer. quos sequuntur in hoc loco multi recentiores, vt Sanch, Onna, Ruu. Didacus, Auersa, Compl. Arriaga, Pasqualig. Fuentes, Mastr. & Bellut., & multi alii.

Notandum est tamen pro resolutione primò, quòd cùm de ratione differentiæ sit prædicari in quale quid; per ordinem ad ea debet constitui in esse vniuersalis, de quibus non tantùm in quid, & essentialiter, verùm etiam in quale, & per modum alteri adiacentis prædicatur; vnde manifestè conuincitur differentiam non esse formaliter vniuersalem per ordinem ad propria inferiora, de quibus tantùm in quid prædicatur, vt dum rationale prædicatur de hoc, aut illo rationali; sed per ordinem ad indiuidua, seu inferiores species, de quibus essentialiter quidem, sed per modum adiacentis prædicatur. Ratio enim est, quòd sicut quando genus prædicatur de indiuiduis genericis, vt animal de hoc aut illo animali, ex modo prædicandi non amplius habet rationem generis, sed suscipit conditionem speciei, quia prædicatur vt tota essentia eorum: ita à pari quando differentia prædicatur de propriis inferioribus, non ampliùs prædicatur vt differentia, & in quale, sed in quid vt tota essentia eorum ad modum speciei, vt manifestum est.

Notandum secundò, quòd prædicari de specie non æquiualet prædicari de pluribus indiuiduis; nam licèt hæc virtualiter contineantur in specie, attamen talis virtualis continentia non sufficit ad veram prædicationem vniuersalis, de qua loquimur in præsenti, tum quia sicut vniuersale est simpliciter vnum, ita dicit ordinem ad multa, non vtcunque, sed simpliciter multa; aliter enim non saluaretur propria abstractio, & superioritas, quam requirit vniuersale: indiuidua verò, prout virtualiter continentur in specie, non sunt simpliciter multa, sed potiùs simpliciter vnum, teste Porphyrio asserente, *Participatione speciei, plures homines sunt vnus homo*. Tum etiam quia species, quatenus de ipsa aliquid prædicatur, non est formaliter prædicabilis, seu formaliter subiicibilis; vnde quælibet virtualis, & potentialis continentia indiuiduorum est extra rationem formalem subiicibilis, siue subiecti; cùm de ratione subiecti formaliter prout sic, tantùm sit actu continere prædicata; sicut de ratione formali prædicati prout sic, tantùm est vicecuersa continere in potentia subiectum.

Dicendum est ergo, quòd differentia infima non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit; sed per ordinem ad indiuidua, de quibus prædicatur; quod etiam proportionabiliter affirmandum est de differentia subalterna.

Probatur; quoniam vniuersale est natura vna dicens ordinem ad plura inferiora: sed species non est quid inferius respectu differentiæ: ergo differentia non est vniuersalis respectu speciei, quam constituit, sed per ordinem ad indiuidua, &c. Maior patet. Minor verò probatur; quia superius ex Aristotele in post prædicamentis, est id, à quo non valet subsistendi consequentia; sed à differentia ad speciem, & econtrà valet consequentia, vt constat: ergo differentia non est superior respectu speciei.

Respondent aliqui, quòd licèt differentia physicè sit æqualis cùm specie; tamen logicè nempe inquantum prædicabilis, est superior; quia differentia prædicatur

A dicatur de specie prædicatione formali, hoc est, vt forma; species autem non prædicatur prædicatione formali de differentia, sed tantùm de indiuiduis, quod sufficit ad hoc, vt differentia sit vniuersalis respectu speciei, & quid superius.

Contra tamen est, quòd sequeretur, nullam esse prædicationem, logicè loquendo, æqualis de æquali, contra sententiam Porphyrii, omniumque Dialecticorum, qui asserunt tales prædicationes esse valdè aptas ad perfectissimam demonstrationem. Tum etiam, quia vniuersale tantùm est superius, logicè loquendo, respectu eorum, à quibus abstrahit abstractione totali, & vniuersali: sed differentia non abstrahit à specie abstractione totali, & vniuersali (non enim immediatè vnit speciem cum indiuiduis in vna ratione, neque multiplicatur per contractionem in specie, sed tantùm in indiuiduis) sed abstractione formali duntaxat, vt dictum est: ergo differen-
B tia respectu speciei non est quid superius, etiam logicè loquendo, sed tantùm respectu indiuiduorum.

Obiicit primò in oppositum conclusionis primæ sententia, quòd vnumquodque vniuersale habet propria particularia, cùm vniuersale, & particulare sint correlatiua: sed proprium particulare differentiæ infimæ, e. g. rationalis, non est homo, nec Petrus, cùm hæc sint correlatiua generis, & speciei: ergo eius proprium particulare erit hoc, aut illud rationale: ergo respectu eorum differentia constituetur vniuersalis, & non respectu speciei, quam constituit, aut indiuiduorum, de quibus prædicatur.

Respondetur, quòd vniuersale, ac particulare sunt correlatiua mediantibus relationibus rationis; prædicabilitatis, & subiicibilitatis; quapropter vna, & eadem res, e. g. Petrus poterit esse particulare di-
C uersorum vniuersalium secundùm diuersas relationes subiicibilitatis, quas habet: nam si consideretur secundùm relationem subiicibilitatis, quam habet, & per quam respicit totam essentiam, tunc est proprium particulare speciei; si autem consideretur secundùm quod per aliam relationem respicit constitutiuum suæ essentiæ, est proprium particulare differentiæ; quòd si adhuc consideretur secundùm aliam relationem subiicibilitatis, qua scilicet respicit naturam quandam profluentem a sua essentia, est proprium particulare proprii: tandem si consideretur, vt per aliam relationem, &c. respicit naturam extrinsecam aduenientem essentiæ, est proprium particulare accidentis: quo fit, vt diuersa vniuersalia, diuersa petant particularia, non quidem materialiter, & in esse rei, sed formaliter, & in esse subiicibilitatis.

D Obiiciunt secundo Auctores secundæ sententiæ, quòd differentia vt differentia est, seu vt est hoc tale vniuersale, ac tertium prædicabile, habet rationem vniuersalis, scilicet est vniuersalis formaliter: sed differentia constituitur in esse differentiæ, & vt tale vniuersale per ordinem ad speciem, quam constituit: siquidem si rationale, e. g. non contraheret animal, & constitueret hominem, non haberet rationem differentiæ: ergo differentia constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit.

Confirmatur, quia hæc prædicatio, Homo est rationalis est directa, & formalis, ac proinde alicuius prædicabilis: sed non alterius, quàm differentiæ, vt ex terminis patet: ergo differentia verè constituitur

in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam A constituit.

Respondetur negando maiorem: nam cùm nulla differentia formaliter vt talis includat genus, vt docet Metaphysici; quatenus talis non erit formaliter vniuersalis, cùm vniuersale sit genus illius, atque omniũ prædicabilium, vt dictum est; sed ad summum materialiter, ac fundamentaliter. Et ideò licèt quatenus tale vniuersale, seu vt differentia est, respiciat speciem, non propterea constituetur in esse vniuersalis per ordinem ad illam; sed per ordinem ad eius inferiora, &c.

Ad confirmationem verò respondetur, quòd prædicatio illa, *Homo est rationalis*, non est alicuius prædicabilis, nec superioris de suo inferiori; sed est alicuius prædicati topici de subiecto communi, cum B quo reciprocatur, sicut est illa, *Homo est risibilis*; vnde à quibusdam appellantur prædicationes tertii, & quarti prædicati, vt dicetur suo loco, non autem tertii prædicabilis.

Obiiciunt tandem tertiò Auctores eiusdem secundę sententiæ, quòd natura constituitur vniuersalis per ordinem ad ea de quibus primò, & immediatè prædicatur: sed differentia primò, & immediatè prædicatur de ipsa specie, & mediante specie de indiuiduis, & inferioribus: ergo est vniuersalis per ordinem ad ipsam speciem, non autem per ordinem ad indiuidua, &c.

Respondetur distinguendo maiorem: si enim sensus sit; vniuersale constitui in esse vniuersalis per ordinem ad ea, de quibus prædicatur immediatè, qua ratione est vniuersale, concedenda est; neganda C verò, si prædicetur immediatè; non vt vniuersale, sed alio modo. Differentia quidem, qua ratione vniuersalis est, non prædicatur immediatè de specie, sed tantùm de indiuiduis; atque ideò quamuis Petrus, & Paulus, e.g. sint rationales, quia sunt homines; rationale tamen non est vniuersale, quia respicit hominem, sed quia respicit Petrum, & Paulum: valdè quippe diuersa sunt, quòd Petro conueniat esse rationale, quia est homo; & quòd rationali conueniat secunda intentio vniuersalitatis, quia respicit hominem: primum enim est verissimum, secundum verò omnino falsum, vt patet.

D

DISPVTATIO SEXTA.

De Proprio.



POST considerationem prædicabilium essentialium, consideranda sunt duo alia prædicabilia, quæ accidentaliter, ac contingenter prædicantur. Prius tamen agendum est de proprio, quàm de accidente communi, quia magis, & intimiùs vnitur essentiæ, vtpote ab illa dimanans, vt quid inseparabile ab ipsa.

QVÆSTIO I.

Vtrùm proprium quarto modo tantùm acceptum constituat hoc quartum prædicabile.



CVM præsens quæsitum, idem ferè sit, ac quærere, an diuisio proprii in quatuor illos modos sit vniuoca, vel analoga; facilè ex dictis de differentia disput. antec. q. 1. resolui poterat: quia tamen quædam ampliùs desiderantur consideratione digna, quæ sub illis terminis explicari commodè non potuerunt; hinc est, quòd etiam sub istis modò proponendum videtur.

Supponendum idcirco est, quòd in definitione proprii quarto modo, nempe *quod est id, quod conuenit omni, soli, & semper*; ly conuenit omni, non distribuitur pro omni specie, vt patet, sed pro omnibus inferioribus, & indiuiduis ipsius speciei; quare idem erit ac dicere, proprium est, quod prædicatur de pluribus differentibus numero: quia verò in his acceptionibus Porphyrius non loquitur de conuenientia essentiali, vt patet, subintelligitur etiã *accidentaliter*. Ac tandem, quia talis conuenientia nascitur ex principijs essentialibus, cùm proprium conueniat suis inferioribus ratione formæ; addenda est etiam alia particula, scilicet *necessariò*; atque ita prædictæ definitio Porphyrij facit hunc sensum; *Proprium est, quod prædicatur de pluribus differentibus numero* (si tamen sit proprium infimum) *accidentaliter, sed necessariò*.

Quatuor circa hoc inueniuntur Doctorum sententiæ, quarum prima docet, tres priores acceptiones proprij, verè, & simpliciter pertinere ad hoc prædicabile, & consequenter, talem diuisionem esse vniuocam, generisque in suas species. Ita Louanien. & Cantper. in hoc cap. Mureia ibidem q. vnica, & Hurtad. disp. 6. Log. sect. 5 §. 21. & 22.

Secunda docet, secundam acceptionem proprij verè, & propriè pertinere ad hoc prædicabile. Ita Fonse. 5. Met. cap. 28. q. 19. sect. 4. ad 1. & 2. & Conimb. q. 1. de proprio.

Tertia verò docet, tertiam proprij acceptionem verè, & propriè pertinere ad hoc prædicabile. Ita aliqui recentiores, quos sine nomine citat Ruu. hic q. 1.

Quarta tandem sententia docet, vltimam proprij acceptionem tantùm verè, & propriè constituere hoc prædicabile: cæteræ verò acceptiones simpliciter pertinere ad quintum prædicabile, & tantùm secundum quid, & per reductionem ad hoc quartum; ad eum ferè modum, quo de differentiá communi, & propria dictum est pertinere ad tertium; ac proinde talem diuisionem proprij non esse vniuocam, sed tantùm analogam. Ita Arist. 1. Top. cap. 2. Porphyr. in hoc cap. D. Tho. Opusc. 48. cap. 6. & 7. Iauell. Caiet. Suar. Mas. in hoc cap. Compl. disp. 8. q. 1. Mast. & Bell. disp. 5. q. 4. art. 2. Bald. Gherard. q. 5. diffic. 1. & alij

alij quamplures.

Notandum est primò: esse medicum, e. g. vel geometram posse capi tripliciter: primò pro generali aptitudine, seu capacitate, quam habet homo ad acquirendas scientias, ex eo, quòd rationalis est: secundò pro habitu, vel actu Medicinæ, siue Geometriæ: tertiò pro peculiari habitudine, & inclinatione, qua aliqui homines potius inclinantur ad vnam scientiam, quam ad aliam. Primò modo, cùm proueniat ex principijs essentialibus ipsius hominis, vt homo, seu rationalis est, atque conueniat omni indiuiduo speciei humanæ, ac semper, erit proprium quarto modo. Secundo verò, & tertio modo, cùm proueniat ex principijs materialibus, & indiuidualibus, & ex diuerso hominum temperamento, aut etiam ex vario siderum aspectu sub quo quisque natus est; conueniet quidem soli speciei, sed non omnibus eiusdem indiuiduis, vnde erit proprium tantùm primo modo acceptum.

Notandum secundò, quòd illud, quod habet necessariam connexionem cum essentia, licèt possit ab ea præscindi abstractione præcisiua, considerando scilicet essentiam absque illo; non tamen præscindi potest abstractione composita; ita scilicet, vt absque præiudicio talis essentiæ negetur de ea, aut affirmetur eius oppositum: esse enim medicum, e.g, bipedem, aut canum, possunt non solùm præscindi, verùm etiam negari, & eorum oppositum affirmari de hominis essentia: esse verò risibilem potest quidem abstrahi, & præscindi à rationalitate, siue essentia hominis; negari verò, aut eius oppositum affirmari nequaquam potest; & per hoc distinguitur proprium a quinto prædicabili.

Dicendum est ergo, quòd Proprium quarto modo acceptum, tantùm constituit hoc quartum prædicabile. Probatur; nam illud est verè, ac simpliciter proprium, habetque rationem quarti prædicabilis, quod dimanat a principijs essentialibus, & cum eis habet naturalem, & necessariam connexionem: sed tantùm proprium quarto modo acceptum, est huiusmodi: ergo, &c. Maior, & consequentia constant. Minor verò probatur: nam risibilitas, e.g. quæ conuenit omni, soli, & semper, dimanat ab essentia, nempe à rationalitate, quia de ea nequit negari, neque illius oppositum affirmari potest: ergo ex notatis secundo loco, prouenit a principijs essentialibus illius, & cum eis habet naturale, ac necessariam connexionem.

Obijciunt primò Fautores primæ sententiæ, quòd accidens commune solùm respicit inferiora sub formalitate contingentis; tres verò priores illæ acceptiones proprij non sub formalitate contingentis; sed prima vt quid conueniens soli speciei, licèt non omni indiuiduo: secunda omni indiuiduo, licèt non solius speciei: tertia verò omni indiuiduo solius speciei, licèt non semper: ergo tres priores acceptiones proprij etiam per se pertinent ad quartum, nullo verò pacto ad quintum prædicabile.

Respondetur, quòd licèt priores tres illæ acceptiones proprii, formaliter prout sic habeant speciales modos, seu formalitates respiciendi inferiora, distinctas ab intentione quinti prædicabilis; quia tamen non dimanant ab essentia, vt essentia est, siue à principiis essentialibus, & formalibus rei; hinc est, quòd non constituunt proprium in ratione quarti prædicabilis.

A Obiiciunt secundò Fautores secundæ sententiæ, quòd id, quod conuenit omni, & semper, conuenit necessariò: sed proprium in secunda acceptione conuenit omni, & semper: ergo conuenit necessariò; ac proinde non spectabit ad quintum prædicabile. Minor, & consequentia constant. Maior verò probatur; quia si ad veram, & formalem rationem proprii esset necessarium, vt soli speciei conueniret; proprium subalternum non esset verè proprium, sed accidens commune respectu speciei infimæ, quod tamen est falsum: ergo, &c.

Respondetur negando maiorem, cùm falsum sit, quòd id; quod conuenit omni, & semper, conueniat necessariò, vt patet de albedine cycni, & nigredine coruí, &c., quæ sunt accidentia inseparabilia; sed

B requiritur, quòd fluat à principijs essentialibus rei, vt dictum est; quod non habet proprium in secunda, & tertia acceptione. Ad cuius probationem dicendum est, quòd ad rationem veræ proprietatis sufficit, quòd conueniat soli essentiæ, à qua dimanat, siue omnibus habentibus talem essentiam; & ideò cum omnes species generis participent essentiam ipsius generis, propterea proprietates generis, seu propria subalterna prædicantur de omnibus speciebus, & de solis illis simul sumptis, licèt non de vnaquaque sola.

Objiciunt tandem tertiò Fautores tertiæ sententiæ, quòd id, quod conuenit omni, & soli, habet quidquid requiritur ad veram rationem passionis, etiam si non semper conueniat: ergo tertia acceptio proprii verè pertinet ad hoc prædicabile. Consequentia patet, & probatur antec. quia quod verè dimanat ab essentia,

C est propria passio: sed vera emanatio alicuius non tollitur ex eo, quòd non semper conueniat, sed tempore à natura statuto, quia tunc solùm adest in subiecto dispositio necessaria, vt patet de potentia visiua canis post nonum diem, atque de aliis, &c.: ergo vera ratio passionis non tollitur ex eo, quòd non semper conueniat.

Respondetur negando antec. ad cuius probationem, dicendum est, id quod est verè proprium, dimanare ab essentia, quatenus essentia est, seu à principiis essentialibus, & formalibus, atque ideò semper adesse in subiecto dispositionem ad illud, quia semper ibi sunt ipsa principia essentialia, cum quibus habet necessariam connexionem. Vnde repugnat, quòd propria passio secundùm vnum tempus conueniat, & se-

D cundùm aliud non. Hæc autem habent canities, & alia accidentia indiuidualia, quia sequuntur ex tali, vel tali dispositione materiæ, aut complexione humorum, in quibus contingit variatio. Per quod patet ad exemplum adductum in argumento: nulla enim est variatio secundùm tempus in ipsa potentia visiua canis, quæ est passio animalis, sed in dispositione organi ad eliciendum actum visionis.



QVÆSTIO II.

Vtrùm Proprium sit formaliter vniuersale per ordinem ad speciem, aut essentiam, à qua dimanat; vel per ordinem ad eius inferiora.

PRoptèr eandem rationem, qua superiùs probatum est, differentiam non esse vniuersalem respectu huius, aut illius differentiæ, tanquam certum etiam supponendum est, proprium non constitui in esse vniuersalis respectu inferiorum eodem nomine significatorum; vt puta risibile respectu huius, aut illius risibilis.

Item supponendum est, quòd cùm proprium dimanet ab essentia, & hæc componatur ex genere, & differentia; alia sunt propria, quæ dimanant ab essentia ratione gradus generici; & alia ratione gradus differentialis: illa enim appellantur propria subalterna; ista verò infima: & licèt proprium infimum propriissimè habeat rationem proprii, ac strictissimè dicatur passio, vtpote essentiam sequens, vltimatè completam, & perfectam; tamen proprium subalternum (quid quid dicant aliqui) est etiam propria passio, & per se pertinet ad hoc prædicabile; nam etiam dimanat a principijs essentialibus genericis, non quidem præcisè, seu quatenus genus formaliter est totum potentiale, continetque indeterminatè, & in confuso inferiora (hoc enim modo non habet sufficientem actualitatem requisitam ad emanationem propriæ passionis, quæ reducitur ad genus causæ efficientis, & operantis prout est in actu) sed quatenus habet rationem totius actualis, & speciei subalternæ. Insuper habet etiam necessariam connexionem cum prædictis principiis, ita vt neque per intellectum possit adesse, & abesse salua remanente tali essentia, a qua dimanat, vt patet de potentiis sensitiuis respectu animalis, de nutritiuis respectu viuentis, &c.

Quibus ergo suppositis, quæritur, respectu quorum tam proprium infimum, quàm subalternum (proportione tamen seruata, vt dictum est suprà de differentia infima, & subalterna) habeant vniuersalitatem; an scilicet respectu illius essentiæ, à qua dimanant; an verò respectu inferiorum eius.

Prima sententia est B. Alberti Magni tract. 5. de proprio cap. 1. Caiet. & Soti q. vnica huius capitis, Toleti in fine eiusdem cap. & quorundam Modernorum asserentium proprium esse vniuersale respectu illius essentiæ, à qua dimanat.

Secunda verò sententia est Louaniensium cap præsenti, Fons. 5. Met cap. 28. q. 19 sect 2. Complut. hic disp 8. q. 2 Mastr & Bellut. disp. 5 q. 5. art. 2. Bald-Gherard. qu. 5. diff 2. & aliorum asserentium proprium constitui in esse vniuersalis, non per ordinem ad speciem, seu essentiam, à qua dimanat; sed per ordinem ad inferiora illius speciei.

Dicendum est ergo, pensatis omnibus, cum hac secunda sententia, quòd proprium non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, seu essentiã, à qua dimanat, & cum qua conuertitur, sed per ordinem ad inferiora illius: quod, proportione seruata, intelligendum est tam de proprio infimo, quàm subalterno.

A

Probatur: nam, vt dictum est sæpe sæpius, vniuersale vt sic constituitur per ordinem ad multa: sed species vt sic importat tantùm naturam essentialiter vnã: nam pluralitas tantùm habetur ab ipsis inferioribus: ergo proprium erit vniuersale per ordinem ad prædicta inferiora speciei, &c.

Obiicitur primò, quòd proprium distinguitur ab accidente communi per hoc, quòd accidens commune conuenit speciei ratione indiuiduorum; ideò enim homo est albus, quia Petrus est albus; proprium autem conuenit indiuiduis ratione speciei: ideò enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis: ergo proprium priùs prædicatur de specie, quàm de indiuiduis; ac proinde potiùs constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, à qua dimanat, quàm per ordinem ad indiuidua talis speciei.

B

Respondetur, prædictam differentiam esse de proprio, & accidente physicè, ac realiter sumptis, non autem logicè, & formaliter vt denominantur à secunda intentione, &c. quare, licèt entitas risibilitatis priùs conueniat homini, quàm Petro; prædicatione tamen vniuersalis non priùs prædicatur de homine, quàm de Petro; atque ita quamuis differentia constitutiua proprii in esse quarti prædicabilis sumatur per ordinem ad speciem, non tamen est vniuersalis per ordinem ad illam: non enim proprium habet ab eodem, ac respectu eiusdem esse vniuersale, & esse tale vniuersale; quia ratio generica, & ratio differentialis à diuersis oriuntur principiis, vt dictum est suprà de differentia.

C

Obiicitur secundò, quòd solæ prædicationes quarti prædicabilis, seu proprii logicè accepti possunt demonstrari à priori, vt colligitur ex Aristotele 1. Post. cap. 4. ergo respectu illius proprium erit vniuersale, respectu cuius eius prædicationes possunt demonstrari à priori; sed prædicationes proprii, tantùm à priori demonstrantur de specie: ergo proprium per ordinem ad speciem tantùm, erit vniuersale.

Respondetur negando primam consequentiam, quia innititur principio non omnino vero: etenim non tantùm proprium logicè sumptum potest à priori demonstrari de sua essentia; verùm etiam proprium metaphysicè acceptum, & vt est quartum prædicatum; quapropter tantùm constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad inferiora, de quibus in quale necessariò prædicabitur. Vnde videtur etiam falsa minor subsumpta, cùm non tantùm de specie, verùm etiam de indiuiduis proprium à priori demonstrari possit, licèt non immediatè, sed mediante specie, vt patet. Idcirco Aristoteles loco citato intelligendus est non solùm de proprio logico, sed etiam de metaphysico, vt dictum est.

D

Obiicitur tandem tertiò, quòd idem accidens, quod respectu illius gradus, à quo dimanat adæquatè, est propria passio; respectu graduum inferiorum est accidens commune; ergo, vel nulla datur prædicatio quarti prædicabilis, quatenus vniuersale est; vel constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad illam speciem, seu gradum, à quo adæquatè dimanat. Cons. est euidens. Antec. verò probatur: quia omne accidens habet proprium, & adæquatum subiectum, seu prin-

principium, à quo dimanat, & per quod definitur, vt dictum est suprà disput. 3. q. 1: ergo omne accidens respectu illius gradus habet veram rationem passionis: ergo saltem respectu graduum inferiorum erit accidens commune; aliàs nulla dabitur prædicatio quinti prædicabilis.

Respondetur, quòd illud accidens, quod est verè proprietas respectu alicuius essentiæ, semper est, & prædicatur vt vera proprietas de quibuscunque inferioribus talis essentiæ; nam sicut quidquid est de essentia alicuius superioris, est etiam de essentia inferiorum essentialiter sub illo contentorum, vt dicendum est in anteprædicamentis; atque ita proprietas illius superioris erit etiam proprietas inferiorum eiusdem. Ad probationem autem illius antecedentis respondetur, non sequi ex eo præcisè, quòd accidens habeat proprium subiectum, seu principium, à quo causetur, & per quod definiatur, esse propriam passionem eius; quia vltrà requiritur, vt causetur ex principiis formalibus, & essentialibus; quod non habent omnia accidentia, vt constat ex dictis, & ex dicendis magis constabit.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Accidente.



VLTIMO occurrit agendum de accidente quinto prædicabili, quod breuiter expedietur; plura enim, quæ de accidente moueri poterant dubia tam physica, quàm metaphysica, ad propria loca remittenda sunt; ea solummodo pertractando, quæ sunt considerationis logicæ, & ad præsentem attinent tractatum; quod etiam circa proprium seruatum est, vt constat.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Accidens rectè definiatur à Porphyrio.



PRO recta intelligentia quæsiti supponendum est, accidens tam separabile, quàm inseparabile posse considerari dupliciter; physicè scilicet, & logicè: accidens physicum est, quod distinguitur contra substantiam, & diuiditur in nouem genera, quantitatem, scilicet, qualitatem, &c. diciturque accidens prædicamentale; accidens verò logicum est, quod distinguitur contra essentiam, & sub se continet quidquid non pertinet ad essentiam rei, sed se habet omnino accidentaliter, seu contingenter, siue entitatiuè sit substantia, siue accidens, siue ens reale, siue ens rationis, quare dicimus aurum accidere vasi, rationale animali, existentiam Petro, & secundas intentiones entibus

A realibus: nam faciunt prædicationes omnino accidentales, ac contingentes. Accidens autem hoc modo acceptum dicitur accidens prædicabile, ac terminus secundæ intentionis, atque de eo est tantùm sermo in præsenti, quidquid ex Zabarella dicat Bald-Gher. hic q. 6.

Item supponendum est, hanc quæstionem præcipuè procedere de prima definitione allata à Porphyrio in hoc capite; hac quidem explicata, facile intelligi possunt aliæ duæ, cùm ferè idem significent.

In hac quæstione duæ sunt auctorum sententiæ, quarum prima reprehendit Porphyrium, quatenus nullam tradiderit accidentis definitionem in ratione quinti prædicabilis. Ita Auicenna, & alii antiquiores.

B Secunda sententia docet, Porphyrium rectè definiuisse accidens in ratione quinti prædicabilis; eius tamen auctores, ac fautores non omnino conueniunt in assignando sensum, in quo intelligendæ sunt illæ particulæ, *Adest, & abest à subiecto, &c.* nam aliqui dicunt intelligendas esse de præsentia, & absentia reali, vt Ioann. à S. Tho. q. 12. art. 1. Ruu. q. 3. Arriag. disput. 7. sect. 3. atque alij non pauci. Cæteri verò asserunt tales particulas intelligendas esse secundò intentionaliter, hoc est, de præsentia, & absentia per intellectum. Ita D. Tho. de spirit. creat. art. vlt. ad 7. Scot. q. 34. vniu. quos secuti sunt Caiet. & Sotus in hoc cap. Sanch. lib. 3. q. 43. Complut. disp. 9. q. 1. Mast. & Bell. disp. 5. q. 5. art. 1. §. *Circa alteram quæsiti partem*. Bald-Gher. q. 6. diff. 3. & alij.

C Notandum est idcirco primò, accidentis definitionem primo loco appositam, videlicet *Accidens est, quod adest, & abest à subiecto sine ipsius corruptione*, reddere hunc sensum, nempe, accidens est, quod indifferenter affirmatur, vel negatur absque eo, quòd destruatur ratio, seu definitio subiecti; ex quibus constat, per ipsam definiri accidens vt est quintum prædicabile: siquidem datur per prædicabilitatem, quæ est passio vniuersalis, & cum ea coincidit descriptio illa, qua communiter definiri solet hoc prædicabile, dum dicitur, *Accidens est, quod prædicatur de pluribus in quale contingenter*: nam si prædicatur contingenter, consequenter affirmari potest, & negari indifferenter, salua manente subiecti essentia. Hoc etiam adamussim importat altera definitio accidentis

D secundo loco posita, vt patet; neque tertia ab ipsis discrepat: nam licèt detur per exclusionem cæterorum prædicabilium; attamen si bene consideretur, reddit eundem sensum, vt supra; nam idem valet, ac si diceatur accidens est, quod quidem est in subiecto (intellige, non inhæsionis, sed prædicationis) idest, quod prædicatur de pluribus, & non sicut genus, species, differentia, vel proprium; per quod commodè cognoscimus, implicitè saltem, positiuum illud, per quod accidens differt ab alijs prædicabilibus, scilicet prædicari contingenter, cùm cætera prædicentur necessariò.

Notandum secundò, huiusmodi dictum, videlicet, Accidentia inseparabilia posse indifferenter affirmari, & negari de subiecto, non esse intelligendum ita simpliciter, vt si verè possunt affirmari, etiam salua veritate possint negari: nam si hęc prędicatio est vera, cycnus est albus, quia nullus datur cycnus niger;

con-

consequenter hæc altera erit falsa, cycnus non est albus: siquidem ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: Sed esse omnino intelligendum secundùm quid, & cum aliqua additione, scilicet salua essentia subiecti; hoc est, siue affirmentur, siue negentur, non tollitur, neque destruitur natura subiecti, de quo affirmantur, vel negantur: nam ponatur cycnus, siue albus, siue non albus, semper tamen manet integra eius essentia, vt patet.

Dicendum est ergo, quòd accidens optimè definitur a Porphyrio; sed eius definitio non est intelligenda de præsentia, & absentia reali à subiecto; sed tantùm rationis, & per intellectum, idest secundùm affirmationem, & negationem.

Probatur prima pars, nempe quòd optimè sit definitum: nam eius definitio tradita est per ea, quæ stant loco generis, ac differentiæ: per ipsam distinguitur definitum à cæteris prædicabilibus; & in ipsa omnia definita conueniunt, vt patet: ergo optimè definitur, cùm definiatur secundùm regulas optimæ definitionis saltem descriptiuæ.

Probatur secunda pars, videlicet quòd talis definitio non sit intelligenda de præsentia, & absentia reali; tum quia prædicta definitio non conueniret accidenti inseparabili, quod tamen directè pugnat cum Porphyrio, qui accidens à se definitum statim diuidit in separabile, & in inseparabile. Tum etiam quia mors, & existentia actualis accidunt, hoc est, de illo prædicantur prædicatione quinti prædicabilis; & tamen neque mors, neque prædicta existentia adesse, & abesse possunt sine subiecti corruptione: ergo allata definitio non est intelligenda de præsentia, & absentia reali.

Probatur tertia pars, nimirum quòd talis definitio sit intelligenda de præsentia, & absentia per intellectum: quoniam hic definitur secunda intentio quinti prædicabilis, vt patet ex supradictis disputatione de genere: sed hæc non est principium quo, seu ratio, quare natura realiter inhæreat, vel non inhæreat; sed tantùm quare natura affirmetur, vel negetur sine subiecti corruptione: ergo prædicta definitio intelligenda est de præsentia, & absentia per intellectum.

Obiicitur primò in oppositum secundæ, ac tertiæ partis, cùm in oppositum primæ nihil sit consideratione dignum; quòd dum mors prædicatur de homine, tollitur ab eo prædicatum essentiale, scilicet esse viuens: ergo tale accidens non videtur posse affirmari, & negari, integra manente essentia hominis.

Respondetur, mortem pertinere ad quintum prædicabile, non in facto esse, & complete consideratam: nam hæc prædicatio, homo est mortuus, propriè non est quinti prædicabilis; quia prædicatum non est quid conueniens, sed omnino repugnans subiecto, & destruens illud; sed ad ipsum pertinere, si sumatur in fieri, & quasi in via: siue enim dicatur, homo moritur, siue homo non moritur, non tollitur essentia hominis, & hoc sufficit, vt terminus huius motus, qui explicatur in propositione per ly *mortuus*, pertineat ad hoc prædicabile, non in se, sed in suo fieri, aut via, siue indispositionibus antecedentibus.

Obiicitur secundò, quòd existentia actualis accidit homini, ac de ipso prędicatur prędicatione quinti prędicabilis, vt patet; & tamen nequit de homine negari absque ipsius hominis corruptione: ergo tale accidens non potest abesse à subiecto, etiam per intellectum, absque subiecti corruptione.

Respondetur, existentiam optimè posse negari, & affirmari salua essentia subiecti: siue enim dicatur, homo existit, siue homo non existit, semper manet eadem definitio, & essentia hominis.

Obiicitur tandem tertiò, quòd si prædicta præsentia, & absentia esset intelligenda secundùm intellectum, sequeretur, Porphyrium valdè æquiuocè locutum fuisse definiendo accidens per adesse, & abesse intellectualiter, & posteà ipsum diuidendo diuisione reali: ergo præsentia, & absentia intelligendæ sunt realiter.

Respondetur negando sequelam: nam talis æquiuocatio vtique sequeretur, si Porphyrius traderet prædictam præsentiam, & absentiam diuersimodè, idest tum sub esse reali, cùm sub esse rationis; sed quia sub vnica ratione, hoc est, tantùm secundùm intellectum, talem assignauit definitionem, minimè sequitur tale inconueniens: quia nullum est absurdum, quòd acceperit accidens difformiter in definitione, ac in diuisione, vt ostenderet, quòd à secunda intentione quinti prædicabilis denominatur quodcunque accidens non profluens ab essentia, siue sit realiter separabile, siue non.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Accidens constituatur in esse vniuersalis, & prædicabilis formaliter per ordinem ad subiectum, vel per ordinem ad sua inferiora.

CVM in hac quæstione omnes Doctores conueniant, non est valdè immorandum; præcipuè cùm ex dictis facilè resolui possit.

Dicendum est ergo, quòd accidens constituitur in esse vniuersalis, & quinti prædicabilis formaliter per ordinem ad subiecta, quæ accidentaliter denominat, & non per ordinem ad sua inferiora, quibus potest essentialiter conuenire: vnde hæ prædicationes sunt quinti prædicabilis, Petrus est albus; Equus est coloratus; non verò istæ, Hoc album est album; album est coloratum, &c.

Probatur: quoniam esse quintum prædicabile est posse adesse, & abesse sine subiecti corruptione, vt constat ex illius definitione, &c. ergo accidens constituitur in esse vniuersalis, & prædicabilis quinti per ordinem ad ea; quibus potest ita adesse, & abesse: sed hoc tantùm habet respectu subiectorum, quæ accidentaliter denominat, non verò respectu inferiorum essentialium, vt patet: albedo enim, nec etiam per intellectum potest separari ab hac albedine, salua eius essentia; bene tamen potest separari ab homine, vel equo: ergo accidens non constituitur in esse quinti prædicabilis per ordinem ad inferiora essentialia; sed per ordinem ad subiecta accidentaliter denominata.

Obiicitur primò, quòd vniuersale dicitur esse in multis, & de illis prædicari posse, etiam non existentibus, vt patet de Sole, Luna, &c. sed accidens non

ita se habet, quia nullo homine existente in rerum natura, falsum esset dicere, homo est albus, Petrus est albus, &c. ergo accidens non est formaliter vniuersale per ordinem ad talia subiecta.

Respondetur distinguendo minorem; nam accidens potest dupliciter considerari, vel scilicet vt vniuersale formale, & logicum; vel vt vniuersale materiale, & metaphysicum: in primo sensu neganda est minor; nam etiam Petro non existente, &c. non sequitur, quòd albedo non possit prædicari de illis subiectis, quæ potens est denominare: quare in secundo sensu concedenda est: nam accidens reale, & metaphysicum nequit denominare nisi illa subiecta, quibus actualiter inhæret.

Obiicitur secundò, quòd omne superius debet abstrahi ab inferioribus certis, & determinatis, ac proinde constitui in esse vniuersalis per ordinem ad illa; sed subiecta, quæ accidens denominat accidentaliter, non sunt certa, & determinata, sicut sunt eius inferiora essentialia: ergo accidens non constituitur in esse vniuersali per ordinem ad subiecta.

Respondetur, quòd vtique illa superiora, quæ prædicantur in quid, vel in quale necessariò, debent abstrahi ab inferioribus certis, ac determinatis propter intrinsecam, & necessariam connexionem, quam A habent ad inferiora: quintum verò prædicabile, quia illis conuenit contingenter, ex sua ratione petit inferiora indeterminata.

Obiicitur tandem tertiò, quòd si staret conclusio, sequeretur, quòd accidens, non essentialiter, sed tantùm accidentaliter esset vniuersale, quod est falsum, nam aliàs vniuersale non esset genus ad quinque prædicabilia: ergo, &c. sequela verò probatur: nam eodem modo aliquid vniuersale est, quo prædicabile: cùm igitur prædicetur accidentaliter de subiectis, &c. erit etiam accidentaliter vniuersale.

Respondetur, quòd aliud est dicere, quòd secunda intentio quinti prædicabilis facit naturam acciden- B taliter prædicari de subiectis; & quòd secunda intentio est accidentaliter vniuersalitas: nam primum est verum, secundum falsum: etenim cùm secunda intentio accidentis sit vna in multis, & faciat naturam prædicari de multis, est essentialiter vniuersalis; quòd autem faciat prædicari accidentaliter, est eius differentia: nam talis secunda intentio non potest conuenire nisi naturæ extraneæ à subiecto propter rationem formalem, ac essentialem accidentis, vt patet. Et hæc breuiter dicta sufficiant circa libellum Porphyrii de quinque vniuersalibus.



LIBER

LIBER CATEGORIARVM, SEV PRAEDICAMENTORVM ARISTOTELIS, EIVSQVE SYNOPSIS.



CVM ens incomplexum, quod est obiectum primæ operationis intellectus, sit confusè dispersum in vniuerso, vt patet, e. g. de albedine, quæ confusione quadam cum figuris, cum quantitate, aut relatione mista est: difficillimum foret circa quodcunque incomplexum intellectus aciem figere, nisi rerum ordines distinguerentur, atque ita diuisa, & seiuncta prædicata incomplexa, ad certa capita reuocarentur. Qua de causa, vt dictum est supra in proœmio huius primę partis, Aristoteles in hoc libro Prædicamentorum omnia entia realia ad decem classes reduxit, vnde facilè possimus rerum omnium essentias, definitiones, ac diuisiones inuenire. Hinc etiam est, quòd tale opus inscribitur græcè liber categoriarum, quia nimirum categoria est series prædicabilium, in qua, scilicet, superiora de inferioribus prædicantur; vnde, auctore Boetio, latinè, prædicamenta appellata sunt. Erunt igitur ipsa prædicamenta obiectum formale istius libri, non quidem secundùm suas entitates reales, quia tunc ad summum spectant ad obiectum materiale; sed inquantùm sunt coordinationes, & series generum, ac specierum, recipiuntque in se tales denominationes.

Diuiditur autem liber iste in tres partes, nempe in antepraedicamenta, prædicamenta, & post prædicamenta. In prima agitur de quibusdam prærequisitis ad ipsa prædicamenta, vnde dignoscitur, quæ in illis collocanda, quæ verò ab eis reiicienda sunt continetque quatuor capita. In secunda de ipsis prædicamentis per quinque capita disputatur. In tertia, & vltima tandem, aliis quinque capitibus explicantur quædam, quæ consequuntur ipsa prædicamenta, & ad eorum pleniorem notitiam capessendam summopere iuuant, quæ nil aliud sunt, quàm entia quædam

A incompleta, seu quædam rationes imperfectæ, ac incompletæ diuagantes per multa prædicamenta; atque ideò ad nullum eorum specialiter pertinentes.

In primo capite Philosophus tria facit. primò definit æquiuoca, dicens; *Equiuoca dicuntur, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ, nomini accommodata diuersa*, vt animal viuum, & animal pictum, quæ licèt habeant idem nomen; substantia verò, & essentia eorum est omnino diuersa. Secundò definit vniuoca, dicens. *Vniuoca dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ, nomini accommodata est eadem*, vt homo, & equus in ratione animalis habent idem nomen, eandemque definitionem essentialem.
B Tertiò tandem definit denominatiua, dicens: *Denominatiua dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casus* vt Grammaticus, e. g. qui differt à Grammatica, quæ est forma illum denominans, per cadentiam, seu terminationem vocis, cum Grammaticus terminetur in *cus*; Grammatica verò in *ca*.

In secundo capite duo facit. primò tradit duas diuisiones, quarum prima est, quòd eorum, quæ dicuntur, seu prædicantur, alia cum complexione dicuntur, vt homo currit; alia sine complexione, vt homo. Secunda verò diuisio est, eorum, quæ sunt,
C seu quod realiter existunt, quædam de subiecto dicuntur, in subiecto tamen non sunt, vt substantiæ vniuersales; animal enim, & homo prædicantur de inferioribus subiectis, non tamen illis inhærent: quædam verò in subiecto sunt, de subiecto autem non dicuntur, vt accidentia singularia; hæc enim albedo, & hæc dulcedo nõ prædicantur de pomo, cui inhærent: quædam autem in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur, vt accidentia vniuersalia; albedo enim, & dulcedo prædicantur de pomo, cui inhærent: quædam tandem neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur, vt substantiæ singulares; Petrus enim, & Pau-

& Paulus neque sunt in aliquo subiecto, neque de aliquo subiecto prædicantur. Secundò denique definit id, quod est esse in subiecto inhæsionis, dicens, *In subiecto autem esse dico, quod cùm sit in aliquo non sicut pars, impossibile est esse sine eo in quo est*: accidens enim, cui propriè conuenit esse in subiecto inhæsionis, cùm non sit pars essentiæ subiecti, sed aliquid superadditum, naturaliter nequit stare sine subiecto, vt dicetur alibi.

In tertio capite tradit duas regulas prædicamentis deseruientes, quarum prima est, *Quando aliquid prædicatur de aliquo, vt de subiecto; quidquid prædicatur de prædicato, dicitur etiam de subiecto*; vt si de Petro prædicatur homo, & de homine prædicatur animal, sensibile, &c. ita etiam prædicabuntur de ipso Petro. Secunda verò talis est; *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt specie differentiæ; subalternatorum verò generum nihil prohibet, easdem esse differentias*: viuens enim, quod constituit animal, & rationale, & irrationale, quæ ipsum diuidunt; specie distinguuntur ab habitu intellectuali, qui constituit scientiam, & à Metaphysica, Physica, & Mathematica, quæ ipsam diuidunt scientiam. Vtiècontrà, rationale, & irrationale, quæ diuidunt animal, non differunt specie à sensibili, seu viuente, quod constituit ipsum animal.

In quarto capite diuidit ens per se in decem prædicamenta, nempe in Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Vbi, Quando, Situm, Habitum, Actionem, & Passionem. Deinde docet, quòd proprietas omnium est, vt secundùm se sumpta, absque vlla affirmatione, ac negatione dicantur.

In quinto capite tria facit: primò, subintellecta diuisione substantiæ in primam, & secundam, vtranque definit dicens: *Prima substantia, quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est*; vt Sortes, & Plato: *Secundæ verò substantiæ sunt genera, & species, in quibus insunt primæ*, nimirum vt prædicata in subiectis. Secundò comparat ipsas substantias inter se, dicens: Primas substantias esse magis substantias, quàm sint secundæ, cùm pluribus substent accidentibus. Deinde comparat tantùm secũdas substantias inter se, dicens: Speciem esse magis substantiam, quàm genus, quia propinquior est primæ substantiæ. Tertiò tandem enumerat sex proprietates substantiæ; quarum prima est, quòd tam prima, quàm secunda non est in subiecto: secunda, quòd secundæ substantiæ vniuocè prædicantur de primis: tertia, quòd prima substantia significat hoc aliquid, secundæ verò potiùs quale quid, cùm prædicentur per modum adiacentis: quarta, quòd substantiæ nihil est contrarium: quinta, quòd non suscipit magis, & minùs: sexta tandem, quæ maximè videtur propria, est, quòd substantia vna numero permanens, sit contrariorum susceptiua.

In sexto capite tria facit, primò tradit duas diuisiones quantitatis, quarum prima est, quòd alia est quantitas discreta, cuius partes non copulantur termino communi, vt numerus, & oratio; alia verò quantitas continua, cuius partes copulantur termino communi, vt linea, superficies, corpus, tempus, & locus: nam partes lineæ copulantur punctis; partes superficiei, lineis, &c. Secunda diuisio est, quòd alia est quantitas, quæ habet situm, seu positionem partium inter se, vt est quantitas continua; alia verò nequaquam, vt est quantitas discreta. Secundo verò loco docet Aristoteles, quòd istæ septem species quantitatis sunt quantæ per se; cætera verò omnia appellantur quanta per ipsas. Tertio tandem loco enumerat tres proprietates quantitatis, quarum prima est, non habere contrarium, secunda, non suscipere magis, & minùs: tertia tandem, quæ maximè est proprietas, vt secundùm quantitatem res dicantur æquales, & inæquales.

In septimo capite tria similiter facit, primò tradit relatiuorum definitionem ab antiquis confectam, quam reijcit: secundò adducit quatuor relatiuorum proprietates; quarum prima est, habere contrarium, secunda, suscipere magis, & minùs; tertia, dici ad conuertentiam; quarta verò, quòd relatiua sint simul natura; tertiò tandem colligit, quòd si relatio esset quouis modo referri ad aliud, vt ponebant antiqui, etiam substantia diceretur ad aliquid, & spectaret ad hoc prædicamentum, cùm & ipsa sit alicuius substantia; quapropter tradit propriam definitionem dicendo, *Relatiua sunt, quibus ipsum esse est ad aliud quodammodò se habere*. Ex qua definitione addit quartam relatiuorum proprietatem nempe, vt definitè cognoscendo vnum relatiuorum, cognoscatur & aliud, seu, quod idem est, vt relatiua sint simul cognitione, ac definitione.

In octauo capite tria etiam præstat: primò definit in abstracto qualitatem, dicens: *Qualitatem autem voco, secundùm quam quales esse dicimur*; vt albedo est, qua aliquis denominatur albus. Secundò enumerat quatuor eiusdem species; quarum prima est habitus, & dispositio; vt scientia, quæ est habitus, cùm sit difficilè mobilis à subiecto; vt calor in aqua, qui cùm sit facilè mobilis, est quædam dispositio: secunda est, naturalis potentia, vt iuuenum vis; vel naturalis impotentia, vt debilitas senum: tertia est passio, vt rubor ex verecundia, vel pallor ex metu causatus; & passibilis qualitas, vt rubor, vel pallor naturalis, ac permanens: quarta tandem est forma, vt corporis delineamentum, ac symmetria; & figura, vt triangulus, pyramis, &c. Quibus speciebus enumeratis, definit in concreto, dicens: *Qualia autem sunt ea, quæ denominatiuè ab eis, aut aliquo alio modo dicuntur*, vt album ab albedine, dulce à dulcedine. Tertiò tandem, & vltimò enumerat tres qualitatis proprietates, quarum prima est habere contrarium: secunda est, suscipere magis, & minus, siue intensionem, & remissionem: tertia verò, quòd secundùm eam res dicantur similes, aut dissimiles.

In nono capite duo facit: primò, prætermissa descriptione Actionis, & Passionis, tantùm assignat duas illarum proprietates, nempe habere contrarium, & suscipere magis, & minùs. Secundò breuissimè explicat quatuor alia prædicamenta, tanquam ea, quæ parui momenti sunt, ex sola nominum significatione, dicens: Quòd à situ, seu positione dicitur *Situm*, siue situatum est: *Habere* verò est, vt armatum, aut vestitum esse: *Vbi*, vt esse in Lyceo: ac tandem *Quando*, vt heri, vel cras, &c. Vnde quia Philosophus, parum, aut nihil egit de his prædicamentis, ideò Gilbertus Porretanus addidit opusculum, de sex principijs inscriptum, ex quo accipiunt communiter Dialectici exactam notitiam quidditatum, ac proprietatum prædictorum

prædicamentorum;

In decimo capite tria facit; primò enumerat quatuor oppositorum genera: quia oppositionum, alia est relatiua, vt duplum, & subduplum, alia contraria, vt bonum, & malum; alia priuatiua, vt visus, & cæcitas, & alia contradictoria, vt sedet, & non sedet. Secundò comparat prædicta genera inter se, & probat vnum non esse aliud. Tertiò tandem assignat aliquas contrariorum conditiones, seu proprietates, quarum prima est, non esse necessarium, quòd si existit vnum contrarium, existat etiam aliud; nam si est album, non est necesse, quòd etiam existat nigrum; secunda, quòd duo contraria non possunt esse in eodem subiecto; vnde idem respectu eiusdem non potest simul esse album, & nigrum: tertia tandem, quòd contraria debent esse circa idem subiectum; nam sanitas, & ægritudo sunt circa idem animal.

In vndecimo capite enumerat quatuor modos, quibus aliquid dicitur prius alio; quorum primus est, prius tempore, vt Adamus fuit prior Abele: secundus est, à quo non valet subsistendi consequentia; vt animal dicitur prius homine, quia non valet consequentia, est animal, ergo homo: tertius est, prius ordine, vt præmissæ respectu conclusionis, literæ respectu syllabæ, &c. Quartus tandem est, prius dignitate; vt Rex, & Princeps, &c. respectu inferiorum. Istis autem quatuor modis, Aristoteles etiam addidit quintum nempe prius natura, vt rationale respectu risibilis. Theologi insuper sextum addiderunt, videlicet prius origine vt Pater in diuinis est origine prior Filio; quare talis prioritas non appellatur in quo sed à quo, ex eo, quòd non datur instans, in quo sit Pater, & non sit Filius. Ex quibus omnibus ab opposito etiam colligi potest, quot modis aliquid dicatur alio posterius.

In duodecimo capite, docet, tripliciter aliquid dici posse simul esse cum alio primò simultate temporis, vt duo gemelli, eodem tempore editi; secundò, simultate naturæ, vt duplum, & dimidium, & cætera relatiua, quæ dicuntur ad conuertentiam; tertiò tandem simultate diuisionis, vt differentiæ diuisiuæ alicuius generis.

In capite verò decimo tertio duo facit, primò enumerat sex species motus, generationem scilicet, & corruptionem, quæ terminantur ad substantiam: augmentationem, & diminutionem, quæ terminantur ad quantitatem: alterationem, quæ terminantur ad qualitatem; & lationem seu motum localem, qui terminantur ad vbi. Docet autem prædictos motus esse inter se distinctos, quod probat præcipuè de alteratione, in qua poterat esse aliqua difficultas, cùm manifestè contingat aliquem amando, vel irascendo alterari, absque eo, quòd generetur, augeatur, &c. sicut in mathematicis, si quadrato addatur gnomon, augetur absque alteratione, ac mutatione figuræ; est autem gnomon supplementum, quod additur costis quadrati, vt patet in subiecta figura.



A Secundò docet, quemlibet horum motuum habere duo contraria; quietem scilicet, quæ generaliter contrariatur omnibus, deinde in specie, quemlibet motum contrarium; vt generationi contrariatur corruptio; augmentationi diminutio; motui locali ad vnum terminum contrariatur motus ad alium terminum contrarium; alterationi tandem contrariatur alia alteratio ad contrariam qualitatem.

In decimoquarto tandem, & vltimo capite explicat Philosophus omnes modos, quibus aliquis aliquid habere dicitur; quorum primus est, habere qualitatem, vt habere virtutes, aut scientias: secundus, habere quantitatem, vt habere magnitudinem tripalmarem, bipalmarem, &c. tertius est, habere ea, quæ non inhærent corpori, sed illud circumstant, vt habere B vestem: quartus, habere membra, vel partem corporis, vt habere manus, pedes, &c. quintus habere sicut continens suum contentum; vt lagena dicitur habere vinum, aquam, &c. sextus habere possessionem; vt habere nummos: septimus tandem, habere vxorem, quem modum appellat Aristoteles alienissimum, idest minùs proprium omnibus alijs, cùm vxoratus habeat, & simul habeatur. Alios, & alios modos habendi enumerat ipse Aristoteles 5. Met. text. 18. sed inquit hos magis esse in vsum apud Dialecticos.

C

DISPVTATIO OCTAVA.

De Homonymis, siue Aequiuocis; Sinonymis, siue Vniuocis, ac Paronymis, siue Denominatiuis.



VM res ponantur in prædicamentis, prout nominibus, ac vocibus significantur, ex modo quippe significandi nominum, & vocum pendebit distinctio rerum quæ in prædicamentis collocandæ sunt. Nomina verò, quibus res significantur, vel sunt æquiuoca, vel D vniuoca, vel denominatiua, qua de causa, antequam statuatur quid ponendum, quidue abijciendum sit à prædicamentis, prædicta nomina debent omnino explicari.

QVÆSTIO I.

Vtrùm definitio æquiuocorũ sit bene assignata.



Vpponendum est in primis, quòd in æquiuocis est nomen significans, & res tali nomine significata; nomen dicitur æquiuocum æquiuocans, res verò dicitur æquiuoca æquiuocata, non quidem secundùm se, sed prout substat nomini æquiuoco: intentio enim æquiuoci fundatur immediatè in nominibus; & hæc proportionabiliter dicen-

da

da sunt de vniuocis, denominatiuis, & etiam suo loco de analogis.

Item supponendum est in hac quæstione, id, quod supra dictum est de genere, ac alijs concretis accidentalibus; videlicet, quòd per tales definitiones definitur secunda intentio significata in concreto, quatenus scilicet supponit pro ipsis rebus æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis; quare ipsi intentioni, conuenit definitio *vt quo* rebus autem *vt quod*.

Notandum vnde est pro recta difficultatis resolutione, quòd cùm res secundùm se nec vniuocæ, nec æquiuocæ, aut denominatiuæ sint, sed tantùm prout nominibus significantur, hinc est, quòd Aristoteles non dixit, *Æquiuoca, &c. sunt*, sed dicuntur; addidit tamen, quorum nomen commune est, ad denotandum, quod nomen debet esse omnino vnum; vnde quælibet diuersitas in nomine, licèt fiat simplici mutatione vnius literæ, aut accentus, tollit æquiuocationem; vt patet de verbo *occido* pro actione auferendi vitam, quod producitur; vel prout significat occumbere, quod corripitur: quod non solùm contingere potest in nominibus; verùm etiam in verbis, aduerbijs, omnibusque dictionibus, vt patet. Subdit autem, *ratio verò substantiæ, nomini accommodata, diuersa*; ad significandum, quòd æquiuocata, secundùm quòd explicantur per nomen æquiuocum, non debent habere vnam, & eandem rationem essentiæ, licèt aliàs, secundùm quòd alijs nominibus significantur, verè habeant vnam rationem, & vniuocè conueniant, vt patet de nomine canis, quod æquiuocum est ad canem latrabilem, & marinum: nam secundùm quòd talia animalia significantur per prædictum nomen non habent vnam rationem essentiæ; licèt aliàs, nimirum in ratione substantiæ, aut viuentis sensibilis, conueniant vniuocè.

Dicendum est ergo, quòd optima est definitio æquiuocorum allata à Philosopho. Probatur; quia in ipsa obseruantur regulæ, & modi definiendi concreta accidentalia, dantur idcirco particulæ loco generis, ac differentiæ: non conuenit alijs à definito; & conuenit omnibus æquiuocis vt patet: ergo est optima.

Obijcitur primò, quòd id, quod definitur debet esse species ex Aristotele. 8. Met. text. 9. & consequenter quid vniuocum, cùm species vniuocè prædicetur de suis inferioribus: ergo æquiuoca nequibunt definiri: quòd si definiantur, eorum definitio erit mala.

Respondetur distinguendo consequens: si enim sensus sit, quòd æquiuoca non possunt definiri primò intentionaliter, & secundùm illas entitates, seu rationes diuersas, concedenda est consequentia; si verò sensus sit, non posse definiri secundò intentionaliter, quatenus scilicet induunt secundam intentionem, a qua constituuntur in esse æquiuocorum, neganda est consequentia: hoc enim modo sunt veluti vniuoca: siquidem æquiuocatio est quædam species secundæ intentionis, quæ æqualiter participatur ab his, vel illis æquiuocis.

Obijcitur secundò, quòd nomen æquiuocum verè non est vnum, neque commune, sed potiùs plura: ergo perperam dicitur in definitione, quorum nomen commune est. Probatur antec. quia nomen constituitur in esse nominis per significationem: sed in æquiuoco sunt plures significationes, cum significet immediatè plura: ergo etiam sunt plura nomina.

A Respondetur negando antec. ad cuius probationem dicendum est, ad multiplicationem concreti accidentalis, de quo est sermo, non sufficere multiplicationem formæ denominantis subiectum: quamuis enim aliquis, e. g. habeat plures artes, nihilominus dicitur vnus artifex. Cuius ratio est; quia concretum significat formam concernendo subiectum; & ex modo significandi semper supponit pro ipso; vnde ad eius multiplicationem debet multiplicari subiectum: cùm autem nomen æquiuocum sit concretum accidentale, importans de formali, significationem, & connotans pro materiali vocem seu nomen, non sufficit multiplicatio significationis, vt dicatur plura nomina; sed necessaria etiam est pluralitas vocis.

Obiicitur tandem tertiò, quòd allata definitio conuenit vniuocis: ergo conuenit alijs à definito, & consequenter non est bona. Probatur antec. ex Arist. 7. Phys. tex. 31. vbi docet, quòd omnia genera, de quibus dubitari non potest esse vniuoca, sunt etiam æquiuoca: ergo, &c.

B

Respondetur negando antec. ad cuius probationem dicendum est, dictum Aristotelis intelligendum esse physicè: nam genera in tali sensu non significant aliquam rationem, quæ physicè, & à parte rei sit vna in speciebus: animal enim, e. g. non desumitur, seu abstrahitur ab aliqua forma substantiali, quæ realiter, & à parte rei sit vna in homine, & in equo; sed à partialibus, & diuersis formis substantialibus eorum secundùm quòd tribuunt perfectionem, seu gradum sentiendi, & hoc modo quidem genera sunt æquiuoca: minimè verò esse intelligendum tale dictum metaphysicè, seu potiùs logicè, in quo sensu genera verè, & propriè sunt vniuoca; nam tunc important vnam rationem communem, significata per tale nomen, abstractam à speciebus, vt patet. Conueniret itaque allata definitio etiam vniuocis, si logicè loquendo adhuc tamen non importarent vnicam rationem communem denominatam à secunda intentione vniuocationis.

C

QVÆSTIO II.

Vtrùm definitio vniuocorum tradita ab Arist. sit bona.

D

NOtandum tantùm est pro resolutione quæstionis, quæ magna ex parte resoluta manet ex antecedenti, quòd definitio vniuocorum, nempe *Vniuoca dicuntur illa, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ, nomini accommodata est eadem*; solùm distinguitur a definitione æquiuocorum in hoc, quòd nomen vniuocum immediatè significat vnam rationem, quæ est communis omnibus vniuocatis: æquiuocum verò immediatè significat proprias rationes, seu definitiones æquiuocatorum. Quod probat Aristot. à posteriori sic: nam si quis quærat, quæ est ratio, seu definitio canis, quæ inuenitur in latrabile, & marino; non assignabis vnam definitionem illis communem; sed proprias ipsorum definitiones adduces: si verò quærat, quæ nam sit ratio animalis, quæ inuenitur in homine, & equo; assignabis vnicam definitionem

animalis, dicendo, est viuens sensibile, absque eo quòd adducas proprias hominis, & equi definitiones.

Dicendum est ergo, quòd definitio vniuocorum est optima. Probatur ex supradictis; cùm & illa seruet omnes leges bonae definitionis concretorum accidentalium.

Obiicitur primò, quòd homo, & equus sunt vniuoca vniuocata, de quibus est sermo in praesenti; & tamen ipsorum non est vna ratio substantiae, sed habent diuersas definitiones, cùm differant specie: ergo ratio substantiae vniuocorum non est eadem.

Respondetur ex dictis, quòd si homo, & equus considerentur secundùm proprias ipsorum formas sic habent diuersas definitiones proprias: sed si considerentur, vt conueniunt sub animali, optimè habent vnam definitionem essentialem communem, quae sumitur secundùm formam communem, in qua vniuocè conueniunt.

Obiicitur secundò, quòd albedo, & nigredo sunt vniuoca vniuocata, & tamen non habent eandem definitionem substantiae communem, cùm non sint substantiae, sed accidentia: ergo mala definitio.

Respondetur, quòd si capiatur substantia propriè pro ente per se, sic albedo, & nigredo non habent rationem substantiae: sed si capiatur latè, ac generaliter pro essentia, sicut ex dictis accipitur in ista definitione, sic bene habent eandem rationem substantiae communem.

Obiicitur tandem tertiò, quòd ratio animalis secundùm vnamquanque speciem animalis est altera, & altera vt dicitur 7. Phys. ergo hic malè dicitur, quòd homo, & equus, e. g. conueniant sub vna ratione animalis.

Respondetur, quòd si animal consideretur secundùm esse, quod habet in diuersis speciebus; contractum per diuersas differentias, sic ratio animalis secundùm vnamquanque speciem est quidem altera, & altera: sed si consideretur secundùm simplicem eius essentiam, sic sua ratio est eadem, & non diuersa, quia hoc modo accipitur sua essentia indistincta, & non diuisa per eius differentias; vnde ratio ipsam explicans sic acceptam non est diuersificata.

QVAESTIO III.

Vtrùm definitio Denominatiuorum tradita à Philosopho sit bona.

PRO recta explicatione huius quaesiti duo breuiter adnotanda sunt, & primò, quòd in quacunque denominatione tria inueniuntur, nempe forma denominans, res denominata, & denominatiuum ipsum: vt, e. g. albedo in pariete est forma denominans parietem album; paries est res denominata; & totum concretum, scilicet album, est denominatiuum ipsu: quibus tamen non annumeratur denominatio, quia non omnino distinguitur ab his, sed quodammodo ea inuoluit: denominatio enim est illa quasi causalitas, seu applicatio, qua denominatiuum ratione formę denominantis applicatur rei denominatae. Quare forma denominans est prima radix, & origo totius de-

A nominationis, à qua denominatiuum accipit appellationem, & vim denominandi.

Notandum secundò, quòd ex allata definitione denominatiuorum, nempè *Illa denominatiua, dicuntur, quae ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu*; tres denominatiuorum conditiones insinuantur; quarum prima est, quòd denominatiuum debet deriuari à forma denominante secundùm nomen; quod non est intelligendum iuxta regulas Grammaticorum, apud quos non semper concretum deriuatur ab abstracto, immo frequentiùs fit èconträ, sed iuxta regulas Logicae, secundùm quas abstractum est prima radix concreti. Secunda conditio est, quòd denominatiuum differat à forma denominante, casu, hoc est, cadentia nominis, quod est intelligendum tan-

B tùm per se loquendo: nam per accidens contingere potest, vtrunque nomen non differre cadentia, vt patet de Musica sumpta pro muliere, & pro arte canendi. Tertia tandem conditio est, vt denominatiuum, & forma denominans non differant in re significata, sed sola cadentia nominis, vt explicatum est.

Dicendum est ergo, quòd definitio denominatiuorum tradita ab Aristotele est optima. Probatur similiter ex regulis bonae definitionis saltem descriptiuae; atque ex modo definiendi concreta accidentalia, vt dictum est suprà.

Obiicitur primò, quòd denominatiua sunt vniuoca: ergo malè definiuntur diuersa definitione. Probatur antec. quia quartum, & quintum praedicabile sunt denominatiua; & tamen propriè sunt vniuoca, vt

C dictum est suprà disput. 2. q. 7. ad 2.

Respondetur ex dictis ibidem, videlicet, denominatiua formaliter, quatenus denominatiua sunt, non esse vniuoca, & viceuersa, sed tantùm materialiter, respectu scilicet inferiorum, inquibus aequaliter inueniuntur: ratio enim est manifesta, quia album, e. g. habet esse denominatiuum in ordine ad formam denominantem, à qua nominis appellationem recipit; esse verò vniuocum habet in ordine ad subiecta inferiora, in quibus aequaliter inuenitur: quos respectus, ac rationes esse inter se essentialiter diuersas, & disparatas, satis ex se patet, & conuincitur planè ex eo, quòd ratio formalis denominatiuorum aeque bene saluatur, tam in terminis vniuocis, quàm analogis, tam communibus, quàm particularibus: & etiam

D ratio formalis vniuocorum, èconträ, aequè bene saluatur tam in terminis denominatiuis, quàm non denominatiuis; quod signum euidens est, intentiones constitutiuas denominatiuorum, & vniuocorum esse inter se essentialiter diuersas, & disparatas, ac proinde exigere diuersas definitiones.

Obiicitur secundò, quòd homo sumit denominationem ab humanitate, & animal ab animalitate, à quibus solo casu differunt; & tamen neque homo, neque animal sunt denominatiua; ergo definitio conuenit aliis à definito, & consequenter non est bona.

Respondetur, quòd per illam particulam *ab aliquo* positam in definitione denominatiuorum, communiter Doctores intelligunt formam denominantem non debere esse de essentia rei denominatae: nam, quod de essentia rei est, propriè non dicitur aliquid aliud ab ipsa, neque ponit in numero cum illa; & propterea homo non est denominatiuum ab humanitate,


nitate, neque animal ab animalitate, bene tamen humanum, & animale, quia cùm sint termini adiectiui, significant humanitatem, & animalitatem per modum accidentium alteri adiacentium; & per consequens cum alietate sufficienti ad rationem denominatiui.

Obiicitur tandem tertiò, quòd studiosus, vel est denominatiuum à studio, vel à virtute; non primum, quia à studio non solùm casu differt, sed etiam in re significata; neque secundum quia à virtute non differt sola cadentia nominis, sed in toto nomine: ergo non rectè dicitur in definitione, denominatiuum, & formam denominantem differre solo casu.

Respondetur, communiter assignari tres modus denominatiuorum; nam eorum quædam sunt talia re, & non voce, vt studiosus a virtute; quædam verò ècontrà, voce scilicet, & non re, vt studiosus à studio: quædam tandem, voce, & re, vt albus ab albedine: ex quibus omnibus, hæc tantùm vltima propriè, ac simpliciter denominatiua sunt: & ratio est, quia esse denominatiuum, neque conuenit rebus secundùm se, neque vocibus secundùm suum esse reale: sed rebus, quatenus significantur per voces, vt notatum est suprà q. 1.

DISPVTATIO NONA.

De Analogis, seu Proportionatis.



QVIA Philosophus sub æquiuocis etiam complexus est analoga, vt communiter docent Doctores; post disputationem de æquiuocis, &c. tractari debet de nominum analogia: non enim minùs necessaria est talis cognitio, quàm æquiuocorum, vniuocorum, &c. cùm vix in scientiis reperiatur nomen, quod aliqua analogia non sit analogum. De ipsis tamen actum non est in præcedenti disputatione, dum de æquiuocis, sub quibus continentur, tractabatur; quia cùm ibi Philosophus ex professo nihil de ipsis scripserit; consentaneum etiam visum est, ipsa cum æquiuocis non omnino confundere, sed per disputationem distinctam examinare, præsertim cùm diuersas postulent difficultates.

QVÆSTIO I.

Quid sit Analogum.



IN hac quæstione duo prænotari debent; primò, quòd supposita analogiæ etymologia, quæ tantùm proportionem, seu proportionalitatem importat, illa appellantur proportionata, seu proportionalia, quæ cùm simpliciter diuersa sint, aut inæqualia, habent tamen aliquam similitudinem, aut æqualitatem: atque ita analogorum nomen importat diuersitatem, aut inæqualitatem, cum aliqua conuenientia, & similitudine. Hinc est ergo, quòd istud nomen analogiæ, siue analogorum extensum est ad significandam quamcunque inæqualitatem rationis communis, vndecunque proueniat, siue ab esse reali, seu existentia, quam habent res, quæ sunt inæquales, siue ab earum ratione præcisa, seu intentione, per prædictum nomen analogum significata; quæ analoga sic in communi à Doctoribus solent definiri: *Analoga illa dicuntur, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen partim est eadem, & partim diuersa.*

Secundò prænotandum est, quòd ille modus analogiæ, qui importat inæqualitatem rationis communis prouenientem ab esse reali, seu existentia, quam habent res, est imperfectissimus, neque tollit vniuocationem, quia inæqualitas illa tantùm attenditur secundùm esse, & perfectionem realem, seu ratione differentiarum contrahentium; non autem secundùm rationes præcisas, & abstractas: quare talia analoga etiam appellari solent secundùm esse, & non secundùm intentionem, seu analoga physica, quæ à Philosophis ita definiuntur; *Analoga dicuntur illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est omnino eadem, inæqualiter participata*: animal enim, e. g. licèt secundùm existentiam, quam habet in suis speciebus, æqualiter conueniat omnibus, quia tamen ratione inæqualium differentiarum essentialiũ habet perfectius esse in vna, quàm in alia, inæqualiter ab ipsis dicitur participari: vnde antonomasticè vocantur etiam *Analoga inæqualitatis*.

Quibus ergo prænotatis, vt certa ab incertis separentur; relictis iis analogis, quæ apud logicos talia non sunt, sed verè, ac propriè vniuoca, de quibus satis disputatione præcedenti; hoc loco tantùm agetur de analogis propriè dictis, nempe, quæ importantant inæqualitatem prouenientem à ratione communi præcisa, & abstracta, seu intentione significata per aliquod nomen analogum, quæ communiter ferè, appellantur analoga logica, siue secundùm intentionem, de quibus idcirco quæritur quid sint, hoc est, quomodò debeant definiri.

Cùm omnes Auctores conueniant; pro recta resolutione quæsiti, duntaxat notandum est, quòd està eadem definitione, quæ superiùs tradita fuit de analogis in genere, prout scilicet comprehendunt etiam analoga physica, possint quoque specialiter definiri analoga propriè dicta, seu logica: siquidem definitio analogi, simpliciter intellecta, est definitio principalis analogati, vt inferiùs magis patebit: tamen per particulas illius definitionis, non ita clarè explicantur prædicta analoga principalia, seu logica; hinc est, quòd maioris claritatis gratia tradenda videtur sequens definitio.

Dicendum quare est, quòd *Analoga logica, in communi accepta, illa dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen simpliciter est diuersa, & secundùm quid eadem.*

Probatur: quoniam ratio importata per nomen æquiuocum est diuersa in omnibus æquiuocatis; & ratio importata per nomen vniuocum est eadem in omnibus vniuocatis: ergo ratio importata per nomen ana-

animalis, dicendo, est viuens sensibile, absque eo quòd adducas proprias hominis, & equi definitiones.

Dicendum est ergo, quòd definitio vniuocorum est optima. Probatur ex supradictis; cùm & illa seruet omnes leges bonæ definitionis concretorum accidentalium.

Obiicitur primò, quòd homo, & equus sunt vniuoca vniuocata, de quibus est sermo in præsenti; & tamen ipsorum non est vna ratio substantiæ, sed habent diuersas definitiones, cùm differant specie: ergo ratio substantiæ vniuocorum non est eadem.

Respondetur ex dictis, quòd si homo, & equus considerentur secundùm proprias ipsorum formas sic habent diuersas definitiones proprias: sed si considerentur, vt conueniunt sub animali, optimè habent vnam definitionem essentialem communem, quæ sumitur secundùm formam communem, in qua vniuocè conueniunt.

Obiicitur secundò, quòd albedo, & nigredo sunt vniuoca vniuocata, & tamen non habent eandem definitionem substantiæ communem, cùm non sint substantiæ, sed accidentia: ergo mala definitio.

Respondetur, quòd si capiatur substantia propriè pro ente per se, sic albedo, & nigredo non habent rationem substantiæ: sed si capiatur latè, ac generaliter pro essentia, sicut ex dictis accipitur in ista definitione, sic bene habent eandem rationem substantiæ communem.

Obiicitur tandem tertiò, quòd ratio animalis secundùm vnamquanque speciem animalis est altera, & altera vt dicitur 7. *Phys.* ergo hic malè dicitur, quòd homo, & equus, e. g. conueniant sub vna ratione animalis.

Respondetur, quòd si animal consideretur secundùm esse, quod habet in diuersis speciebus; contractum per diuersas differentias, sic ratio animalis secundùm vnamquanque speciem est quidem altera, & altera: sed si consideretur secundùm simplicem eius essentiam, sic sua ratio est eadem, & non diuersa, quia hoc modo accipitur sua essentia indistincta, & non diuisa per eius differentias; vnde ratio ipsam explicans sic acceptam non est diuersificata.

QVÆSTIO III.

Vtrùm definitio Denominatiuorum tradita à Philosopho sit bona.

PRO recta explicatione huius quæsiti duo breuiter adnotanda sunt, & primò, quòd in quacunque denominatione tria inueniuntur, nempe forma denominans, res denominata, & denominatiuum ipsum: vt, e. g. albedo in pariete est forma denominans parietem album; paries est res denominata; & totum concretum, scilicet album, est denominatiuum ipsũ: quibus tamen non annumeratur denominatio, quia non omnino distinguitur ab his, sed quodammodo ea inuoluit: denominatio enim est illa quasi causalitas, seu applicatio, qua denominatiuum ratione formę denominantis applicatur rei denominatæ. Quare forma denominans est prima radix, & origo totius denominationis, à qua denominatiuum accipit appellationem, & vim denominandi.

A

Notandum secundò, quòd ex allata definitione denominatiuorum, nempe *Illa denominatiua, dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu*; tres denominatiuorum conditiones insinuantur; quarum prima est, quòd denominatiuum debet deriuari à forma denominante secundùm nomen; quod non est intelligendum iuxta regulas Grammaticorum, apud quos non semper concretum deriuatur ab abstracto, immo frequentiùs fit èconträ, sed iuxta regulas Logicæ, secundùm quas abstractum est prima radix concreti. Secunda conditio est, quòd denominatiuum differat à forma denominante, casu, hoc est, cadentia nominis, quod est intelligendum tantùm per se loquendo; nam per accidens contingere potest, vtrunque nomen non differre cadentia, vt patet de Musica sumpta pro muliere, & pro arte canendi. Tertia tandem conditio est, vt denominatiuum, & forma denominans non differant in re significata, sed sola cadentia nominis, vt explicatum est.

B

Dicendum est ergo, quòd definitio denominatiuorum tradita ab Aristotele est optima. Probatur similiter ex regulis bonæ definitionis saltem descriptiuæ; atque ex modo definiendi concreta accidentalia, vt dictum est suprà.

Obiicitur primò, quòd denominatiua sunt vniuoca: ergo malè definiuntur diuersa definitione. Probatur antec. quia quartum, & quintum prædicabile sunt denominatiua; & tamen propriè sunt vniuoca, vt dictum est suprà disput. 2. q. 7. ad 2.

C

Respondetur ex dictis ibidem, videlicet, denominatiua formaliter, quatenus denominatiua sunt, non esse vniuoca, & viceuersa, sed tantùm materialiter, respectu scilicet inferiorum, in quibus æqualiter inueniuntur: ratio enim est manifesta, quia album, e. g. habet esse denominatiuum in ordine ad formam denominantem, à qua nominis appellationem recipit; esse verò vniuocum habet in ordine ad subiecta inferiora, in quibus æqualiter inuenitur: quos respectus, ac rationes esse inter se essentialiter diuersas, & disparatas, satis ex se patet, & conuincitur planè ex eo, quòd ratio formalis denominatiuorum æque benè saluatur, tam in terminis vniuocis, quàm analogis, tam communibus, quàm particularibus: & etiam ratio formalis vniuocorum, èconträ, æquè bene saluatur tam in terminis denominatiuis, quàm non denominatiuis; quod signum euidens est, intentiones constitutiuas denominatiuorum, & vniuocorum esse inter se essentialiter diuersas, & disparatas, ac proinde exigere diuersas definitiones.

D

Obiicitur secundò, quòd homo sumit denominationem ab humanitate, & animal ab animalitate, à quibus solo casu differunt: & tamen neque homo, neque animal sunt denominatiua; ergo definitio conuenit aliis à definito, & consequenter non est bona.

Respondetur, quòd per illam particulam *ab aliquo* positam in definitione denominatiuorum, communiter Doctores intelligunt formam denominantem non debere esse de essentia rei denominatæ: nam, quod de essentia rei est, propriè non dicitur aliquid aliud ab ipsa, neque ponit in numero cum illa; & propterea homo non est denominatiuum ab humanitate,

nitate, neque animal ab animalitate, bene tamen humanum, & animale, quia cùm sint termini adiectiui, significant humanitatem, & animalitatem per modum accidentium alteri adiacentium; & per consequens cum alietate sufficienti ad rationem denominatiui.

Obiicitur tandem tertiò, quòd studiosus, vel est denominatiuum à studio, vel à virtute; non primum, quia à studio non solùm casu differt, sed etiam in re significata; neque secundum quia à virtute non differt sola cadentia nominis, sed in toto nomine: ergo non rectè dicitur in definitione, denominatiuum, & formam denominantem differre solo casu.

Respondetur, communiter assignari tres modos denominatiuorum; nam eorum quædam sunt talia re, & non voce, vt studiosus a virtute; quædam verò èconträ, voce scilicet, & non re, vt studiosus à studio: quædam tandem, voce, & re, vt albus ab albedine: ex quibus omnibus, hæc tantùm vltima, propriè, ac simpliciter denominatiua sunt: & ratio est, quia esse denominatiuum, neque conuenit rebus secundùm se, neque vocibus secundùm suum esse reale: sed rebus, quatenus significantur per voces, vt notatum est suprà q. 11

DISPVTATIO NONA.

De Analogis, seu Proportionatis.



QVIA Philosophus sub æquiuocis etiam complexus est analoga, vt communiter docent Doctores; post disputationem de æquiuocis, &c. tractari debet de nominum analogia: non enim minùs necessaria est talis cognitio, quàm æquiuocorum, vniuocorum, &c. cùm vix in scientiis reperiatur nomen, quod aliqua analogia non sit analogum. De ipsis tamen actum non est in præcedenti disputatione, dum de æquiuocis, sub quibus continentur, tractabatur; quia cùm ibi Philosophus ex professo nihil de ipsis scripserit; consentaneum etiam visum est, ipsa cum æquiuocis non omnino confundere, sed per disputationem distinctam examinare, præsertim cùm diuersas postulent difficultates.

QVÆSTIO I.

Quid sit Analogum.



IN hac quæstione duo prænotari debent; primò, quòd supposita analogiæ etymologia, quæ tantùm proportionem, seu proportionalitatem importat, illa appellantur proportionata, seu proportionalia, quæ cùm simpliciter diuersa sint, aut inæA qualia, habent tamen aliquam similitudinem, aut æqualitatem: atque ita analogorum nomen importat diuersitatem, aut inæqualitatem, cum aliqua conuenientia, & similitudine. Hinc est ergo, quòd istud nomen analogiæ, siue analogorum extensum est ad significandam quamcunque inæqualitatem rationis communis, vndecunque proueniat, siue ab esse reali, seu existentia, quam habent res, quæ sunt inæquales, siue ab earum ratione præcisa, seu intentione, per prædictum nomen analogum significata; quæ analoga sic in communi à Doctoribus solent definiri: *Analoga illa dicuntur, quorum nomen commune est, ratio verò substantia secundùm illud nomen partim est eadem, & partim diuersa.*

B Secundò prænotandum est, quòd ille modus analogiæ, qui importat inæqualitatem rationis communis prouenientem ab esse reali, seu existentia, quam habent res, est imperfectissimus, neque tollit vniuocationem, quia inæqualitas illa tantùm attenditur secundùm esse, & perfectionem realem, seu ratione differentiarum contrahentium; non autem secundùm rationes præcisas, & abstractas: quare talia analoga etiam appellari solent secundùm esse, & non secundùm intentionem, seu analoga physica, quæ à Philosophis ita definiuntur; *Analoga dicuntur illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est omnino eadem, inæqualiter participata*: animal enim, e. g. licèt secundùm existentiam, quam habet in suis speciebus, æqualiter conueniat omnibus, quia tamen ratione inæqualium differentiarum essentialiũ habet perfectius esse in vna, quàm in alia, inæquali-C ter ab ipsis dicitur participari: vnde antonomasticè vocantur etiam *Analoga inæqualitatis*.

Quibus ergo prænotatis, vt certa ab incertis separentur; relictis iis analogis, quæ apud logicos talia non sunt, sed verè, ac propriè vniuoca, de quibus satis disputatione præcedenti; hoc loco tantùm agetur de analogis propriè dictis, nempe, quæ important inæqualitatem prouenientem à ratione communi præcisa, & abstracta, seu intentione significata per aliquod nomen analogum, quæ communiter ferè, appellantur analoga logica, siue secundùm intentionem, de quibus idcirco quæritur quid sint, hoc est, quomodò debeant definiri.

D Cùm omnes Auctores conueniant; pro recta resolutione quæsiti, duntaxat notandum est, quòd esto eadem definitione, quæ superiùs tradita fuit de analogis in genere, prout scilicet comprehendunt etiam analoga physica, possint quoque specialiter definiri analoga propriè dicta, seu logica: siquidem definitio analogi, simpliciter intellecta, est definitio principalis analogati, vt inferiùs magis patebit; tamen per particulas illius definitionis, non ita clarè explicantur prædicta analoga principalia, seu logica; hinc est, quòd maioris claritatis gratia tradenda videtur sequens definitio.

Dicendum quare est, quòd *Analoga logica, in communi accepta, illa dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen simpliciter est diuersa, & secundùm quid eadem.*

Probatur: quoniam ratio importata per nomen æquiuocum est diuersa in omnibus æquiuocatis; & ratio importata per nomen vniuocum est eadem in omnibus vniuocatis: ergo ratio importata per nomen ana-

analogum debet esse partim eadem, & partim diuersa, nempe, simpliciter diuersa, & secundùm quid eadem; & consequenter per allatam definitionem erunt optimè definita analoga logica, de quibus est sermo. Antec. patet ex dictis in antecedenti disputatione. Secunda consequentia bene deducitur ex prima. Prima verò sic probatur: nam analoga debent mediare inter purè æquiuoca, & vniuoca; non tamen ita strictè, vt æqualiter distent ab vtrisque, cùm magis approximentur æquiuocis, vt explicabitur inferiùs q. 5. huius disputationis: ergo ratio importata per nomen analogum debet esse partim eadem, & partim diuersa; diuersa quidem simpliciter, cùm analoga magis accedant ad æquiuocationem; eadem verò secundùm quid, cùm minùs accedant ad vniuocationem.

Obijcitur primò, quòd quidquid dicitur de Deo, & creaturis, analogicè dicitur, vt docent Metaphysici: sed Deo, & creaturis nequit dari vna ratio communis, etiam secundùm quid: ergo malè dicitur, quòd ratio importata per nomen analogum simpliciter est diuersa, eadem secundùm quid. Minor probatur: nam si daretur prædicta ratio communis secundùm quid, esset quid superius, & simplicius, tam respectu Dei, quam creaturarum, quod saltem repugnat respectu Dei, vt de se manifestum est: ergo, &c.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd si prædicta ratio participaretur à Deo, & creaturis secundùm priùs, & posteriùs; sicut actus, & potentia, substantia, & accidens participant rationem entis; sequeretur vtique prædictum intentum, eò scilicet, quòd ratio entis est quid superius, & simplicius, &c. at verò, quia prædicta ratio communis entitatis est tantùm per participationem creaturarum ab ipso Deo, non sequitur tale inconueniens: Deus enim est ens a se.

Obiicitur secundò, quòd æternum, & temporale in ratione entis conueniunt analogicè, vt docent Metaphysici; sed æterno, & temporali nihil est commune præter nomen, ex Aristotele 10. Met. cap. vltimo: ergo malè ponitur in definitione prædicta, particula illa, quòd *ratio importata per nomen secundùm quid est eadem*.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem ex Aristotele, dicendum est; ibi ipsum Philosophum locutum fuisse de communitate physica, non autem logica; quia æternum, & temporale, siue incorruptibile non conueniunt in aliquo physico, sicut conueniunt corruptibilia, in quibus omnibus materia prima est eiusdem rationis in sententia Aristotelis; diuersa verò essentialiter à materia cælestium corporum: non tamen negat conuenientiam logicam, quæ fit in aliqua ratione abstracta per intellectum, quomodò corpora cælestia, & sublunaria, e.g. conueniunt in gradu corporis, & substantiæ; atque ideò hæc dicuntur genera logica, & non physica, quia non sumuntur à materia eiusdem rationis.

Obiicitur tandem tertiò, quòd substantia, & accidens in esse entis conueniunt analogicè, vt plurimi docent ex Metaphysicis: sed ratio entis in illis reperitur simpliciter eadem; ergo non rectè ponitur in definitione analogorum, *ratio importata per nomen simpliciter diuersa*. Consequentia patet. Antec. verò pro- A batur: nam ratio entis in accidente non inuenitur extrinsecè, aliter accidens nihil esset à parte rei; nec dependentia à substantia aliquid facit, cùm non sit in ratione entis, sed tantùm accidentis, cuius est dependere: ergo, &c.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicitur, quòd licèt ratio entis in accidente non sit extrinseca, est tamen dependens à substantia non quidem in ratione accidentis duntaxat, sed etiam in ratione entis, vt dicetur suo loco: nam accidens in ratione entis definitur per substantiam, estque effectus eius non adæquans virtutem agentis; & ad ipsam ordinatur tanquam ad finem: substantia enim dicitur ens, quia habet esse simpliciter: accidentia verò dicuntur entia præcise ex eo, quia vel sunt eius B dispositiones, vel mensura, vel passiones: vnde potiùs dicuntur entis entia, ex Aristoteles 7. Met. cap. 1.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Analogum: idest quot, & quæ sint species analogorum, seu analogiæ logicæ.

AD hoc autem vt statuatur quot, & quæ possint esse analogiæ prædictæ, species, sciendum est, quòd multipliciter a Philosophis analoga vsurpari solent: quædam enim dicuntur analoga attributionis, C seu proportionis, quæ etiam vocari solent ab vno, siue ad vnum, vel secundùm intentionem tantùm; quę *sunt illa, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudinem ad illum*: vt sanum, e.g. est nomen commune medicinæ, vrinæ, & animali; ratio verò omnium in quantum sana sunt est eadem secundùm terminum: nam sanitas, quæ est terminus, in quem singula respiciunt, est eadem respectu omnium: est verò diuersa secundùm habitudines, quas habent ad prædictum terminum: nam medicina respicit sanitatem, quia eam causat; vrina quia ipsam indicat; & animal, quia est eius subiectum, cùm eam in se habeat; vnde appellantur analoga attributionis, vel quia in tali analogia principale analogatum, D nempe animal, tribuit denominationem aliis, vel quia analogata minùs principalia quasi attribuantur principaliori analogato, & reducantur ad illud tanquam ad propriam mensuram, & radicem. Dicuntur etiam analoga proportionis, ad distinctionem analogorum proportionalitatis; quia vt infrà explicabitur, non proportio, sed proportionalitas respicit quatuor terminos, qui tamen necessarii non sunt in analogia attributionis: Appellantur item analoga ab vno, siue ad vnum; quia in tali analogia analogata minùs principalia quandoque procedunt à principali analogato tanquam ab efficiente; quandoque ad ipsum ordinantur vt ad finem. Dicuntur tandem, analoga secundùm intentionem tantùm, & non secundùm esse; quia in tali analogia ratio significata per nomen analogum, licèt referatur ad omnia analogata per priùs, & posteriùs; tamen non habet esse nisi in vno, in principaliori scilicet, vt est animal.

Sunt

Sunt autem quædam alia analoga, quæ appellantur proportionalitatis, siue secundùm intentionem, & esse; quæ sunt *illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est similis secundùm proportionem*; vt videre, e. g. corporali visione, & videre intellectualiter communi nomine vocantur videre; quia sicut visio corporalis rem corpori animato ostendit; ita intellectio rem animæ repræsentat; atque ita, sicut se habet visio ad potentiam visiuam, ita intellectio ad intellectiuam; quare appellantur analoga proportionalitatis, quia versantur circa prædictos quatuor terminos: Proportionalitas enim secundùm Mathematicos *est habitudo duarum proportionum ad inuicem*; ad differentiam proportionis, quæ est habitudo vnius rei ad aliam, vt magis explicabitur in sequentibus. Dicuntur etiam analoga secundùm intentionem, & esse; quia ratio importata per nomen refertur ab intellectu ad omnia analogata, in quo talis analogia conuenit cum analogia attributionis; & habet esse in vnoquoque analogato, eò quòd intrinsecè reperiatur in omnibus (quando tamen proportionalitas est propria) in quo distinguitur à prædicta analogia attributionis.

Horum autem analogorum proportionalitatis, alia sunt proportionalitatis propriæ; alia verò proportionalitatis metaphoricæ: priora *sunt illa, in quorum omnibus analogatis intrinsecè reperitur ratio significata per nomen analogum*; & hoc modo Ens dicitur analogum ad substantiam, & accidens, vt patebit suo loco: nam sicut se habet substantia ad suum esse, ita accidens ad suum: posteriora verò *sunt illa, in quorum analogatis ratio importata per nomen analogum est intrinsecè in vno, extrinsecè verò in alio*; quo modo risus est analogum quoddam ad risum hominis, & ad viriditatem prati; quia sicut se habet risus hominis ad hominem, ita viriditas ad pratum, in quo tamen ratio importata per nomen risus, extrinsecè tantùm reperitur, vt patet.

Tandem ab aliquibus Neotericis quædam alia analoga inuenta sunt, quæ vocant transcendentiæ *illaque sunt, quorum nomen commune est, ratio verò importata per tale nomen, secundùm rationem communem & in statu abstractionis est eadem, & æqualis in omnibus analogatis, eorumque differentijs, in quibus intrinsecè, & essentialiter imbibitur; in statu verò contractionis, non æqualiter, sed dissimiliter se habet in vnoquoque*: ens enim respectu substantiæ, & accidentis, licèt vniuersaliter acceptum, & in statu abstractionis, æqualiter reperiatur in omnibus suis analogatis, eorunque differentijs, in quibus essentialiter, & intrinsecè imbibitur; at tamen in statu contractionis, non omnino æqualiter inuenitur in substantia, & accidente, cùm inæqualiter, ac dissimiliter ab ipsis participetur. Appellantur autem analoga transcendentiæ: quia id dicitur transcendens, quod ita est de essentia suorum inferiorum, vt etiam imbibatur essentialiter in vltimis eorum differentijs, seu modis constitutiuis, ad differentiam, & distinctionem vniuocorum, quorum ratio importata per nomen, licèt sit de essentia suorum inferiorũ; in eis tamen est aliquid, differentia scilicet, de qua formaliter non prædicatur; vt patet, e. g. de animali, quod quamuis sit de essentia hominis, non tamen est de essentia rationalis.

Quibus scitis, atque suppositis: prima sententia est eorum, qui vnam tantùm speciem analogiæ proA priè agnoscunt; at non omnes eandem assignant: Caiet. enim opusc. de nominum analogia cap. 1. vi nominis analogiæ insistens, quod proportionem significat, solam analogiam proportionalitatis vocat veram analogiam; reliquas verò abusiuè; quem sequuntur Sotus cap. de æquiuocis art. 2. coroll. 1. Pasqualig. p. 2. Met. disp. 30., & alij. Scotus veròècontrà in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 8. q. 3. & in 2. dist. 12. q. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. & q. 13. vniu. solam analogiam attributionis agnoscit, quem sequuntur Mastrius, & Bell. hic disp. 2. q. 5. art. 1. Arriag. disp. 11. log. sect. 4. (licèt aliquo modo differat in explicatione) & alij.

Secunda verò sententia docet tres esse species analogiæ logicæ; nempe attributionis, proportionalitatis, & transcendentiæ. Ita Hurt. in log. disp. 9. B sect. 4. subsect. 5. Didac. à Iesu disp. 11. q. 4. Blanc. disp. 4. sect. 6. & alii.

Tertia tandem sententia docet, verè, & propriè, tantùm duas esse species analogiæ logicæ; nimirum attributionis, & proportionalitatis, quarum secunda in ratione analogiæ nobilior est prima. Ita sentiunt Arist. 1. Ethic. cap. 6. D. Tho. q. 2. de varitate artic. 2. Compl. disput. 10. q. 2. Ioann. a S. Tho. p. 3. log. q. 13. artic. 3. Faber Theor. 95 cap. 1. Fuentes in log. q. 12. diff. 2. art. 1. & alii non pauci.

Notandum est idcirco primò, analogiam attributionis posse fieri in quolibet genere causæ, præcipuè si causa exemplaris ad formalem reducatur: possunt enim plura ad vnum finem, vel ad vnum efficiens, vel ad vnum exemplar, vel ad vnum subiectum, secundùm aliquam ad vnum denominationem, attribuC tionem diuersimodè habere. Exemplum primi adducit Arist. 11. Met. apud D. Tho. lect. 3. de sano respectu animalis, & medicinæ: hæc enim ad animal tanquam ad finem ordinatur. Exemplum secundi etiam adducit ibidem de medicatiuo respectu medicinæ, sermonis medicinalis, & instrumentorum: hęc enim a medicina, vt ab efficienti procedunt. Ibidem etiam adducit exemplum quarti de ente respectu substantiæ, & accidentis quod ad substantiam, tanquam ad commune subiectum ordinatur. Ac tandem exemplum tertii adducit 1. Ethic. apud D. Thom. lect. 7. de bono: respectu boni, quod est bonum per se, & respectu boni, quod est bonum per aliud: hoc enim ad illud, tanquam ad exemplar ordinatur.

Notandum secundò, quòd in tali analogia attribuD tionis dupliciter potest comparari analogum ad sua analogata; vel scilicet indifferenter ad omnia, tam principalia, quàm minùs principalia, vel ad sola minùs principalia. Si comparetur primo modo, tunc vnum suscipit denominationem per ordinem ad aliud, nempe principale; vt patet de medicina, & vrina, quæ appellantur sana per ordinem ad animal, cùm vna causet, altera verò demonstret sanitatem in ipso. Si autem comparetur secundo modo, tunc vnum non recipit denominationem per ordinem ad aliud, sed ambo per respectum ad aliud tertium, scilicet ad principale analogatum; vt patet de medicina, & vrina, quarum vna non accipit denominationem ab alia, sed ambæ ab animali, principaliori analogato; vnde alio nomine hæc analogia appellari solet analogia multorum ad vnum, vel duorum ad aliquod tertium; qui quidem secundus modus comparationis, etiam sufficientissimus est ad causandam veram analogiam;

logiam: nam quamuis analogum comparatum secundis analogatis, æqualiter illa denominet, non tamen est vniuocum respectu ipsorum; quia talia analogata suscipiunt denominationem per ordinem ad aliud tertium: nempe ad principale analogatum, quod in rei veritate continetur sub diuiso talis diuisionis.

Dicendum est ergo primò, quòd analogia, quam dicunt transcendentiæ, est eadem cum analogia proportionalitatis propriæ. Probatur; nam quæ habent eadem prædicata essentialia, non distinguuntur specie, sed sunt idem: sed analogia transcendentiæ, & analogia proportionalitatis propriæ sunt huiusmodi: ergo, &c. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur: nam ratio importata per prædicta nomina analoga, intrinsecè reperitur in omnibus analogatis vtriusque analogiæ, non quidem omnino æqualiter, sed proportionabiliter, vt patet: ergo eadem habent prædicata essentialia.

Dicendum secundò, quòd duæ tantùm sunt præcipuæ species analogiæ logicæ, nempe analogia attributionis, & analogia proportionalitatis. Probatur, & primò quòd tantùm sint duæ species: nam tot sunt species analogiæ logicæ, quot sunt differentiæ, diuisiuæ æqualitatis, & comparationes; non quidem geometricè, seu rigorosè, & absolutè acceptæ; sed arithmeticè, idest, quatenus important aliqualem habitudinem, ac conuenientiam vnius rei ad aliam: sed prædictæ differentiæ, & comparationes sunt tantùm duæ: ergo & duæ species analogiæ logicæ. Maior patet ex eo, quòd cùm analogia, ex dictis in principio antecedentis quæstionis, non importet omnimodam equalitatem, aut similitudinem, sed tantùm aliqualem conuenientiam, simul cum differentia, aut inæqualitate; tot quidem erunt eius species, quot differentiæ diuisiuæ prædictæ æqualitatis, arithmeticè, seu habitudinaliter, ac secundùm aliqualem conuenientiam acceptæ. Minor verò probatur; nam quod est æquale prædicto modo, vel est æquale secundùm proportionem, seu habitudinem quantitatum diuersæ extensionis, vt 2. ad 4. 3. ad 6. &c. vel secundum proportionalitatem, seu habitudinem prædictarum, ac similium proportionum ad inuicem: 6. enim, e. g. ad 3. est proportio æqualis, proportioni 4. ad 2. cùm vtraque sit proportio dupla, in qua scilicet numerus maior bis continet minorem, vt patet: sed preter has duas nulla alia videtur assignanda, cùm talis æqualitas non possit inueniri, nisi in prædictis, aut similibus quantitatibus, & proportionibus, vt consideranti patebit: ergo tantùm sunt duæ.

Item probatur, quòd analogia attributionis, seu proportionis, & analogia proportionalitatis tantùm sint tales species: tum quia omnes aliæ analogiæ ex assignatis, vel sunt idem cum ipsis, vel ad eas reducuntur, vt inferiora, & species earundem: tum etiam quia, cùm ratio importata per nomen analogum attributionis, vel proportionis, sit eadem, & equalis in omnibus analogatis secundùm habitudinem ad terminum; correspondet æqualitati secundùm proportionem, in qua vna quantitas non est æqualis alteri quantitati ad quam terminatur secundùm extensionem eiusdem (2. enim non habet extensionem 4. ad quod terminatur) sed tantùm secundùm habitudinem, & conuenientiam ad ipsum, vt ad suum terminum. Similiter, cùm ratio importata per nomen analogum

A proportionalitatis sit eadem, & æqualis in omnibus suis analogatis secundùm proportionem vnius ad aliud, correspondet æqualitati secundùm proportionalitatem, in qua vna proportio non est alteri æqualis secundùm quantitatem, ac valorem numerorum, inter quos inuenitur; sed tantùm secundùm proportionem importatam per prædictos numeros, puta duplam, triplam, quadruplam, &c. nam proportio dupla, correspondet duplæ; tripla triplæ, quadrupla quadruplæ, &c. ergo, &c.

Dicendum est tertiò, quòd licèt vtraque analogia sit verè analogia logica; & quamuis analogia attributionis, seu proportionis frequentior sit in significationibus nominum; analogia tamen proportionalitatis est illa multò nobilior.

B Probatur; quoniam illa analogia est alia nobilior, in qua propriùs, & principaliùs intercedit proportio, quam analogiæ nomen significat: sed analogia proportionalitatis est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet: nam sicut illa dicitur principaliter, & maximè substantia, quæ magis, & propriùs substat accidentibus, vt eius nomen importare videtur, ex dicendis infrà disputatione de substantia; ita illa dicenda est nobilior, & maximè analogia, quæ propriùs, & principaliùs importat proportionem, & comparationem, quam eius nomen significat. Minor verò probatur; quia ibi propriùs, & principaliùs intercedit proportio, & comparatio, vbi datur proportio proportionum, & comparatio comparationum; quam vbi datur solummodò proportio, & comparatio vnius ad aliud, vt de se patet: sed in analogia proportionali-

C tatis datur proportio proportionum, & comparatio comparationum; in analogia verò proportionis, tantùm proportio, & comparatio vnius ad aliud: ergo in analogia proportionalitatis propriùs, & principaliùs intercedit proportio, & comparatio. Et ideò apud Aristotelem, & alios Græcos ipsa sola nomen analogiæ sibi vsurpauit, vt colligitur ex pluribus locis ipsius Aristotelis relatis à Caietano cap. 3. de nominũ analogia, & præcipuè ex primo Ethic. cap. 3. iuxta translationem antiquam.

Respondent Mastrius, & Bellut. loco suprà citato, negando maiorem; nam licèt apud Græcos nomen analogiæ significet proportionem; tamen apud Latinos etiam extenditur ad habitudinem vnius ad aliud per modum ordinis, seu dependentiæ, & attributio-

D nis: quinimmo potiùs, & priùs importat prædictam habitudinem per modum dependentiæ, &c., quam talem proportionem: nam intantùm proportionem significat, inquantùm & ipsa proportio connotat habitudinem, ordinem, dependentiam, atque attributionem suorum analogatorum ad primum analogatũ, inter quæ reperitur, vt patet ex Philosopho 5. Met. tex. 12. vbi explicans, quæ dicantur vnum secundùm analogiam, ita loquitur: *secundùm analogiam verò, quæcunque se habent, vt ad aliud*; quasi nulla alia detur species analogiæ, præter ipsam attributionis.

Contra tamen est, quòd talis habitudo per modum dependentiæ, &c. quam asserunt præfati Auctores etiam importare nomen analogiæ apud Latinos, tantùm importatur propter proportionem, quam habet vnum analogatum ad aliud: ergo potiùs, & priùs per tale nomen importatur proportio, quam talis habitudo dependentiæ, &c., Consequentia patet ex eo,

quòd

quòd, quando aliquod nomen duo simul significat, vnum per modum naturæ, & aliud per modum proprietatis, per priùs importatur per ipsum id, quod habet rationem naturæ, quàm id, quod habet rationem proprietatis; vt patet, e.g. de nomine *homo*, quod per priùs importat rationalitatem, quàm risibilitatem, estò vtramque significet; quapropter dato quòd nomen analogum importet prædictam habitudinem propter proportionem, quam simul significat in ratione naturæ; potiùs, & priùs erit importata proportio, quàm talis habitudo, quæ importatur per modum passionis. Antec. verò, in quo potest esse difficultas, sic probatur: nam cùm proportio inæqualitatis, de qua est sermo, ex Euclide 5. Elementorum sit *habitudo duarum quantitatum* (quod etiam affirmari potest de cæteris prædicamentis) *diuersarum extensionum vnius ad alteram*; nulla potest importari habitudo dependentiæ, & attributionis, nisi ratione proportionis: vbi enim non est proportio, neque reperiri potest talis habitudo, vt patet de oculo, & sono; inter quæ cùm nulla sit proportio, non inuenitur pariter habitudo, neque dependentia, aut attributio vnius ad aliud: ergo talis habitudo, & attributio est ratione proportionis. Et in hoc sensu locutus est Philosophus loco citato; tum ex alia translatione, vbi legitur: *Illa, quæ sunt vnum secundùm æqualitatem, sunt, quorum proportio est vna, sicut proportio alicuius rei ad aliam rem*: tum ex Auerroe, ita explicante: *Illa dicuntur vnum, quæ sunt vnum secundùm proportionalitatem; sicut dicitur, quòd proportio Rectoris ad ciuitatem, & Gubernatoris ad nauem est vna*. Ex quibus clarè patet, quòd nomen analogiæ, potiùs, & priùs significat proportionem, seu proportionalitatem, & postea ratione illius, attributionem; quàm è contra.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd in analogia proportionalitatis propriæ est necessaria dependentia suorum analogatorum à primo analogato; in analogia verò transcendentiæ, nequaquam: ergo non sunt idem. Consequentia bene deducitur ex allata differentia. Anteced. verò probatur: nam in analogia proportionalitatis propriæ cùm ratio importata per nomen analogum sit intrinseca in quolibet analogato, non esset in quo distingueretur ab vniuocatione, nisi adderetur dependentia analogatorum à primo analogato: at verò in analogia transcendentiæ, cùm ratio importata per nomen analogum imbibatur essentialiter in vltimis differentijs suorum analogatorum, absque additione prædictæ dependentię, optimè reperitur per quod distinguatur ab vniuocatione; nam ratio importata per nomen vniuocum non imbibitur essentialiter in vltimis differentijs suorum vniuocorum, vt patet de animali, quod estò sit de essentia hominis, non tamen est de essentia rationalis, neque formaliter de tali differentia prædicatur: ergo prædicta dependentia vnius ab alio est necessaria in analogia proportionalitatis propriæ, non autem transcendentiæ.

Confirmatur, quinimmo potiùs augetur difficultas, probando insuper, analogiam transcendentiæ esse valdè nobiliorem analogia proportionalitatis propriæ: nam illa analogia est perfectior, & nobilior, quæ magis recedit ab vniuocatione, & æquiuocatione, cùm debeat esse quid medium: sed analogia transcendentiæ respectu analogiæ proportionalitatis

A propriæ est huiusmodi: ergo est nobilior, & perfectior analogia proportionalitatis propriæ, & consequenter ab illa diuersa. Cons. bene deducitur. Maior patet ex dictis in præcedenti quæstione. Minor verò sic probatur; quoniam dependentia, quam indispensabiliter importat analogia proportionalitatis propriæ, stare potest cum summa vniuocatione, vt patet de actu vitali, qui licèt dependeat à potentia vitali, tamen vniuocè conuenit cum ea in genere qualitatis: prædicatio verò formalis, & essentialis, quam importat analogia transcendentiæ respectu suorum analogatorum, ipsorumque differentiarum, nullo modo stare potest cum summa vniuocatione: ergo magis recedit ab vniuocatione analogia transcendentiæ, quàm proportionalitatis propriæ.

B Respōdetur negādo antec. quoad primā partē: nam in hoc propriè distinguūtur analogia proportionalitatis, & attributionis, quia analogia proportionalitatis formaliter nō cōstituitur per prædictam dependentiā suorū analogatorū, sicut cōstituitur formaliter analogia attributionis: nā cùm habitudines analogatorū analogię proportionalitatis assimilentur proportionalitati, quæ est inter proportiones æquales numerorū, quarū neutra dependet, neque mensuratur per alterā, quamuis numeris sint inæquales (proportio enim 6. ad 3. non dependet à proportione 4. ad 2. nec è contra; sunt etenim ambæ æquales, vtpote dupla, & dupla) ita habere se debent prædicta analogata ad inuicem, vt neutrum significetur secundariò, & per ordinem ad aliud, sed vtrumque æqualiter, secundùm quod mutuò assimilantur inter se in hoc, quòd sicut vnum

C se habet ad suum esse, ita & aliud ad suum; vt patet de principio respectu cordis, & fundamenti domus: nam sicut se habet cor ad principium hominis, ita & fundamentum ad principiandam domum. At verò analogia attributionis, cùm habitudines suorum analogatorum assimilentur proportioni, quæ est inter quantitates inæquales numerorum, quarum vna dependet ab alia, atque ab ipsa mensuratur (4. enim dependet a 2. & ab ipso mensuratur, cùm numerus minor, ex mathematicis, sit mensura maioris) debet constitui per talem dependentiam; atque eius analogata debent suscipere denominationem à primo, & per ordinem ad ipsam debent vt talia constitui; vt patet de sano, respectu animalis, medicinę, & vrinæ; nam per ordinem ad animal, in quo causatur sanitas, medicina, & vrina denominantur sana, atque consti-

D tuuntur in esse analogi. Quare, vt dici solet in metaphysicis, Ens, quà ratione est analogum proportionalitatis proprię, non importat dependentiam suorum analogatorum, substantiæ scilicet, & accidentis: nam sicut se habet substantia ad suum esse, ita accidens ad suum; ęqualem enim habent proportionem: quà ratione verò est analogum attributionis importat prędictam dependentiam: accidens enim in suo esse dependet à substantia, cùm sit entis, idest substantiæ, ens. Quare ad probationem illius primę partis eiusdem antecedentis, negatur absolutè quòd si non importaret talem dependentiam, prędicta analogia proportionalitatis proprię non haberet in quo distingueretur ab vniuocatione: quia, cùm non significet immediatè aliquam rationem communem, a suis analogatis præcisam, & abstractam, in qua fundatur vniuocatio, vt clariùs explicabitur infrà; sed immediatè

vtrumque analogatum, vt proportionabiliter assimilantur inter se, optimè quidem, absque tali dependentia, poterit distingui ab vniuocatione.

Ad confirmationem tandem respondetur, negando minorem; ad cuius probationem, inquantùm nocere potest analogiæ attributionis (analogiæ siquidem proportionalitatis cùm ex dictis non admittat talem dependentiam, minimè nocet) dicendum est, quòd in potentia vitali, eiusque actu, dependentia potest stare cum vniuocatione, quia prædicta conueniunt in aliqua ratione communi præcisa, & abstracta ab ipsis, nempe in qualitate; quæ vtique ratio respectu analogorum dari nequit, vt infrà ex professò explicabitur.

Obijcitur secundò in oppositum secundæ, ac tertiæ conclusionis, quòd proportionalitas ex se est indifferens, vt reperiri possit tam inter significata, quorū vtrique conueniat intrinsecè, & æqualiter ratio importata per nomen, vt sunt vniuocata; quàm inter ea, quæ sub tali nomine nullam habent conuenientiam, vt sunt æquiuocata: ergo, nisi coniungatur analogiæ attributionis, nequit esse vera species analogiæ logicæ; & consequenter tantùm analogia attributionis erit vera, propria, ac præcipua species illius. Vltima consequentia patet ex eo, quòd si analogia proportionalitatis non est species analogiæ logicæ, nisi propter analogiam attributionis; ipsa tantùm analogia attributionis erit vera, propria, & pręcipua species, &c. iuxta illud axioma aristotelicum, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, de quo suo loco. Prima verò consequentia ex tali indifferentia bene deducitur, cùm analogum non debeat esse quid vniuocum, aut æquiuocum, sed quid medium inter ipsa, vt ex dicendis patebit. Antec. autem; in quo est tota difficultas, sic probatur: nam quòd vnum ita se habet ad suum esse, sicut aliud ad suum, in quo consistit proportionalitas, indifferenter affirmari potest tam de animali, e.g. respectu hominis, & leonis, quæ conueniunt vniuocè, quàm de cane respectu cælestis, marini, ac terrestris: ergo prædicta analogia, quæ talem proportionalitatem importat, indifferenter reperiri poterit, tam inter vniuoca, quàm inter æquiuoca.

Respondetur negando antec. Ad cuius probationem dicendum est, quòd ad hoc, vt inter significata, quibus conuenit ratio importata per nomen, reperiatur prædicta proportionalitas, & conuenientia, duæ conditiones requiruntur; prima, quòd immediatè significentur per talem rationem importatam per nomen, & non mediante alia ratione communi præcisa, & abstracta ab illis: secunda verò, quòd sint res, quibus nomen imponi possit, & de facto imponatur ex consideratione alicuius proportionis, aut proportionalitatis. Ex defectu quippè primæ conditionis excluduntur significata vniuoca, quæ tantùm significantur, mediante aliqua alia ratione communi pręcisa, & abstracta, in qua conueniunt, vt dictum est suprà disput. antec. q. 2. in adnotatione. Ex defectu uerò secundæ excluduntur significata purè æquiuoca: nam licèt immediatè significentur per rationem importatam per nomen; attamen, quia sunt res vnius generis, imponi potest aliquod nomen absque consideratione alicuius conuenientiæ, & proportionis, vt patet de cane terrestri, & marino, quæ sunt animalia vnius generis. Quarè consultò dictum est, *excluduntur significata purè æquiuoca*, quæ alio nomine, etiam vocari solent ęquiuoca à casu, hoc est absque tali consideratione: nam ad puram æquiuocationem vltrà requiritur, vt nomen significet immediatè plura absque consideratione alicuius conuenientiæ. Quapropter æquiuoca à consilio, idest cum tali consideratione, sunt etiam analoga, vtpote quibus etiam imponi potest nomen commune ex consideratione alicuius conuenientiæ, & proportionis, vt patet de cane terresti, vel marino, respectu canis cælestis, quorum significata sunt res diuersi generis, & ideò nequeunt habere nomen commune, nisi secundùm proportionem, aut proportionalitatem: nam sicut se habent canis terrestris, & marinus ad acriter, & ferociter feriendum, ac lædendum dente; ita calore, & æstu canis cælestis: quare canitur apud Tibullum:

Dum premit æstneo Canis Erigoneus æstu.

Ex quo dies caniculares molesti, ac mordaces vocari etiam ab omnibus solent.

Obijcitur tandem tertiò in oppositum earundem conclusionum, quòd proportionalitas ratione sui, non facit viriditatem prati, e. g. esse, aut vocari risum, sed ratione attributionis ad risum hominis: ergo nec ratione sui facit prædictam viriditatem analogatum risus, vel risum esse analogum, sed ratione attributionis, vt patet; & consequenter non est species, & multò minùs præcipua species analogiæ logicæ, sed tantùm vt coniuncta analogiæ attributionis.

Respondetur negando vltimam consequentiam: nam ex eo, quòd analogia proportionalitatis metaphoricæ de qua tantùm procedit argumentum, non possit esse species analogiæ logicæ nisi adiuncta analogiæ attributionis; non bene deducitur, quòd analogia proportionalitatis propriæ, de qua loquimur in præsenti de se sola non sit species, ac præcipua species analogiæ logicæ: talis enim analogia proportionalitatis metaphoricæ est analogia impropria, imperfecta, atque secundùm quid, cùm in ea vna proportio pendeat, & mensuretur ab alia, vt statim infra luce clarius explicabitur.

QVÆSTIONIS APPENDIX


De Mathematicis proportionibus, & proportionalitatibus.

CVM omnia, quæ vsque modò dicta sunt non solùm de speciebus analogiæ in hac quæstione, verùm etiam de æquiuocis, & vniuocis in superiori disputatione translata sint à proportione, & proportionalitate quantitatum, quas considerant Mathematici; nonnulla ex tali facultate, ad præcedentem quæstionem, in qua præcipuè talia examinantur, translata, esse addenda videntur; cognito quippe, ac explicato eo, à quo prædicta deriuantur, magis, & radicitùs declarata manebunt.

Proportio igitur ex Euclide lib. 5. Elementorum *est certa duarum quantitatum, eiusdem generis proximi, vnius ad alteram habitudo*; vt lineæ ad lineam, superficiei ad superficiem, &c. cùm inter quantitates di-

uersi

uersi generis, vt lineæ ad superficiem, superficiei ad corpus, &c. non possit esse proportio, vt docet Clauius ibidem, sed tantùm proportionalitas, vt videbitur infra. Quæ proportio diuidi solet in irrationalem, & rationalem: *Irrationalis est illa, quæ est inter quantitates incommensurabiles*, vt inter diametrum, & latera quadrati: nam cùm partes diametri, & partes laterum quadrati non sint aliquotæ, idest æqualis magnitudinis; neque partes laterum quadrati sint partes aliquotæ diametri, ita vt aliquoties repetitæ totam exhauriant quantitatẽ illius (aut enim non adęquant, aut saltem excedunt) nulla erit illis mensura communis, & certæ magnitudinis, in qua conuenire possint, vt patet in hac figura,



& consequenter erunt ambæ quantitates incommensurabiles, dicente Euclide lib. 10. Elem. def. 2. *Incommensurabiles quantitates sunt, quarum nullam communem mensuram contingit reperiri*: quòd tamen intelligendum est geometricè, hoc est de quantitatibus continuis; non autem arithmeticè, seu de quantitatibus discretis: nam inter numerum, & numerum semper est rationalis proportio, siue commensuratio, ex eodem Euclide ibidem Theorem. 4. propositione 6. dicente: *Si duæ magnitudines inter se proportionem habent quam numerus ad numerum, commensurabiles erunt magnitudines.*

Rationalis ergo proportio ea appellatur, quæ est inter quantitates commensurabiles; e.g. inter latera quadrati, vel inter 2, & 2. 2, & 4, aut 3, & 9. &c. nam cùm partes quadrati, seu æquilateris, & numerorum sint aliquotæ; aut vna sit pars aliquota alterius, ita vt aliquoties repetitæ totam exhauriant quantitatem quadrati, vel numerorum, vt patet; erit omnibus mensura communis, ac certæ magnitudinis, & consequenter erunt quantitates omnino commensurabiles, dicente Euclide lib. 10. citato definit. 1. *Commensurabiles magnitudines dicuntur, quas eadem mensura metitur*. Vnde diuidi solet in proportionem ęqualitatis, & inæqualitatis: *prima est, quæ versatur inter quantitates eiusdem extensionis*; vt inter 2, & 2. vel palmum, & palmum; & hæc frequentiùs appellatur æqualitas, quàm proportio; & quantitates eiusdem omnino extensionis, potiùs æquales, quàm proportionatas appellare solemus, cùm proportio aliquam inæqualitatem potiùs includat, vt sępe dictum est. *Proportio verò inæqualitatis est illa, quæ versatur inter quantitates diuersæ extensionis*; vt inter 2, & 4; vel inter magnitudines vnius, & duorum palmorum, & hæc, retento communi nomine, frequentiùs appellatur proportio.

Huius autem proportionis species sunt duę; nempe proportio inæqualitatis excedentis, & proportio inæqualitatis excessæ: prima est, quæ versatur inter quantitates diuersæ extensionis, quarum maior con-

A tinet minorem, vt se habet 4. ad 2., vel quadripalmare ad bipalmare, &c. cui assignantur quinque species, quarum prima dicitur multiplex, & est, quando magnitudo, aut numerus maior aliquoties continet minorem, sicut 6 continet duo ter; vnde si prædicta proportio excedens contineat ipsum bis, dicitur dupla, vt se habet 4 ad 2, si ter, tripla vt 6 ad 2, si quater, quadrupla, vt 8 ad 2. &c. Secunda appellatur superparticularis, & est, quando numerus maior continet minorem semel, & insuper vnam aliquam partem eius; & tunc, si contineat totum, & medium, talis proportio vocatur sesquialtera, sicut se habent 3 ad 2, si autem totum, & tertiam partem, sesquitertia, vt 4 ad 3; si verò totum, & quartam partem, dicitur sesquiquarta, vt 5 ad 4, &c. Tertia verò species dicitur superpartiens, & est, quando numerus maior

B continet minorem semel, & insuper non solùm vnam, sed plures partes eius; quòd si contineat duas partes, appellatur superbipartiens, sicut se habent quinque ad 3; si verò tres, dicitur supertripartiens, sicut 7 ad 4. & sic de reliquis. Quarta dicitur multiplex superparticularis, & est quando numerus maior continet totum minorem pluries, & insuper aliquam partem eius; quòd si contineat ipsum bis, & mediam partem eius, talis proportio dicitur dupla sesquialtera, sicut se habent 5 ad 2; si autem ter, & mediam partem eius, appellatur tripla sesquialtera, sicut 7 ad 2. &c. Quinta tandem, & vltima species dicitur proportio multiplex superpartiens, & est, quando numerus maior habet totum minorem pluries, & etiam plures partes eius; quòd si contineat minorem bis, & duas par-

C tes eius; sicut se habent 8 ad 3 appellatur talis proportio dupla superbipartiens, & sic de alijs: nam hęc proportio potest diuidi secundùm species multiplicitatis, & secundùm species superpartientis.

Quare proportio inæqualitatis excessæ item erit illa, quæ versatur inter quantitates diuersæ extensionis, quarum minor continetur à maiori, vt est 2 ad 4; vnde totidem illi assignantur species, mutato *super*, in *sub*: nam ex parte inæqualitatis illius quantitatis, quę exceditur, numerus minor, & proportio inæqualitatis ad maiorem dicitur submultiplex, subparticularis, &c.. Et hæc circa proportiones mathematicas.

Proportionalitas autem, ex eodem Euclide lib. 5. Elementorum, *est similitudo, seu comparatio multarum proportionum*; vt si dicas, sicut se habent 6 ad 3, ita 4

D ad 2. ibi enim est vera proportionalitas; quia quamuis numeri ipsi sint inæquales, & etiam excessus, quibus extrema, nempe 6, & 4 superant 3, & 2. sint inæquales; proportio tamen, quæ est inter 6, & 3. æqualis est proportioni, quæ est inter 4, & 2. siquidem vtraque est proportio dupla. Similiter si dicas, sicut se habent 6 ad 4, ita 3 ad 2. ibi enim vtraque proportio est sesquialtera. Item, sicut se habent 8 ad 6. ita 4 ad 3. vbi vtraque est proportio sesquitertia. Item, sicut se habent 8 ad 6. ita 4 ad 3. vbi vtraque est proportio sesquitertia, & sic de alijs. Quò fit, vt proportio in hoc distinguatur à proportionalitate, quod illa versatur inter quantitates, hæc verò inter proportiones; atque ita proportionalitas necessariò requirit quatuor terminos, siue omnes sint diuersi, vt contingit in proportionalitate, quam Mathematici appellant disiunctam, vt sicut se habent 6 ad 4, ita 3 ad 2; siue alter bis repetatur, vt quando dicimus, sicut se

habent 8 ad 4, ita 4 ad 2; quæ appellatur proportionalitas continua, seu continuata.

Ad maiorem autem explicationem proportionalitatis aduertendum est, quòd licèt ad veram, & propriam proportionalitatem, de qua loquimur, necessaria sit inter proportiones, quarum est comparatio, & proportio, vera æqualitas, & independentia, ita vt ambæ sint eiusdem speciei, vt dictum est: nihilominus tamen, etiam inter proportiones inæquales, ac diuersæ speciei potest dari aliqualis proportionalitas, estò secundùm quid, & imperfecta: nam sicut inter numeros diuersos datur proportio, seu dependentia, & habitudo vnius ab alio in ratione mensuræ (in quacunque enim proportione numerus, seu magnitudo minor habet rationem mensuræ respectu maioris, cùm 16 mensuratur per 4, & 4 per 2, & 2 per vnum) ita etiam inter proportiones diuersæ speciei datur dependentia, & habitudo in ratione mensuræ vnius ab alia, hoc est aliqualis proportio, & habitudo prædictarum proportionum, seu proportionalitas: omnes namque superparticulares mensurantur per sesquialteram, quæ est prima illius generis; & omnes multiplicitates per duplam, & hæc per vnitatem: vt e.g. si ex vna parte ponatur proportio dupla, & ex alia, sesquialtera, dicendo, sicut se habet 4 ad 2, ita 6 ad 4, fiet aliqualis proportionalitas, licèt imperfecta secundùm quid, & per attributionem, seu dependentiam vnius proportionis ab alia. Et hæc satis ex mathematicis.

Quibus ergo suppositis, ac diligenter consideratis; tunc radicem, & fundamentum eorum, quæ de æquiuocis, vniuocis, analogisque diximus, atque dicenda sunt, inueniemus; si requisita, & conditiones proportionum ad ipsa transferantur. Erit idcirco inter quascunque res pura, & rigorosa æquiuocatio, quotiescunque assimilentur quantitatibus incommensurabilibus, in quibus fundatur irrationalis proportio: nam sicut tales quantitates; geometricè loquendo, non important mensuram communem, in qua conueniant sed particularem, ac valdè diuersam; ita purè æquiuocata, inter quæ intercedit talis incommensurabilitas, nullam habent rationem communem per nomen æquiuocum significatam: & sicut prædictæ quantitates incommensurabiles immediatè significantur per proportionem irrationalem, & non mediante aliqua mensura ab ipsis præcisa, & abstracta; ita æquiuocata, inter quæ intercedit eadem proportio, & incommensurabilitas immediatè importantur per nomen æquiuocum, & non mediante aliqua ratione communi significata per tale nomen ab ipsis abstracta, & præcisa. Item, sicut prædictæ quantitates, arithmeticè, idest secundùm proportionem, quam habet numerus ad numerum, fiunt commensurabiles; ita æquiuocata, propriè, & secundùm se considerata, inter quæ intercedit eadem irrationalis proportio, ex consideratione alicuius proportionis, & conuenientiæ quæ præcipuè debet indispensabiliter attendi, si sint res diuersi generis, fiunt commensurabilia, & æquiuoca à consilio, seu analoga.

Erit quoque inter quascunque res pura, & rigorosa vniuocatio, quotiescunque assimilentur quantitatibus commensurabilibus eiusdem extensionis, siue æqualitatis, in quibus fundatur proportio rationalis ipsius æqualitatis, siue ipsamet

A met æqualitas: nam sicut prædictæ quantitates, geometricè loquendo, important mensuram omnino communem, in qua conueniunt, cùm nullam admittant inæqualitatem; ita pure vniuocata, inter quæ intercedit talis commensurabilitas, rationem habent omnino communem per nomen vniuocum significatam: & sicut prædictæ quantitates omnino inter se commensurabiles, non immediatè significantur per proportionem æqualitatis, seu per ipsam æqualitatem, sed mediante aliqua communi mensura ab ipsis præcisa, & abstracta (palmus enim, & palmus, sicut 2, & 2, &c. per rationem vnitatis, & numeri, per talem proportionem æqualitatis significatam, atque ab ipsis præcisam, & abstractam, in quibus identicè conueniunt, immediatè mensurantur, cùm inibi intellectus tantùm consideret rationem vnitatis, & numeri,

B vt sic, non considerata propria vniuscuiusque differentia, vt patet) ita vniuocata, inter quæ intercedit eadem proportio æqualitatis, seu potiùs ipsamet æqualitas, non importantur immediatè per nomen vniuocum, sed mediante aliqua ratione communi, ab ipsis præcisa, & abstracta, per idem nomen vniuocum significatam, vt dictum est, & ampliùs dicetur in sequentibus.

Tunc verò inter quascunque res erit analogia proportionis, seu attributionis; quando assimilantur numeris inæqualibus, qui licèt secundùm id, in quo fundatur proportio inæqualitatis, sint inæquales, & primò diuersi; vnus tamen eorum dependet ab alio, & non ab aliqua alia mensura præcisa, & abstracta; mensuraturque per illum. Vnde nomen tali modo

C analogum, ita debet significare immediatè analogata, vt primum, quod est terminus, ac mensura cæterorum, primariò, & distinctè significet; reliqua verò secundariò, & confusè, quatenus scilicet à primo denominantur: sanum enim ita significat immediatè animal, medicinam, & vrinam; vt primariò, & distinctè significet sanitatem animalis, quæ est terminus, quem medicina, & vrina respiciunt, & à quo denominantur sana, secundariò verò, & confusè ipsam medicinam, & vrinam, secundùm quod sunt causa, & signum talis sanitatis in animali.

Similiter, tunc erit inter quascunque res analogia proportionalitatis propriæ, quando earum habitudines assimilantur proportionalitati, quæ est inter proportiones æquales numerorum, quarum neutra

D dependet, neque mensuratur per alteram quamuis numeri sint inæquales: quare nomen tali modo analogum ita immediatè significare debet analogata secundùm suas proprias rationes, vt neutrum significet secundariò, & per ordinem ad aliud, sed vtrumque æqualiter, secundùm quod mutuò assimilantur inter se in hoc, quòd sicut vnum se habet ad suum esse, ita aliud ad suum; e. g. principium respectu cordis, & fundamenti domus non debet significare immediatè aliquam rationem ab eis præcisam, & abstractam; sed ita immediatè vtrumque, vt neutrum primariò, aut secundariò significet, sed ambo æqualiter, vt proportionabiliter assimilantur inter se; atque ita benè sequitur, si dicatur; sicut se habet cor ad hominem, ita fundamentum ad domum, & è contrà.

Denique, tunc erit inter quascunque res analogia proportionalitatis metaphoricæ, quando earum habitudines assimilantur proportionalitati illi secundùm

dùm quid, & impropriè, quæ est inter proportiones inæquales numerorum, quarum vna necessariò mensuratur per aliam, & dependet ab ea: vnde nomen, tali modo analogum, ita significat immediatè analogata secundùm proprias proportiones vt alterum primariò, & distinctè significet, alterum verò secundariò, & confusè, & prout à primo denominatur: risus enim, e.g. significat immediatè risum hominis, & viriditatem prati, sed illum primariò, & directè, hanc verò secundariò, & confusè, ac prout à primo recipit denominationem. Et hæc satis circa translationem analogiæ à proportione mathematica, quæ si diligenter obseruentur, omnes difficultates facilè resolui poterunt.

QVÆSTIO III.

An conditiones, vtriusque analogiæ, sint rectè assignatæ.

EX dictis colligunt Philosophi nonnulla requisita, & conditiones, easque vni, vel alteri analogiæ assignant: quare analogiæ attributionis primo loco, tres conditiones communiter assignari solent; quarum prima, & præcipua est, vt ratio significata per nomen analogum, tantùm sit intrinsecè, & formaliter in primo analogato, in aliis verò per extrinsecam denominationem: secunda, vt prædicta ratio significata per nomen analogum attributionis sit vna, non solùm ratione, sed etiam numero saltem negatiuè, idest, quòd non multiplicetur realiter in analogatis, sicut multiplicatur ratio significata per nomen vniuocum, nam licèt animalitas hominis, & æqui sit vna ratione; à parte rei tamen alia est animalitas hominis, & alia equi: tertia tandem conditio huius analogiæ attributionis est, vt in ea primum analogatum ponatur in definitione cæterorum; cùm enim analogata, quæ extrinsecè denominantur à primò, respiciant illud vt terminum suarum habitudinum, oportet ipsum ponere in eorum definitionibus, quandò definiuntur secundùm quòd habent talem relationem: nam si definiatur medicina inquantum sana, dicetur, Medicina est causa sanitatis animalis & sic de cæteris, quæ conditiones etiam tribui solent analogiæ proportionalitatis metaphoricæ: quare de his omnibus verificari tantùm potest illud axioma, *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*.

Sed relicta analogia proportionalitatis metaphoricæ; cùm sit analogia impropria, imperfecta, & secundùm quid; analogiæ proportionalitatis propriæ aliquæ etiam assignari solent conditiones, quarum prima, & præcipua est, vt ratio importata per tale nomen analogum intrinsecè reperiatur in omnibus analogatis: secunda, vt vnum analogatorum non definiatur per aliud, sed definitio vnius, proportionaliter sit definitio alterius: tertia tandem, vt analogum sit quid superius analogatis, & vt tale diuidatur, & prædicetur de illis, sitque medium demonstrationis; non quidem ita, vt prædictum analogum, seu ratio importata per nomen analogum sit aliquis gradus diuersus, præcisus, & abstractus ab analogatis, sed tantùm vt sit illis superius secundùm quid, inquantùm scilicet, vt quid simile a teri concipiatur superius se ipso absolutè, & secundòm se sumpto: ens enim, e.g. & substantia non sunt duo gradus, quorum vnus sit superior alio simpliciter, sed quia nomine substantiæ significatur ratio ipsius substantiæ, consideratæ absolutè in se ipsa; nomine verò entis significatur eadem ratio prout fundat similitudinem cum accidentibus, vel potiùs terminat habitudinem eorum. Hoc autem sufficit, vt analogum proportionalitatis sit quid superius secundùm quid suis analogatis, distinguatur ab ipsis, ac formaliter de eis prædicetur, nec non sufficienter distribuatur æqualiter, vt possit esse medium demonstrationis: siquidem vtraque præmissa demonstrationis debet esse necessaria, & consequenter prædicatum debet esse essentiale, & æqualiter intrinsecum in illis. Quamobrem hæc omnia, & alia huiusmodi, quæ in vniuocis simpliciter, & absolutè reperiuntur, verificantur in his analogis secundùm quid.

Quibus igitur suppositis, præsens difficultas præcipuè procedit de prima conditione vtriusque analogiæ; hac enim explicata, facilè intelligi possunt aliæ analogorum conditiones, ac proprietates. Quapropter tantùm hic inquiritur, an analogia attributionis semper fiat secundùm denominationem extrinsecam ab vno ad cætera analogata, & an analogia proportionalitatis propriæ necessariò fiat secundùm denominationem intrinsecam in omnibus analogatis.

Circa conditionem illam analogiæ attributionis, aliqui recentiores negant eam conuenire omnibus suis analogatis: distinguunt enim duplicem modum huius analogiæ, alterum scilicet, quando ratio analogi reperitur intrinsecè in vno analogato, in aliis verò extrinsecè; alterum autem, quando ratio analogi intrinsecè reperitur in omnibus, inter quos modos plures assignant differentias. Ita Suarez disp. 23. Met. sect. 3. n. 14 quem sequuntur Ruu. hic. q. 3. Mastr & Bellut. disp. 2. q. 5. art. 1. *Dicendum est primò*, & alii.

Circa conditionem verò illam analogię proportionalitatis proprię, idem Suarez loco citato. n. 11. singularem inuenit opinionem, cui se subscribit Cabe. hic tract. 4. disput 2. dub. 3. in fine, atque alii ex recentioribus; nimirum quod omnis vera analogia proportionalitatis includit aliquid metaphoræ, & improprietatis, & consequenter negat priorem, & pręcipuam illam conditionem, quòd scilicet ratio importata per nomen analogum intrinsecè, & propriè sit in omnibus analogatis.

Aristoteles autem 4. Met. tex. 1. D. Tho. ibidem lect. 1. & 11. Met. lect. 3. quos sequuntur Caiet. cap. 2. de nominum analogia, & p. p. q. 13. a. 6. Zemel ibidem, q. 2. Tolet. in antepręd. cap. 1. Ioann. à S. Tho. Didacus à Iesu. Complut. hic, & ferè omnes docent, prædictas conditiones vtriusque analogiæ esse rectè assignatas.

Notandum est idcirco primò, quòd licèt proportio, & proportionalitas inueniantur inter numeros, qui alias vniuocè conueniunt in ratione numeri, vt suprà aliqualiter indicatum est; non ideò tamen ipsa proportio, seu proportionalitas est conuenientia vniuoca, sed quid ab ipsa valdè diuersũ, vtpote desumpta ex diuerso principio: conuenientia enim vniuoca numerorum attenditur penes gradum communem numeri,

meri, qui in illis inuenitur, non autem penes proprias eorum differentias, quas potiùs excludit, atque ab eis pręscindit: at verò proportio, & proportionalitas attenduntur penes propriam vniuscuiusque differentiam, atque ita super eam immediatè fundantur, vt omnino tollerentur à numeris, si pręscinderentur eorum differentiæ. Ex quo patet, quomodo ęquiuocatio includat identitatem simpliciter, proportio verò, & proportionalitas, diuersitatem simpliciter, quia nimirum illa attenditur penes gradum pręcisum, & abstractum à principijs distinctiuis, & consequenter est simpliciter vnum; istę verò attenduntur penes gradus differentiales, qui sunt primò diuersi.

Notandum secundò, quòd inter quæcunque inuenit intellectus conuenientiam genericã, potest etiam formare veram analogiam ratione alicuius proportionis, vel proportionalitatis eorum; quamuis de facto ferè nulla sint imposita nomina ad significandam talem conuenientiam analogam inter illa: ratio autem est manifesta; quia quęcunque conueniunt genericè in aliquo gradu, habent necessariò aliquid primò diuersum per quod distinguantur, nempe differentias, ratione quarum potest fieri aliqua proportio, vel proportionalitas inter ipsa. Quapropter inter quæcunque est conuenientia generica, potest etiam (licèt ex diuersa radice) formari vera analogia; non tamen contingit èconträ: nam bene potest inter aliqua esse analogia, absque eo, quòd ibi sit conuenientia generica; quia possunt aliqua esse primò diuersa secundùm se tota, & ex consequenti nullum habere gradum, in quo conueniant, vt de analogatis diuersi generis suprà dictum est, ac de prædicamentis suo loco dicetur. Quare si haberemus nomen ad significandum hominem, & equum secundùm suas proprias rationes cum aliqua eorum habitudine, vel attributionis, vel proportionalitatis, sicut habemus ad significandum gradum genericum, nempe animal, in quo conueniunt; illud verè esset analogum attributionis, vel proportionalitatis, sicut istud verè est vniuocum.

Dicendum est ergo primò, quòd in quacunque analogia attributionis, ratio significata per nomen analogum, vt tali analogia analogum est, intrinsecè reperitur in primo analogato; in aliis verò per extrinsecam denominationem; adeò vt nullo modo aliqua sint analoga prædicta analogia, nisi habeant huiusmodi conditionem.

Probatur tripliciter; primò, quia videtur impossibile, quòd vna forma creata sit intrinsecè in pluribus realiter distinctis, & realiter non multiplicetur: sed ratio importata per nomen analogum analogia attributionis est forma realiter non multiplicata: ergo repugnat esse intrinsecè in pluribus analogatis realiter distinctis. Maior est euidens. Minor pariter videtur certa ex secunda conditione prædictæ analogiæ, cùm eadem numero sit sanitas, e. g. existens in animali, causata per medicinam, & ostensam per vrinam. Consequentia rectè deducitur.

Nec valet illa communissima euasio Aduersariorum, nimirum talem rationem dumtaxat locum habere in analogia attributionis prioris generis; videlicet quando ratio importata per nomen analogum est tantùm intrinsecè in primo analogato; secus verò in analogia secundi generis, nempe quando ratio importata per nomen analogum intrinsecè reperitur in omnibus, vt ipsi fingunt: nam contra est, quòd tantùm abest, analoga illa excogitata secundi generis spectare ad analogiam attributionis, vt nullo pacto queant assimilari numeris inæqualibus, quorum vnus dependeat ab alio, sitque mensura eius, in quo consistit tota ratio analogiæ attributionis, vt ex mathematicis notatum est suprà: quapropter maiori fundamento, ac veriori doctrina appellantur analoga proportionalitatis propriæ, vt ibidem ostensum est.

Probatur secundò conclusio; nam analoga attributionis sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, diuersa verò secundùm diuersas habitudines ad illum: ergo huiusmodi analoga conueniunt in termino, quem respiciunt: sed prædictus terminus non potest esse intrinsecè in omnibus: ergo neque ratio significata per nomen analogum tali analogia. Antec. & prima cons. constant etiam apud Aduersarios. Minor verò probatur: nam prædictus terminus non distinguitur à principali analogato: ipsum enim est, cui cætera attribuuntur, & ad quod dicunt habitudinem: ergo cùm principale analogatum nequeat esse intrinsecè in aliis, sed tantùm extrinsecè, vt patet; planum etiam erit, prædictum terminum non posse esse intrinsecè in omnibus.

Si fortè contra istam rationem dicatur, non omnino videri certum, & indubitatum, terminum inspectum à prædictis analogatis non esse distinctum à principali eorum; cùm æquè non sit certum, analogum, & principale analogatum non distingui: quinimmo potiùs contrarium apparet: nam si Ens, e. g. quod est analogum, & substantia, quæ est primum analogatum, non distinguerentur, sequeretur quòd sicut valet dicere, accidens est ens; valeret etiam dicere, accidens est substantia; quod apertè videtur falsum; cùm ens supponatur esse idem cum substantia.

Respondetur, quòd ex iis, quæ suprà dicta sunt, certissimum videtur, terminum, siue analogum, & principale analogatum in quacunque analogia, propriè, & simpliciter non distingui tanquam plures conceptus, aut gradus diuersos, sed tantùm secundùm quid, nempe penes diuersum modum concipiendi, ac significandi eundem gradum, vt patet de ente, & substantia: nomine quippe substantiæ significatur ratio substantiæ considerata absolutè in se ipsa; nomine vero entis significatur eadem ratio substantiæ, vel vt fundat similitudinem cum accidente, vt patet in analogia proportionalitatis propriæ; vel vt terminat habitudinem eorundem accidentium, vt contingit in analogia attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ. Ex quo autem fit, quòd in analogia proportionalitatis propriæ, vbi ens æquè significat substantiam, & accidens: non quidem absolutè sumpta, vt accidens, & substantia sunt (hoc enim modo, vniuocè se haberet respectu eorum) sed vt proportionabiliter se habentia, inquantùm scilicet simili modo fundat prędictas habitudines, seu proportiones vniuscuiusque ad suum esse: analogatum quidem non distinguitur simpliciter neque à primo, neque ab aliis analogatis, sed tantùm secundùm quid, scilicet sicut res similis alteri, distinguitur à se ipsa absolutè sumpta. In analogia verò attributionis, de qua est sermo (quod etiam affirmari potest de analogia proportionalitatis meta-

metaphoricæ) vbi ens non æquè significat substantiam, & accidens, sed primum propriè, ac distinctè, secundum verò quasi de connotato, & confusè, inquantùm scilicet ad primum ordinatur: analogum, seu terminus importatus, licèt distinguatur simpliciter à cæteris analogatis, cùm dicat diuersum conceptum, vt patet; nequaquam verò à primo, cùm significet eundem conceptum diuerso modo consideratum, vt dictum est; sed adsummùm secundùm quid, scilicet secundùm prædictum modum concipiendi, & considerandi eandem rationem, vt constat.

Quare ad rationem dicitur, quòd vtique argumentum concluderet, si accidens esset ens simpliciter sicut substantia, & talis conceptus entis simpliciter, distingueretur tantùm secundùm quid ab ipso accidente, scilicet tantummodò penes diuersum modum concipiendi, & significandi eundem gradum accidentis, sicut dictum est distingui à substantia (nam quæ sunt eadem, & æqualiter, seu adæquatè se habent vni tertio, sunt eadem inter se, ex Institutionibus lib. 3. cap. 4.) sed quia accidens est tantùm ens secundùm quid, videlicet entis, siue substantiæ ens; & cùm conceptus entis simpliciter, distinguatur simpliciter ab eo, quod est ens secundùm quid; hinc est, quòd non valet dicere accidens est ens; ergo substantia: cum ab ente secundùm quid ad ens simpliciter non teneat consequentia.

Probatur tandem tertiò conclusio hac ratione: nam vt affirmant Theologi, & Metaphysici, omnia creata non solùm dicuntur entia, & bona intrinsecè, & formaliter, scilicet bonitatibus proprijs, verùm etiam extrinsecè; & causaliter, nempe bonitate diuina, sicut principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis: sed hoc non potest illis conuenire ratione analogiæ proportionalitatis propriæ, vt statim patebit, conclusione sequenti: ergo ratione analogiæ attributionis: ergo ratio significata per nomen analogum attributionis intrinsecè reperitur in primo analogato, in alijs verò extrinsecè, idest per extrinsecam denominationem.

Dicendum est secundò, quòd ratio importata per nomen analogum proportionalitatis propriæ intrinsecè reperitur in omnibus analogatis. Probatur facilè ex dictis in appendice superioris quæstionis: quoniam analogum tali analogia ita debet immediatè significare sua analogata secundùm proprias eorum rationes, non quatenus prædicta analogata absolutè sumuntur, sed cum proportionalitate illa explicata; vt neutrum significet secundùm aliquam rationem ab eis præcisam, & abstractam, quemadmodùm se habet vniuocum ad sua vniuocata, neque vnum primariò, aliud verò secundariò, & per ordinē ad aliud, quemadmodum se habet analogum attributionis ad sua analogata: ergo ratio importata per tale nomen, intrinsecè reperiri debet in quolibet analogato, &c. Antec. liquet. Cons. benè infertur: nam si talis ratio non esset intrinseca in omnibus analogatis, prædictum analogum non significaret æqualiter (modo tamen explicato) talia analogata, atque immediatè, sed vnum per attributionem ad aliud, & secundùm extrinsecam denominationem, vt patet: ergo cùm significet immediatè, & æqualiter, ratio pariter importata per ipsum debet esse in omnibus intrinseca.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd Creaturæ analogantur analogia attributionis

A cum primo Ente, quatenus sunt effectus ab ipso causati: sed vt tales effectus, sunt formaliter, & intrinsecè entia: ergo ratio entis, etiam vt formaliter est analogum attributionis, reperitur intrinsecè, &c. Maior supponitur certa in metaphysicis. Minor verò probatur: quoniam esse effectus primi Entis, scilicet Dei, est esse ens per participationem: ergo sicut implicat creaturas, secundùm quòd analogantur analogia attributionis cum Deo, subterfugere rationem effectus; ita implicat subterfugere intrinsecam rationem entis participati.

Respondetur, quòd Ens, prout est analogum tali analogia attributionis ad Deum, & creaturas, tantùm significat entitatem increatam, à qua satis constat non posse creaturas intrinsecè denominari: vnde licèt

B creaturæ vt effectus Dei, sint intrinsecè entia entitatibus sibi proprijs, quæ sunt entitates participatæ; non tamen habent prædictam denominationem entis increati sibi intrinsecam: esse enim entia talibus entitatibus sibi proprijs est tantùm esse reale, & proximū fundamentum, supra quod cadit prædicta denominatio analogi, illis extrinseca: sicut enim optimè stat, quòd respicere sanitatem, e.g. animalis, seu esse causatiuum illius, sit quid intrinsecum medicinæ, materialiter tamen se habens ad denominationem analogi, quæ est illi extrinseca; ita etiam optimè stat, quòd Creaturæ, vt effectus Dei, sint intrinsecè entia entitatibus sibi proprijs, materialiter tamen se habentibus ad denominationem entis, secundùm quod est analogum attributionis, quæ quidem denominatio est illis extrinseca.

Quapropter ad formam argumenti, concessa maiori, distinguenda est minor: sed creaturæ, vt effectus Dei, sunt formaliter, & intrinsecè entia entitati-

C bus propriis, quæ sunt entitates à primo Ente participatæ, conceditur: entitate verò increata, quæ non distinguitur à primo analogato, nempe ab ipso Deo, negatur. Vnde absolutè neganda est consequentia.

Contra tamen est, quòd Creaturæ, etiam vt sic analogatæ, non possunt suscipere denominationem entis ab entitate primi Entis: ergo talem denominationem habent tantùm à suis intrinsecis entitatibus. Probatur antec. quia entitas primi Entis, cùm sit entitas per essentiam, solùm potest tribuere denominationem entis per essentiam: sed Creaturæ nequeunt subire hanc denominationem, cùm sint entia per participationem: ergo, &c.

Respondetur negando antec. ad cuius probationē dicendum est, quòd entitas per essentiam denominat

D quidem subiectum illam habens, ens per essentiam in recto; alijs verò, quæ illam respiciunt vt terminum extrinsecum, tribuit talem denominationem entis per essentiam, tantùm in obliquo: & ideo creatura non dicitur ens per essentiam, sed ipsius entis per essentiam ens sicut iuxta hanc analogiam, accidens non dicitur ens, sed entis ens.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, quòd non omnis proportionalitas sufficit ad causandam analogiam proportionalitatis: siquidem vera proportionalitas potest etiam reperiri inter res vniuocas, & omnino similes: verè enim dicimus, quòd sicut se habent quatuor ad duo, ita octo ad quatuor; vel quòd sicut homo comparatur ad suos sensus, ita equus ad suos: & tamen nomen dupli, & animalis,

non

non est analogum, sed vniuocum: ergo illa sola proportionalitas causat veram analogiam proportionalitatis, quæ includit aliquid metaphoræ, & improprietatis.

Respondetur ex secundo notando, negando scilicet antec. si enim imponeretur nomen ad significandum hominem, & equum secundùm suas proprias rationes vt proportionabiliter se habentes verè esset analogū proportionalitatis propriæ, sicut nomen animalis est illis vniuocum; & idem esset de numeris, atque aliis quibuscunque, vt ibidem explicatum est.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum eiusdem secundę conclusionis illud vulgare argumentum, nempe quòd si ad primam proportionalitatem non sufficeret quæcunque habitudo proportionum, sed requireretur propria æqualitas earum, ita vt proportiones essent eiusdem speciei, iam analoga proportionalitatis propriæ verè essent vniuoca: consequens est falsū: ergo, &c. Probatur sequela; quia à duabus proportionibus eiusdem speciei abstrahibilis est ratio proportionis, quæ est illis vniuoca: ergo si ens significat æqualitatem istam proportionum, verè significabit rationem vniuocam respectu suorum inferiorum.

Respondetur, quòd aliud est loqui de fundamento relationis, & aliud de ipsa relatione: potest enim contingere aliquas relationes vniuocè conuenire in ratione relationis, cùm tamen earum fundamenta sint primò diuersa, vt patet ex Philosopho cap. 7. huius libri. Quare licèt nomen significans ipsam relationem possit esse vniuocum; non ideò erit etiam vniuocum nomen significans eiusdem fundamenta, vt contingit in præsenti; nam analogum proportionalitatis propriæ, vt Ens, aut Bonum, non significat gradum ipsum relationis, in quo conueniunt duæ proportiones (hunc enim significat nomen istud *Proportio*, quod verè est vniuocum) neque similiter significat ipsam æqualitatem proportionum (hanc enim significat nomen istud *Proportionalitas*, quod etiam vniuocum est) sed significat res fundantes tales proportiones, & proportionalitatem; quæ cùm non attendantur penes gradum communem, sed penes propriam vniuscuiusque differentiam; hinc est, quòd ab illis non potest abstrahi ratio aliqua vniuoca, sicut abstrahitur ab ipsis relationibus quas fundant.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ab analogis possit abstrahi aliqua ratio, quæ simpliciter sit communis, & præcisa ab eis.

QVIA huiusmodi quæstio, etiam sub alio titulo examinari solet, nimirum, vtrùm analogum dicere possit conceptum simpliciter vnum, ab analogatis præcisum; pro ipsius explicatione supponendum est primò, conceptum intellectus, de quo est sermo, duplicem esse, formalem scilicet, & obiectiuum: primus est ipse actus intellectus, dum separat gradus, & perfectiones, quæ à parte rei sunt idem in aliqua re, & de vnaquaque format distinctum conceptum; vt quando in homine, e. g. cognoscit rationem animalis sine rationali, vel èconträ: secundus verò est gradus ille, seu perfectio, quæ cognoscitur, & producitur per conceptum formalem, ipsique conceptui formali correspondet vt terminus. Quare licèt examinari soleat huiusmodi quęsitum tam de conceptu formali, quàm de obiectiuo; modò examinandum præstat tantùm de obiectiuo, cùm inde facilè constare possit quid dicendum sit de conceptu formali: etenim nullam potest habere vnitatem conceptus formalis, quam non accipiat ab obiectiuo, à quo producitur; vnitas siquidem operationis, qualis est vnitas conceptus formalis, non nisi ex vnitate rei repræsentatæ, qualis est vnitas conceptus obiectiui, potest attendi. Vnde non parum hallucinantur illi, qui analogatis, vnitatem conceptus obiectiui denegantes, concedunt vnitatem conceptus formalis.

Supponendum est secundò, huiusmodi conceptum obiectiuum duplicem esse, nempe perfectum, seu explicitum, ac distinctum; & imperfectum, seu implicitum, & confusum; primus est gradus, seu perfectio illa rei quæ cognoscitur, & producitur per actum intellectus, seu per conceptum formalem secundùm vnam aliquam rationem pluribus communem, vt est gradus rationalitatis, e. g. quatenus Petro, & Paulo communis est: secundus autem est idem gradus, seu perfectio, quæ cognoscitur, & producitur per eundem conceptum formalem, non quidem secundùm vnam aliquam rationem pluribus communem atque ab inferioribus simpliciter abstractam, sed tantùm secundùm aliquam similitudinem proportionalem, seu (quod idem est) secundùm suas proprias rationes, non absolutè consideratas, sed vt proportionabiliter se habentes; vt, e. g, est idem gradus rationalitatis secundùm suas proprias rationes intellectualitatis, non absolutè consideratas, sed quatenus habent proportionalem similitudinem cum Deo, vel Angelis. Vterque autem conceptus potest appellari vnus, & pluribus communis, sed cum hac differentia, quòd primus conceptus est absolutè, & simpliciter vnus à pluribus abstractus, atque illis communis; secundus autem tantùm secundùm quid, nempe secundùm prędictam proportionem. De hoc secundò conceptu non procedit præsens difficultas, cùm iam in titulo posita sit talis particula *Simpliciter*; sed tantùm de primo; & quæritur, an prædictus conceptus simpliciter vnus, &c. possit abstrahi ab analogatis.

Prima sententia (supposita illa diuisione analogi primi, & secundi generis, de qua in antecedenti quęstione apud Aduersarios) affirmat posse in analogis saltem secundi generis reperiri conceptum vnum pręcisum, &c. Ita Scotistæ omnes, vno excepto Fuente in log. q. 12. diff. 2. art. 1. cum Scot. 1. sent. dist. 3. q. 3. ad 2. & dist. 8. q. 3. ad 3. atque etiam omnes, qui cum ipso tenent analogiam cum vniuocatione interdum esse compossibilem, vt videre est apud Mastrium, & Bellut. in log. disput. 2. q. 5. art. 2. eos sequuntur Suarez in Met. disp. 2. sect. 2. & disput. 28. sect. 3. & disput. 32. sect. 2. Hurt. in logica disp. 9. sect. 5. Capreol. in 1. dist. 2. q. 1. Iauell. 4. Met. q. 1. Sotus cap. 4. antepræ. q. 1., &c.

Altera verò sententia negat vniuersaliter analogis omnibus talem vnitatem conceptus, & asserit analogum dicere tantùm ipsa analogata in confuso, prout habent inter se aliquam habitudinem. Ita intelligendus

dus videtur Aristoteles 10. Met. text. 8. secundùm Commentatorem, & D. Thomam ibidem; Sequuntur Caiet. de nominum analogia. Compl. disp. 10. q. 4. n. 42. Ioann. à S. Thoma. Fonsec. 4. met. cap. 2. q. 1. & 2. Vasquez p. p. disp. 114. cap. 2. n. 6. Ruu. in log. tract. de analog. Pasqualig. p. 2. Met. disp. 31. & alii multi.

Notandum quare est, quòd eo sensu, quo superiùs suppositum est, & in antecedenti quæstione ad replicam secundæ probationis primæ conclusionis dictum est analogum abstrahere, & distingui ab analogatis, dicitur etiam contrahi ad illa; idest non simpliciter tanquam gradus præcisus ab eis, sed per maiorem expressionem eiusdem conceptus, hoc est, quatenus per ipsa analogata significatur perfectè, & distinctè illudmet analogum, quod imperfectè, & confusè, seu secundùm aliquam rationem proportionalem ab ipsis analogatis distinguebatur, & abstrahebatur: nam sicut analogum distinguitur, & abstrahitur ab analogatis vt res sic se habens ad aliam distinguitur, & abstrahitur à se ipsa absolutè sumpta; ita & eodem modo ad eademmet analogata debet contrahi, cùm non sit maior ratio. Hoc autem modo contrahi non est contrahi simpliciter, vt genus ad speciem, & vniuocum ad vniuocata; sed tantùm secundùm quid; sicut prædicto modo abstrahi, & distingui est tantùm abstrahi, & distingui secundùm quid, vt dictum est.

Dicendum est ergo, quòd ab analogis non potest abstrahi aliqua ratio, quæ simpliciter sit communis, & præcisa ab eis: vnde analogum tantùm dicit ipsa analogata in confuso, prout habent inter se aliquam habitudinem.

Probatur primò: quia ideò genus dicit vnum conceptum simpliciter communem, & præcisum, quia non est de essentia differentiarum illud contrahentium: sed analogum est de essentia omnium suorum analogatorum, vt contingit in analogia proportionalitatis propriæ, vel saltem principalioris, vt contingit in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ: ergo non potest importare conceptum communem, & simpliciter præcisum à suis analogati. Minor patet ex dictis, cùm ratio importata per nomen analogum sit intrinseca, & essentialis in omnibus analogatis analogia proportionalitatis propriæ; vel saltem intrinseca, & essentialis in primo, vt patet in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ. Maior verò probatur, quia quod est de essentia alicuius, non potest verè præscindi, seu abstrahi ab illo: ergo, ideò genus præscinditur, seu abstrahitur à differentijs, quia non est de essentia illarum.

Si fortè in contrarium obijciatur, quòd genus præscinditur, & abstrahitur à speciebus, & tamen est de essentia illarum; quare non videtur omnino vera probatio maioris.

Respondetur, præcisionem, & abstractionem posse capi dupliciter: primò propriè, prout significat scissionem, & separationem vnius partis ab alia (separatio enim, siue scissio fit necessariò inter partes, vt de se patet) Secundò verò impropriè, prout significat locutionem per Synecdochen, qua abstrahitur pars à toto, vel è contra. Primo modo, genus tantùm præscinditur, & abstrahitur à differentiis, quæ in speciebus sunt eius compartes: secundo verò modo

A etiam abstrahitur à speciebus; sed hoc est tantùm abstrahi impropriè, & secundùm quid: ideò enim dicimus partem separari à toto, quia in ipso toto remanet alia pars, à qua propriè abstrahitur, & separatur, cùm in ea non includatur.

Probatur secundò eadem conclusio: nam si analogum haberet huiusmodi conceptum communem, &c. esset quidem vniuocum, non amplius analogum: consequens est falsum: ergo, &c. Sequela facilè suadetur; quia illa ratio importata per nomen est omnino eadē vt requiritur ad veram vniuocationem, quæ in se non includit actu principia distinguentia, licèt includat illa in potentia: sed talis conceptus præcisus esset huiusmodi: ergo, &c. Maior constat, e.g. in animali, quod estò contineat in potentia; rationale, & irrationale; dicit tamen rationem omninò eandem, & B vniuocam, quia actu talia non includit. Minor satis clara est, quia cùm talis conceptus supponatur omnino vnus actu: ergo, actu non includit ea, per quę multiplicatur.

Respondent Suarez, & alii moderni, quòd talis conceptus analogus, etiam si actu non includat principia distinguentia, tamen ex se postulat descendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, & subordinatione, non solùm ex parte ipsorum inferiorum, sed etiam ex intimis visceribus ipsius conceptus analogi; quod tamen non habet ipse conceptus vniuocus: animal enim ex se non petit hanc inæqualitatem, sed tota prouenit à differentiis per quas contrahitur.

Contra tamen est, quòd vel talis inæqualitas, cum qua prædictus conceptus analogus postulat descende- C re ad inferiora, continetur actu in eodem conceptu analogo, vel potentia: si primum, iam conuincitur in tali conceptu includi actu principia distinguentia, à quibus causatur ista inæqualitas actualis: & consequenter talis conceptus non esset vnus, vt dictum est: si secundum, iam non tollitur vniuocatio; quia conceptus genericus est etiam radix inæqualitatis, quæ inuenitur inter species, continetque illam in potentia; siquidem in radice, & in potentia continet earum differentias: ergo semel admisso conceptu præciso analogi, negari non potest illum non esse vniuocum.

Respondent alio modo Mastrius, & Bellutus loco supràcitato in calce articuli; nimirum allatam rationem, eos tantùm vrgere, qui admittunt possibilem esse conceptum præcisum, atque vnum purè analo- D gum; minimè verò eos qui cum analogia admittunt vniuocationem: nam licèt analoga, vt analoga nequeant habere prædictum conceptum præcisum, attamen ipsum queunt habere ratione vniuocationis cum ipsis necessariò permistæ.

Quia huiusmodi responsio fundatur in resolutione alterius difficultatis statim examinandæ, an scilicet detur purè analogum, medians inter æquiuocum, & vniuocum, in qua difficultate, cùm affirmatiua sententia sit defendenda; omnino corruit, cum innitatur contrariæ sententiæ.

Obijcitur tamen in contrarium, quòd illa ratio, seu conceptus dicitur communis, præcisus, & abstractus ab analogatis, qui distinguitur ab eorum rationibus, & conceptibus particularibus: sed conceptus analogi est huiusmodi: ergo analogum non dicit tantùm ipsa analogata immediatè, sed conceptum communem ab ipsis præcisum, & abstractum. Conf.

bene sequitur; Maior patet in vniuocis, vbi conceptus communis, e. g. animalis distinguitur à conceptibus particularibus hominis, & leonis. Minor autẽ probatur; nam conceptus, de quo intellectus est certus, distinguitur à conceptu, de quo intellectus est dubius: sed de conceptu analogi secundi generis, e. g. entis, potest intellectus esse certus, & de conceptu analogatorum potest esse dubius; ergo, &c Et patet minor, quia potest intellectus esse certus de aliqua re, quòd sit ens, & dubitare an sit substantia, vel accidens; vt patet de quantitate, quam esse ens nemo dubitat, cùm tamen plures dubitauerint, an substantia, vel accidens sit.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd si sensus sit, vt conceptus, de quo intellectus est certus, debeat esse distinctus simpliciter à conceptu, de quo est dubius, neganda est; concedenda verò, si sensus sit; vt debeat esse distinctus secundùm quid, seu penes maiorem, vel minorem expressionem: de eodem enim conceptu, vt est alteri similis, & vt imperfectè, & confusè significatur, potest intellectus esse certus alicui conuenire, cùm tamẽ dubitet, an illi conueniat idem conceptus absolutè sumptus, vel vt perfectè, ac distinctè significatur. Talis autem distinctio secundùm quid, nõ arguit conceptum simpliciter communem, præcisum, & abstractum ab analogatis, vt suprà prænotatum est; sed tantùm secundùm quid.

Obiicitur secundò, quòd analogum secundi generis, nempe proportionalitatis propriæ, vel significat immediatè vnum, aut alterum suorum analogatorum; vel vtrumque simul: neutrum est dicendum: ergo significat conceptum ab eis præcisum. Maior patet ex sufficienti diuisione. Minor verò probatur: non vnum, aut alterum, quia si ens, e. g. significaret immediatè, substantiam, hæc propositio esset falsa, *Accidens est ens*: & si immediatè significaret accidens, hæc altera propositio esset falsa, *Substantia est ens*. Neque minùs vtrumque simul: nam vel significaret vtrumque copulatiuè, vel disiunctiuè: non copulatiuè, quia iam hæc propositio, *Substantia est ens*, esset falsa; siquidem faceret hunc sensum, *Substantia est substantia, & accidens*: neque tandem disiunctiuè, vt opinati sunt Soncinnas, & Heruæus; quia ens hoc modo neque determinatè esset substantia; neque accidens, sed importaret conceptum indeterminatum, quod ferè ab omnibus reiicitur; ergo nullum prædictorum est dicendum.

Respondetur negando minorem; quia ens, seu analogum significat vtrumque gradum substantiæ, & accidentis simul secundùm proprias rationes. Ad probationem autem dicendum est, quòd importare vtrúque gradum secundùm suas proprias rationes, dupliciter intelligi potest: primò secundùm suas proprias rationes absolutè sumptas, prout exprimuntur nominibus substantiæ, & accidentis; secundò verò secundùm suas proprias rationes, vt proportionabiliter inter se similes; primo modo verum est, quòd ens neque copulatiuè, neque disiunctiuè significat substantiam, & accidens; secundo verò modo falsum est. Et hoc, propriè loquendo, neque est significare copulatiuè neque disiunctiuè; quia copulatio, vel disiunctio exercetur inter res absolutè sumptas; sed sufficienter explicatur dicendo ens significare substantiam, & accidens secundùm suas proprias rationes; vt proportionabiliter similes, quòd est significare vtrumque simpliciter, seu nude; non verò cum copulatione, vel disiunctione.

Obiicitur tandem tertiò, quòd ens, e. g. est prius natura substantia, & accidente: siquidem ab illo ad vnumquodque ex his non valet consequentia: ergo in illo priori habet conceptum aliquem obiectiuum distinctum ab analogatis. Probatur consequentia; quia in illo priori, audito nomine entis, mens non distrahitur ad substantiam, vel accidens: ergo verè concipit aliquam vnam rationem vtrique communem.

Confirmatur: quia primum in vnoquoque genere debet esse maximè vnum: ergo in genere intelligibiliũ, quod primò cognoscitur ab intellectu, erit maximè vnum: sed ens est quod primò cognoscitur ab intellectu, ex Aristotele 1. Phys. ergo ens est maximè vnum.

Respondetur, quòd sicut conuenientia proportionalis, quam substantia, & accidens habent in ente, sufficit vt sit secundùm quid superius; ita etiam, vt sit illis prius natura, & vt audito nomine entis, mens, propriè loquendo non distrahatur: omnia enim, quę in vniuocis simpliciter reperiuntur, verificantur etiam secundùm quid in his analogis, nempe proportionalitatis propriæ, seu secundi generis, vt vocant Aduersarij. Talis autem prioritas secundùm quid non est sufficiens, vt analogum importet conceptum communem, & præcisum ab analogatis.

Ad confirmationem respondetur, antecedens esse verum de eo, quod est primum in vnoquoque genere via perfectionis; secus verò, si sit primum secundùm imperfectionem, seu ordine generationis, vt patet de materia prima, quæ quia in genere substantiæ est prima, via imperfectionis; ideò habet minimam vnitatem, nempe negatiuam, vt multi docent. Et hoc modo ens in genere intelligibilium est primum cognitum, vt videtur docere Philosophus loco citato.

QVÆSTIO V.

An, & quomodò Analogum mediet inter vniuocum, & æquiuocum.

QVæstio hæc paucis est absoluenda, cùm ex dictis, & superiùs adotantis omnino pendeat: quare supponendum est, tantùm hic esse sermonem de prædictis omnibus, strictè, propriè, & formaliter acceptis; idcirco excludenda sunt ab hoc quæsito analoga materialiter, & impropriè accepta; illa scilicet prædicata, seu naturæ ante omnem considerationem proportionabilitatis, quam inter se possunt habere, vt sunt canis terrestris, & cælestis, prout considerantur tantùm secundùm se, absque illa proportionabilitate, quam possunt habere ad feriendum; ille, dente; iste calore, & æstu; non enim tunc analoga sunt, sed æquiuoca à casu, videlicet propriè, & in omni rigore. Similiter excludenda sunt æquiuoca illa impropriè accepta, quæ dicuntur à consilio, idest, quæ habent nomen commune ex consideratione alicuius conuenientiæ proportionalis, vt sunt naturæ, & prædicata

dicata prædictorum canum, aut hominis, & prati, &c. quibus imponitur nomen commune ex consideratione proportionalitatis, illorum ad feriendum; istorum verò ad ridendum: sunt enim propriè, & in rigore analoga proportionalitatis metaphoricæ. Tandem excludenda etiam sunt à nomine vniuocorum vniuoca illa impropriè, & lato modo sumpta, quæ scilicet non habent conceptum communem, & simpliciter præcisum ab inferioribus, quemadmodum naturam decet vniuocorum; sed tantùm immediatè important rationem intrinsecam in omnibus, de quorum numero est ens respectu substantiæ, & accidentis, in quibus omnibus ratio entis intrinseca est, non tamen ab illis præscinditur simpliciter, vt dictum est suprà.

Quibus autem diligenter suppositis; prima opinio est negatiua, quæ defenditur à Scoto in 1. dist. 8. q. 3. ad 3. & Scotistis, quos refereunt, & sequuntur Mastrius, & Bell. q. 5. art. 3. logicæ; licèt affirment sententiam Scoti intelligendam esse de analogis materialiter sumptis, quæ vtique stare possunt cum vniuocatione, & æquiuocatione: vnde responsio ab illis allata probationi secundæ pro conclusione in antecedenti quæstione, propemodùm videtur quoddam effugium; nam si talis probatio eos vrget, qui concedunt purè analoga; vrgebit etiam ipsos, qui saltem in sensu formali, de quo modò est sermo, admitunt analoga pura.

Secunda verò sententia est affirmatiua, quæ est Philosophi 4. Met. text. 2. ipsum sequuntur omnes Thomistæ, apud quos ita certum est in sensu explicato, analogum mediare inter vniuocum, & æquiuocum, vt id potiùs supponant, quàm disputent, quare ex eis pauci in proprijs terminis huiusmodi quæstionem examinant.

Notandum tamen est, vt clarè, & distinctè procedamus in hac re, quòd ratio media tripliciter excogitari potest: primò, si æqualiter participet de vtroque extremo, adeò vt simul sit simpliciter eadem, & simpliciter diuersa: secundò, si magis declinet ad omnimodam identitatem, ita vt sit simpliciter eadem, & secundùm quid diuersa: tertiò tandem, si magis protendat in omnimodam diuersitatem, ita vt sit simpliciter diuersa, & secundùm quid eadem.

Dicendum est ergo primò, quòd analogum est quid medium inter purè vniuocum, & purè æquiuocum. Probatur: quoniam analogum vt sic plura immediatè significat secundùm rationes diuersas, non absolutè sumptas, sed vt proportionabiliter se habentes: ergo in nullo sensu potest cùm æquiuoco coincidere, quod significat plura sub diuersis rationibus vt sic, absque aliqua habitudine, & proportione: neque minus cum vniuoco, quod significat plura sub vna, & eadem ratione: ergo est quid medium, &c.

Dicendum est secundò, quòd ratio media importata per nomen analogum non est explicanda primo modo. Probatur: nam idem simpliciter, & diuersum simpliciter opponūtur contradictoriè: ergo repugnat rationem significatam per nomen analogum esse simul simpliciter eandem, & simpliciter diuersam in analogatis.

Dicendum est tertiò, quòd prædicta ratio media neque est explicanda secundo modo. Probatur; tum quia analoga iam essent simpliciter vniuoca. Tum etiam quia, eò ipsò, quòd aliqua ratio præcisa, & abstracta sit simpliciter vna, & eadem; excludit prout sic quęcunque principia distinguentia: ergo repugnat quòd, quantum est ex parte sui, includat actu aliquam diuersitatem; & consequenter talis ratio nequit hoc modo mediare.

Dicendum est tandem quartò, quòd prædicta ratio mediat tantùm tertio modo. Probatur: quoniam optimè potest fieri, vt rationes simpliciter diuersæ habeant aliquam identitatem secundùm quid, & quodammodò inter se assimilentur ratione alicuius attributionis, vel proportionalitatis, vt suprà explicatum est: ergo analoga, tantùm illo tertio modo mediant inter purè vniuoca, &c. cùm ratio importata per ipsorum nomen sit huiusmodi.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd vnitas analogiæ est quædam vnitas proportionis, seu eiusdam ordinis, & attributionis vnius ad aliud, vel plurium ad tertium: sed hæc stare potest cum vnitate vniuocationis, & æquiuocationis: ergo non est quid medium, sed vnum, vel aliud extremum. Maior patet ex dictis. Minor autem probatur, & primò quoad primam partem, nimirum quòd stare possit cum vnitate vniuocationis; quoniam vnitas analogiæ est minor vnitas vnitate vniuocationis, cùm sit tantùm vnitas proportionis, & non simpliciter, sicut vnitas vniuocationis: sed minor vnitas optimè potest stare cum maiori vnitate, vt patet de vnitate generis, quæ simul stat cum vnitate speciei, quę est maior vnitas: quæ enim sunt vnum genere, possunt etiam esse vnum specie: ergo vnitas analogiæ potest stare cum vnitate vniuocationis. Probatur similiter eadem minor quoad secūdam partem, nempe quòd talis vnitas, etiam stare possit cum vnitate æquiuocationis; quia vnitas æquiuocationis est vnitas tantùm nominis; vnitas verò analogiæ est vnitas & nominis, & attributionis, seu proportionalitatis: sed tales vnitates possunt stare simul, vt patet de risu respectu hominis læti, & prati ridentis: ergo, &c.

Respondetur negando minorem quoad vtramque partem. Vnde ad probationem primæ partis dicendum est, quòd licèt vnitas speciei sit maior vnitas, & vnitas generis sit minor; nihilominus tamen vtraque est simpliciter, & absolutè vnitas, cùm vtraque importet conceptum communem, præcisum, & abstractum simpliciter, atque ideò possunt stare aliquo modo simul, adeò vt vna importetur proximè, altera verò remotè: at verò vnitas analogi, cùm sit vnitas secundùm quid, hoc est, non importans talem conceptum communem, præcisum, &c. nullo modo stare potest cum vnitate simpliciter: nam quod est vnum secundùm quid, non est vnum simpliciter, ac vice versa. Ad probationem verò secundæ partis, negandum est prædictas vnitates posse stare simul, nisi vna de materiali, altera de formali importetur: nam idem non potest esse simul formaliter æquiuocum à casu, idest purè æquiuocum; & æquiuocum à consilio, idest purè analogum; cùm de ratione purè æquiuoci sit excludere omnem aliam vnitatem ab vnitate nominis etiam secundùm quid; vt dictum est supra q. 2. ad. 2.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis, probando analoga coincidere saltem cum vniuocis: & consequenter non mediare, &c. quòd Aristoteles 10. Met. text. 2. concedit ordinem essentialem, seu attributionem specierum eiusdem generis

neris ad vnum primum in tali genere, quod est regula, & mensura omnium aliorum, & tamen cum hoc stat vnitas vniuocationis prædicti generis in ipsis speciebus, vt patet: ergo ex Philosopho stare possunt simul attributio, & vniuocatio. Probatur consequentia, quia nunquam aliqua se habere possunt vt mensurata ad mensuram, nisi in aliquo vno conueniant: quando enim dicitur, hoc est perfectius illo, oportet ibi assignare aliquod commune vtrique; cùm rectè non dicatur, Petrus, e. g. est perfectior homo, quàm asinus; sed solùm perfectius animal: ergo cùm aliqua possint comparari in ente, e. g. quod omnes ferè fatentur esse analogum, vt quod Deus, perfectius ens sit ipsa creatura, &c. oportet entitatem esse omnibus communem, & vniuocam.

Respondetur, quòd Aristoteles loco citato ponit vnitatem vniuocationis; quia species ordinantur, & comparantur ad illud primum tanquam ad conceptum communem, & præcisum simpliciter, quòd non potest affirmari de Deo, & creaturis respectu entis, vt dictum est suprà: quare neganda est consequentia; ad cuius probationem dicendum est, quòd quæ comparantur simpliciter, & secundùm se ad aliud primũ, in quo item communiter conueniunt simpliciter, & secundùm se, debent in ipso vtique conuenire vniuocè: comparatio enim simpliciter, est in simpliciter vniuoco, ex eodem Philosopho 7. phys. text. 24.: at verò, quæ comparantur tantùm secundùm quid, & secundùm proportionalitatem, quam habent inter se, quemadmodum se habent Deus, & creaturæ respectu entis; sufficit, quòd conueniant in aliquo analogo.

Cæteras conclusiones non vrget specialis aliqua difficultas, cùm tantùm sint explicatiuæ, ac declaratiuæ primæ conclusionis: quare hæc dicta de analogis satis.

DISPVTATIO DECIMA.

De Diuisione eorum, quæ dicuntur, & sunt.



TRADITA notitia nominum, & vocum explicantium, & significantium res illas; que reponi, vel excludi debent à prædicamentis; modò sequitur, vt tradatur distinctio, & differentia prædictarum rerum, tam inter se, quàm ab ijs, quæ in prædicamentis nequeunt reponi: quod optimè quidem fiet diuidendo prædictas res, tam vt vocibus significantur, quàm vt accipiuntur secundùm suum esse.

A

QVÆSTIO I.

An diuisio dicibilium, seu rerum vt nominibus significantur, tradita ab Aristotele sit bona.



PRO tituli intelligentia prænotandum est primò, quòd sensus istius diuisionis est, quòd rerum, quæ per voces significantur, aliæ sunt complexæ, quę scilicet pluribus cōceptibus concipiuntur, correspondentibus pluribus vocibus, per quas significantur,
B vt homo currit; & aliæ incomplexæ, quæ scilicet vnico conceptu concipiuntur correspondente vni voci, per quam significantur, vt homo, equus, &c, quæ prout sic, nempe vt entia incomplexa sunt, simpliciter dicuntur quid vnum; aliæ verò tantùm secundùm quid, hoc est, non vnitate absoluta, sed vnitate propositionis: propositio enim, estò sit vna, non est tamen simpliciter vna, cùm constet ex pluribus terminis; atque ideò talis diuisio, vt est diuisio entis, & vnius, est diuisio analogi in sua analogata.

Secundò prænotandum est, prædictam diuisionem correspondere illi, qua 1. lib. Instit. cap. 2. diuisimus terminum in complexum, & in incomplexum, cum hoc tamen discrimine, quòd illa principaliter datur de vocibus, quarum notitiam prædictus tractatus sibi
C vendicat; hæc verò (quidquid dicant Nominales) de rebus: nam res sunt, quæ collocantur in prædicamentis, in ordine ad quæ agit hic Philosophus de complexis, & incomplexis, illa vt reiiciat, ista vt admittat, vt magis, magisque deinceps explicabitur.

Summo consensu omnes Philosophi recipiunt, ac commendant huiusmodi diuisionem; pro declaratione tamen sufficientiæ illius, nonnulla breuiter notanda, & aduertenda sunt.

Notandum est idcirco primò, quòd *Dici* tripliciter accipi potest: primò quatenus valet vt deriuari ab alio, vt Doctor dicitur à Doctrina, idest deriuatur: secundò, quatenus significat prædicari, ut contingit in definitione prædicabilis, quando dicitur, Prædicabile est, quod aptum natum est de pluribus dici,
D hoc est prædicari: tertiò tandem, prout tantùm ualet sicut exprimi, uel significari per vocem significatiuam & hoc modo accipiendum est in præsenti.

Notandum est etiam secundò, quòd complexio dupliciter accipitur; vno modo generaliter pro quacunque compositione duorum ad inuicem, siue sit duarũ rerum, vel dictionum, literarum, vel syllabarum: & isto modo non accipitur hic, alio modo accipitur specialiter pro compositione plurium vocum significatiuarum; & isto modo sumitur in proposito: quare Complexio erit compositio ex pluribus vocibus significatiuis; & dici cum complexione erit significari, vel exprimi per vocem compositam ex pluribus vocibus significatiuis, sicut dici sine complexione est exprimi per vnam solam dictionem.

Dicendum est ergo, quòd optima est diuisio eorum, quæ dicuntur, ab Aristotele assignata. Probatur ex regulis bonæ diuisionis traditis lib. 2. Instit. cap. 4.

Nam

Nam membra diuidentia sunt opposita, vt patet: diuisum omnino adæquant: nec plura, nec pauciora sunt assignanda: ergo talis diuisio est optima.

Obiicitur primò; nam vnumquodque habet dici, & significari, eo modo, quo habet esse: sed omne ens habet esse incomplexum, & esse vnum: ergo omne dicibile est incomplexum; & consequenter malè diuiditur in complexum, & in incomplexum.

Respondetur, quòd licèt omne ens secundùm se sit vnum incomplexum: tamen in ordine ad aliud, cum quo est complexum, vel compossibile aliquod ens, potest dici complexum, licèt hoc sibi formaliter conueniat per respectum ad intellectum componentem, ac diuidentem, qui facit complexionem tantùm actualiter, quæ priùs erat in rebus secundùm aptitudinem.

Obiicitur secundò: canis, e.g. est vnum dicibile, & tamen non est incomplexum, cùm includat plura significata; nec complexum, cùm non habeat plures voces: ergo malè dicitur, quòd dicibilium, quædam dicantur cum complexione, & quædam absque.

Respondetur, quòd licèt canis ex parte vocis, & materialiter sit vnum dicibile; tamen formaliter, ex parte significatorum, non est vnum dicibile, sed plura: attamen non debet appellari dicibile complexum, quia illa significata non habent inter se aliquam vnionem, vel compositionem: nec se habent vt determinatio, & determinabile ideò illo modo non potest dici complexum; aut incomplexum: nam hic illud dicibile diuiditur, quod habet rationem vnius.

Obiicitur tandem tertiò; nam omne compositum ex uoce, & modo proferendi est complexum; sed omne dicibile est compositum ex uoce, & modo proferendi: ergo omne dicibile est complexum, nullum autem incomplexum; & consequenter mala diuisio, &c.

Respondetur, quòd licèt compositum ex uoce, & modo proferendi habeat complexionem generaliter acceptam, non tamen habet complexionem propriè dictam, quæ tantùm est ex pluribus uocibus plura significantibus, seu significatiuis, de qua in præsenti loquimur.

QVÆSTIO II.

An diuisio eorum, quæ sunt, etiam sufficienter tradatur à Philosopho.

HIC subdiuiditur secundum membrum antecedētis diuisionis, nempe ens, unum, & incomplexum, non quidem præcisè prout tantùm uoce incomplexa explicabile est, sed quatenus ens reale est, & ideò inquit Philosophus *Earum, quæ sunt*: quam diuisionem cùm omnes libenter recipiant, solummodò explicandus manet sensus illius.

Notandum est ergo, quatuor esse rationes, duas scilicet reales, & duas rationis, quarum aliquas necessariò debet habere quidquid in recta linea prædicamenti collocatur: nempe substantialitatem, & accidentalitatem; uniuersalitatem; & particularitatē. Ad primam sequitur non esse in subiecto, ad secundam

A esse in subiecto (intelligitur quippe de subiecto inhæsionis, cùm sint rationes reales). Ad tertiam sequitur dici de subiecto. Ad quartam uerò non dici de subiecto (quod intelligitur de subiecto prædicationis, cùm sint rationes rationis). Combinatis igitur inter se singulis rationibus realibus cum singulis rationibus rationis, formantur quatuor membra diuidentia huius diuisionis, quæ per consequens facit hunc sensum. Quæcunque res in prædicamento collocantur, vel sunt substantiæ uniuersales, uel substantiæ particulares; uel accidentia uniuersalia, uel accidentia particularia: unde propriè hæc diuisio non est una, ut bene obseruat Toletus, sed quædam entium enumeratio, in qua plures diuisiones inuoluuntur: continetur enim ibi diuisio entis in substantiā, & accidens,

B quæ est diuisio analogi in sua analogata, ut dicetur suo loco; & diuisio substantiæ in particularem, & uniuersalem, atque diuisio accidentis pariter in uniuersale, & particulare, quæ ambæ sunt diuisiones subiecti in accidentia quædam rationis, & tandem continetur diuisio uniuersalis in substantiam, & accidens, quæ est diuisio accidentis in subiecta.

Dicendum ergo est, quòd optima est diuisio eorum quæ sunt, facta a Philosopho. Probatur: nam omne ens reale incomplexum est substantia, uel accidens: si substantia, hoc est dupliciter; uel substantia uniuersalis, quæ dicitur de subiecto, sed in subiecto non est, & sic est primum membrum; uel substantia particularis, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, & sic est secundum membrum. Si uerò est accidens, hoc quoque est dupliciter; uel accidens uni-

C uersale, quod in subiecto est, & de subiecto dicitur, & sic est tertium membrum, uel accidens particulare; quod est in subiecto, sed de subiecto non prædicatur, & sic est quartum membrum; sed præter has considerationes, nullo alio modo considerari potest principaliter, & immediatè ens reale, & incomplexum: ergo allata diuisio tradita á Philosopho est sufficientissima.

Obiicitur primò, quòd Aliquis homo, est substantia particularis; & tamen dicitur de subiecto, idest de suo inferiori, ut dicendo Socrates est aliquis homo; ubi aliquis homo est quid superius ad Socratem: ergo non rectè dicitur, quòd substantia particularis non prædicatur de subiecto, nec in subiecto est.

Respondetur, quòd aliquis homo dicatur, & prędicetur de Socrate, duobus modis intelligi potest: primo, prædicatione speciei; secundo, prædicatione indiuidui: primo modo dicitur de Socrate, tanquam superius de inferiori, sed tunc non est substantia particularis, ut de se patet; sed substantia uniuersalis, nempe species: secundo uerò modo non dicitur de Socrate tanquam de suo inferiori, sed sicut idem de se ipso; & hoc modo est substantia particularis, & non dicitur de Socrate tanquam de subiecto.

Obiicitur secundò, quòd omne, quod est in subiecto, est in essentia subiecti: sed accidens uniuersale non est intra essentiam subiecti, cùm non sit de essentia eius: esse enim rei, alienæ naturæ non permiscetur: ergo accidentia uniuersalia nullo modo sunt in subiecto.

Respondetur, quòd omne, quod est in subiecto tanquam pars in toto, uel tanquam totum in sua parte, est utique de essentia subiecti: quod autem est in subiecto inhæsionis, non est de essentia, sed illi omni-

no accidentale, quemadmodum sunt accidentia uniuersalia respectu subiecti cui inhærent.

Obiicitur tandem tertiò, quòd omnis forma communicabilis dicitur de subiecto, hoc est de inferiori: sed accidentia particularia sunt formæ communicabiles: ergo accidentia particularia dicuntur de subiecto.

Respondetur, quòd licèt omnis forma secundùm se accepta sit communicabilis; non tamen forma recepta, & indiuiduata per subiectum: unde cùm accidens particulare sit forma recepta, & indiuiduata per subiectum, non est amplius communicabilis forma, atque ideò non dicitur de subiecto, estò in illo sit.

QVÆSTIO III.

Vtrùm esse in subiecto inhæsionis bene definiatur à Philosopho.

PRO intelligentia tituli supponendum est, quòd octo modis dicitur aliquid esse in alio, quos ex Aristotele lib. 4. Physic. colligit hoc loco Boetius: primo, ut pars in toto, sicut manus in corpore: secundo, ut totum in parte, sicut dicimus perfectionem totius esse in partibus: tertio, ut species in genere: quarto, ut genus in speciebus, qui duo modi ad priores reducuntur, quia species est pars subiectiua generis: quinto, ut forma in materia, sicut anima in corpore: sexto, ut in mouente, seu efficiente; sicut subditi sunt in manu Regis: septimo, ut in fine, sicut auarus est in diuitiis: octauo tandem, sicut locatum in loco, ut aqua in uase; quibus etiam addi solet, esse in tempore, quod Aristoteles non fecit, quia statim de illo erat acturus. Præter hos autem datur etiam modus essendi in subiecto inhæsionis, quem Aristoteles, ut ab omnibus aliis distinguat, in præsenti definit dicendo: *In subiecto autem esse dico, quod cùm sit in aliquo, non sicut pars, impossibile est esse sine eo, in quo est;* ut dictum est supra in Synopsi huius libri; ac de huiusmodi definitione procedit præsens quæstio; in qua cùm omnes Philosophi conueniant recipiendo prædictam definitionem, tantùm indiget explicatione.

Notandum est idcirco, illam particulam *in aliquo*, si simpliciter intelligatur, sufficienter distinguere accidens à substantia, atque ideò habere uicem differentiæ; ly uerò *quod cùm sit*, seu *ens*, uicem generis; ac consequenter integram accidentis definitionem contineri in illis primis uerbis, nempe *quod cùm sit in aliquo*, hoc est *Ens in alio*. Alias uerò particulas addit Aristoteles maioris claritatis gratia. Quare prædicta particula *in aliquo*, seu in alio, quæ habet locum differentiæ, simpliciter intellecta duo importat: primum est, ut illud, in quo accidens est, sit omnino aliud, ita ut neque sit de eius essentia, neque cum eo componat unam essentiam; per quod distinguitur accidens à quinque prioribus modis essendi in alio; ad quod magis explicandum addit Philosophus illam particulam, *& non sicut pars*. Secundum uerò est, quòd de accidentis essentia sit esse in alio, ut dicetur alibi; ita ut uerè illi inhæreat, & absque eo iuxta exi-

A gentiam suæ naturæ non possit existere; per quod accidens optimè distinguitur ab aliis modis essendi in alio; ad quod magis explicandum addit Philosophus ultimam particulam, nempe *impossibile est esse sine eo, in quo est*.

Dicendum est ergo, quòd esse in subiecto optimè definitum fuit à Philosopho. Probatur ex regulis bonæ definitionis: constat enim ex particulis loco generis, & differentiæ: est notior suo definito; non est superflua, neque diminuta; & conuertitur cum suo definito: ergo talis definitio est optima.

Obiicitur primò, quòd prædicta definitio conuenit formis brutorum: nàm anima equi, e. g. est in materia, non tanquam pars eius, & impossibile est, quòd ab ea separetur, & separata existat saltem naturaliter: B ergo non est bona, cùm conueniat aliis.

Respondetur, formam non esse in alio propriè loquendo; tum quia ly *aliud*, vt dictum est suprà, significat quod est omnino aliud, ita vt neque sit de eius essentia, neque pertineat ad eandem essentiam, quod non habet forma respectu materiæ, vt patet. Tum etiam quia, vt obseruat Commentator, Aristoteles vtitur sermone famoso, appellans absolutè *aliud*, seu aliquid, quod est simpliciter aliquid: at materia prima non est simpliciter quid, nec quale, nec quantum; &c.

Obiicitur secundò, quòd corpus est in loco, & in tempore, & non tanquam pars illorum, vt de se patet, impossibileque est ab eis separari: siquidem non datur corpus sine loco, aut tempore: ergo, &c.

C Respondetur ly *in alio* importare veram inhæsionē; nam significat, de essentia illius esse in alio existere, vt dictum est; quod tamen non habet corpus respectu loci, & temporis; siquidem ab eis, tantùm extrinsecè mensuratur.

Obiicitur tandem tertiò, quòd odor pomi est in pomo tanquam in subiecto, & tamen separatur ab illo, vt cùm de pomo transit ad manum: ergo allata definitio non est bona; cùm non conueniat omni contento sub definito.

Respondetur, odorem non separari à pomo (non enim accidens transit de subiecto in subiectum) sed exhalari subtiliores partes substantiæ, in quibus odor defertur: cuius signum est, quòd pomum facilè marcescit, manibus attrectatum.

D

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Regulis prædicatorum essentialium.



CVM non omnia genera prædicatorum essentialium eodem modo collocentur in prædicamentis, sed quædam in recta linea, vt sunt genera, & species; quædam verò ad latus, vt sunt differentiæ: pro vtrisque rectè cognoscendis tradidit Aristoteles illas duas regulas, quarum prima deseruit generibus, & speciebus; secunda verò differentiis.

QVÆS-

QVÆSTIO I.

An prima regula pro prædicatis essentialibus generis, & speciei sit bene à Philosopho assignata.



NOtandum est primò, hanc talem primam regulam, nempe *Quando aliquid prædicatur de aliquo, vt de subiecto, quidquid prædicatur de prædicato, dicitur etiam de subiecto*: reddere huiusmodi sensum, hoc est, quando aliquid prędicatur quidditatiuè, seu in eo quod quid est de subiecto, quod solùm conuenit generi; & speciei; quòd quidquid prædicatur quidditatiuè de prædicato, prædicatur etiam quidditatiuè de subiecto: Ex qua regula oritur modus ille argumentandi, quem Cicero aceruualem, græci soritem, nostri autem vocant de primo ad vltimum: quia si homo est animal, animal est viuens, & viuens est substantia; de primo ad vltimum, homo est substantia.

Notandum secundò, quòd nomine prædicati non intelligitur hic quidquid indifferenter affirmatur de subiecto, siue sit prædicatum superius, siue inferius, sed quòd tantùm sit prædicatum superius: nam quando inferius prædicatur de superiori, non prædicatur essentialiter de illo; quia nullum inferius prædicatur essentialiter de suo superiori, vt patet de equo, e. g. qui essentialiter non prædicatur de animali.

Dicendum est ergo, quòd optimè assignatur hæc prima regula ab Aristotele pro prædicatis essentialibus generis, & speciei. Probatur: nam illa regula dicitur sufficiens, & bona, quæ adæquat omnia, quę regulantur per ipsam, sed huiusmodi est præfata regula: ergo, &c. Maior patet; nam cùm regula sit quædam mensura, tunc censetur sufficiens, quando adęquatè regulat, & mensurat. Minor verò probatur; nam siue genera, siue species sint, quidquid de alio prædicatur quidditatiuè vt superius tanquam de subiecto, prædicatur in quid, & essentialiter de eodem etiam omne id, quod essentialiter de tali prædicato dicitur: quia enim de animali dicitur, quòd sit substantia animata sentiens; ita de homine, quòd pariter sit substantia animata sentiens; & quia de homine enunciatur, quòd sit substantia animata sentiens rationalis; ita pariter de Socrate, quòd sit substantia animata, &c. ergo prædicta regula adæquat omne id, quod per ipsam regulatur.

Obiicitur primò, quòd non bene argumentamur dicendo, homo est animal; animal est asinus: ergo homo est asinus: ergo cùm asinus prædicetur de animali, & non de homine, non valet prædicta regula; quòd quidquid prædicatur de prædicato, prædicetur etiam de subiecto.

Respondetur ex secundo notando, videlicet quòd asinus non est quid superius ad animal, sed quid inferius, vnde non prædicatur de animali essentialiter, & in quid, sed tantùm accidentaliter; quare mirum non est, quòd in tali prædicatione locum, non habeat

A prædicta regula.

Obiicitur secundò, quòd non sequitur, Socrates est homo; homo est species: ergo Socrates est species; & tamen inibi arguitur per hanc primam regulam: ergo non est bene assignata.

Respondetur falsum esse, quòd ibi arguatur per hanc primam regulam, quæ verificatur tantùm de quidditatiuè prędicatis: quod autem homo sit species, accidentaliter illi conuenit, cùm secundæ intentiones accidentaliter prædicentur de primis.

Obiicitur tandem tertiò, quòd si quis diceret, homo est albus, album est accidens; ergo homo est accidens; falsum concluderet; & tamen accidens essentialiter dicitur de albo, cùm albedo essentialiter sit accidens: ergo talis regula non verificatur in omnibus: & consequenter non est bona.

B Respondetur, quòd licèt verum sit, huiusmodi abstractum, nempe albedinem esse essentialiter accidens, falsum est tamen, quòd tale concretum, nempe album essentialiter sit accidens, cùm possit esse etiam substantia, vt patet de homine albo: quapropter cùm esse accidens, essentialiter non conueniat albo sed tantùm accidentaliter, in tali argumentatione non habet locum huiusmodi regula, quæ tantùm procedit de prędicatis essentialibus, vt dictum est.

QVÆSTIO II.

C *Vtrùm secunda regula pro prædicatis essentialibus differentiarum sit rectè à Philosopho assignata.*

PRO intelligentia tituli supponendum est primò: differentiarum alias esse essentiales, alias verò accidentales, seu potiùs materiales: primæ sunt, quæ oriuntur ex principiis essentialibus rei, vt rationale in homine: secundæ verò, quæ oriuntur ex principiis materialibus, vt esse bipedem. De istis secundis non procedit quæstio, sed tantùm de primis; atque ideò in titulo consultò appositum est, *Pro prædicatis essentialibus differentiarum*. Ratiò enim est; nam Aristoteles dicendo in tali regula, *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt specie differentiæ*

D (non autem diuersæ sunt species, & differentiæ, vt perperam aliqui legunt, Caietano testibus, & Toleto) appellat differentias specie diuersas, non quia genere conueniant, sed vt differentias materiales omnino excludat.

Secundò supponendum est, hic non esse difficultatem circa primam partem huius secundæ regulæ: nam certissimum est, generum diuersorum non esse communes differentias essentiales, sed diuersissimas, vt patet per adducta exempla de animali, quod est de genere substantiæ, ac de scientia, quæ est de genere qualitatis: nam differentia essentialis constitutiua animalis est sensibile; diuisiua verò rationale, vel irrationale. Differentia quidem essentialis constitutiua scientiæ, est habitus; diuisiua verò est speculatiuus, vel practicus. Tota ergo difficultas est circa secundã partem prædictæ secundæ regulæ: ratio enim est, quia pro generibus subalternatim positis, à quibusdam


rigo-

rigorosè tantùm accipiuntur ea, quorum vnum sub altero continetur, vt animal, viuens, corpus, &c. à quibusdam verò largè etiam illa genera, quorum vnũ non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, vt, e. g. animal, & planta, quæ tantùm conueniunt in genere viuentis: quare meritò dubitatur à Philosophis an prędicta regula verificetur tantùm in primo sensu, vel etiam in secundo: quæ vtique difficultas tam de differentiis constitutiuis, quàm diuisiuis procedit.

Prima opinio, quæ communissima est, docet prædictam secundum partem regulę esse generaliter verá tam in primo, quàm in secundo sensu. Ita Alexander, Boetius; & simplicius, quos citat, & sequitur Onna in hoc capite; & etiam ibidem idem, docent Scotus, Tataretus, Ruuius, Mastrius, & Bellutus disp. 6. q. 4. licèt tantùm cõcedant de differentiis constitutiuis; vnde valdè probabilem appellant opinionem, quæ limitat huiusmodi regulam tantùm ad primũ sensum, ac tandem Baldius-Gherardesca. p. p. Log. in explicatione huius capitis.

Secunda verò opinio explicat huiusmodi secundam partem regulæ, tantùm rigorosè, & in primo sensu. Ita Sotus, Complut. ac nonnulli alii in hoc 3. capite.

Notandum est idcirco primò, differentiarum tam constitutiuarum quàm diuisiuarum generum, alias esse superiores, alias verò inferiores: primæ sunt, quæ constituunt, & diuidunt genera superiora; secundæ verò, quæ constituunt ac diuidunt genera inferiora. Talia autem genera, hac parua serie, pro nunc explicata sufficiant.



Nam corpus, & viuens sunt genera superiora: animal autem, & planta sunt genera inferiora. Corpus igitur cùm constituatur per substantiam extensibilem, & diuidatur per animatum, & inanimatum; ac similiter viuens cùm constituatur per animatum, & diuidatur per sensibile, ac insensibile: apertè sequitur tales differentias esse superiores: animal verò cùm constituatur per viuens sensibile, & diuidatur per rationale, & irrationale; planta denique, cùm costituatur per viuens insensibile, & diuidatur per Herbam Fruticem, & Arborem; prædictæ differentiæ, erunt inferiores. Ex quibus dubio procul duo sequuntur; primò, quòd genera, siue sint subalterna in primo sensu, vt animal, viuens, & corpus; siue in secundo, vt animal, & planta; saltem habere debent differentias superiores communes, & eiusdem speciei, cùm talia genera superiora per ipsas constituta, & diuisa contineantur vnum sub alio, vt patet: substantia enim

A extensibilis, quæ constituit corpus, & animata, quæ ipsum diuidit, & constituit viuens, sunt differentiæ vnius speciei subalternæ, scilicet viuentis, cùm viuens nil aliud sit quàm substantia extensibilis, seu corporea animata. Cæterùm illa genera, quæ tantùm sunt subalternata in secundo sensu, licèt habeant differentias superiores communes, & eiusdem speciei subalternæ, vt dictum est, in quo conueniunt cum generibus subalternis in primo sensu; differentias tamen inferiores nequaquam, per quod à prędictis generibus in primo sensu discrepat. Secundum tamen, quod sequitur, est, quòd genera subalternata in primo sensu, cùm habeant communes tam differentias superiores, quàm inferiores, dicuntur habere easdem specie differentias simpliciter, & secundùm se; in quo sensu intelligenda est prædicta secunda pars regulæ: cætera

B verò tantùm secundùm quid, videlicet in quantum eas habent genera illa superiora ad ipsa, quorum vnum sub altero continetur.

Notandum secundò, quòd differentia, quæ proximè, & adæquatè est constitutiua generis superioris, est etiam inadæquatè, & remotè constitutiua generis inferioris: & similiter, differentia, quæ proximè, & adæquatè est diuisiua generis inferioris, est etiam inadæquatè, ac remotè diuisiua generis superioris (hoc tamen tantùm intelligendum est de illis generibus, quorum vnum est sub alio) animatum enim, quod immediatè, & adæquatè constituit viuens, remotè, & inadæquatè constituit etiam animal. Rationale similiter, & irrationale, quæ diuidunt adæquatè, & proximè animal, inadæquatè, & remotè di-

C uidunt etiam viuens, &c. Quapropter genera, quorum vnum est sub alio estò quodammodò habeant, nempe in sensu explicato, easdem specie differentias tam diuisiuas, quàm constitutiuas; non tamen per hoc excluditur, quòd illa genera habeant proprias differentias, per quas proximè, & adęquatè constituantur, & diuidantur (quidquid dicant Aversa hic q. 13. sect. 1. & alii, qui docent inter prædicta genera non dari differentias proprias, sed tantùm communes) in omnibus enim dantur propriæ differentiæ, vt patet ex dictis, exceptis tamen generibus generalissimis, quæ licèt habeant proprias differentias diuisiuas, non tamen habent constitutiuas.

Dicendum est ergo primò, quòd genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno ter-

D tio, necessariò habent diuersas specie differentias constitutiuas.

Probatur primò auctoritate Philosophi in hoc 3. cap. vbi iuxta translationem Perioni, & Argiropyli ita legitur: *Quando genera diuersa sunt, neque vnum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ specie differunt:* ergo genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, necessariò habent diuersas specie differentias.

Respondent Aduersarii, quòd licèt ita sit secundùm prædictam translationem; tamen iuxta translationem aliorum, & iuxta dicta eiusdem Philosophi aliis in locis contrarium habetur, & præcipuè 6. Top. cap. 2. loco 41: vbi genera, quæ sub tertio continentur, subalternata vocat, de quibus docet non implicare habere differentiam communem, vt esse bipedem est differentia communis gressibilis, & volatilis, licèt vnum non contineatur sub alio, sed ambo sub vno tertio,

tertio, nempe sub animali.

Contra tamen est, quòd esse bipedem, de qua differentia ibi exemplificat Aristoteles, est differentia materialis, cùm à principiis materialibus desumatur, vt patet: ergo non facit ad rem, cùm hic tantùm sit sermo de differentia essentiali.

Respondent adhuc Aduersarij, allatum exemplum desumptum esse à differentia materiali, non quia gressibile, & volatile non habeant eandem differentiam essentialem; sed quia, cùm differentiæ essentiales plerumque nos lateant, vsus est nomine differentiæ materialis loco differentiæ essentialis innominatæ.

Contra nihilominus est id, quòd 1. Top. cap. 13. docet idem Philosophus; nimirum quòd quando in diuersis prædicamentis, vel in diuersis generibus, quorum vnum non continetur sub alio, licèt contineantur sub vno tertio, eadem nomina pro differentijs ponuntur ex eo, quia propriæ differentiæ ignorantur, vt quando dicimus acutum angulum, & acutam vocem; vel acutum saporem, & acutum sonum; talia nomina non important differentias essentiales; rationemque reddit ex tali regula dicens: *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum; diuersæ sunt specie differentiæ*: ergo per talem locum ex 6. Topic. ac per talia nomina nullo modo Philosophus intelligit differentias essentiales. Probatur consequentia: nam si in prædicto loco docuisset, diuersorum generum, quorum vnum non est sub alio, sed ambo sub vno tertio, esse easdem differentias essentiales, vtique non posset Philosophus in adducto loco ex 1. Topic. excusari à contradictione, docendo, quòd sapor, & sonus, quæ subalternantur vni tertio, nempe passibili qualitati, nequeant habere eandem differentiam essentialem, scilicet esse acutum: cùm non magis possit significare differentiam essentialem ignotam tale nomen bipes in terrestri, ac volatili animali, quàm acutum in sono. & sapore: ergo, &c.

Probatur secundò, ratione: quia illa duo genera, quæ in aliquo tertio conueniunt, vt animal, & planta, sunt inter se diuersa, & opposita, vel saltem diuersa tantùm: ergo per aliquid distinguuntur, vel diuersificantur: non per gradum genericum, aut differentias superiores, in quibus conueniunt: ergo per propriam, & inferiorem vniuscuiusque differentiam.

Dicendum est secundò, quòd illa genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, nequeunt habere easdem differentias essentiales diuisiuas.

Probatur primò: quoniam diuersa genera, quorum vnum non est sub alio, sunt diuersæ potentiæ metaphysicæ essentialiter distinctæ: ergo correspondent illis actus essentialiter diuersi: sed differentiæ diuisiuæ sunt actus generis, quatenus genus est potentia metaphysica: ergo generibus essentialiter diuersis correspondent differentiæ diuisiuæ essentialiter diuersæ.

Probatur secundò: nam eadem species non potest esse sub diuersis generibus, quorum vnum non sit sub alio, e. g. sub animali, & planta ex Aristotele 4. Top. cap. 2. inquit enim. *Cùm vna species duobus generibus subiecta est, tunc alterum ab altero continetur*: ergo diuersa genera, quorum vnum non est sub alio, non possunt habere easdem differentias essentiales diuisiuas. Antec. patet. Consequentia verò probatur:

A


nam si prædicta genera easdem haberent differentias, etiam sub se haberent eandem speciem; quia sicut differentia constituit speciem, ita vna, & eadem differentia vbicunque sit, constituit vnam, & eandem speciem; alias differentia non conuerteretur cum specie, tollereturque præcipuus argumentandi locus à differentia ad speciem: ergo prędicta genera nequeunt habere easdem differentias, &c.

Respondet Ruuius negando antec. quia cùm differentia specifica sit prædicatum commune, & possit inadæquatè conuenire duobus, & neutrum adęquatè, & vltimatè constituere, potest consequenter illis esse communis absque vlla implicantia, quæ implicantia vtique sequeretur, si tantùm adæquatè illis conueniret, & adæquatè, & vltimatè ipsamet constitueret:

B

hoc enim modo, nullo pacto posset esse communis propter rationem adductam. Vnde estò animal, & planta nequeant habere easdem differentias specificas communes, fortasse quia prædictæ differentiæ adæquatè, & vltimatè constituunt diuersas species, adæquatèque illis conueniunt: attamen vniuersaliter non est verum, vt patet in quantitate successiua, & permanenti; quarum licèt vna non contineatur sub alia, sed tantùm sub vno tertio, habent tamen easdem diferentias diuisiuas communes, scilicet continuum & discretum. Vnde sequeretur ad summum, quod eadē species constitueretur inadæquatè à diuersis differentiis constitutiuis diuersorum generum, sub quibus prædicto modo inadæquatè constituta collocaretur, quod non implicat, vt exemplificatum est, & hac exaratum cernitur figura.

C



D

Contra tamen est, quòd dum aliquod diuisum, completè, & adæquatè diuiditur duplici diuisione, altera necessariò debet esse accidentalis: sed quantitas (ne discedamus ab exemplo adducto) adæquatè, ac completè diuiditur duplici illa diuisione, nempe per prædictas differentias successiui, & permanentis, continui, ac discreti; ergo licèt successiuum, & permanens inadæquatè constituant speciem quantitatis continuæ, ac discretæ; quia tamen quantitas per talia, adæquatè, ac completè diuiditur, necessariò altera prædictarum differentiarum erit accidentalis, & consequenter allata responsio non videtur tollere difficultatem, cùm tantùm in præsenti sit sermo de differentijs essentialibus. Hæc vltima consequentia liquet. Prima bene deducitur. Maior etiam patet,

quia idem genus non potest bis essentialiter diuidi in A species: ergo quæcunque alia diuisio illi adueniat, erit accidentalis. Minor autem probatur: nam quantitas ita diuiditur per continuam, & discretam, per successiuam, & permanentem, vt nullum aliud excogitari possit membrum diuidens præter prædicta, vt dicetur suo loco: ergo per talia membra diuidentia, adæquatè, & completè diuiditur.

Dicendum est tandem tertiò, quòd genera subalternatim posita, quorum vnum est subaltero, possunt habere easdem differentias essentiales, tam inadæquatè constitutiuas, quàm inadæquatè diuisiuas communes.

Probatur ex dictis Philosophi tum in hac regula, tum etiam in antecedenti de prædicatis essentialibus generis, & speciei: quia si genus superius prædicatur essentialiter de generibus inferioribus, quę sunt species subalternæ, sequitur de eisdem etiam B prędicari differētias constitutiuas, vel diuisiuas saltèm inadæquatè illorum; & consequenter talia genera easdem differentias communes habebunt, prædicto modo explicatas.

Obiicitur primò in oppositum primę conclusionis: quòd homo, & Angelus sunt inter se ita diuersi, vt vnus non contineatur sub alio; & tamen eadem differentia, nempe rationale, est constitutiua vtriusque: ergo genera, quæ continentur sub vno tertio, etiam si vnum, non contineatur sub alio, possunt habere easdem differentias constitutiuas essentiales.

Respondetur, quòd rationale, vt est differentia hominis, importat cognitionem discursiuam, ac mediis phantasmatibus; atque ita prout sic non conuenit Angelo: & licèt ablatis imperfectionibus tribui C soleat etiam Angelis; tamen in tali casu, non esset amplius differentia hominis, quæ tantùm est cum prædictis imperfectionibus.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis; quòd incorruptibilitas tam constituit substantiam corpoream, vtpote cęlum, quàm incorpoream, nempe Angelos, quæ sunt duo genera, quorum vnum non est sub alio, sed tantùm sub vno tertio, scilicet sub substantia: ergo prædicta genera possunt habere easdem differentias essentiales constitutiuas.

Respondetur, quòd incorruptibilitas non est eadē, sed diuersæ rationis in cælo, & in Angelis: sicut etiā radix prædictæ incorruptibilitatis est essentialiter diuersa, & in cælo, & in Angelis, vt Theologi, ac D Metaphysici docent; quare nullo pacto sequitur prædicta genera habere easdem differentia essentiales constitutiuas.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum secundę conclusionis: quòd potentia potest diuidi in cognosc itiuam, & appetitiuam, ac deinde vnaquæque in spiritualem, & corporalem, vel è contrà. Item, propositio diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, & vnaquæque earum in veram, vel falsam: ergo non repugnat duo genera, quorum vnum non est sub alio, sed ambo sub vno tertio, habere easdem differentias diuisiuas essentiales.

Respondetur, quòd diuisio potentiæ in cognoscitiuam, & appetitiuam est essentialis, quia sumitur ex obiecto, à quo potentiæ specificantur. Alia verò diuisio, nempe in spiritualem, & corpoream, sumitur ex obiecto materiali, ideòque est accidentalis. Idem etiam contingit in diuisionibus propositionis: nam diuisio in affirmatiuam, & negatiuam est essentialis, cùm sumatur ex parte formæ: diuisio verò in veram, & falsam est diuisio accidentis in sua subiecta, cùm sumatur ex parte qualitatis, vt dicendum est suo loco.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De diuisione incomplexorum in decem prædicamenta; seu de qualitate, & numero prædicamentorum.

POSTQVAM disputatum est de antepraedicamentis, idest de his, quæ necessariò requiruntur ad cognitionem prædicamentorum; hic consequenter disputandum sequitur de prædicamentis ipsis. At quia cognitio generalis, & confusa præcedit in nobis cognitionem specialem, ac distinctam; primo loco agendum est de ipsis prædicamentis in generali, indagando requisita, & numerum eorundem, remittendo distinctam, & specialem ipsorum cognitionem sequentibus disputationibus.

QVÆSTIO I.

Quæ entia, seu res, & quomodò in prædicamentis collocentur.

TITVLVS duo quærit. Primò de entitate, seu qualitate: secundò autem de modo eorum, quæ in prædicamentis sunt collocanda. Quapropter circa vtranque partem supponendum est, duo in quolibet prædicamento posse considerari: primum est series ipsa, seu ordinatio prædicamentalis superiorum, & inferiorum, ex quibus fit quasi quædam recta linea, per quam ascendere, atque descendere possumus ab indiuiduo, quod totius lineæ fundamentum est, vsque ad genus supremum, quod est quasi caput; itaque linea prædicamenti substantiæ, e. g. procedit à genere supremo, quod est substantia, per diuisionem eius in species, quæ sunt corpus, & spiritus; & rursus per diuisionem corporis in viuens; deinde per diuisionem viuentis in animal, & plantam; ac tandem per diuisionem animalis in hominem, equum, &c. Ex his autem diuisionibus generum in species per differentias, resultat huiusmodi linea, quæ appellatur series, & ordinatio: nempe Substantia. Corpus. Viuens. Animal. Homo. Petrus.

Et

Et pro hac lineà rectà supponit prędicamentum, quotiescumque de eo fit mentio Secundò considerari possunt in quolibet prædicamento quasi duo latera, quibus veluti circundatur; quæ latera resultant ex differentiis oppositis, per quas genus diuiditur in species: e. g. latus prædicamenti substantiæ nobis notissimum fit ex his quatuor differentiis, corporeum scilicet, animatum, sensitiuum, & rationale. Titulus ergo intelligendus est secundùm primam considerationem tantùm: itaut sensus sit, quæ res in rectà linea prædicamentorum per se ponendæ sint, & quomodo.

Circa primam quæsiti partem fuerunt Scotistæ nonnulli, quos sine nomine referunt Mastr. & Bellut. hic disput. 6. q. 3. art. 1. & Buridanus, qui non excludebant, iste à prædicamento relationis, illi verò à proprio prędicamento, entia rationis. Villalp. autem, & Louan. cap. de substantia, quos alii sequuntur, admittebant in prędicamentis pariter entia incompleta, vt sunt partes physicæ, materia scilicet, & forma. Quidam autem, quos citat Fons. 5. Metaph. c. 8. q. 2. reponebant differentias in prædicamento qualitatis. Iauellus tandem in sua Logica tit. 5. c. 1. affirmat, indiuiduum per se non pertinere ad prædicamentum, sed tantùm reductiuè, nempe ratione speciei, quam participat.

Cæterùm communissima sententia ferè ab omnibus accepta reponit directè in prædicamentis, tantùm entia realia, per se, completa, incomplexa, vniuoca, & essentialia; ac consequenter à rectâ linea prædicamentorum excludit entia rationis, entia per accidens, incompleta, complexa, æquiuoca, analoga, atque prædicata accidentalia.

Circa verò secundam quæsiti partem, est prima opinio docens tam substantiam, quàm accidens accepta in concreto reponi in propriis prædicamentis. Ita Niph. 5. Metaph. q. 3. & 7. Tolet. q. 2. postprædic. Mastr. & Bellut. disp. 6. q. 3. art. 2. qui pro se etiam citant Scotum. Et tandem alij non pauci ex modernis.

Secunda opinio docet, substantiam tantùm in concreto esse ponendam in prædicamento: accidentia verò solùm in abstracto. Ita Arist. 3. Topic. c. 1. loco 3. & 4. Diuus Thomas opus. de ente, & essentia c. 7. ad finem. Iauell. 5. Metaph. q. 16. Sotus cap. de quantit. q. 1. Venetus c. præsenti, & nouissimè Bald-Gherard. 2. par. logicæ, disp. 3. q. 1. diffic. 2.

Quia prædicta quæsita, ex dictis tum in antecedentibus disputationibus anteprædicamentorum, tum etiam in disputatione secunda prædicabilium in communi, vbi de concretis, & abstractis, ferè explicata manent; tantùm in præsenti post dilucidationem, & probationem duarum conclusionum, nonnulla argumenta in contrarium resoluenda sunt.

Dicendum est ergo primò, quòd in rectâ linea prędicamentorum directè, & per se tantùm collocantur entia realia, per se, completa, incomplexa, vniuoca, & essentialia.

Probatur: debent enim esse entia realia, quia ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, debet esse ens reale, ex Philosofo 5. Metaph. tex. 14. & 6. Metaph. tex. 4. Deinde debent esse entia per se, completa, &c. quia cùm prædicamentum sit series, seu ordinatio prædicabilium; ad hoc vt aliqua per se col- A locentur in prædicamento, requiritur, & quòd propriè, & simpliciter sint prædicabilia, & quòd habeant inter se propriam seriem, & ordinationem: siquidem verba in prædicta definitione prædicamenti stant simpliciter. Sed vt sint simpliciter prędicabilia debent esse entia per se, completa, incomplexa, & vniuoca; & ex alia parte, vt habeant propriam seriem, seu coordinationem, debent esse prædicata essentialia: siquidem solùm inter ea potest esse essentialis subordinatio superioris, & inferioris: ergo omnia præassignata requiruntur.

Dicendum est secundò, quòd in prædicamento substantiæ propriè; & per se collocantur concreta: abstracta verò non, nisi per reductionem: è contrà verò in prædicamentis accidentium prædicta se B habent.

Probatur prima pars; quia prædicamentum fit ex rebus completis, vt dictum est: sed per nomina abstracta non significantur substantiæ tanquam entia completa, sed solùm per concreta: ergo sub concretis, & non abstractis nominibus ad prædicamentum spectabunt. Minor probatur: quia per nomina abstracta significantur non vt species, vel genera, sed vt principia generis, & speciei: nomine etenim animalitatis significatur natura sensitiua vt principium animalis, & nomine humanitatis, natura rationalis vt principium hominis ergo significantur modo incompleto, & non prædicamentali.

Probatur secunda pars: quia concretum accidentale significat res diuersorum prædicamentorum, C nempe subiectum, quod est substantia, & formam, quæ est accidens: ergo non potest pertinere ad vnum prædicamentum determinatum: quinimmo non potest ad vllum pertinere, quia prædicamenta fiunt ex entibus per se. Sed ex rebus diuersorum prædicamentorum, cùm sint primò diuersæ, & in actu, non potest fieri vnum per se: ergo concretum non potest collocari in prædicamento.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis ex Scotistis, quòd prædicamentum fit ex generibus, & speciebus: sed genera, & species sunt entia rationis: ergo predicamentum erit ex entibus rationis, &c.

Respondetur, prędicamentum constitui ex generibus, & speciebus materialiter consideratis, & acceptis: non autem formaliter; hoc est ex rebus ipsis, quæ dicuntur genera, & species; minimè verò ex ipsa genereitate, & specieitate; quare id, quod ponitur in prædicamento, est res; quo verò ponitur est intentio: etenim non ponuntur res in prædicamento, nisi D quatenus substant conceptibus rationis.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis ex Villalpando, & aliis, probando entia incompleta posse collocari in prædicamentis; quòd in partibus substantiæ intelligimus genera, & species: ergo ex iis potest ordinari prædicamentum, sicut ordinatur ex generibus, & speciebus substantiæ totalis. Probatur antec.: quia sicut diuidimus substantiam completam in corpoream, & incorpoream, & sic de cæteris generibus; ita possumus diuidere partialem.

Respondetur negando, quòd in partibus substantię possint intelligi vera genera, & veræ species; sed solùm possunt ex eis formari conceptus quodammodò similes generibus, & speciebus. Et ratio est: quia non possunt concipi partes, nisi tanquam incomple-

tæ, quamuis in communi percipiantur abstractæ à partibus singularibus, in quo consistit aliqua similitudo: & cùm genera, & species ex proprio modo, quo concipiuntur, sint completa, repugnat in partibus vera genera, & veras species concipere, & consequenter ibi esse veram ordinationem prædicamentalem.

Obiicitur tertiò in oppositum eiusdem primæ conclusionis, pro sententia illorum, qui ponunt differentias in recta linea prædicamentali; quòd aut differentiæ excluduntur à prædicamento, quia simplices conceptus sunt; vel quia sunt conceptus incompleti: sed vtraque ratio contingit in generibus; ergo differentię non debent excludi à recta linea prædicamenti, sicut non excluduntur genera. Minor probatur; nam conceptus generis, vt talis, non est compositus, estò species sit subalterna, & vt talis alias sit compositus: ergo est simplex, & est vera pars speciei non minùs quàm differentia; & consequenter incompletū quoddam.

Respondetur negando paritatem de conceptu differentiæ cum conceptu generis; differentia enim formaliter, & per se non est quoddam totum, sed tantùm pars illius; genus verò formaliter, & essentialiter habet rationem totius, & completi, saltem potentialis; atque ideò per se, & formaliter collocatur in prædicamento, à quo excluditur differentia propter rationem incompletam, & partialem, quam importat.

Obiicitur quartò in oppositum eiusdem primę conclusionis ex Iauello; quòd Porphyrius cap. de specie asserit, quòd termini, quibus clauditur prædicamentum, sunt *Supremum genus, & infima species, vltra quam non licet ascendere ad indiuidua, quia sunt infinita*: ergo sentit indiuiduum per se non pertinere ad prædicamentum; atque ita, si indiuidua infinita sunt, quemadmodum ex hoc de illis non datur scientia; ad prædicamentū quoque per se non spectabūt; cùm ista pars prædicamentalis, scientiæ dialecticæ vera pars sit.

Respondetur, Porphyrium posuisse pro extremis prędicatis essentialibus prędicamenti genus supremū, & infimam speciem præsupponendo indiuiduum esse extremum, non in ratione prædicati, sed veluti fundamentum omnium prædicatorum, vnde patet, ipsū quoque pertinere ad prædicamentum, modo tamen explicato. Neque obstat, quòd sint infinita, etiam si per impossibile essent actu; quia non pertinent ad prędicamentum vt distincta, vel vt efficiunt numerum, sed vt participant de prædicatis essentialibus, eaque sustentant, & hæc ratio eadem est in omnibus, siue finita, siue infinita sint. Ex quo etiam colligitur, indiuiduum ad scientiam prædicamentalem pertinere posse; non quidem, vt obiectum formale eius; sed tanquam id, ex quo vt ex fundamento integratur obiectum, nempe prædicamentum ipsorum, quod est pars totius obiecti dialecticæ scientiæ.

Obiicitur tandem quintò in oppositum secundæ conclusionis, probando saltem accidentia non in abstracto, sed in concreto reponenda esse in prædicamentis: quoniam si accidentia in concreto accepta, directè non ponerentur in prædicamento, ex eo fieret, quia cùm significent formam, & connotent subiectū, sunt tantùm entia per accidens (siquidem constant ex forma, & subiecto, tanquam ex duobus entibus in actu): sed hoc est falsum; ergo possunt poni in prædicamento in concreto. Minor probatur; quia ex actu, & potentia secundùm Philosophum 2. de Anima text. 2. fit vnum per se: sed subiectum se habet vt potentia, & forma vt actus; ergo ex tali compositione resultabit vnum per se, & non per accidens;

Respondetur negando minorem. Ad probationem dicitur, quòd Aristoteles loco citato intellexit de potentia, & actu substantialibus, quemadmodum est materia, & forma; non autem de potentia, & actu accidentalibus quemadmodum est potentia subiecti respectu formæ accidentalis, ex quibus, non vnum per se, sed tantùm per accidens resultat, & componitur.

QVÆSTIO II.

Quot sunt Prædicamenta.

DE numero prædicamentorum ingens fuit apud antiquos controuersia: quidam enim, quos citat Plotinus lib. 1. ænneade. 6. vsque adeò prædicamenta multiplicarunt, vt infinita ponerent; hoc autem ita improbabile est, vt diuinæ repugnet veritati, quæ omnia asseruit in numero, & mensura condidisse.

Diuinus autem Plato, teste Aristotele 3. Met. cap. 3. vnum constituit rerum omnium prædicamentum, scilicet Ens; quam sententiam secuti sunt Scotus, & plures alii.

Xenocrates, & Andronicus, vt refert Simplicius, duo constituunt prædicamenta, substantiam scilicet, & accidens.

Laurentius valla, vt testantur Conimbricenses hic q. 2. à 3. tantùm enumerat tria: nempe Substantiam, Quantitatem, & Actionem.

Stoici, vt auctor est Plotinus lib. 1. ænneade 6. quatuor assignant. Idem autem Plato in Sophista, vt refert Masius hic sect. 2. q. 1. quinque etiam constituit.

Alij verò, quorum meminit Niphus 6. metaph. disput. 7. vndecim constituerunt prædicamenta, addentes communi numero vnum prædicamentum entium rationis.

Pythagorici tandem, vt colligitur ex Aristotele 1. Met. cap. 5. vsque ad viginti prædicamentorum numerum protulerunt. Quæ tamen omnes antiquorum sententiæ, tum ex dictis, cùm ex dicendis facilè falsitatis conuinci possunt.

Vera tamen, & communis sententia docet, tantùm decem esse prædicamenta. Ita Architas tarentinus, quem sequuntur Aristoteles, D. Thomas, & ferè omnes.

Notandum idcirco est, denarium prædicamentorum numerum probabiliter tantùm sustineri: neque enim ita perspectas habere possumus rerum omnium essentias, vt omnino conuincatur eas omnes ad decem classes esse necessariò reducendas; quare non ita huic numero inhærendum est, vt præsumatur exactè vndequaque saluare rigorem prædicamentorum, sicut saluatur in substantia, quantitate, & qualitate: nam de Situ quidem vix intelligitur quid addat supra Vbi, adeòut ab ipso, & Relatione sit quid diuersum. Item de

de Habitu non facilè explicatur, quomodò constituat A nouum prædicamentum, & idem fortè suspicandum est de quibusdam aliis. Restat ergo, hanc prædicamentorum enumerationem solùm esse propositionem quandam dialecticam, seu probabilem, atque innitentem auctoritati Philosophorum, qui eam tradiderunt, sufficienterque probarunt.

Dicendum est ergo, prædicamenta, seu genera summa rerum tantùm esse decem. Probatur: nam prædicamentum est series, & ordinatio prædicatorũ, siue prædicabilium: sed hæc sunt tantùm decem: ergo & ipsa prædicamenta. Minor probatur ex diuerso modo prædicandi rerum, qui consequenter arguit diuersum modum essendi: nam prædicatum tripliciter potest se habere ad primam substantiam: vno modo, quando prædicatum est id, quod est ipsum subiectum, B non solùm quantùm ad modum significandi, verùm etiam quantùm ad rem significatam, vt cùm dicitur, Petrus est homo, animal, &c., & huiusmodi prædicata constituunt prædicamentum *Substantiæ*. Secundo modo, cùm prædicatum sumitur secundùm quòd inest subiecto; & tunc, vel prædicatum inest subiecto absolutè vt consequens materiam, & sic est *Quantitas*; vel vt consequens formam, & sic est *Qualitas*: vel inest non absolutè, sed in ordine ad aliud, atque ita est *Relatio*. Tertio verò modo, cùm prædicatum sumitur ab eo, quod est extra subiectum, & hoc dupliciter; nam vel id, à quo sumitur prædicatum, non est omnino extra subiectum, sed secundùm aliquid est in illo, & tunc, si est secundùm principium, est *Actio*: si verò secundùm terminum, est *Passio*: Vel id, à quo sumitur prædicatum, est omnino extra, & tunc, si non est C mensura subiecti prædicatur per modum *Habitus*; si verò est mensura, cùm mensura extrinseca sit, erit vel tempus, vel locus: ex tempore sumitur *Quando*, & ex loco *Vbi*, non tamen considerato ordine partium in loco; eo autem considerato, erit *Situs*: ergo tantùm decem sunt prædicamenta, &c.

Obiicitur primò, quòd pro causa efficienti ponitur prædicamentum actionis; & pro causa materiali receptiua prædicamentum passionis: ergo pro causa finali, & formali debent poni duo alia prædicamenta; quia non est maior ratio de illis, quàm de istis.

Respondetur negando consequentiam: nam causa formalis simul cum materiali partes intrinsecæ substantiæ sunt, ex quibus ipsa componitur, atque ideò ad prædicamentum eiusdem substantiæ reducuntur. D Causa verò finalis non habet specialem modum prædicamentalem, sicut efficiens, sed tantùm mouet voluntatem metaphoricè, hoc est attrahendo ipsam ad sui amorem; & motio hæc, extrinseca quædam ratio est, & minimè prædicamentalis: quare pro ea, multiplicanda non sunt prędicamenta sicut pro efficiente, à quo physicè, & realiter egreditur actio, secundùm specialem modum prædicamenti constitutiuum.

Obiicitur secundò, quòd omnia prædicamenta accidentis conueniunt in vna ratione accidentis; ergo sunt tantùm duo prædicamenta, Substantia scilicet, & Accidens. Consequentia patet: nam sicut ex eo, quòd omnes substantiæ creatæ conueniunt sub vna ratione substantiæ, vnicum substantiæ constituunt prædicamentum; ita ex eo, quòd omnia accidentia conueniunt sub vna ratione accidentis, vnicum accidentis constituere debent prædicamentum.

Respondetur quòd vtique concluderet argumentum, si omnia accidentia conuenirent sub vna ratione vniuoca accidentis, sicut omnes substantiæ creatæ conueniunt sub vna ratione vniuoca substantiæ: sed quia conueniunt sub vnica ratione analoga accidentis; hinc est, quòd nequeunt constituere vnicum accidentis prædicamentum.

Obiicitur tandem tertiò, quòd Actio, & Passio per Aristotelem sunt vnus numero motus: ergo non debent constituere duo prædicamenta distincta.

Respondetur, Actionem, & Passionem esse idem entitatiuè, atque ideò per Aristotelem sunt vnus numero motus: sed tamen distinguuntur formaliter; & hinc est, quòd duo constituunt diuersa prædicamenta.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

De distinctione prædicamentorum ab inuicem.

SOlent Dialectici, occasione istius tertii, & vltimi argumenti fortasse inducti hoc in loco disputare de distinctione prædicamentorum ab inuicem; quomodò scilicet distinguantur, realiter ne, an potiùs ratione, saltem ratiocinata: sed quia huiusmodi quęsitum incidenter alibi resoluendum est, satis erit pro nunc, quid sentiendum sit, summariè, breuiterque adstruere; resolutionem argumentorum in oppositum reseruando vbi opportunitas postulabit.

Interim Vasquez p. p. disput. 138. num. 4. & disp. 175. num. 5. Suar. disput. 39. Met. sect. 2. num. 21. Tolet. hic Ruu. ibidem q. 3. Hurt. disput. 9. Met. sect. 2. Auersa q. 16. sect. 4. atque ferè omnes de Societate Iesu docent sufficere inter prædicamenta distinctionem rationis ratiocinatæ.

Diuus autem Thom. 2. sent. distinc. 12. q. 1. art. 1. ad 3. & q. 7. de pot. art. 3. ad 2. Scot. 2. sent. dist. 3. q. 4. & 5. Met. q. 6. cum omnibus Scotistis docent èconträ, omnia prædicamenta inter se distingui realiter, & ante omnem operationem intellectus; quæ sententia, etiam communis est inter Thomistas, ac tutior videtur.

Probatur igitur hac ratione, quam adducit P. Gonzalez in p. p. D. Thomæ q. 28. Quoniam ea, quę habent diuersas essentias, quarum vna actu non est alia, neque èconträ, distinguuntur ex natura rei, sine aliquo ordine ad intellectum: sed quæ pertinent ad diuersa prædicamenta, sunt huiusmodi: siquidem distinguuntur tam penes gradum genericum, quàm differentialem, ac consequenter differunt totaliter in natura: ergo distinguuntur ex natura rei absque vllo ordine ad intellectum; & consequenter multò magis ipsa prædicamenta, ratione quorũ distinguuntur realiter, iuxta illud, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

DIS-

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Prædicamento Substantiæ.



Xplicatis iis, quę ad prędicamentorum notitiam, necessariò erant prę mittenda, & propterea anteprędicamenta nuncupantur; iam in hac secunda parte libri, per quinque sequentia capita differit Aristoteles de vnoquoque prędicamento in speciali: quare ne vngue quidem à Philosophi directione recedatur, eodem ordine de ipsis agendum est.

QVÆSTIO I.

Quænam sit diuisio Substantiæ in primam, & secundam; & an sit bona.



Vpponendum est primò, nomen substantię impositum fuisse enti per se (vt notat S. Isidorus lib. 2. originum cap. 27.) ex duplici proprietate: nempe subsistendi in se, & substandi aliis. Differunt autem subsistere, & substare, quòd subsistere est perfectè in se esse, independenter à quolibet alio, vt à substante: substare verò est subesse aliis tanquam fundamentum: & licèt subsistere sit prius, quàm substare; quia priùs res est in se, quàm ordinetur ad aliud; quia tamen hoc vltimum est notius, ideò frequentiùs per ipsum exprimitur substantia ab Aristotele in hoc capite, & 5. Met. cap. 8.

Supponendum est secundò, quòd à prædicto substare, tres desumuntur substantię acceptiones, quarum prima est, quando substantia accipitur pro essentia; & in hoc sensu non distinguitur ab accidente: quare dici solet, quòd aliquid conuenit accidenti secundùm suam substantiam; & ratio est, quia quælibet essentia, etiam accidentium, quodammodò substat suis proprietatibus. Secunda verò acceptio substantię est, quando sumitur prout contrà distinguitur ab accidente, & comprehendit quidquid non est in alio tanquam in subiecto, & propterea Philosophus in Physicis, materiam, formam, modos, ac differentias substantiales appellat substantias; & ratio est, quia accidentia, simpliciter non substant aliis, sed tantùm secundùm quid; & vt quo. Tertia tandem Substantię acceptio est, dum sumitur pro ea, quæ ponitur in recta linea huius prædicamenti, scilicet pro substantia creata completa, quę propriè, ac simpliciter substat accidentibus, quia in se, ac per se subsistit independenter à quocunque alio, non solùm vt à subiecto, verùm etiam vt à comparte, seu concausa suę subsis-A tentiæ; & in hoc sensu differentię, & partes substantiales non sunt substantię: ratio enim est, quia substantię completæ perfectiùs substant accidentibus, quàm incompletę, ac partiales. Quare, cùm nomen substantię in his acceptionibus sumatur à substando accidentibus vt iam dictum est; idcirco mirum non est, si aliqui Sancti Patres, vt Augustinus 7. de Trinitate cap. 6. negant, Deum esse substantiam, idest subiectum accidentium. De substantia ergo in hac tertia acceptione, tantùm agendum est in præsenti.

Supponendum est denique tertiò, quòd in prędicta substantia completa, hoc tertio modo accepta, tria adhuc considerari possunt; ipsa scilicet essentia, seu conceptus quidditatiuus substantię; realis eiusdem proprietas subsistendi, vel substandi accidentibus; & secunda intentio, à qua substantia denominatur B subiectum prędicationis.

Quibus ergo suppositis, ac diligenter pręnotatis; licèt omnes Doctores talem admittant diuisionem, tamen difficultas haud parua est inter ipsos, secundùm quam prędictarum rationum diuidatur substantia in primam, & secundam: inde enim pendet qualis sit ista diuisio, an generis scilicet in suas species; vel subiecti in sua accidentia; aut potiùs analogi, in sua analogata.

Prima sententia asserit, huius diuisionis diuisum esse substantiam ratione secundę intentionis, adeòut sensus sit: Substantia secundùm quòd est subiectum prędicationis, alia vniuersalis, alia particularis est; & consequenter docet talem diuisionem esse vniuocam, generisque in suas species. Ita Tatar. q. 1. prędic. C not. 3. quem sequuntur multi, ex recentioribus, in quam sententiam non parum videntur inclinare Mastr. & Bellut. disput. 7. q. 1. art. 2. §. *Quare concludimus cum Doctore, &c.*

Secunda verò sententia docet, diuisum huiusmodi diuisionis esse substantiam ratione realis proprietatis subsistendi, vel substandi accidentibus, adeòut diuisio prædicta reddat hunc sensum: Substantia, qua ratione substat accidentibus, alia primò substat, nempe particularis: alia secundò substat, nempe vniuersalis; & consequenter tenet talem diuisionem esse analogam. Ita Iauel. 5. Met. q. 7. Caiet. & Masius hic. Suar. disput. 33. Met. sect. 2. Tolet. & Ruu. in hoc cap. Conimb. ibidem q. 2. atque alii

Tertia tandem sententia (aliis minoris notę omissis) D docet diuisum esse substantiam secundùm suam essentiam, & conceptum quidditatiuum, prout scilicet dicit esse per se, seu per se stare, diuidique in duos modos subsistendi, nempe particulariter, & vniuersaliter, ex quibus alter, scilicet particulariter subsistendi, est modus realis, quem suppositum addit supra naturam; alter verò idest vniuersaliter subsistendi, est modus, & accidens rationis, à quo natura constituitur in esse vniuersalis; & consequenter etiam docet talem diuisionem esse subiecti in accidentia, estò quodammodò etiam sit analoga, cùm vnum membrum reale sit, aliud autem rationis. Pro hac citantur Mercatus, atque alii antiqui, eamque defendunt Sanch. lib. 5. Log. q. 4. Galleg. contr. 23. Araux. 5. Met. q. 2. art. 1. & 2. & Complut. hic disput. 12. q. 2. à quibus etiam non omnino dissentiunt Caiet. Mas. Mastrius, & Bellut. locis suprà citatis.

Notandum idcirco est, quòd Aristoteles in præsenti

senti agit, & disputat de substantia secundùm quòd ponitur in prædicamento, in quo non collocatur ratione alicuius intentionis, sed ratione suæ entitatis realis, vt suprà dictum est. Propter quòd, etiam liber iste pertinet ad obiectum materiale Logicæ, vt in proœmialibus ostensum est. Ex quo igitur liquet, quòd valdè alienum est à mente eiusdem Philosophi affirmare diuisum per talem diuisionem esse substantiam ratione secundæ intentionis: Aristoteles enim, dum in hoc capite loquitur de substantia, vel illam sumit secundùm suam quidditatem realem, prout scilicet importat esse per se; vel secundùm realem proprietatem subsistendi, seu potiùs substandi accidentibus, vt patet, dum comparat primas, & secundas substantias inter se, dicendo: Primas substantias esse magis substantias, quàm sint secundæ, quia magis substant accidentibus.

Dicendum est ergo primò, quòd diuisum in hac diuisione est substantia secundùm suam essentiam, & conceptum quidditatiuum per se subsistendi. Probatur: quia diuisum in hac diuisione est id, quod directè, ac per se pertinet ad prædicamentum substantiæ, & collocatur in illius recta linea; sed hoc est tantùm ipsa essentia substantiæ, & non secunda intentio, aut realis eius proprietas: ergo, &c. Maior de se patet. Minor autem probatur; nam res debent reponi in prædicamentis secundùm id, quod inuenitur primò, & principaliter à parte rei; sed hoc non est realis earum proprietas, neque minùs secunda intentio, vt de se patet: ergo tantùm earundem essentia.

Dicendum est secundò, quòd prædicta diuisio, simpliciter est subiecti in accidentia; secundùm quid autem, est analogi in sua analogata. Probatur: nam id, quod prima substantia addit supra substantiam vt sic, est modus quidam realis particulariter subsistendi; & id, quod addit super ipsam secunda substantia, est modus vniuersaliter subsistendi in intellectu: sed isti modi habent rationem accidentium respectu substantiæ: ergo quando substantia vt sic diuiditur in illos, est diuisio subiecti in accidentia. Quia verò inter ipsa membra diuidentia est subordinatio, & dependentia, cùm ens rationis subordinetur, ac dependeat ab ente reali; ideò prædicta diuisio est etiam quodammodò analogi in sua analogata.

Dicendum est tandem tertiò, quòd talis diuisio, prædicto modo explicata, est optima. Probatur tum ex communi receptione omnium Philosophorum, qui vno, vel altero modo explicationis talem diuisionem admittunt: tum etiam ex omnibus regulis, quæ ad rectam diuisionem assignari solent, vt constat, & habentur ex dictis lib. 2. Institutionum logicallium cap. 4.: ergo, &c.

Obiiciunt primò in oppositum primæ conclusionis Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, quòd prædicamenta intantùm spectant ad Logicam, inquantum denominantur à secundis intentionibus, suntque fundamenta earum: ergo diuisum in tali diuisione erit substantia ratione secundæ intentionis. Consequentia patet: nam si prædicamentum substantiæ spectat ad Logicam, inquantùm à secunda intentione denominatur subiectum prædicationis superiorum de inferioribus; ipsa substantia erit diuisum in tali diuisione, non secundùm suam quidditatem, & essentiam, sed ratione secundæ intentionis. Antecedens item patet ex dictis, quia Logicus agit de prædicamentis, siue de entibus realibus, quatenus in illis inferiora, & superiora disponuntur, & ordinantur quoad subiectionem, & prædicationem, ad differentiam metaphysici, qui agit de illis secundùm eorum quidditatem, & essentiam: ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam: ratio verò negationis est, quia non eodem modo res collocantur in prædicamentis, quo prædicamenta considerantur à Logico; nam hæc considerantur vt subiiciuntur secundis intentionibus prædicabilitatis, ac subiicibilitatis, vt probat argumentum; illæ verò secundùm entitatem earum realem, vt dictum est suprà. Quapropter diuerso etiam modo diuidenda est substantia vt reponitur in prædicamento, & vt consideratur à Logico: nam primo modo, quia significat esse per se, debet diuidi in duos modos, scilicet particulariter, & vniuersaliter per se subsistendi: secundo verò modo, quia significat esse subiectum prędicationis, vel subiicibilitatis, debet diuidi per dici, & non dici de subiecto quemadmodum à Philosopho diuisa fuit cap. 2. huius libri.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, quòd si talis diuisio simpliciter esset subiecti in accidentia, & secundùm quid analogi in analogata, talia membra diuidentia, diuersa constituerent prædicamenta; atque ita duo essent prædicamenta substantiæ, nempe prædicamentum primæ, ac prædicamentum secundæ: sed hoc est contra communem consensum Philosophorum, ergo, &c. Minor patet. Maior verò probatur: nam ex eo accidentia constituunt diuersa prædicamenta, quia non conueniunt in vna ratione vniuoca accidentis; sed tantùm analoga, vt dictum est suprà q. 2. disputationis 12. ad 2.: ergo cùm talia membra diuidentia pariter conueniant in vna ratione analoga substantiæ, debent constituere diuersa prædicamenta.

Respondetur negando maiorem; ad cuius probationem etiam negatur paritas: nam accidentia, non tantùm constituunt diuersa prædicamenta, quia conueniunt in vna ratione analoga; verùm etiam quia sunt diuersæ res, seu entitates reales: substantiæ verò, licet pariter conueniant in vna ratione analoga, quia tamen altera earum, secunda scilicet, formaliter sumpta est entitas rationis, nequit constituere diuersum prædicamentum, sed ad idem reducitur, in quo prima collocatur.

Si fortè instet aliquis, inculcando huiusmodi doctrinam alteri contrariari ibidem explicatæ; videlicet quòd omnes substantiæ conueniunt in vna ratione vniuoca:

Respondetur non esse contrariam: nam quando dictum est omnes substantias conuenire in vna ratione vniuoca, intelligendum est de illis substantiis, quæ per se, ac directè ponuntur in prædicamento; non autem de illis, quæ tantùm reducuntur, & secundùm quid collocantur, quemadmodum sunt secundæ substantiæ.

Obiicitur tandem tertiò in oppositũ tertiæ conclusionis, quòd membra diuidentia debent esse opposita, ita vt vnum non includat aliud; neque diuisum debet coincidere cum aliquo membro diuidente: sed in prędicta diuisione membra non sunt opposita, cùm vnum includat aliud, atque diuisum saltem coincidit cum vno

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Prædicamento Substantiæ.



Xplicatis iis, quę ad prędicamentorum notitiam, necessariò erant prę-mittenda, & propterea antepredi-camenta nuncupantur; iam in hac secunda parte libri, per quinque sequentia capita differit Aristoteles de vnoquoque prędicamento in speciali: quare ne vngue quidem à Philosophi directione recedatur, eodem ordine de ipsis agendum est.

QVÆSTIO I.

Quænam sit diuisio Substantiæ in primam, & secundam; & an sit bona.



Vpponendum est primò, nomen substantię impositum fuisse enti per se (vt notat S. Isidorus lib. 2. originum cap. 27.) ex duplici proprietate: nempe subsistendi in se, & substandi aliis. Differunt autem subsistere, & substare, quòd subsistere est perfectè in se esse, independenter à quolibet alio, vt à substante: substare verò est subesse aliis tanquam fundamentum: & licèt subsistere sit prius, quàm substare; quia priùs res est in se, quàm ordinetur ad aliud; quia tamen hoc vltimum est notius, ideò frequentiùs per ipsum exprimitur substantia ab Aristotele in hoc capite, & 5. Met. cap. 8.

Supponendum est secundò, quòd à prædicto substare, tres desumuntur substantię acceptiones, quarum prima est, quando substantia accipitur pro essentia; & in hoc sensu non distinguitur ab accidente: quare dici solet, quòd aliquid conuenit accidenti secundùm suam substantiam; & ratio est, quia quælibet essentia, etiam accidentium, quodammodò substat suis proprietatibus. Secunda verò acceptio substantię est, quando sumitur prout contrà distinguitur ab accidente, & comprehendit quidquid non est in alio tanquam in subiecto, & propterea Philosophus in Physicis, materiam, formam, modos, ac differentias substantiales appellat substantias; & ratio est, quia accidentia, simpliciter non substant aliis, sed tantùm secundùm quid; & vt quo. Tertia tandem Substantię acceptio est, dum sumitur pro ea, quæ ponitur in recta linea huius prædicamenti, scilicet pro substantia creata completa, quę propriè, ac simpliciter substat accidentibus, quia in se, ac per se subsistit independenter à quocunque alio, non solùm vt à subiecto, verùm etiam vt à comparte, seu concausa suę subsis-

A tentiæ; & in hoc sensu differentię, & partes substantiales non sunt substantię: ratio enim est, quia substantię completæ perfectiùs substant accidentibus, quàm incompletę, ac partiales. Quare, cùm nomen substantię in his acceptionibus sumatur à substando accidentibus vt iam dictum est; idcirco mirum non est, si aliqui Sancti Patres, vt Augustinus 7. de Trinitate cap. 6. negant, Deum esse substantiam, idest subiectum accidentium. De substantia ergo in hac tertia acceptione, tantùm agendum est in præsenti.

Supponendum est denique tertiò, quòd in prędicta substantia completa, hoc tertio modo accepta, tria adhuc considerari possunt; ipsa scilicet essentia, seu conceptus quidditatiuus substantię; realis eiusdem proprietas subsistendi, vel substandi accidentibus; & B secunda intentio, à qua substantia denominatur subiectum prędicationis.

Quibus ergo suppositis, ac diligenter prenotatis; licèt omnes Doctores talem admittant diuisionem, tamen difficultas haud parua est inter ipsos, secundùm quam prędictarum rationum diuidatur substantia in primam, & secundam: inde enim pendet qualis sit ista diuisio, an generis scilicet in suas species; vel subiecti in sua accidentia; aut potiùs analogi, in sua analogata.

Prima sententia asserit, huius diuisionis diuisum esse substantiam ratione secundę intentionis, adeòut sensus sit: Substantia secundùm quòd est subiectum prędicationis, alia vniuersalis, alia particularis est; & consequenter docet talem diuisionem esse vniuocam, generisque in suas species. Ita Tatar. q. 1. prędic. C not. 3. quem sequuntur multi, ex recentioribus, in quam sententiam non parum videntur inclinare Mastr. & Bellut. disput. 7. q. 1. art. 2. §. *Quare concludimus cum Doctore, &c.*

Secunda verò sententia docet, diuisum huiusmodi diuisionis esse substantiam ratione realis proprietatis subsistendi, vel substandi accidentibus, adeòut diuisio prædicta reddat hunc sensum: Substantia, qua ratione substat accidentibus, alia primò substat, nempe particularis: alia secundò substat, nempe vniuersalis; & consequenter tenet talem diuisionem esse analogam. Ita Iauel. 5. Met. q. 7. Caiet. & Masius hic. Suar. disput. 33. Met. sect. 2. Tolet. & Ruu. in hoc cap. Conimb. ibidem q. 2. atque alii.

Tertia tandem sententia (aliis minoris notę omissis) D docet diuisum esse substantiam secundùm suam essentiam, & conceptum quidditatiuum, prout scilicet dicit esse per se, seu per se stare, diuidique in duos modos subsistendi, nempe particulariter, & vniuersaliter, ex quibus alter, scilicet particulariter subsistendi, est modus realis, quem suppositum addit supra naturam; alter verò idest vniuersaliter subsistendi, est modus, & accidens rationis, à quo natura constituitur in esse vniuersalis; & consequenter etiam docet talem diuisionem esse subiecti in accidentia, estò quodammodò etiam sit analoga, cùm vnum membrum reale sit, aliud autem rationis. Pro hac citantur Mercatus, atque alii antiqui, eamque defendunt Sanch. lib. 5. Log. q. 4. Galleg. contr. 23. Araux. 5. Met. q. 2. art. 1. & 2. & Complut. hic disput. 12. q. 2. à quibus etiam non omnino dissentiunt Caiet. Mas. Mastrius, & Bellut. locis suprà citatis.

Notandum idcirco est, quòd Aristoteles in præsenti

senti agit, & disputat de substantia secundùm quòd ponitur in prædicamento, in quo non collocatur ratione alicuius intentionis, sed ratione suæ entitatis realis, vt suprà dictum est. Propter quòd, etiam liber iste pertinet ad obiectum materiale Logicæ, vt in proœmialibus ostensum est. Ex quo igitur liquet, quòd valdè alienum est à mente eiusdem Philosophi affirmare diuisum per talem diuisionem esse substantiam ratione secundæ intentionis: Aristoteles enim, dum in hoc capite loquitur de substantia, vel illam sumit secundùm suam quidditatem realem, prout scilicet importat esse per se; vel secundùm realem proprietatem subsistendi, seu potiùs substandi accidentibus, vt patet, dum comparat primas, & secundas substantias inter se, dicendo: Primas substantias esse magis substantias, quàm sint secundæ, quia magis substant accidentibus.

Dicendum est ergo primò, quòd diuisum in hac diuisione est substantia secundùm suam essentiam, & conceptum quidditatiuum per se subsistendi. Probatur: quia diuisum in hac diuisione est id, quod directè, ac per se pertinet ad prædicamentum substantiæ, & collocatur in illius rectâ lineâ: sed hoc est tantùm ipsa essentia substantiæ, & non secunda intentio, aut realis eius proprietas: ergo, &c. Maior de se patet. Minor autem probatur: nam res debent reponi in prædicamentis secundùm id, quod inuenitur primò, & principaliter à parte rei; sed hoc non est realis earum proprietas, neque minùs secunda intentio, vt de se patet: ergo tantùm earundem essentia.

Dicendum est secundò, quòd prædicta diuisio, simpliciter est subiecti in accidentia; secundùm quid autem, est analogi in sua analogata. Probatur: nam id, quod prima substantia addit supra substantiam vt sic, est modus quidam realis particulariter subsistendi; & id, quod addit super ipsam secunda substantia, est modus vniuersaliter subsistendi in intellectu: sed isti modi habent rationem accidentium respectu substantiæ: ergo quando substantia vt sic diuiditur in illos, est diuisio subiecti in accidentia. Quia verò inter ipsa membra diuidentia est subordinatio, & dependentia, cùm ens rationis subordinetur, ac dependeat ab ente reali; ideò prædicta diuisio est etiam quodammodò analogi in sua analogata.

Dicendum est tandem tertiò, quòd talis diuisio, prædicto modo explicata, est optima. Probatur tum ex communi receptione omnium Philosophorum, qui vno, vel altero modo explicationis talem diuisionem admittunt: tum etiam ex omnibus regulis, quæ ad rectam diuisionem assignari solent, vt constat, & habentur ex dictis lib. 2. Institutionum logicalium cap. 4.: ergo, &c.

Obiiciunt primò in oppositum primæ conclusionis Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, quòd prædicamenta intantùm spectant ad Logicam, inquantum denominantur à secundis intentionibus, suntque fundamenta earum: ergo diuisum in tali diuisione erit substantia ratione secundæ intentionis. Consequentia patet: nam si prædicamentum substantiæ spectat ad Logicam, inquantùm à secunda intentione denominatur subiectum prædicationis superiorum de inferioribus; ipsa substantia erit diuisum in tali diuisione, non secundùm suam quidditatem, & essentiam, sed ratione secundæ intentionis. Antecedens item

A patet ex dictis, quia Logicus agit de prædicamentis, siue de entibus realibus, quatenus in illis inferiora, & superiora disponuntur, & ordinantur quoad subiectionem, & prædicationem, ad differentiam metaphysici, qui agit de illis secundùm eorum quidditatem, & essentiam: ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam: ratio verò negationis est, quia non eodem modo res collocantur in prædicamentis, quo prædicamenta considerantur à Logico; nam hæc considerantur vt subiiciuntur secundis intentionibus prædicabilitatis, ac subiicibilitatis, vt probat argumentum; illæ verò secundùm entitatem earum realem, vt dictum est suprà. Quapropter diuerso etiam modo diuidenda est substantia vt reponitur in prædicamento, & vt consideratur à Logico: nam primo modo, quia significat esse per se,
B debet diuidi in duos modos, scilicet particulariter, & vniuersaliter per se subsistendi: secundo verò modo, quia significat esse subiectum prędicationis, vel subiicibilitatis, debet diuidi per dici, & non dici de subiecto quemadmodum à Philosopho diuisa fuit cap. 2. huius libri.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, quòd si talis diuisio simpliciter esset subiecti in accidentia, & secundùm quid analogi in analogata, talia membra diuidentia, diuersa constituerent prædicamenta; atque ita duo essent prædicamenta substantiæ, nempe prædicamentum primæ, ac prædicamentum secundæ: sed hoc est contra communem consensum. Philosophorum, ergo, &c. Minor patet. Maior verò probatur: nam ex eo accidentia consti-
C tuunt diuersa prædicamenta, quia non conueniũt in vna ratione vniuoca accidentis; sed tantùm analoga, vt dictum est suprà q. 2. disputationis 12. ad 2.: ergo cùm talia membra diuidentia pariter conueniãt in vna ratione analoga substantiæ, debent constituere diuersa prædicamenta.

Respondetur negando maiorem; ad cuius probationem etiam negatur paritas: nam accidentia, non tantùm constituunt diuersa prædicamenta, quia conueniũt in vna ratione analoga; verùm etiam quia sunt diuersæ res, seu entitates reales: substantiæ verò, licèt pariter conueniant in vna ratione analoga, quia tamen altera earum, secunda scilicet, formaliter sumpta est entitas rationis, nequit constituere diuersum prædicamentum, sed ad idem reducitur, in quo
D prima collocatur.

Si fortè instet aliquis, inculcando huiusmodi doctrinam alteri contrariari ibidem explicatæ; videlicet quòd omnes substantiæ conueniunt in vna ratione vniuoca:

Respondetur non esse contrariam: nam quando dictum est omnes substantias conuenire in vna ratione vniuoca, intelligendum est de illis substantiis, quæ per se, ac directè ponuntur in prædicamento; non autem de illis, quæ tantùm reductiuè, & secundùm quid collocantur, quemadmodum sunt secundæ substantiæ.

Obiicitur tandem tertiò in oppositũ tertiæ conclusionis, quòd membra diuidentia debent esse opposita, ita vt vnum non includat aliud; neque diuisum debet coincidere cum aliquo membro diuidente: sed in prędicta diuisione membra non sunt opposita, cùm vnum includat aliud, atque diuisum saltem coincidit cum

vno membro diuidente: ergo non est bona. Maior patet ex dictis lib. 2. Instit. cap. 4. Minor verò probatur; nam secundæ substantię prędicantur de primis, & includuntur in ipsis, vt patet. Item diuisum debet esse substantia vt sic, seu vt communiter accepta, & consequenter substantia vniuersalis, hoc est secunda substantia: ergo vnum membrum includit aliud; & diuisum coincidit cum aliquo membro diuidente, nempe cum secunda substantia.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd prima, & secunda substantia possunt dupliciter considerari, vel formaliter vt sunt membra diuidentia, nempe vt prima, & secunda substantia sunt; vel materialiter vt res quædam sunt, denominatæ à prima, vel secunda substantia. Primo modo secunda substantia non includitur in prima, neque de ipsa formaliter, prædicatur, cùm falsum sit dicere: Prima substantia est substantia secunda; neque minùs coincidit cum prima, cùm talis substantia formaliter considerata, vt prima est, non sit formaliter secunda, & ècontrà. At verò secundo modo, secunda substantia includitur in prima, non quidem formaliter vt prima est, seu indiuidua est, sed vt substantia est, abstrahens à prima, & secunda, seu à particulari, & vniuersali. Coincidit quoque cum ea, sed præfato modo, nempe vt accipitur materialiter: siquidem vtraque est substantia, indifferenter se habens ad denominationem primæ, & secundæ. Cæterùm, substantiæ materialiter consideratæ non sunt membra diuidentia in tali diuisione; sed tantùm vt formaliter prima, & secunda substantia sunt.

Contra tamen vrget, quòd adhuc substantia prout sic, & vt prædictos antecedit modos, verè quidem communis est: ergo diuisum in rei veritate est substantia secunda, & vniuersalis, ac consequenter saltèm coincidit allata diuisio cum aliquo membro diuidente.

Respondetur, quòd quia ipsa natura substantiæ secundùm sua essentialia considerata habet vnitatem formalem, quæ de se non est propria huius, vel illius indiuidui, vtique dicitur communis, seu vniuersalis, non quidem positiuè, sed negatiuè tantùm, vt docent Metaphysici; quo quidem modo est fundamentum vnitatis genericæ. Cæterùm, esse sic communem non sufficit ad veram, & formalem vniuersalitatem, vt ex dicendis suo loco patebit; & consequenter neque ad rationem secundæ substantiæ; proindeque diuisum seu diuisio non coincidit cum aliquo mẽbro diuidente; neque substantia, vt abstrahit à prima, & secunda, est formaliter vniuersalis, quemadmodum est ipsa secunda substantia.

QVÆSTIO II.

Vtrùm definitiones primæ, ac secundæ substantiæ sint rectè assignatæ.

SVpponendum est primò, definitionem primæ substantiæ à Philosopho traditam, esse vnicam; minimè verò duplicem, vt docuit Iauellus in hoc capite, qui putabat primam definitionem, tantùm consistere in istis aduerbiis, nempe *Propriè*, *Principaliter*, *& Maximè*, *&c.* alteram verò in verbis sequentibus, nimirum, *quæ neque de subiecto dicitur*, *neque in subiecto est*: quoniam aduerbia illa non habent formam definitionis, sed ea apposuit Philosophus tantùm à parte definiti tanquam encomia quædam primæ substantiæ dignitatem explicantia; atque ita duntaxat sequentia relata verba ad definitionem spectare videntur.

Supponendum est secundò, quòd stantibus iis, quę supra disput. 3. dicta sunt de concretis accidentalibus, definitiones primæ, & secundæ substantiæ hoc modo sunt intelligendæ: videlicet, quòd cùm prima substantia importet pro materiali ipsam essentiam substantiæ, & pro formali modum realem singulariter subsistendi, vel substandi accidentibus, eiusdem definitio debet conuenire tali modo reali, vt quo; ipsi verò essentiæ substantiæ, vt quod, hoc est tanquam id, in quo exercetur prædicta definitio, cùm sit veluti fundamentum prædicti modi singulariter subsistendi. Quare sensus definitionis erit, quòd ille modus singulariter subsistendi, est ratio cur substantia prima neque est in subiecto, & propter hoc differt ab accidentibus; neque dicitur de subiecto, per quod distinguitur à secundis substantiis. Itaque eodem proportionali modo etiam explicanda est definitio secundæ substantiæ: nam modus ille vniuersaliter essendi, siue secunda intentio, à qua substantia constituitur in esse secundæ, seu in esse vniuersalis, est tota ratio quare in secundis substantiis insunt primæ, idest continentur potentialiter in eis tanquam partes subiectiuæ earum: primæ enim substantiæ continentur in secundis vt inferiora essentialia in superioribus; quam potentialem continentiam habent ipsa inferiora à secunda intentione vniuersalis, non cuiuscunque, sed generis, vel speciei: hæc enim prædicabilia tantùm possunt esse superiora essentialia respectu primarum substantiarum. Idcirco rectè Aristoteles definiens secundas substantias, dixit esse genera, & species, in quibus insunt primæ. Vbi tandem aduertendum est, quòd cùm prima, & secunda substantia sint termini complexi, ipsæ potius sunt definitiones, quàm res definitæ; atque ideò definitiones adductæ ab Aristotele seruare non possunt rigorem definitionum, sed tantùm sunt explicationes quædam, seu circumlocutiones primæ, & secundæ substantiæ; quas si quis breuiùs explicare voluerit, dicet primam substantiam esse substantiam singularem; secundam verò esse substantiam vniuersalem.

Omnes quidem Doctores communiter recipiunt tales definitiones, siue potiùs descriptiones; licèt in eas explicando non omnino conueniant; idcirco quædam diligenter adnotanda sunt.

Notandum est ergo primò, verba illa, scilicet *Neque in subiecto est*, *neque de subiecto dicitur*, quæ ponuntur loco differentiæ, non esse explicanda merè negatiuè, sed quasi contrariè; ita vt sensus sit: prima substantia est id, cui positiuè repugnat esse in subiecto, vel dici de subiecto; vt à simili contingit, quando Philosophi definiunt violentum esse, quod fit à principio intrinseco, passo non conferente vim; vbi ly non conferente vim, non intelligitur negatiuè, sed contrariè, hoc est resistente. Præterquam quòd, quando definitio est descriptiua, vel non est propriè defi-

definitio, non est vitium ponere pro differentia aliquas negationes, præcipuè quando iam explicatum est illud positiuum, cuius sunt negationes, vt accidit in præsenti: iam enim Aristoteles cap. 2. huius libri explicauerat quid sit esse in subiecto, & dici de subiecto: tali enim modo definiendi vtuntur sæpe Philosophi, vt patet quando definiunt punctum, dicendo, cuius non sunt partes, &c.

Notandum secundò, quòd licèt prima substantia significet modum subsistendi communem omnibus primis substantiis, & in hoc sensu affirmari possit, quòd dicatur, seu prædicetur de subiecto; supponit tamen pro Petro, e. g. vel pro Paulo, in quibus exercetur eius definitio, & de his debet verificari, quòd non dicantur de subiecto, vt proportionabiliter de indiuiduo disput. 4. q. 3. not. 2. suprà dictum est. Quod etiam aliis terminis explicari solet, dicendo primam substantiam in actu exercito non dici de aliquo, non verò primam substantiam in actu signato.

Dicendum est ergo, quòd definitiones primæ, & secundæ substantiæ prædicto modo explicatæ, sunt optimæ. Probatur, tum ex regulis definiendi concreta accidentalia; tum ex regulis ipsis definitionis descriptiuæ; tum denique ex communi consensu omnium Philosophorum, quod genus argumenti est adeò efficax in proposito, vt nullum disciplinatum ingenium, ipsum respuere queat: ergo, &c.

Obiicitur primò in contrarium: tum quia prima substantia est substantia singularis: singularia autem ex Philosopho 7. Met. cap. 5, nequeunt definiri. Tum quia substantia secundùm se, & vt abstrahit a prima, & secunda, nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto, atque ita id male appropriatur soli primæ substantiæ. Tum denique quia Aristoteles post traditam definitionem primæ substantiæ posuit pro exemplo, quidam homo, sed quidam homo prædicatur de hoc, & illo homine: ergo non rectè definitur ab Aristotele prima substantia.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd Aristoteles tantùm vult singularia corruptibilia, si fuerint determinata, vt Socrates, non posse definiri; non autem singularia indeterminata, vt indiuiduum vagum, persona, & substantia singularis: nam licèt dicant modum particulariter existendi, hoc tamen est absque determinatione, & cum quadam communitate. Ad secundam verò respondetur, quòd substantiæ secundùm se, vt abstrahit à singularitate, & vniuersalitate, nec conuenit, nec repugnat esse, aut dici de subiecto, sed habet se merè negatiuè: pertinet autem ad rationem primæ substantiæ, quòd illi positiue repugnet, & sic intelligenda est definitio, vt notatum est primo loco. Ad tertiam denique rationem respondetur, quòd Aristoteles per ly quidam homo, non intellexit aliquid commune, sed certam, & determinatam substantiam, puta Socratem, &c.

Obiicitur secundò, quòd de ratione secundæ substantiæ non est, quòd sit genus, vel species, sed tantùm quod sit vniuersalis: ergo malè definitum ab Aristotele, quod secundæ substantiæ sunt genera, & species, &c. Probatur antecedens: quia substantiam esse genus, aut speciem est esse talem, vel talem secundam substantiam: ergo id non est de ratione secundæ substantiæ, vt abstrahit ab omnibus secundis substantiis, qua ratione hic definitur.

A Respondetur, quòd licèt de ratione secundæ substantiæ non sit esse determinatè genus, vel determinatè speciem; tamen neque est ob id quodcunque esse vniuersale, sed tantùm illud, quod est superius essentiale primæ substantiæ, quod necessariò genus est, aut species: in his enim tantùm continentur essentialiter primæ substantiæ.

Obiicitur tandem tertiò, quòd secundæ substantiæ prædicantur de primis; ergo insunt illis: ergo falsum est dicere, quòd in secundis substantiis insunt primæ, cùm oppositum videatur asserendum.

Respondetur, quòd secundæ substantiæ sunt actu in primis, quatenus considerantur per modum partis; nanque ita sunt de earum essentia: primæ verò sunt in potentia in secundis, quatenus secundæ sunt quid
B totum confusum: primæ enim substantiæ sunt partes subiectiuæ secundarum: definitio autem allata procedit de hac continentia potentiali; minimè verò de continentia actuali.

QVÆSTIO III.

Vtrùm prima substantia sit magis, & perfectior substantia, quàm secunda.

Prima opinio negat huiusmodi dictum aristotelicum, estò communiter recipiatur. Ita Ammonius & Villalp. vt refert Philippus à Sanct. Trinit. 3. p.
C Summæ Philos. q. 12. art. 5.

Secunda verò opinio affirmat; licèt non eodem modo eius fautores explicent prædictum aristotelicum dictum, vt videre est apud Masium hic sect. 2. q. 1.

Notandum est ergo pro resolutione ex Caiet. & aliis hoc in loco, quòd, quia substantia dicta est à substando accidentibus, vel à subsistendo, ideirco illa dicitur propriè, primò, ac maximè substantia, quæ propriè, primò, ac maximè substentat accidentia, & quæ propriè, primò, ac maximè subsistit; quod constat vndequaque conuenire primis substantiis: nam ideò homo, e. g. substat, seu substentat accidentia, quia Petrus ipsa substentat; ideòque subsistit, quia Petrus subsistit. Hoc autem intendit Philosophus in
D præsenti, probans primam substantiam esse magis substantiam, quàm sit secunda, quia pluribus substat; quod non solùm de prædicatione, verùm etiam, & maximè de reali substentatione accidentium intelligendum est: ideò enim homo est albus, quia Petrus est albus. Vnde apertè sequitur contra nonnullos quòd primæ substantiæ non dicuntur primæ secundùm statum consequendi: ea enim hoc modo priora sunt à quibus non valet consequentia, & talia sunt vniuersalia; quia ab vniuersalibus ad singularia non valet consequentia.

Dicendum est ergo primò, quòd prima substantia est magis, & perfectior substantia, quàm secunda. Probatur; nam illa est magis, & perfectior substantia quæ magis substat, & perfectiùs subsistit: sed prima substantia est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet ex eo, quòd substantia dicitur à subsistere, & substare. Minor verò probatur, nam prima substantia per se

primò substentat accidentia vt notatum est, atque illi per se primò conuenit existere, quod est vltima perfectio rei, eiusque actualitas: secundæ verò substantię substentant accidentia, habentque existentiam à parte rei ratione primarum substantiarum, vt patet: ergo, &c.

Dicendum secundò, quòd inter secundas substantias illa est magis, & perfectior substantia, quæ magis accedit ad primam; atque ita species infima est magis, & perfectior substantia, quàm genus proximum; & hoc, quàm genus remotum, & sic deinceps.

Probatur: quoniam substantia secunda, quò magis accedit ad primam, eò magis substat: nam homo, e.g. pluribus substat, quàm animal; quia substat omnibus, quibus substat animal, & insuper substat ipsi animali. Deinde magis accedit ad existentiam, cùm magis accedat ad primam substantiam, cui per se primò conuenit existere: ergo inter secundas substantias illa est magis, & perfectior substantia, quæ magis accedit ad primam.

Dicendum est tertiò, quòd omnes species infimæ ex æquo sunt substantiæ, nec vna est magis substantia, quàm alia. Probatur: nam licèt inter species infimas vna pluribus substet, quam alia (leo enim, e.g. pluribus substat, quàm homo, cùm substet omnibus gradibus superioribus, quibus substat homo, & insuper substet bruto, quod est genus intermedium) tamen, non magis substat intensiuè, quia infima species, quantum est de se, omnibus superioribus gradibus substat, etiam si per impossibile essent infiniti: quare per accidens est, quòd vna magis substet extensiuè pluribus gradibus. Quando autem Aristoteles dicit, illam esse magis substantiam, quæ pluribus substat, debet intelligi de illa substantia, quæ substat pluribus per se, & non per accidens: ergo omnes species infimæ, ex æquo sunt substantiæ, nec vna magis substantia est, quam alia.

Dicendum est tandem quartò, quòd omnes species infimæ inter se comparatæ possunt habere maiorem, ac maiorem perfectionem ad inuitem, itaut vna sit alia perfectior, sed tantùm ratione suarum differentiarum, non autem ratione communi substantiæ.

Probatur; nam omnes species differunt essentialiter: ergo perfectione essentiali; non quidem in ratione communi substantiæ, aut alicuius gradus superioris vniuoci, quia in illo æqualiter conuenire debent: ratio enim vniuoca æqualiter participatur ab inferioribus, vt dictum est: ergo ratione suarum differentiarum.

Obiicitur primò Aristoteles 8. Met. cap. 1. vbi expresè dicit: Vniuersalia esse magis substantias, quàm singularia: & in post prædicamentis docet vniuersalia esse priora singularibus. Tandem cap. de substantia inquit, quòd substantia non suscipit magis, & minùs: ergo prima substantia non est magis, nec perfectior substantia, quàm secunda.

Respondetur ad primam auctoritatem Philosophi, quòd ibidem loquitur ad mentem Platonis, qui dicebat, vniuersales naturas, siue ideas esse magis substantias; refert enim in tali loco eiusdem Platonis sententiam. Vel dicendum est, quòd debet intelligi, non absolutè, sed quantum ad hoc, quòd vniuersalia sunt incorruptibilia, atque immutabilia, vnde dicuntur magis substantiæ, quam singularia, & corruptibilia.

A Ad secundam verò auctoritatem respondetur ex dictis in adnotatione; nempe quòd vniuersalia sunt priora singularibus prioritate consequentiæ; quia ab vniuersalibus ad singularia non valet consequentia, sed tantùm ècontrà: non verò causalitatis, de qua est sermo. Ad postremam tandem actoritatem respondetur, quòd aliud est, vnam substantiam esse magis substantiam, & perfectiorem alia: aliud verò, quòd eadem numero suscipiat magis, & minùs, siue intendatur, ac remittatur ad modum qualitatis; hoc autem secundum, non primum docet philosophus, dum inquit, quòd substantia non suscipit magis, & minus.

Obiicitur secundò, quòd species sunt magis de priori intentione naturæ, quàm indiuidua: nam indiuidua sunt tantùm propter speciem; vnde cernitur, B quòd in incorruptibilibus, vt in Sole, Luna, atque in substantiis separatis, in qualibet earum specie non est nisi vnicum indiuiduum: ergo species, quæ est secunda substantia, est magis, & perfectior substantia, quàm indiuiduum, quod est prima substantia.

Respondetur, quòd species nunquam potest esse nisi in aliquo indiuiduo, in quo subsistit, & existit; atque ita species intenditur à natura, vt sit in aliquo indiuiduo, quamuis non in hoc, aut illo determinatè: quare multiplicatio indiuiduorum solùm requiritur in illis speciebus, quarum indiuidua sunt corruptibilia: quia verò ab indiuiduo, in quo reperitur, species habet existere, & consequenter suam perfectionem; ideò ipsum singulare, & indiuiduum est magis perfectum: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

C Obiicitur tandem tertiò, quòd substantia dicitur à substando: sed secunda substantia magis substat, quàm prima; quinimmo prima substat ratione secundæ: nam ideò Socrates substat gradibus superioribus substantiæ, corporis scilicet, viuentis, & animalis, atque eorundem proprietatibus, quia est homo: hæc enim valet, Socrates est risibilis, quia homo est risibilis: ergo prima substantia non est magis, nec perfectior substantia, quàm secunda.

Respondetur, quòd argumentum tantùm procedit de connexione prædicati cum subiecto, non verò de reali eorum existentia: quamuis enim prædicata superiora, & ipsæ proprietates, quemadmodum est risibile, priùs respiciant hominem, quàm Socratem, quia immediatiùs adhærent homini, cùm ab illo dimanent D & ratione illius conueniant Socrati: tamen quantùm ad realem existentiam, ideò risibile, &c. existit in homine, quia realiter existit in Socrate. Et ratio est; quia connexio prædicati cum subiecto, cùm sit necessaria, absoluitur à tempore; atque ita per priùs conuenit speciei: at eorum existentia est temporalis, & contingens, illis conueniens per actionem causæ efficientis; ac proinde per priùs conuenit singularibus, quæ propriè dicuntur fieri, & effici.

✠

QVÆS

QVÆSTIO IV.

An sex proprietates substantiæ sint bene assignatæ, & quæ ex illis conueniant substantiæ quarto modo.

AD tollendam omnem æquiuocationem, supponendum est, huiusmodi dubium non esse agitandum rigorosè, tantùm scilicet de substantia prædicamentali, hoc est, quæ directè ponitur in prædicamento: nam in tali sensu esset dicendum cum Baldio-Gherard. p. p. Logicæ, in hoc cap. ac cum aliis ibidē, primam proprietatem non conuenire solis primis, & secundis substantiis, sed etiam differentiis, &c. atque ita nullo pacto conueniret illi quarto modo. Agitandum est ergo de substantia in tota sua latitudine, prout scilicet contradistinguitur ab accidente, siue sit substantia completa, siue incompleta.

Quia titulus duas habet partes; circa primam illius partem, in qua quæritur, an sex proprietates substantiæ sint rectè assignatæ, est prima opinio aliquorum Scotistarum, qui pro se etiam citant Scot. 8. Met. q. 3. inter quos solet numerari Faber Theoremate 65. qui multis rationibus conatur ostendere, substantiam suscipere posse magis, & minùs, & consequenter quintam proprietatem non esse rectè assignatam; citat etiam pro se Henricum Gandauensem; sed immeritò quidem: nam, vt videre est 2. p. Summæ art. 51. q. 2. num. 9. apertè fatetur, substantiam de se non suscipere magis, & minùs. At re vera præfati Auctores tantùm loquuntur de susceptione magis, & minùs lato modo accepta, idest, non quatenus importat intensionem, & remissionem; sed quatenus significat maiorem perfectionem substantialem indiuidualem ratione differentiarum, vt fusiùs explicabitur infrà 3. Topic.

Secunda vero opinio est omnium Philosophorum asserentium prædictas sex proprietates substantiæ esse rectè à Philosopho assignatas: quare necesse non est eos singillatim referre.

Circa vero secundam quæsiti partem, in qua quæritur, quæ nam ex illis proprietatibus conueniant substantiæ quarto modo, est prima opinio docens tantùm primam proprietatem conuenire substantiæ quarto modo. Ita Ammo. Simpl. Canter, & alii; quibus videntur satis fauere aliqui Scotistę in hoc cap. vt Delphi. Ioan. de Magistris, Ant. Andr. Mast. & Bellut. q. 1. art. 3. & alii.

Secunda verò opinio affirmat, non solùm primam, sed etiam sextam proprietatem substantiæ eidem conuenire quarto modo. Ita Aristot. in hoc cap. & ante ipsum Archita, vt referunt Conimb. hic q. 3. quos secuti sunt D. Tho opusc. 48. tract. 2. cap. 4. Caiet. Sotus. Masius, Sanch. Compl. Bald-Gherard., & ferè omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd dum Aristoteles dixit, *Proprium esse substantiæ quòd cùm vna numero sit, sit susceptiua contrariorum*; ly *vna numero* non se tenet tantùm ex parte subiecti, adeòut sit sensus, quòd talis proprietas sit propria solius substantiæ, quæ est

A vna numero, verùm etiam ex parte prædicati, videlicet proprium esse substantiæ, quòd seruata vnitate numerica sit susceptiua contrariorum. Quare cùm secunda substantia, habeat, & seruet in prima vnitatem numericā, seruata tali vnitate potest esse susceptiua contrariorum: homo enim, e. g. seruata vnitate numerica, quàm habet in Petro, &c. potest esse susceptiuus calidi, & frigidi.

Notandum secundò, Esse susceptiuum contrariorum duobus modis sumi posse; vel scilicet pro actu suscipere; vel pro aptitudine suscipiendi, primo modo conuenit primò, & immediatè tantùm primis substantiis, quibus verò mediantibus etiam secundis conuenire potest: nam ideò homo ridet, quia Petrus ridet, &c. Esse verò susceptiuum contrariorum secundo modoècontrà se habet, nam conuenit primò, &

B immediatè secundis substantiis, quibus mediantibus conuenit etiam primis: ideò enim Petrus est risibilis, seu potest ridere; quia homo est risibilis. Et ratio est; quia actu ridere, vel flere, est accidens: posse verò ridere, vel flere, est proprietas: cùm igitur accidentia primò, & immediatè conueniant primæ substantiæ: hinc est, quòd actu ridere, vel flere, primò, & immediatè conuenit Petro. Quia verò proprietates, primò, & immediatè conueniunt essentiæ, seu secundæ substantiæ; hinc est, quòd posse ridere, seu flere, primò conuenit homini, quàm Petro, &c.

Dicendum est primò, quòd sex proprietates substantiæ sunt rectè assignatæ à Philosopho. Probatur primo loco, quòd prima proprietas, nempe non esse in subiecto, sit bene assignata: nam id, quod habet

C esse per se, non est in subiecto inhæsionis, de quo est tantùm sermo: sed substantia, siue prima, siue secunda, habet esse per se: ergo non sunt in subiecto inhæsionis; & consequenter talis proprietas est rectè assignata. Maior patet. Minor verò probatur; nam esse in subiecto inhæsionis est esse in alio, non tanquā pars illius, sed vt aliquid ab ipso distinctum, vt dictum est suprà cap. 2. huius lib. disput. 10. q. 3. sed primæ substantiæ nullo modo sunt in alio; secundæ verò tantùm vt partes, & vt prædicata superiora in inferioribus: ergo cùm inhæsiuè non sint in alio, habent esse per se, nam inter esse per se, & in alio non datur medium; æquiualent enim esse per se, & non esse per se, quæ opponuntur contradictoriè, inter quæ non est dare medium.

D Probatur deinde, quòd secunda proprietas, scilicet vniuocè prædicari, sit rectè assignata pro secundis substantiis saltem: nam prædicari vniuocè idem est ac prædicari nomine, & ratione quidditatiuè, seu essentialiter: sed genera, & species, quæ sunt secundæ substantiæ, essentialiter, & quidditatiuè prædicantur de suis inferioribus, vt patet ex eorum definitionibus: ergo prædicari vniuocè est proprietas, illis saltem conueniens.

Probatur item, quòd tertia substantiæ proprietas, nempe significare hoc aliquid, sit rectè assignata saltem pro primis substantiis: quoniam primæ substantiæ semper habent in prædicatione locum subiecti, siue substantiæ, secundæ verò tantùm prædicati, tali subiecto adiacentis: ergo primæ substantiæ significant hoc aliquid, idest esse absolutum; secundæ verò quale quid, idest per modum adiacentis, & qualificantis tale absolutum.

Probatur etiam, quòd quarta proprietas substantiæ, nempe non habere contrarium, sit bene assignata pro vtraque substantia: quoniam tam prima, quàm secunda substantia non sunt in subiecto inhæsionis, vt dictum est suprà: ergo ad inuicem non contrariantur. Probatur consequentia; nam illa dicuntur propriè contraria contrarietate illa de qua in præsenti loquimur, quæ mutuò se expellunt ab eodem subiecto: ergo cùm tales substantiæ non sint in subiecto, consequenter nequeunt ab illo mutuò se expellere.

Probatur insuper, quòd quinta proprietas substantiæ, scilicet non suscipere magis, & minùs, sit rectè assignata pro vtraque substantia: quoniam illa propriè suscipiunt magis, & minùs, quæ in propriis subiectis intenduntur, & remittuntur, hoc est magis, & minùs radicantur, vt patet de qualitatibus: calor enim aliquando plùs, aliquando minùs radicatur in ligno, vel ferro, vbi inhæret; sed nulla substantia est in subiecto, vt patet ex dictis: ergo nulla substantia nequit in subiecto intendi, & remitti; & consequenter non suscipit magis, & minùs.

Probatur tandem, quòd sexta, & vltima proprietas substantiæ, idest quòd vna numero permanens sit susceptiua contrariorum, sit bene assignata pro vtraque substantia: etenim illud est susceptiuum contrariorum, quod aliquo modo, siue vt *quod*, siue vt *quo*, est subiectum, siue substat accidentibus, habetque vnitatem numericam siue de se, siue ratione contractionis: sed tam prima, quàm secũda substantia substant accidentibus, licèt prima vt *quod*, secunda verò, vt *quo*, & vtraque importat vnitatem numericam, estò prima secundùm se; secunda verò vt contrahitur à prima: ergo vtraque substantia est susceptiua contrariorum.

Dicendum est secundò, quòd tantùm prima, & sexta proprietas conueniunt substantiæ quarto modo. Probatur; nam illa proprietas dicitur conuenire alicui quarto modo, quæ conuenit omni, soli, & semper; sed hoc modo se habent tantùm hæ duæ proprietates: ergo, &c. Maior patet cap. de Proprio. Minor verò probatur; nam vniuocè prædicari conuenit solis secundis substantiis: significare hoc aliquid, tantùm conuenit primis: non habere contrarium conuenit etiam quantitatibus, vt dictum est suprà in synopsi huius libri: ergo cùm non esse in subiecto, & esse susceptiuum contrariorum non conueniant accidentibus, sed tantùm vtrique substantiæ, vt probatum est suprà; omni, ac soli substantiæ semper conueniet, quod meliùs patebit in solutione argumentorum.

Obiicitur primò in oppositum primę conclusionis, quòd secundæ substantiæ re vera sunt in primis; & primæ aliquo modo sunt in secundis, vt dictum est suprà in synopsi huius libri. Tum etiam quòd Anima rationalis, quæ verè est substantia, est in corpore: ergo malè assignatur prima substantiæ proprietas.

Respondetur, quòd secundæ substantiæ sunt in primis tanquam superiora in suis inferioribus; primæ verò sunt in secundis tanquam inferiora in suis superioribus, in quibus continentur in potentia; quod tantùm est esse in subiecto prædicationis, non autem inhæsionis, de quo loquimur in præsenti. Item Anima rationalis est in corpore tanquam in subiecto informationis, seu denominationis; quod est esse in subiecto tanquam pars, & impropriè.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis, quòd non valet dicere, substantia prima est substantia secunda. Tum etiam quòd prædicari vniuocè non tantùm conuenit secundis substantiis, cùm etiam accidentia vniuocè prædicentur de suis inferioribus; vt patet de colore, qui vniuocè prædicatur de albedine, ac nigredine. Tum denique quòd prima substantia saltem prædicatur de se ipsa: ergo vel prædicari vniuocè non dicitur de substantia; & si dicitur, affirmari etiam potest de omnibus substantiis, ac etiam de accidentibus, saltem vniuersalibus.

Respondetur ad primam rationem, quòd si non valet dicere. Prima substantia est secunda substantia, quia in accidentibus tam primæ, quàm secundæ intentionis, quæ habent repugnantiam ad inuicem, quemadmodum est esse primam, aut secundam, siue particulariter, vel vniuersaliter subsistere respectu substantiæ, non fiunt prædicationes neque in concreto, neque in abstracto: nihilominus optimè valet dicere, Petrus est homo, est animal, est rationalis, quę sunt prædicationes generis, & speciei; cùm in nominibus primæ intentionis concreta optimè possint prædicari de concretis, vt dictum est suprà disput. 2. q. 2. & 5. quod est vniuocè prædicari. Ad aliam verò rationem de accidentibus, &c. dicendum est calorem, licèt secundùm se sit accidens, respectu tamen albi, & nigri est substantia, atque ideò vniuocè, & essentialiter de illis prædicatur; quare patet talem proprietatem non conuenire accidentibus. Ad vltimam tandem rationem dicendum est, hic esse sermonem de prædicatione formali, & doctrinali, non autem identica, & naturali, quemadmodum est prædicatio primæ substantiæ de se ipsa.

Obiicitur tertiò in oppositum eiusdem primæ conclusionis, quòd hoc album, quod est accidens singulare, non significat nihil: ergo hoc aliquid. Præterea si secundæ substantiæ significant quale quid, debent pariter prædicari de primis in quale quid: sed prædicantur in quid: ergo non significant quale quid: & consequenter non rectè dicimus tantùm primam substantiam significare hoc aliquid. Probatur etiam, quòd si significarent quale quid prędicarentur pariter de primis in quale quid: quoniam ex modo significandi sumitur modus prædicandi: ergo, &c.

Respondetur ad primam rationem, quòd hoc album cùm sit ens, non significat nihil; nihilominus non significat hoc aliquid, hoc est aliquid per se subsistens; sed hoc quale, idest subsistens in alio. Ad secundam rationem dicendum est, quòd vtique secundæ substantiæ prædicarentur in quale quid de primis, sicut differentiæ prædicantur de suis inferioribus, si significarent propriè qualitatem, seu rationem propriam qualitatis, quæ est determinare, ac qualificare subiectum, quemadmodum ipsam significant differentiæ: sed quia (vt verbis magis significatiuis loquamur) quasi designant, & adsignificant qualitatem, & consequenter significant impropriè, hoc est, tantùm important rationem communem, quam habet qualitas cum cæteris accidentibus, quæ est aliquo modo determinari, & indiuiduari à subiecto; hinc est, quòd non prædicantur in quale quid: atque idcircò Philosophus non absolutè dixit *Secundas substantias significare quale quid, Sed magis quale aliquid significant*. Ad id tandem,

tandem, quod dicebatur de modo prædicandi, qui desumendus est ex modo significandi; dicendum est, quòd idcircò prædicantur secundæ substantiæ de primis, tantùm in quid, & non in quale quid; quia modus significandi quale quid in illis improprius est, non autem proprius sicut in differentiis.

Obiicitur quartò in oppositum eiusdem primę conclusionis, quòd formæ substantiali contrariatur priuatio ex Aristotele 1. Phys. text. 10. asserente hominē fieri ex non homine tanquam ex contrario. Item differentiæ substantiales eiusdem generis sunt contrarię, vt habetur ex eodem Philosopo 10. Met. Tandem elementa sunt contraria, ex eodem Philosopho lib. 2. de Gener.: ergo perperam asseritur, quòd Substantia non habet contrarium.

Respondetur, formam, & priuationem non esse propriè, & rigorosè contraria, quia non continentur sub eodem genere; contraria enim sunt, quæ sub eodem genere maximè distant: neque minùs differentias substantiales, quia non sunt in subiecto: neque tandem elementa, quia ipsa non se expellunt ab eodē subiecto, sed tantùm eorum qualitates. Appellantur autem forma, & priuatio, contraria largè, quia nimirum opponuntur priuatiuè; & largiùs differentiæ substantiales, inquantùm scilicet sunt primò diuersæ: ac tandem elementa dicuntur contraria tantùm radicaliter, quia nimirum sunt radices qualitatum, inter quas est contrarietas formalis.

Obiicitur quintò in oppositum eiusdem primę conclusionis, quòd, vt dictum est suprà, vna substantia est magis substantia, quàm alia. Tum etiam quòd grauissimi Theologi, ac Philosophi docent Animas rationales esse inæquales: ergo malè asseritur, quòd substantiæ non suscipiunt magis, & minùs.

Respondetur ex eodem Philosopho, aliud esse, quòd vna substantia sit perfectior alia; aliud verò; quòd suscipiat magis, & minùs: nam ad illud primum sufficit, vel quòd magis substet accidentibus, vt dictum est; vel vt eadem indiuisibilis essentia habeat perfectius esse in vna substantia, quàm in alia; seu quod inęqualiter participetur ab eis ratione inæqualium differentiarum substantialium indiuidualium. Ad hoc autem secundum requiritur, quod in ipsa essentia indiuiduali etiam, sit latitudo gradualis, vt possit secundùm se augeri, & minui, quod significatur nominibus intensionis, & remissionis. Primum igitur conuenit substantiæ, nec excluditur per proprietatem illam assignatam: secundum autem excluditur, nec vllo pacto conuenire potest substantiæ: non enim Socrates modo est minùs homo; & posteà magis homo, quemadmodum qualitates, quæ intenduntur, & remittuntur; sed tantùm magis, vel minùs perfectus homo.

Obiicitur sextò in oppositum eiusdem primæ conclusionis, quòd neque Deus, neque Angeli, neque corpora cælestia, licèt sint substantię, possunt recipere contraria; alias enim essent corruptibilia: ergo non rectè dicitur, quòd vna numero permanens est susceptiua contrariorum.

Respondetur hic esse sermonem de substantia creata; atque ita eius proprietates non debere conuenire Deo, qui est substantia increata. Angeli autem, atque Cæli verè possunt recipere contraria; nam Angelus potest recipere scientiam, & errorem; & corpora

A cælestia motus contrarios, vt patet in motibus, naturali, & rapto Planetarum, qui etiam in propriis epyciclis interdum mouentur sursum, vt quando tendunt versus augem; interdum verò deorsum, vt cùm ad oppositum augis regrediuntur. Verùm tamen est, motus istos propriè non esse contrarios; quia neque fiunt à contrario in contrarium, neque per eandem lineam, neque super eosdem polos, vt in libris de Cælo solet explicari; sed hoc nihil obstat: quoniā Aristoteles in præsenti non sumit contraria rigorosè, sed tantùm intendit, maximè proprium esse substantiæ, esse subiectum quòd accidentium, siue propriè, siue impropriè contraria sint.

Obiicitur septimò in oppositum secundæ conclusionis, quòd in Sacramento altaris saltem fides docet B quantitatem panis ibidem esse sine subiecto: ergo non esse in subiecto non conuenit soli substantiæ, sed etiam accidentibus; & consequenter non conuenit quarto modo.

Respondetur quòd licèt quantitas in Sacramento altaris actu non inhæreat subiecto; quia miraculosè subsistit, dicit tamen semper aptitudinalem inhærentiam ad substantiam panis tanquam ad subiectum, si ibi existeret; & consequenter illi non conuenit non esse in subiecto eodem modo, sicut conuenit substantiæ, nempe propriè, & per se.


Obiicitvr tandem octauò in oppositum eiusdem secundæ conclusionis, Tum quòd eadem oratio recipit contraria, veritatem scilicet, & falsitatem; nam Petro sedente, vera est hæc propositio, *Petrus sedet*, quæ tamen fit falsa, surgente Petro: sed oratio est C accidens; ergo recipere contraria, non est proprietas quarto modo conueniens substantiæ. Tum etiam quia quantitas potest suscipere contraria; eadem enim superficies potest esse alba, & nigra. Tandem, quia in mysterio Eucharistiæ quantitas per se verè calefit, & frigefit, recepitque alia contraria: ergo, &c.

Respondetur ex Aristotele, quòd licèt oratio possit transire de vera in falsam, propriè tamen non recipit contraria, quia oratio ipsa non mutatur intrinsecè, cùm non abiiciat a se aliquid, & recipiat aliud: sed talis mutatio fit in ipso obiecto, nempe Petro, qui amittit sessionem, & acquirit stationem, ob cuius variationem oratio dicitur extrinsecè transire de vera in falsam. Ad id verò, quod dicebatur de quantitate, respondendum est, quantitatem, ac similia non recipere D accidentia vt *quod*, sed tantùm vt *quo* siue vt rationes recipiendi. Quare de illis nequit absolutè dici recipere accidentia, sicut dicitur de substantia. Quòd si quantitas in Eucharistia se sola recipit accidentia, & habet modum subiecti quòd, idcirco est, quia ibidē quantitas virtute diuina habet modum substantiæ; siue id fiat à Deo tribuendo quantitati modum quasi substantialem, ratione cuius sit per se, vt docent plures Doctores; siue conseruando existentiam substantiæ panis, ac vini, vt quidam etiam temerè asserere sunt ausi; siue per solam manutenētiam, conseruando quantitatem cum sua existentia, supplendo per nouum concursum vicem substantiæ, vt plures alii docent.

Cæterùm, vt distinctè, ac veluti in ictu oculi genera, & species non tantùm istius, verùm etiam vniuscuiusque prædicamenti cerni possint, in calce cuius libet disputationis delineāda est propria Arbor cuiuscunque Prædicamenti hoc infrascripto modo.

ARBOR

ARBOR PRÆDICAMENTI SVBSTANTIÆ.



DIS-

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De Prædicamento Quantitatis.



STO quantitas sit accidens consequens formam, atque ideò quantitate nobilius, quæ materiam potiùs comitatur: nihilominus post substantiam agendum est de quantitate, non ex eo, quòd à substantia corporea non distinguatur realiter, vt falsò putabant Nominales; aut saltem à materia prima, vt nouissime docuit Arriaga hic disput. 5. sect. 1. sed quia intelligitur non tantum ante quascunque qualitates in substantia corporali; verùm etiam quia in ratione substandi, quantitas plùs imitatur substantiam, quam alia accidentia, & magis participat de ratione subiecti.

QVÆSTIO I.

Quænam sit diuisio Quantitatis in continuā, & discretam.



OMEN quantitatis dupliciter vsurpari potest: primò latè prò perfectione, siue virtute cuiuscunque naturæ, & solet appellari quantitas virtutis, siue perfectionis, quo sensu Virtus dicitur magna scientia, &c. quod idem est, ac perfecta; quare D. Aug. 6. de Trinit. cap. 8. inquit: *Idem est maius esse, quòd melius esse*. secundo verò modo sumitur quantitas strictè, quatenus significat molem, seu extensionem partium extra partes, primariò in ordine ad se, secundariò verò in ordine ad locum; quæ vtique appellatur quantitas molis, & hæc constituit hoc prædicamentum, de qua profectò queritur in præsenti, quomodò diuiditur in continuam, & discretam, an scilicet tanquam subiectum in sua accidentia; vel vt analogum in sua analogata; vel tandem vt genus in suas species.

Prima sententia docet diuisum in hac diuisione esse quantitatem velut in duplici statu, nempe sub vnione suarum partium, & sub diuisione, & consequenter esse simpliciter diuisionem subiecti in sua accidentia, secundùm quid verò analogi in sua analogata; hoc est ipsius quantitatis, in quantitatem per se, quæ est quantitas continua, & in quantitatem per accidens, quæ est quantitas discreta: nam de quantitate per se, & de quantitate per accidens non potest prædicari aliquid commune vniuocum. Ita Nominales omnes,

A Ocham, in 1. dist. 24. q. 2. Greg. ibidem q. 2. art. 1. Marsil. q. 27. art. 1. Rub. dist. 24. q. 2. Aureol. ibidē, quos ex modernis sequuntur Conimb. cap. de quant. q. 2. art. 1. Suar. disput. 41. met. sect. 1. Fons. 5. Met. cap. 13. q. 4. Mast. & Bell. disput. 7. q. 2. art. 1. atque alii.

Secunda verò sententia affirmat huiusmodi diuisionem esse æquiuoci in sua æquiuocata. Ita Bald-Gher. p. 2. log. q. 3. diffic. 2.

Tertia verò sententia asserit diuisionem hanc esse generis in suas species. Ita D. Thom p. p. q. 11. art. 1. & 2. & q. 30. art. 3. & communiter Thomistæ, vt Capre. Caiet. Soncinn. Iauell. Niger. Mas. Sanch. Petron. Compl. Ioann. à S. Tho. Idem quoque docuit Scot. 5. Met. q. 9. & multi ex Scotistis, vt Tatar. Ioan. de magistris, atque alii Parisienses in hoc prædicamen-B to. Henr. p. p. summæ art. 29. q. 7. Anton. And. Zerbius. Faber., & alii. 5. Met.

Notandum est idcirco primò, quòd ratio vnius per se, non consistit in indiuisibili, adeòut omne id, quod est vnum per se, sit eodem indiuisibili modo, atque eadem indiuisibili perfectione vnum sicut cætera; sed habet plures, & plures gradus, ita vt vnum maiori, ac perfectiori vnitate aliud excedat: siquidem Deus est magis per se ens, & vnum, quàm Angelus; quia nullam admittit compositionem, cùm sit purissimus actus: & Angelus est magis vnus, quàm substantia materialis, cùm constet tantùm ex compositione metaphysica, nempe ex genere, & differentia, &c. Substantia pariter materialis est magis vna, quam sit quantitas continua, cùm non admittat compositionē par-C tium extensarum, ac quantitatiuarum, sed tantum materiæ, ac formæ: atque itaque hæc est etiam magis vna, quàm sit quantitas discreta, cùm habeat compositionem partium vnitarum; quantitas verò discreta, tantùm discretarum, atque ordinatarum ad essentialiter componendum vnum totum, eodem modo, quo Domus, e. g. & alia artificialia habent vnitatem, & sunt entia per se, ratione scilicet vnius figuræ, quam habent partes eius, etiam si inter se non sint realiter vnitæ. Ex quo autem fit, quòd sicut quantitas continua, & substantia materialis, licèt non habeant tantam vnitatē, quantam habent Deus, & Angelus, attamen inde non sequitur, quòd non sint entia per se: ita pariter non potest negari, quòd quantitas discreta prædicto modo, sit ens per se, & D vnum licèt non habeat tantam vnitatem, quantam habent quantitas continua, & substantia materialis.

Notandum, secundò, quòd cùm duplex sit vnitas; vna, quæ est passio entis, & solet appellari transcendentalis, quia in omnibus entibus reperitur; & alia, quæ est propria quantitatis, solet que appellari prædicamentalis, quia tantùm inuenitur in hoc prædicamento: inde etiam est, quòd duplex est multitudo, siue numerus; alius enim appellatur transcendentalis, & reperitur in omnibus rebus, de quo proinde intelligendum est quando dicitur, Angelorum ordines esse nouem; Personas Sanctissimæ Trinitatis tres, &c. alius autem est numerus prædicamentalis, seu multitudo vnitatum prædicamentalium. Cæterùm, vnitas prædicamentalis, non est ipsa sola quantitas continua, vt indiuisa, sed supra eam addit quid positiuum, & reale incompletum, reductiuè pertinens ad prædicamentum quantitatis, ratione cuius ipsa quan-

quantitas continua est pars numeri prædicamentalis, vt ampliùs contra nonnullos explicari solet suo loco in metaphysicis.

Dicendum est ergo, quod diuisio quantitatis in continuam, & discretam est generis in suas species. Probatur primò ex Philosopho, non tantùm in hoc libro cap. 6. vbi famosè, hoc est secundùm communē opinionem frequenter loquitur; sed etiam 5. Met. text. 18. vbi ex mente propria tractat de speciebus quantitatis; qui diuidit quantitatem in continuam, & discretam velut genus in suas species dicens: *Dicitur multa quantitas illud, quod numeratur, & magna quantitas illud, quod mensuratur*. vbi per primum, *quod numeratur* intelligit quantitatem discretam; per secundum verò, *quod mensuratur*, quantitatem continuam, vt per se patet: ergo ibi diuiditur quantitas tanquam genus in suas species.

Respondent in primis Mastr. & Bell. loco suprà citato, quòd Aristoteles ibi non diuisit quantitatem in communi, velut genus in suas species; sed potiùs ipsam quantitatem continuam veluti sub duplici statu considerauit, nimirùm, & sub vnione suarum partium, & sub diuisione earundem, in quo statu quantitas appellatur discreta.

Contra tamen est, quòd Philosophus loco citato ex 5. Met. agens de continua, ac discreta quantitate sub illis terminis multitudinis, & magnitudinis, ita loquitur: *Dicitur autem multitudo, quidem diuisibile potestate in non continua*, idest in indiuisibilia; *Magnitudo autem, quod in continua*, hoc est in res quidem indiuisas, sed diuisionis capaces, vt rectè interpretatur Auerroes: ergo estò magnitudo, seu quantitas, continua ponatur in statu diuisionis suarum partium; nunquam erit diuisa in partes indiuisibiles ad modum multitudinis, siue quantitatis discretæ; sed tantùm in partes, indiuisibiles quidem, sed receptibiles, & capaces diuisionis ad modum quantitatis continuæ: ergo in quouis statu ponatur, semper seruabit essentialem suam distinctionem, à quantitate discreta, & consequenter non erit tantùm ipsa quantitas continua in statu vnionis, & diuisionis suarum partium, sed duæ quantitates specie diuersæ.

Respondet secundo loco ad talem auctoritatem Bald-Gherard. vbi suprà, dicendo, quòd Aristoteles ibi non loquitur de quanto, quali, &c. tanquam de generibus, sed veluti de vocibus, quarum significationes intendit enumerare atque ita, quantum in multitudinem, ac magnitudinem diuidit, non quidem tanquam genus in species, sed veluti commune quoddam communitate vocis æquiuocæ, cum rerum significatarum similitudine tamen.

Contra tamen est, quòd ibi Philosophus agit de quantitate, sicut & in aliis capitibus eiusdem quinti libri egerat de substantia, qualitate, &c. videlicet vt cadunt sub diuisione entis realis, & per se, vt patet ex toto capite 7. ergo non agit de ipsis tanquam de puris vocibus, sed tanquam de generibus, & speciebus prędicamentalibus, vt vocibus substantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. significatis. Patet consequentia; nam ibi est diuisio entis in decem prædicamenta: ergo si agit de substantia, quantitate, &c. agit de ipsis vt prædicamenta sunt, nempe quatenus series sunt, & ordinationes generum, & specierum. Præterquam quòd, licèt ageret de vocibus, &c. non ideò sequitur agere de quantitate tanquam de communi quodam communitate vocis æquiuocę: quoniam ibidem docet tam quantitatem continuam, quàm discretam non tantùm habere commune nomen quantitatis, verùm etiam rationem, seu quidditatem, & essentiam importatam per tale nomen, nimirùm extensionem partium in ordine ad se, vt patet: ergo non est diuisio æquiuoci in sua æquiuocata, sed vniuoci in sua vniuocata, generisque in suas species.

Probatur secundò eadem conclusio ratione: quoniam continuum, & discretum diuidunt quantitatem secundùm rationem formalem quantitatis: ergo sunt differentiæ per se, & essentiales, & ex consequenti constituunt veras species huius prædicamenti. Consequentia patet. Antec. verò probatur; nam habere partes extensas, &c. quæ est essentia quantitatis, formaliter diuiditur per habere partes vnitas, in quo consistit esse continuum, & per habere partes disiunctas, in quo consistit esse discretum: ergo, &c.

Respondent Mastrius, & Bellutus negando antec. Ad cuius probationem negant pariter, quòd habere partes extensas formaliter diuidatur per habere ipsas vnitas, ac per habere ipsas disiunctas: quoniam habere partes extensas vnitas, vt est constitutiuum quantitatis continuæ; & habere partes extensas disiunctas, quatenus est constitutiuum quantitatis discretæ, non conueniunt vniuocè in prædicta partium extensione, seu, quod idem est, in essentia quantitatis vt sic: nam quantitas continua habet talem extensionem propriè, & simpliciter; quantitas verò discreta, tantùm secundùm quid, hoc est per quandam similitudinem, & conuenientiam proportionalem. Et ratio est (inquiunt ipsi) quoniā in quantitate discreta vna vnitas non est pars cum alia componens vnum ens, quare non habet partes extra partes, sed potius tota extra tota; neque quantitas discreta, vt sic, vllam secum affert extensionem vnitatum, sed solùm multiplicationem; quod est extendi impropriè, ac secundùm quid.

Contra tamen est, quòd illud dicitur simpliciter, & propriè habere partes extensas in ordine ad se, siue partes extra partes, quod ita eas continet, vt secundùm ipsarum molem quantitatiuam non sint permistæ, & confusæ, sed verè seruent inter se ordinem, & vna sit extra entitatem alterius, & cum alia constituat totum: Sed quantitas discreta, hoc modo continet suas partes: ergo habet prædictam extensionem partium, propriè, & simpliciter, non autem secundùm quid, & proportionabiliter. Maior communiter recipitur. Minor verò sic probatur: nam quantitas discreta ita constat ex suis partibus indiuisibilibus disiunctis, vt estò vnaquæque possit de se completè separata existere, attamen vt sunt ordinatæ essentialiter ad vnum quantum, & diuisibile discretum, non sunt confusæ, sed ita rectè ordinatæ ad inuicem, vt vna sit extra entitatem alterius, atque cum alia componat per se prædictum totum, ad quod ordinatur, vt patet ex primo notando: ergo, &c.

Respondent Mastrius, & Bellutus, prædictam vnitatem ordinis, quam ipsi negant dari à parte rei, non sufficere ad hoc, vt aliquid sit ita vnum, quòd omninò sufficiat vt in prædicamento reponatur; alioquin & respublica, & exercitus, & domus, & omnia alia artificialia composita in prędicamento locum haberent: in his

in his enim omnibus reperitur aliquis ordo ad vnum finem, vel efficiens.

A

Contra tamen est, quòd licèt artificialia vt sic, nempe quatenus constant rebus diuersorum generum, non collocentur in prædicamento; tamen quatenus sunt dispositiones, & ordinationes prædictarum rerũ, & partium, non quidem secundùm se consideratarũ, sed inquantùm essentialiter ordinantur ad talia artificialia constituenda, directè ponuntur in prædicamento sub quarta specie qualitatis, nempe sub forma, & figura: forma enim, & figura nil aliud sunt, quàm quædam qualitas resultans ex dispositione, & ordinatione partium quantitatis in ordine ad se, vt dicetur suo loco: ergo prædicta essentialis ordinatio partium ad constituendam quantitatem discretam est sufficiens ad hoc, vt prędicta quantitas sit quid vnum per se (modo tamen explicato) ac directè ponatur in prædicamento quantitatis: quantitas enim discreta non componitur ex partibus indiuisibilibus vtcunque, sed ex prædictis sic ordinatis, ac dispositis, vt patet de numero, & oratione, &c.

Respondent nihilominus prędicti Auctores, negando, partes tali modo ordinatas constituere vnum per se, ex eo, quia non sunt entia essentialiter incompleta, sed completa, ex Aristotele 5. Met. text. 18. asserente partes, in quas diuiditur continuum, & ex quibus dicitur consurgere numerus, eo ipso quòd sunt ab inuicem separatæ, esse singulas hoc aliquid, atque ens completum.

Contra tamen est, quòd Philosophus ibi loquitur de existentia partium quantitatis, non prout sunt in quanto, sed secundùm se, seu facta diuisione, ac resolutione qnanti in suas partes: ergo vt sunt in quanto, & vt sic ordinatæ constituunt ipsum, non sunt entia completa, sed incompleta, vnum per se constituentia, vt dictum est. Consequentia tenet, cùm sententia Philosophi sit in alio sensu. Antec. verò probatur: nam si Philosophus lococitato loqueretur de partibus quanti vt sunt in quanto, non vtique assereret, atque diceret: *Quorum vtrunque, aut singulum vnum aliquid, & hoc aliquid natum est esse*: sed absolutè diceret, *Vnum aliquid, & hoc aliquid est*: ergo cùm addat particulam illam *natum est esse*, loquitur tantùm de illis secundùm se, ac secundùm eorundem naturam; non autem quatenus ordinantur ad constituendam quantitatem, atquè actualiter in ipsa existunt.

Obiicitur primò in oppositum ex prima sententia, quòd ratio quãtitatis non ęqualiter se habet in quantitate continua, & discreta, cùm in illa importet vnitatem realem; in ista verò, tantùm rationis: ergo huiusmodi diuisio non est generis in suas species. Consequentia patet ex eo, quòd genus æqualiter se habet in omnibus suis speciebus. Antecedens verò quoad primam partem patet; quoad secundam verò probatur: quoniam vnitas, quæ reperitur in quantitate discreta, est vnitas tantùm ordinis, ac dispositionis partium, vt dictum est: sed talis vnitas est per intellectum: ergo, &c. Probatur minor: nam in numero ternario, e. g. quòd vna vnitas sit prima in ordine, alia verò secunda, & alia tertia, non habetur à parte rei, sed tantùm per intellectum constituentem, ac ordinantem vnam primo loco, aliam secundo, aliam verò tertio, vt constat: ergo talis vnitas ordinis non est realis, sed rationis.

Respondetur negando antecedens quoad secũdam partem: Ad cuius probationem dicendum est non esse necessarium ad hoc, vt sit ordo realis inter vnitates, quòd vna sit determinatè prima, alia determinatè secunda, &c. sed sufficere quòd indeterminatè se habeant inter se, ita vt vna indeterminatè se habeat vt materia, alia verò vt forma, atque indeterminatè vna actuetur per aliam à parte rei. Quare, licèt esse determinatè primam, & secundam, &c. habeatur ab intellectu; attamen quòd vltima vnitas sit forma, & actus cæterarum vnitatum, omnino habetur à parte rei; præcipuè cùm à parte rei vltima vnitas specialiter sit forma numeri, vt suo loco dici solet.

Contra tamen insurgunt Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, hoc modo. Quoniam vnitas ordinis

B

non ostenditur penes actum, & potentiam, sed penes priùs, & posteriùs: ergo si inter partes quantitatis discretę datur vnitas ordinis, debet esse per priùs, & posteriùs; & consequenter per intellectum, non autem à parte rei, in ratione actus, & potentiæ.

Respondetur non negari, quòd vnitas ordinis detur per priùs, & posteriùs; sed tantùm quòd à parte rei detur per determinatè priùs, & posteriùs, cùm hoc solùm habeatur per intellectum; & dicitur sufficere, quòd id, quod est indeterminatè prius, actuetur à parte rei per id, quod est indeterminatè posterius, ad hoc vt detur vnitas ordinis realis independenter ab intellectu: eo proportionabili modo, quo in contractu humano, vnus consensus, licèt non sit determinatè primus, aut secundus, tamen à parte rei determinat, & actuat alium.

C

Contra tamen iterum insurgunt præfati Auctores, qui assertam vnitatem iocosè appellant portentosam, hoc modo: quoniam allata responsio (inquiunt ipsi) admittit ex natura rei eandem vnitatem posse esse per se actum, vel per se potentiam respectu alterius vnitatis, quod prorsus repugnat: nam si nata est esse actus illius, quomodò esse potest etiam per se potentia à tali actu perfectibilis?

Respondetur, nullo modo repugnare, bene considerata natura vnitatis prædicamentalis, eandem vnitatem ex natura rei posse esse per se actum, & potentiam respectu alterius vnitatis (indeterminatè tamen) nam vnitates prædicamentales cùm non sint primò diuersæ, vt partes physicæ substantiæ, nempe materia, & forma, sed sint eiusdem rationis, vt patet,

D

nulla earum à parte rei est determinatè actus, aut potentia, atque ita nulla determinatè est constitutiua, sed indifferenter habent ad inuicem rationem actus, & potentiæ, ad differentiam materiæ, & formæ, quę cùm sint primò diuersæ, altera sic est potentia, vt non possit esse actus, altera verò sic est actus, vt non possit esse potentia; atque ideò ab ea, quæ est actus, determinatè sumitur species, quia actus est, qui constituit.

Obiicitur secundò in oppositum ex eadem prima sententia, quòd multitudo non est quantitas, nisi secundùm proportionabilitatẽ, quam habet ad magnitudinem: sed quantitas discreta est multitudo: ergo allata diuisio est analogi in sua analogata: Consequentia rectè deducitur, quia vbi est conuenientia proportionalis, ibi est analogia. Minor etiam patet, cùm Aristoteles quantitatem discretam vocet multitudinem ex superiùs dictis. Maior autem probatur:

quoniam, cùm multum, & paucum sint opposita de genere relationis, vt dictum est suprà in libri huius synopsi; consequens erit, vt multitudo non sit de genere quantitatis, sed tantùm relationis, atque ad summùm, ratione conuenientiæ, ac proportionis, quam habet cum magnitudine, tantùm vocetur quantitas: sicut enim magnitudo importat molem, ita multitudo numerum: ergo, &c.

Respondetur, quòd si capiatur multum respectiuè vt opponitur pauco, est quidem in genere relationis, sicut magnum, & paruum, dum pariter sumantur respectiuè. At verò si sumatur absolutè vt opponitur vni, eodem modo, sicut in hoc loco sumitur magnum, est in genere quantitatis propriè, & per se; cùm tam multum quàm magnum importent de formali extensionem partium, non verò proportionabiliter, vt supponit argumentum.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum ex secunda sententia; quòd si quantum esset vniuocum, vel saltē tale commune, quod dicitur ab vno, siue ad vnum, necesse esset vnam de omni quanto constitui scientiā: ergo Arithmetica; & Geometria essent vnius scientiæ partes; sicuti tractatio de cælo, & elementis sunt duæ partes scientiæ naturalis; sed hoc est falsum: ergo quantum non est genus vniuocum, nec commune ab vno, quod dicitur analogum; sed æquiuocum. Maior probatur; siquidem non vnitas subiecti iudicatur ex vnitate scientiæ, sed vnitas scientiæ tota pendet ex vnitate subiecti: vno igitur subiecto constituto, necesse est totam illam tractationem, vnam esse scientiā: si ergo quantum continuum, & discretum essent vnum genus, quod ab Arithmetica, & Geometria haberetur pro re considerata, & subiecta, vnitate vniuoca, sequeretur Arithmeticam, & Geometriam vnam esse scientiam. Minor autem probatur ab Aristotele 1. Post, asserente transitum ab Arithmetica ad Geometriam esse de genere in genus; quod dictum vtique veritatem non haberet, si essent vna, & eadem scientia.

Respondetur ex dicendis in libris Posteriorum, nempe vnitatem scientiæ esse duplicem, genericam vnam, specificam alteram: vtraque enim desumitur à subiecto, seu potiùs ab obiecto, sed cum hac differentia, quòd prima sumitur ex abstractione materiæ, à qua abstrahit subiectum; secunda verò ab vnitate, vel distinctione specifica principiorum intra eandem abstractionem à materia, à qua abstrahit subiectum. Quo supposito, dicendum est, quòd stante vniuocatione harum quantitatum, tantùm conuincitur dari de omni quanto vnam genere scientiam, non autem specie, & hoc quidem verum est, quia de omni quanto datur vnica scientia mathematica, quæ est scientia generalis, continens sub se tanquam species Arithmeticam, & Geometriam; quia vnica est abstractio sui obiecti, nempe à materia sensibili; non autem sequitur dari vnicam specie scientiam, vt patet de Arithmetica, & Geometria, cùm earum principia differant specie sub eadem abstractione: atque ideò Arithmetica versatur circa quantitatem discretam; Geometria verò circa quantitatem continuam, ex quibus earum principia sumunt specificam differentiam. Ad illud denique, quod dicitur ab Aristotele de transitu Arithmeticæ ad Geometriam, qui eum appellat de genere in genus, respondetur, quòd tantùm esset de genere in genus subalternum, non autem generalissimum. Cæterùm, cùm quantitas discreta, quam considerat Arithmetica, & quantitas continua, quam considerat Geometria, non sint duo summa genera, hinc est, quòd talis diuisio non est æquiuoci in æquiuocata, sed generis generalissimi in suas species subalternas.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

De alijs Quantitatis diuisionibus.

QVIA Philosophus post præfatam diuisionem quantitatis in continuam, & discretam, aliam tradit, nempe quantitatis, in eam, quæ habet situm, seu positionem partium inter se; & in eam, quæ talē positionem non habet; statim animum pulsat studiosa curiositas, vt inquiratur, quæ nam diuisio sit, generis videlicet in suas species, vel subiecti in sua accidentia. Quia verò optima resolutio ex superiùs dictis facilè haberi potest de his, quæ modò queruntur; hinc est, quòd totum negocium antecedenti examinatæ quæstioni immediatè appenditur.

Notandum tamen est, quòd Situs, seu positio partium, in hoc loco dupliciter explicari potest: primò formaliter, vt significat ipsam dispositionem partium inter se in ordine ad locum, à qua habent partes lineæ superficiei, & corporis, quòd aliæ sint sursum, aliæ deorsum, &c. secundò verò radicaliter pro situabilitate, seu aptitudine, quam linea, superficies, & corpus habent, vt disponantur secundùm locum. Exemplificatur autem de linea, superficie, & corpore tantùm; quia hæ solæ quantitates possunt recipere figuram, ad quam consequitur dispositio in ordine ad locum; atque ita istæ solæ propriè sunt situabiles. Tempus verò cùm omnino sit infigurabile, est etiam insituabile; non enim partes eius possunt disponi sursum, aut deorsum, vt per se constat, sicut nec possunt recipere figuram trianguli, pyramidis, &c. & idem etiam est de numero, & oratione: nam licèt numeris sæpe figuras tribuamus, vt cùm dicimus numerum quadratum, cubum, &c. hoc tamen illis conuenit, secundùm quòd sumuntur vt quantitates continuæ: sicut ècontrà, rationem proportionis tribuimus sæpe quantitatibus continuis, vt quando ipsas appellamus bicubitas, &c. quia sumuntur vt discretæ.

Dicendum est ergo primò, quòd si accipiamus sitū, seu positionem partium formaliter, vt significat ipsā dispositionem partium inter se per ordinem ad locum: prædicta diuisio est subiecti in accidentia: hoc enim modo positio partium pertinet ad prædicamentum situs, vt dicetur suo loco; & consequenter diuisio sic intellecta, non potest esse essentialis, vt patet: siquidē situs, & negatio eius sunt accidentia respectu quantitatis. Præterquam quòd, cùm Philosophus comprehendat sub hac diuisione easdem quantitates, quas sub prima comprehenderat, vt dictum est in huius libri synopsi, satis ostenditur, eandem quantitatem in communi esse diuisum in vtraque diuisione: ex quo necessariò sequitur alteram esse accidentalem, vt suprà dictum est disput. 11. q. 2. contra responsionem allatam

allatam ab Aduersariis secundæ probationi, secundæ conclusionis: quare cùm prima diuisio quantitatis in continuam, & discretam sit essentialis, vt suprà probatum est, hæc consequenter erit accidentalis, si formaliter accipiantur eius membra diuidentia.

Dicendum est secundò, quòd si accipiatur situs aut positio partium radicaliter, pro situabilitate, seu aptitudine ad situari, hęc secunda diuisio est subdiuisio præcedentis, & est essentialis, generisque subalterni in suas species, & facit hunc sensum: Quantitas continua, alia est figurabilis, seu situabilis, scilicet linea, superficies, & corpus, & alia infigurabilis, seu insituabilis, vt tempus, numerus, & oratio: nam iuxta hunc sensum, quantitatem habere situm, positionemque partium, nil aliud est, quàm prædictam quantitatem esse figurabilem, & situabilem, vt dictum est: ergo cùm ita pariter loquamur circa gradum essentialem, in quo linea, superficies, & corpus conueniunt, & per quem distinguuntur à tempore, numero, &c. consequenter huiusmodi secunda diuisio, tali modo intellecta erit essentialis, ac subdiuisio primæ: habere enim partes extra partes copulatas termino communi, siue continuas, in quo linea, superficies, & corpus essentialiter conueniunt, est habere ipsas radicaliter figurabiles vt notatum est suprà.

Neque obstat, quòd sub hoc secundo membro etiā numerus, & oratio, quæ sunt quantitates discretæ, comprehendantur: nam quando aliquod membrum diuidens est negatiuum, si non sumatur priuatiuè, sed omnino negatiuè, possunt sub illo contineri plura, quæ non continentur sub diuiso: vt patet in arbore prædicamenti substantiæ, vbi substantia corporea diuiditur in corruptibilem, & in incorruptibilem: corruptibilis verò in animatam, & in inanimatam: at quia inanimata, seu non animata est membrum negatiuum in tali diuisione, non tantùm sub ea continentur elementa, & mineralia, verùm etiam potest contineri cælum, licèt aliàs sit de genere incorruptibilium, cùm & ipsum inanimatum sit. Quapropter, estò numerus, & oratio sint de genere discretorum, quia tamen secundùm se sunt insituabiles, atque infigurabiles, nihil prohibet, quòd non possint collocari sub genere continuorum infigurabilium, seu non habentium positionem partium radicalem, cùm insituabile, non minùs sit membrum diuidens negatiuum, quàm inanimatum, vt patet.

QVÆSTIO II.

An Quantitas continua, & discreta rectè à Philosophis definiantur.

SVpponendum est primò, Aristotelem in hoc libro cap. 6. non agere de quantitate secundùm suam essentiam, & quidditatem; hoc enim ex professo peragit in Metaphysicis; sed tantùm de ipsa agere in ratione mensuræ, quæ est illius passio; quod manifestè patet ex eo, quòd idemmet Philosophus hic ponit locum, & superficiem vt duas species quantitatis, propter diuersum modum mensurandi; etenim in ratione essendi quantitatis minimè distinguuntur. Vnde fit, quòd in Metaphysicis, vbi agit de quantitate secundùm propriam essentiam, & quidditatem, negat locum esse veram speciem quantitatis. Quapropter mirum non est; si hoc in loco incipiat à diuisione, non verò à definitione quantitatis, estò quantitas, vtpote genus vniuocum, priùs definienda, quàm in species diuidenda sit: nam cùm mensura alia ratione conueniat quantitati continuæ, & alia discretæ, non poterat assignari vnica, & vniuoca definitio quantitatis vtrique communis: quę enim sunt diuersarum rationū, vt talia nequeunt definiri, atque explicari vniuoca definitione; vnde necesse fuit priùs diuidere, deinde singulum membrum definire. Neque hoc repugnat, vt putant aliqui, diuisioni essentiali quantitatis in continuam, & discretam: quoniam estò repugnet, quatenus in ratione mensuræ diuiditur; non tamen repugnat, si absolutè, atque in ratione quantitatis vt sic, diuidatur. Idcirco enim Philosophi de his, quæ habentur in hoc libro, parùm curant, cùm ibi Aristoteles famosè, ac iuxta vulgi loquatur sententiam; sed tantùm magni faciunt ea, quæ scribuntur in Metaphysicis.

Supponendum est secundò, ea propter Aristotelem in hoc capite 6. rigorosè, & propriè nec definiuisse, neque descripsisse quantitatem continuam, & discretā; quia supposuit eas alibi definitas, aut definiendas esse: etenim solummodò, occasione docendi, numerum esse speciem quantitatis discretæ, & lineam quantitatis continuæ ipsarum meminit, dicens: *Partium etenim numeri nullus est communis terminus, &c. Linea verò continua est: est enim sumere communem terminum, ad quem partes eius copulantur.* Quare Philosophi hoc in loco cupientes has quantitates in abstracto, vt par est, definire (accidentia enim, in abstracto collocanda sunt in prædicamentis) tum ex hoc capite 6. tum ex 5. Met. huiusmodi definitiones assignant: nimirum *Quantitas continua est, cuius partes copulantur termino communi: Discreta verò, cuius partes non copulantur termino communi.* De quibus profectò quæritur, an rectè ab ipsis maneant assignatæ.

Notandum est idcirco primò, quòd subiectum immediatum quantitatis, quod indispensabiliter eius definitionem ingredi debet, siue in concreto, siue in abstracto definiatur iuxta dicta disputationis tertiæ, nil aliud esse potest, quàm substantia; cùm quantitas sit accidens immediatè afficiens substantiam, tribuendo illi partes, earumque extensionem. Quapropter explicandum videtur, quomodò in allatis quantitatis definitionibus in abstracto, habeat locum; ex quo deinde patebit, quid dicendum sit, si ipsas, quoque in concreto, velimus definire. Hoc itaque rectè fiet, si pro partibus, quæ substantiæ a quantitate tribuuntur, saltem implicitè, ipsam substantiam in partes extensam intelligemus: nam cùm effectus formalis quantitatis sit tribuere partes substantiæ, pariterque eas extendere; absque connotatione subiecti, nempe ipsius substantiæ, tales partes, earumque extensio vix concipi poterunt. Vnde sensus prædictarum definitionum in abstracto talis erit: quantitas continua est, cuius partes copulantur termino communi, hoc est, *est extensio partium copulatarum termino communi*: quantitas verò discreta est, cuius partes non copulantur termino communi, videlicet, *est extensio partium non*

copulatarum termino communi. Qua de causa si vlteriùs velimus ipsas in concreto definire, sat omnino erit mutare genus in differentiam, ac vice versa hoc modo, nimirum *Est habens partes extensas, copulatas, vel non copulatas termino communi*. Ex quibus omnibus, etiam aliqualis, huius prædicamenti, vt sic, & absolutè formari poterit (propriè enim definiri non potest, cùm sit genus generalissimum) in abstracto quidem, dicendo *Quantitatem esse extensionem partium inter se ordinatarum*: in concreto verò, *Esse habere partes extensas inter se ordinatas*.

Notandum secundò, quòd ad hoc vt aliquid sit terminus communis, duo requiruntur, scilicet; quòd terminet; & quòd sit communis. Quia verò, adiectiuum est modus, & determinatio substantiui, non sufficit ad hoc, quòd aliquid dicatur terminus communis, quòd sit terminus, & quòd sit communis; sed debet esse vtrunque simul: sicut ad hoc, quòd aliquis sit Monachus albus, non sufficit quòd sit Monachus, & quòd sit albus, sed vlterius exigitur, quòd actum terminandi habeat communem, hoc est, quòd ita sit terminus vnius partis scilicet Monachi, vt etiam sit terminus alterius, scilicet albi, constituatque vnum indiuisibile album. Sicut punctum in quocunque loco lineę designetur, vtriusque partis, hinc scilicet, & inde, terminus est. Et quoniam terminus, inquantum terminus oportet quòd sit indiuisibilis, quia si posset diuidi, non esset vltimum terminans, vt patet; idcirco termini cōmunis nomine significatur aliquod indiuisibile, communiter terminans vtranque partem; quod vtique in linea est punctum; in superficie linea; in corpore superficies; atque in tempore instans.

Dicendum est ergo, quòd tam quantitas continua quàm discreta sunt rectè definitæ à Philosophis. Probatur: quia ipsis, cùm definiantur in abstracto, ponitur loco generis prædicatum, seu gradus superior, qui inuenitur in earum essentia, nempe extensio: loco verò differentiæ, proprium subiectum, nempe substantia, quam extendit in partes copulatas, vel non copulatas termino communi. Item tales definitiones comprehendunt sub se omnia definita, ipsaque non excedunt. Item, traduntur per copulari, & non copulari termino communi, per quod ab inuicem essentialiter differunt; ergo rectè sunt definitæ à Philosophis.

Obiicitur primò, quòd Aristoteles 5. met. cap. 12. definiens quantitatem in concreto, dixit: *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, &c.* Item, definiens ibidem pariter in concreto quantitatem discretam, ait: *Dicitur autem multitudo quidem diuisibile potestate in non continua*. Item definiens immediatè in concreto quantitatem continuam, ita loquitur: *Magnitudo autem, quod est diuisibile in continua*: ergo Philosophi, non rectè in abstracto quantitatem definiunt per habere partes, siue extensionem partium, cùm nullam faciant mentionem diuisibilitatis.

Respondetur, Aristotelem ibi definiuisse quantitatē per diuisibilitatem, non tanquam per essentiam, sed tanquam per propriam passionem, quæ nobis notior est, & ex qua facilè colligere possumus ipsam essentiā, quæ est partium extensio, cùm diuisibilitas fluat ab ea. Philosophi autem ex prædictis definitionibus per proprietatem colligunt definitiones per essentiam; Nisi quoque velimus dicere, Aristotelem locutum

A fuisse de diuisibilitate radicali, quæ est idem cum extensione: quare Philosophi à conceptu, & intentione Aristotelis non sunt alienati.

Obiicitur secundò, quòd omne continuum est discretum; ergo definitio discreti conueniet continuo, & consequenter non erit bona, cùm aliis conueniat à definito. Consequentia patet: nam quia omnia indiuidua speciei humanæ sunt homines, idcirco definitio hominis conuenit etiam indiuiduis. Antec. autē probatur: quoniam discretum, nil aliud significat, quàm esse ab aliis separatum, & diuisum: sed continuum eodem modo se habet, cùm ita in se vnum sit, vt ab aliis pariter sit diuisum, atque separatum; ergo omne continuum est discretum.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, discretum non significare diB uisum, & separatum ab aliis vtcunque, adeò ut omne quod non est aliud, sit discretum, in ea significatione, de qua loquimur in præsenti; sed tantùm quod habet partes ab inuicem separatas, hoc est non copulatas termino communi. Quapropter licèt omne continuū sit aliquid ab alio separatum, cùm non sit illud ipsum: tamen quia partes habet copulatas, atque coniunctas termino communi; hinc est, quòd ipsi nullo pacto potest conuenire definitio discreti.

Obiicitur tandem tertiò, quòd linea, quæ est species quantitatis continuæ, non habet partes copulatas termino communi; cùm punctus, qui tantùm in ea potest habere rationem prædicti termini, non sit principium formale ipsius lineæ (copulare enim, & vnire est actus ipsius formæ) sed tantùm materiale, vt patet.

C Item, quòd terminari termino communi est terminari termino indiuisibili, vt dictum est: sed superficies, & corpus, quæ sunt species quantitatis continuæ, terminantur terminis diuisibilibus: superficies enim terminatur lineis, quæ diuiduntur in puncta: corpus terminatur superficiebus, quæ diuiduntur in lineas: ergo malè dicitur, saltem in definitione quantitatis continuæ, cuius partes copulantur termino communi.

Respondetur ad primam rationem, quòd copulare, & vnire non solùm conuenit formæ, verùm etiam materiæ; cùm hoc discrimine tamen, quòd forma copulat, & vnit formaliter, hoc est informando, & limitando materiam; materia verò tantùm materialiter, quatenus scilicet informatur, & limitatur à forma: & ratio est; nam licèt vnio entitatiue sit actus, &
D causalitas tam formæ, quàm materiæ (causæ enim sunt sibi inuicem causæ, quòd præ cæteris de forma, & materia videtur intelligi) formaliter verò, diuerso modo est causalitas materiæ, vt docent Philosophi 2. Physicorum. Vnde ad formam argumenti dicendum est, quòd vnire, ac copulare formaliter, est actus, & causalitas formæ; non verò vnire, & copulare materialiter; quare satis est ad hoc, vt punctus vniat, & copulet materialiter, quòd tantùm sit principium materiale lineę. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd superficies, & linea secundùm se, & secundùm suam speciem sunt quid indiuisibile; non enim superficies diuiditur in superficies, & in latitudines, aut profunditates respectu quarum profunditatum est tantùm terminus communis. Item, linea non diuiditur in lineas, seu longitudines, & latitudines, respectu quarum latitudinum est tantùm terminus communis, quòd quidem sufficit ad hoc, vt dican-

dicantur quid indiuisibile, & habeant rationem termini communis; licèt aliàs, superficies diuidatur in lineas, & linea in punctas: at quidem hoc modo non sunt termini communes, sed tantùm diuersæ continuitates, seu diuersæ species quantitatis continuæ.

QVÆSTIO III.

Vtrùm tertia proprietas Quantitatis assignata à Philosopho conueniat illi quarto modo.

CIRCA primam, & secundam quantitatis proprietatem, in explicatione earum, quas substantia, & quantitas possunt habere communes, dictum est satis; atque ideò tantùm de hac tertia excitatur quæstio. Et licèt plures sint passiones, ac proprietates, quæ possunt conuenire quantitati quarto modo proprii, vt esse diuisibilem, esse mensuram, &c. tamen de hac tertia speciatim agitur, quia ab Aristotele præcipuè assignata fuit; quare in titulo consultò positum est, à *Philosopho assignata*.

Notandum idcirco est, quòd ad verùm sensum, & intellectum huiusmodi tertiæ proprietatis hæc requiruntur; nimirum vt esse æquale, & inæquale, pro esse, posse accipiatur: ratio enim est, quia non est quantitatis effectus, siue proprietas, æqualitas, vel inæqualitas vt important formaliter relationes conuenientiæ vel disconuenientiæ duorum in quantitate; hoc enim modo sunt relationes extrinsecùs aduenientes, & à quantitate realiter distinctæ; sed passio, & proprietas quantitatis est aptitudo ad tales relationes fundandas. Quare, dum hic Philosophus docet, maximè proprium esse quantitatis secundùm eam æquale, vel inæquale dici, ly *secundùm*, non dicit rationem formalem, sed fundamentalem, idest dicit quo fundamentale, non autem formale. Quapropter si omnes quantitates, vna sola excepta, destruerentur, illa tamen adhuc diceretur æqualis, vel inæqualis alteri possibili, quatenus scilicet, si illa produceretur, illico apta est respectu illius fundare æqualitatem, vel inæqualitatem. Item requiritur etiam, vt hæc non intelligantur per accidens, hoc est per aliquod aliud pertinens ad diuersum prædicamentum; quo pacto duo lapides non secundùm se, sed ratione quantitatis dicuntur inter se æquales, aut inæquales; sed per se, & ratione sui, quomodò duæ lineæ sibi inuicem sunt æquales, aut inæquales, ac per eas ipsa quantitas in vniuersali æqualis, vel inæqualis esse potest. Tandem requiritur, vt æqualitatis nomine non intelligatur æqualitas siue inæqualitas metaphorica, seu translatitia, vt contingit, quando fit transitus à quantitate molis ad quantitatem virtutis; sed vera, & propria.

Dicendum est ergo, quòd illa tertia proprietas quantitatis à Philosopho assignata, conuenit ipsi quantitati quarto modo proprii. Probatur; quoniam conuenit omnibus, & solis quantitatibus, & semper: ergo conuenit quarto modo. Consequentia patet. Antecedens autem probatur; nam conuenit omnibus, & semper; quia non accipitur secundùm actum, sed

A secundùm potestatem: solis autem, quia non accipitur per accidens, sed per se propriè, ac ratione sui: ergo conuenit omnibus, solis, &c.

Obiicitur primò, quòd huiusmodi attributum non conuenit generibus, neque speciebus quantitatis: ergo non conuenit illi quarto modo. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: non conuenit generibus, quia nullum superius, quemadmodum est genus, est æquale vel inæquale suo inferiori, cùm ab eo non distinguatur realiter, quod vtrique ad æqualitatem, vel inæqualitatem requiritur. Item, non conuenit speciebus; quia quantitas continua, nec est æqualis, vel inæqualis discretæ; &ècontrà, vt patet; & licèt species numerorum inter se sint inæquales, nulli tamen sunt æquales: ergo huiusmodi attributum

B non conuenit generibus, & speciebus quantitatis.

Respondetur, generibus, ac speciebus quantitatis conuenire huiusmodi attributum eodem modo, quo conuenit secundis substantiis sexta proprietas, hoc est tantùm potestate, quatenus scilicet existunt in singularibus: quare generibus, & speciebus quantitatis in communi, & in vniuersali non conuenit ipsa æqualitas, vel inæqualitas, sed aptitudo ad æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ aptitudo reducitur ad actum in singularibus.

Obiicitur secundò, quòd tempus singulare, cùm sit semper vnicum, nulli æquale, vel inæquale esse potest: ergo, &c. Consequentia patet. Antec. probatur: nam oporteret duo tempora simul esse, ad hoc vt tempus tempori esset æquale, quod non potest dari, supposita singularitate temporis.

C Respondetur, quòd supposita tali singularitate temporis, quæ consistit in solo, & singulari motu primi mobilis, sufficit tamen adhoc, vt tempus dicatur æquale, vel inæquale alteri tempori, quòd habeat talem potentiam; vt si per impossibile daretur aliud tempus, esset illi æquale, vel inæquale.

Obiicitur tandem tertiò, quòd nemo negare potest pondus etiam dici æquale, vel inæquale, cùm sit verissima rerum mensura: si ergo ipsum quoque quantitas est, immeritò prætermissum fuit in enumerandis speciebus quantitatis: si ergo est aliquod aliud, quod certè asserendum videtur, prædicta tertia proprietas nullo pacto conueniet quantitati quarto modo.

Respondetur, pondus non esse speciem quantitatis,


D neque propriè dici æquale, & inæquale; sed tantùm per translationem: nam quantitas ponderis non consistit in extensione, sed in intensione, eo modo, quo gradualis quantitas coloris, candoris, & aliarum qualitatum. Quare tantùm est quantitas impropria, & translatitia. Præthereà, pondus nil aliud est, quàm grauitas; grauitas autem ab Aristotele 1. Met. cap. 4. inter species qualitatis enumeratur.

Contra tamen est, quòd nulla res videtur fieri grauior nisi per accessum nouæ materiæ; nec leuior, nisi per recessum; quod manifestatur in pomis, quæ suscepto nouo succo grauiora fiunt, & veteri expirato, leuiora. Quod idem quoque cernere est in non viuentibus; ligna enim arida, & lateres hyberno tempore, propter susceptum extrinsecùs humorem, pls ponderis habent, quàm æstiuo, cùm talis humor consumptus est: ergo grauitas quoque consistit in extensione, & consequenter est vera quantitas.

Respon-

Respondetur, maiorem, & minorem grauitatem duabus ex causis prouenire posse; vna per accessionē, ac recessionem materiæ, vt dictum est, & tunc quidem talis grauitas non est intensio, & remissio; sed nec etiam extensio propriè dicta; cùm potiùs sit maior copia grauitatis. Quare, vt sic dicatur, est multitudo quædam transcendentalis, quæ æquiualet in impellendo deorsum maiori intensioni; & in rebus leuioribus minor copia grauitatis, quæ impellendo deorsum remissiùs agit. Altera verò causa; ex eo quòd ipsa grauitas intendatur, & remittatur nulla accedente, A vel recedente materia, quod quidem accidere multi docent in partibus aeris, & ignis elementaris, quas volunt interdum ascendere, interdum descendere intra suas regiones, intensis videlicet, aut remissis suis qualitatibus motiuis ob siderum vim; & hoc propriè est intendi, & remitti. Quare si hoc competere potest corporibus superioribus, & elementis absque extensione, non videtur ratio sufficiens, cur ponderibus rerum inferiorum sit denegandum. Et hęc dicta sufficiant de prædicamento quantitatis.

ARBOR PRÆDICAMENTI QVANTITATIS.



B qualitatem (intelligitur enim quantitas magna, aut parua; dupla, vel dimidia, atque alteri æqualis, estò nullam haberet qualitatem) & quædam aliæ, quę immediatè fundantur in substantia.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De ad aliquid, siue de Relatione.



Ristoteles cap. 4. huius libri, vbi decem prædicamenta enumerauit, qualitatem relationi præposuit, sicut etiam idem fecit 5. Met. vt ostenderet, iuxta methodum compositionis, quæ regulariter seruanda est in tradendis disciplinis qualitatem priorem esse relatione. Capite verò 7. inuertit talem ordinem, methodum sequendo arbitrariam; tum quia cap. præcedenti mentionem fecerat relationis, dum dixit, magnum, & paruum; multum & paucum esse relationes; tum quia hæ, aliæque plures conueniunt quantitati ante omnem

QVÆSTIO I.

An definitio Relatiuorum tradita ab Aristotele ex propria sententia sit bona.

C 

Ræsens quęstio multa ex Metaphysicis supponere debet, quæ modò rudi Minerua tradenda sunt: nam supponendum est primò, relationem vt sic, ac generaliter loquendo in tria membra esse diuidendā: primò in relationem realem, & rationis: secundò in relationem secundùm dici, & secundùm esse: tertiò verò in relationem transcendentalem, & prædicamentalem. Relatio

tio realis est illa, quæ ante omnem operationem intellectus facit respicere aliud; vt relatio paternitatis, ac filiationis, &c. Relatio verò rationis est ens rationis, ex aliqua intellectus comparatione resultans, vt dictum est suprà disput. 1. q. 3. Relatio secundùm dici est illa, cuius quidditas non est ad aliud se habere, cùm sit quid absolutum; sed quia commodè explicari nequit nisi per ordinem ad aliud; habet dici, seu ipsum nomen relationis; vt scientia, & scibile: nam scientia, cùm sit qualitas, est quid absolutum; veruntamen, cùm sit cognitio sui obiecti; nempe scibilis, non potest sufficienter explicari nisi per ordinem ad illud. Relatio verò secundùm esse est illa, cuius quidditas nil aliud est nisi ad aliud se habere; vt pater, & filius, &c. Relatio transcendentalis est illa, cuius esse est quid absolutum, sed tamen sumitur per ordinem ad aliquod extrinsecum, sicut relatio secundùm dici; vt sensus, & sensibile, &c. *Relatio tandem prædicamentalis est illa, cuius totum suum esse, est ad aliud se habere*, sicut dictum est de relatione secundùm esse; vt pater, & filius, &c. Quapropter (quid quid dicat Suarez disp. 47. Met. sect. 3. n. 9.) relatio secundùm esse, & prædicamentalis: secundùm dici, ac transcendentalis inter se conuertuntur.

Item supponendum est secundò, quòd præter prædictas relationis diuisiones, aliæ duæ assignantur, quę præcedentium subdiuisiones sunt: etenim relatio secundùm esse, seu prædicamẽtalis diuiditur in mutuam, & non mutuam. Mutua est illa, cui à parte termini correspondet alia relatio realis, vt paternitas, qua pater respicit filium, cui correspondet in filio realis relatio filiationis. Non mutua verò est illa, cui non respondet in termino alia relatio realis; vt relatio seruitutis, qua creaturæ, e. g. referuntur ad Deum, cui in ipso non respondet alia relatio realis. Item relatio mutua subdiuiditur in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ, quas D. Damascenus cap. 34. suæ Logicæ appellat æqualis, & inæqualis comparationis. Relatio mutua æquiparantiæ est illa, cui correspondet in termino alia eiusdem rationis; vt similitudo vnius albi ad aliud, in quo etiam correspondet similitudo ad primum. Relatio verò disquiparantiæ est illa, cui correspondet in termino, alia diuersæ rationis, vt paternitas, cui in termino non correspondet alia paternitas, sed filiatio.

Supponendum quoque est tertiò contra Stoicos, atque alios, verè dari relationes creatas, easque constituere speciale genus entis realis: quòd enim dentur, patet ex eo quòd à parte rei, & seclusa operatione intellectus, vna quantitas est alteri æqualis, & vna albedo alteri similis. Cùm autem his nominibus non significentur res absolutæ, sed habitudines vnius ad alterum, vt patet; debent igitur dari à parte rei, non tantùm res absolutæ, verùm etiam relationes reales. Quòd autem constituant speciale genus entis, deducitur ex hoc, quòd cùm relatio sit ordo vnius ad aliud, habet specialem, ac proprium modum essendi diuersum ab aliis entibus absolutis; quorum essentia non potest formaliter consistere in tali respectu, vt patet; habetque relatio sub se plures species, ac modos referendi diuersos, vt infrà constabit: ergo verè constituit speciale genus entis realis. Quare inde sequitur relationem esse verum ens reale, non solùm quantùm ad rationem communem accidentis, seu secundùm

A esse *in*, hoc est, secundùm inhærentiam; verùm etiam quantum ad propriam rationem relationis, seu secundùm esse ad nempe secundùm referri.

Supponendum est tandem quartò, ad huiusmodi prædicamentum spectare (quidquid dicant Paulus venetus, Ammonius, & alij) omnes, & solas relationes reales creatas, quæ verè sunt relationes, & appellantur secundùm esse; quoniam ad prædicamentum quantitatis solùm pertinent, quæ verè sunt quantitates; & in prædicamento qualitatis, tantùm collocantur, quæ verè sunt qualitates; ergo in prædicamento relationis illæ solæ debent collocari quæ verè sunt relationes reales: sed tales sunt omnes, & solæ relationes secundùm esse, vt patet: ergo hæ tantùm pertinent ad huiusmodi prædicamentum; Relationes

B autem diuinæ ab ipso excluduntur; nam estò sint, verę relationes, tamen propter identitatem cum natura diuina sunt substantia Dei; atque ideò pertinere nequeunt ad hoc prædicamentum, in quo tantùm collocantur accidentia, vt per se patet.

Notandum est tamen primò pro quæsiti resolutione, quòd Philosophus ad hoc prædicamentum explicandum, prò nomine relationis passim vtitur termino *Ad aliquid*, quia per ipsum meliùs significatur effectus formalis relationis: siquidem exprimit ipsum exercitiũ referendi, seu hoc, quod est ad aliud se habere, quod non ita rectè exprimit nomen relationis. Agit autem de ipsa, significata in concreto, & non in abstracto, vt decebat; sicut in plurali, & non in singulari, dicens: *Ad aliquid ea dicuntur, &c.* quia relatio, cùm parùm habeat entitatis, meliùs intelligitur in concreto, quàm

C in abstracto; cùm accidentia in concreto magis appareant entia, vt habetur 7. Met. cap. 1. & meliùs explicatur in plurali; quia relatio inter duo saltem, semper exercetur. Talis autem definitio in concreto, vt seruet omnes leges definitionis concretorum accidentalium, facit huiusmodi sensum, videlicet Relatiuum est accidens ad aliud omnino se habens, seu est accidens, quo totum esse subiecti, & fundamenti in esse relatiui, est se habere ad terminum. Dicitur *quo*; nam relatio non est id, quod respicit, aut se habet ad aliud, sed est ratio media, qua fundamentum non vt sic, sed vt relatiuum est, respicit, ac se habet ad aliud, scilicet ad suum terminum, adeò ut totum suum esse relatiuum sit ad aliud se habere. Ex qua itaque definitione in concreto optimè etiam colligere possumus definitio-

D nem relatiuorum in abstracto, mutando scilicet differentiam in genus, & èconttrà, vt si dicatur, Relatio est respectus fundamenti ad terminum, seu est accidens faciens respicere fundamentum ad suum terminum; respectus enim, seu ad aliud se habens, quod in concreto erat differentia, in abstracto stat loco generis, vt constat.

Notandum secundò ex D. Thoma opusc. 48. tract. 5. cap. 1. quòd quatuor conditiones requiruntur ad relationem realem prædicamentalem; nempe quòd subiectum sit reale, ratio fundandi realis, terminus realis, ac realiter existens, & distinctio realis fundamenti, & termini: quibus licèt addat quintam, videlicet quòd relatiua sint eiusdem ordinis, hanc tamen posuit tantùm pro relationibus mutuis, vt satis ibi apparet. Requiritur quippe subiectum reale; quia accidens reale necessariò petit subiectum reale. Ratio etiam fundandi, seu ratio illa, ob quam relatio fundatur,

datur, seu inhæret subiecto, debet esse realis; quia si radix, seu ratio quare subiectum respicit terminum, non esset quid reale, nec etiam relatio esset realis. Terminus quoque debet esse realis, realiterque existēs; quia, si respectu rei possibilis posset esse relatio realis, actu essent infinitæ relationes in eodem subiecto; binarius enim exempli. g. prior est infinitis numeris, qui in potentia sunt illo maiores, vt notum est; quapropter, si ad omnes illos referretur, actu essent infinitæ relationes. Denique debet esse distinctio realis fundamenti, & termini non solùm quantùm ad rationes materiales eorum, sed etiam quantùm ad rationes formales, secundùm quas attenditur relatio; quia cùm relatio realis sit verus ordo vnius ad aliud, realisque oppositio inter duo, ante operationem intellectus, terminus absolutè debet esse quid aliud à fundamento.

Dicendum est ergo, quòd definitio relatiuorum, tradita ab Aristotele ex propria sententia, est optima. Probatur; tum quia constat ex regulis bene definiendi concreta accidentium. Tum quia conuenit omnibus, & solis relationibus realibus, ac prædicamentalibus, cùm totum esse earum sit ad aliud se habere. Tum denique, quia per eam excluduntur relationes rationis, & secundùm dici: relationes rationis, quia tales relationes tantùm resultant ex comparatione intellectus, vnde à parte rei non habent esse ad aliud, vt explicat allata definitio: Relationes etiam secundùm dici, quia istarum esse, siue ratio formalis, licèt connotet, & inuoluat aliquem respectum, non tamen est ipsemet respectus, sed quid absolutum, atque ideò ipsum suum esse non est ad aliud; ergo talis definitio est optima.

Obiicitur primò, quòd relatio huius prædicamenti est accidens: ergo malè dicitur, quòd totum esse illius sit in ordine ad aliud: nam cùm sit accidens, debet etiam exprimi per *esse in*: & consequenter allata definitio non est bona.

Respondetur, relationem posse considerari dupliciter, nempe vt accidens, & vt tale accidens: primo modo habet *esse in*: secundo verò modo totaliter importat *esse ad*; & in hoc sensu consideratur in præsenti.

Contra tamen est, quòd in relatione non distinguitur à parte rei esse accidentis, & esse relationis, seu talis accidentis: ergo fieri nequit, vt sit realiter in subiecto quatenus accidens, & non secundùm esse relatiuum, cùm in ea non distinguantur esse accidentale, & esse relatiuum.

Respondetur, quòd estò esse accidentis, & esse relationis non distinguantur tanquam duæ res in ipsa relatione; distinguuntur tanquam duæ formalitates; & consequenter non repugnat vt relatio hic definiatur formaliter vt relatio, & non vt accidens in communi.

Contra tamen insurgunt Mastrius, ac Bellutus disput. 8. q. 9. quibus non placet allata solutio. Tum quia relatio prædicamentalis, etiam formaliter vt relatio est, est accidens: ergo etiam secundùm esse peculiare relationis dicit *esse in*. Tum quia relatio formaliter, vt dicit *esse ad*, est ratio referendi vnum ad aliud: ergo quatenus relatio debet esse saltem in eo, quod refert: ergo formaliter non solùm dicit *ad*, sed etiam *in*. Tum etiam quia, si relatio formaliter vt

A relatio non diceret *esse in*, secundùm suam vltimam formalitatem nihil esset reale in rerum natura, quod est absurdum: non enim esset substantia, vt constat; neque accidens, quia non diceret *esse in*: ergo, &c. Tum denique, quia præscindendo omnino à ratione accidentis, adhuc relatio vt relatio petit *esse in*, velut in fundamento, ac talis habitudo non minùs est ei essentialis, quàm *esse ad*: ergo allata responsio est insufficiens.

Respondetur tamen ad primam rationem negando antecedens: nam relatio, tantùm de materiali, vt ita dicatur, est accidens; de formali verò est tale accidens & relatio: sicut enim cætera accidentia, licèt omnia de materiali sint indifferenter accidentia, de formali verò vnum est quantitas, aliud qualitas, aliud actio, &c. Ad secundam rationem negatur vltima consequentia; nam satis est ad hoc, vt sit ratio referendi ad aliud, quòd sit in eo, quod refert tanquam in subiecto, & in materia; quare non est necesse, vt illud importet de formali, vt patet. Ad tertiam verò negatur consequentia, quia esset in rerum natura vt tale accidens, & relatio realis. Ad quartam denique rationem respondetur quòd habitudo ad fundamentum est relationi essentialis, quia relatio est accidens; non tamen eam importat de formali: sicut ex eo, quòd materia sit de essentia compositi substantialis, non tamen conuincitur, quòd debeat importari de formali. Quare neganda est absolutè consequentia.

B

Obiicitur secundò, quòd si relatio esset essentialiter habitudo vnius ad aliud, non tantùm in concreto, verùm etiam in abstracto concipi nequiret sine fundamento, & termino: sed hoc non est dicendum: ergo neque illud. Consequentia patet. Maior etiam liquet; quoniam ideò non possumus concipere hominem tam in concreto, quàm in abstracto absque animalitate, & rationalitate, quia homo essentialiter, est animal rationale. Minor verò probatur: quoniam abstracta etiam accidentalia ex modo significandi, important formam per modum substantiæ, seu per se stantis, absque connotatione subiecti, vt dictum est suprà disput. 2. q. 6. in prænotatis ad quæstionem: ergo licèt relatio in concreto nequeat concipi sine fundamento, & termino, quia importat vtrunque (relatiuum enim connotat fundamentum relatum per talē formam ad terminum) in abstracto tamen, cùm forma importetur absque tali connotatione, optimè concipi poterit absque fundamento & termino: cuius manifestum signum est, quòd relatiua in concreto dicuntur ad conuertentiam: in abstracto verò, nequaquam valet enim dicere, pater est filii pater; & ècontrà non autem paternitas est filii, seu filiationis paternitas, ac viceuersa.

C

D

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt abstracta; ad differentiam concretorum, ex modo significandi important formam ad instar substantiæ, &c. quia tamen abstracta omnia tam substantialia, quàm accidentalia vt præcisè abstractione formali abstracta sunt, sumuntur vt partes sui concreti, & vt *quo* aliquid est, vt dictum est supra loco citato, paulò inferius; nullo modo queunt importare prædictam formam per modum per se stantis vt *quod* sed tantùm vt *quo*, hoc est ratione cuius eorum concreta talia sunt, puta alba, calida, &c. & consequenter non possunt concipi absque ali-

quali

quali ordinatione ad sua concreta, quorum sunt actus & formæ. Quapropter, cùm relatio in abstracto considerata, pariter sit id, quo fundamentum, & terminus se respiciunt ad inuicem, vt dictum est notatione prima, nequibit concipi absque ordinatione ad tale fundamentum,& terminum,referendo vnum ad aliud vt patet. Vnde estò possit concipi cum præcisione formali fundamenti, & termini, seu absque eorum connotatione, non tamen absque tali ordinatione, seu respectu, & habitudine ad ipsa, in quo consistit formaliter essentia relationis.

Ad illud verò, quod dicebatur, quòd relatiua in abstracto non dicuntur ad conuertentiam, respondetur, hoc oriri, non quia relatiua etiam in abstracto non dicant prædictum ordinem, & habitudinem ad fundamentum, & terminum: sed quia cùm abstracta, quæcunque illa sint, secundùm abstractionem formalem non possint prædicari neque de abstractis, neque de concretis in recto significatis, nisi vnum fuerit de essentia alterius (quid quid enim sequatur secundùm abstractionem totalem, non est ad rem) quando prædicantur de aliquo in obliquo, nequeunt de ipso prædicari, nisi fuerit proprium eorum concretum, à quo prædicta abstractione formali abstrahuntur, & ad quod tantùm dicunt ordinem: non enim dicimus colorem alicuius albedinis esse colorem, sed alicuius colorati; sicut nec dicimus animalitatem alicuius humanitatis esse animalitatem, sed alicuius hominis, siue animalis, vt fusè notatum est suprà, citata disputatione 2. q. 3. primo loco. Vnde à pari, neque dicere poterimus paternitatem esse filii, seu filiationis paternitatem, sed patris duntaxat, qui est proprium concretum, à quo abstrahitur abstractione formali ipsa paternitas. Præterquam quòd tales, ac similes prædicationes, sunt prędicationes disparatæ, vt patet, & consequenter exclusæ à regulis prædicationis abstractorum, & concretorum, vt ibidem prænotatum, est q. 2. atque ideò, si hoc modo considerata, non dicuntur ad conuertentiam, non contingit ex eo, quòd respectus, & habitudo, quam important relatiua, non sit illis essentialis, sed propter repugnantiam prędicationis. Et hæc forsitan est etiam tota ratio, cur Aristoteles, dum dixit relatiua dici ad conuertentiam, non est locutus de eis in abstracto, sed tantùm in concreto.

Obiicitur tandem tertiò, quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: sed præsens definitio non potest dicere solam aptitudinem referendi, cùm etiam dicat actum; ergo non est bona. Probatur minor: quia relatiuum non est, quod potest referri, sed quòd actu refertur; alioquin, illud quod non habet relationem, ex eo solùm, quòd potest eam habere, esset relatiuum: quia sicut potest eam habere, potest etiam referri, quod patet esse falsum.

Respondetur variè ad huiusmodi argumentum; nam multi multa dicunt, vt videre est apud Mastriū, & Bellutum disput. 8. q. 9. Illis tamen relictis, placet respondere ex Ruuio cap. 7. de ad aliquid q. 4. distinguendo illud dictum, nempe quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: nam res, quę definiuntur, sunt in duplici differentia: quædam enim sunt, quarum ratio, vel essentia in aptitudine, & potentia consistit, atque istæ licèt definiantur per verba significantia actum, tamen non pro actu, sed pro potentia accipiuntur in definitione; & ratio huius est, quia actus in illis non potest esse essentialis, atque ideò per ipsum actum non rectè definiuntur: aliæ verò sunt, quarum ratio, & essentia non consistit in aptitudine, sed in actu, atque ideò in ipsarum definitione non possunt accipi verba pro aptitudine, quia si ita acciperentur non explicarent naturam definiti, sed vtique debent accipi pro actu, vt earum rationem omnino explicent. Exempli gratia, si definiatur quantum, pro eo scilicet, quod habet partem secundùm extensionem molis, non possunt verba talis definitionis dicere aptitudinem, sed actum, quia ratio extensionis consistit in actu, non in aptitudine, & sic de cæteris. Vnde ita se habet relatiuum, cuius ratio in actuali ordinatione, ac relatione consistit, ideò verba definitionis illius pro actu, & non pro aptitudine accipiuntur. Quare prædictum axioma, siue dictum intelligitur tantùm de illo actu, qui accidit rei constitutæ; non autem de illo, quo ipsa res constituitur in esse,

Contra tamen est, quòd actus, seu exercitium referendi pendet ab existentia relationis: ergo, cùm existentia non sit de relationis essentia, sed merè illi accidat, idem dicendum erit de ipso actu referendi. Maior probatur: nam relatio non actu existens, sed tantùm in potentia, non dicitur actu referre, sed tantùm potentia: ergo, &c.

Respondetur, actualitatem sumi posse dupliciter; vel pro actualitate existentiæ; vel pro actualitate quasi formali; prima vtique accidit omnibus essentijs creatis; secunda verò nequaquam: nam essentię formarū, quæ definiuntur esse actus, in ordine ad effectus formales siue potentiales, siue actuales, illam de se habent intrinsecam. Sic igitur in proposito, relatio etiam in potentia tantùm existens dicitur actus referendi, non quidem vt actus excludit potentialitatem existentiæ, sed vt excludit potentialitatem referentiæ, & in hoc sensu negari potest maior, secus verò in alio sensu vt patet.

QVÆSTIO II.

An diuisio Relationis iuxta illa tria genera fundamentorum, seu rationum fundandi sit adæquata, generisque in suas species.

QVęstionē hanc Dialectici à Metaphysicis mutuati sunt, ea tantùm de causa, vt seriem generum, ac specierum huius prædicamenti texerent: quapropter hic multa prælibanda sunt, quæ ex professo ibi tractari solent. Et præcipue præscrutandum est, quomodo explicanda sint tria illa genera fundamentorū, nempe vnitas, & numerus; actio, & passio; mensura, & mensurabile, tradita ab Aristotele 5. Met. cap. 15. iuxta quorum numerum diuidi solet communiter relatio.

Quare supponendum est primò, quòd per vnitatem indifferenter potest intelligi tam vnitas prædicamentalis, quàm transcendentalis, cùm Philosophus ibidem eam extendat non tantùm ad quantitatem, verùm etiam ad alia prædicamenta, dicens: *Eadem namque sunt*,

sunt, quorum vna est substantia; similia verò, quorum qualitas est vna; æqualia verò, quorum quantitas est vna. Vnde sequitur, in vnitate fundari relationes omnes identitatis, & diuersitatis; æqualitatis, & inæqualitatis: similitudinis, ac dissimilitudinis; præsentiæ, & absentiæ: propinquitatis, ac distantiæ, & si quæ aliæ sunt huiusmodi generis, ex quibus identitas, æqualitas, similitudo, præsentia, & propinquitas fundantur in vnitate absolutè sumpta, non autem formaliter vt est principium numeri; quia in huiusmodi relatiuis attenditur ordo secundùm id, in quo extrema conueniunt, non verò, in quo differunt, aut plura sunt. Aliæ verò relationes, nempe diuersitatis, inæqualitatis, dissimilitudinis, absentiæ, distantiæ, & similes fundantur in vnitate quidem, sed non absolutè sumpta sed tantùm vt principium numeri est: nam in huiusmodi relatiuis potiùs attenditur id, in quo differunt, & plura sunt, vt patet. Per numerum autem, duntaxat intelligi debet numerus prædicamentalis, scilicet altera species quantitatis discretæ: ita Aristoteles loco citato, dum dixit: *Dicuntur autem secundùm numerum aut simpliciter, aut determinatè ad eos, aut ad vnum, vt duplum, & dimidium.* Quare relationes non dicentur propriè fundari in numero, ex eo, quòd fundamentũ, & terminus sint multa, & faciant numerũ: tali enim modo omnis relatio realis fũdatur in illo, siquidẽ exigit extrema realiter distincta; neque similiter dicentur fundari in numero, quia ponant disconuenientiã, seu differentiam inter illa; hoc enim faciunt etiam relationes, quæ fundantur in actione, & passione: sed propriè dicuntur fundari in numero, ex eo, quòd ipse numerus est extremum, seu fundamentum, quod media tali relatione refertur ad terminum, cuiusmodi sunt relationes, seu proportiones omnes tam numeri ad numerum, quàm numeri ad vnitatem, vt proportio æqualitatis, & inæqualitatis cum suis speciebus; &c.

Secundò supponendum est, quòd per actionem, & passionem hic non intelligitur potentia actiua, & passiua, vt docuit Scotus 5. Met. cap. 15. neque substantia ipsa, quatenus est principium radicale actionis, & passionis, vt tradit Suarez disput. 47. Met. sect. 12. n. 5. sed ipsamet actio, & passio, vt docuit apertè Philosophus loco citato, dicens: *Actiua verò, & passiua secundùm potentiam actiuam, & passiuam sunt, & actiones potentiarum, vt calefactiuum ad calefactibile: quia potest: & iterum calefaciens ad calefactum, & secans ad sectum tanquam agentia, &c.* Ex quo patet, ad hoc genus pertinere relationes omnes, quæ inter quamlibet causam efficientem creatam, & effectum eius inueniuntur. Diuiditur idcirco secundùm diuisionem actionis, & passionis, ac potentiæ actiuæ, & passiuæ, atque ita, alia est relatio causæ vniuocæ, alia causæ æquiuocæ, alia causæ immanentis, & alia transeuntis, &c.

Tertiò verò supponendum est, relationes, quæ fundantur in mensura, & mensurabili, ex parte vnius extremi tantùm esse reales, ex parte scilicet mensurabilis ad mensuram, vt patet de scientia, & scibili; sensu, & sensibili, &c. nam scientia, & sensus realiter referuntur ad sua obiecta; obiecta tamen non habent relationem realem ad scientiam, & sensum: ratio enim est, quia ex parte mensuræ, seu regulæ perfectionis alterius non datur realis dependentia ab eo, quod

A mensuratur; scibile enim, quod est mensura scientiæ, realiter non dependet ab ipsa, vt patet; benè tamen scientia à scibili, cùm mensuratum, realiter à mensura dependeat. Quapropter cùm ex parte mensurati, tantùm sit realis dependentia, erit pariter realis relatio; minimè verò ex parte mensuræ. Vnde totum esse illius, non erit referri realiter ad aliud, cùm ab ipso realiter non dependeat. Ex quo tandem fit, ad huiusmodi genus pertinere relationes, quibus creaturæ referuntur ad Deum; ac relationes, quibus scientiæ habitus, vel potentiæ respiciunt sua obiecta; & generaliter ad tales referuntur relationes, omnes species cuiuscunque generis ad primam, & perfectissimã speciem talis generis, quæ est regula, & mensura perfectissima illarum, iuxta illud axioma, *Primum in* B *vnoquoque genere, est mensura cæterorum.*

Quartò item supponendum est; quòd licèt vt plurimùm relationes immediatè fundentur in accidentibus tanquam in subiecto *quo*, & deinde in substantia tanquam in subiecto *quod*, non quidem, vt priùs inhæreant accidentibus, & deinde substantiæ, sed quia ipsis mediantibus inhærent substantiæ: nihilominus (supposita semper ratione fundandi, non tanquam id, in quo fundantur, sed tanquam id, quo mediante fundantur) etiam immediatè fundantur in ipsa substantia; & hoc contingit in vnoquoque genere fundamenti, seu potiùs rationum fundandi: nam in primo genere est relatio identitatis inter substantiã Petri, & Pauli, &c. In secundo, etiam patet de relatione paternitatis: nam estò hæc fundaretur in poten- C tia generatiua, vt volunt aliqui; nullum tamen est dubium de filiatione; quia effectus immediatè per suam substantiam, absque aliqua potentia passiua de genere accidentium, terminant generationem substantialem; ac proinde immediatè per suam substantiam fundant relationes ad suas causas efficientes. In tertio verò genere sunt denique relationes illæ, quas Angeli e. g. & Animalia dicunt ad primum Angelum, & ad primum Animal tanquam ad mensuram suæ perfectionis essentialis, quæ, vt satis constat fundantur in ipsorum substantia.

Quintò tandem supponendũ est, quòd ita nomina, videlicet subiectum, ratio fundandi, ac fundamentũ, quæ indifferenter plerunque vsurpari solent, si propriè accipiantur, se habent sicut corpus, albedo, & album: sicut enim corpus est res illa, in qua recipitur D albedo, quæ est ipsa forma recepta, & album, quod est compositum ex vtroque; ita subiectum relationis significat illam rem materialem, cui relatio inhæret; ratio verò fundandi significat rationem illam, seu accidens, ratione cuius, seu quo mediante relatio fundatur, siue inhæret subiecto; fundamentum denique significat compositum ex vtroque, nempe ex subiecto, & ratione fundandi. Qua de causa aliqui etiam appellant subiectum, fundamentum remotum; rationem verò fundandi, fundamentum proximum. Vbi cautè obseruandum est, quòd non idcirco asseritur, quòd ratio fundandi debeat semper esse aliquod accidens, aut quid realiter distinctum à subiecto: sed solùm, quòd debeat esse aliqua ratio realis, seu realiter existens à parte rei.

Quia tamen propositum quæsitum duplicem habet partem, vnam scilicet, in qua quæritur de sufficientia prædictarum rationum fundandi, videlicet an

sint

sint adæquata membra diuidentia: alteram verò; in qua quæritur, an talis diuisio sit generis in suas species; licèt Philosophi conueniant circa istam secundam, affirmando talem diuisionem esse generis in suas species; circa primam tamen est duplex opinio.

Prima enim est Auersæ q. 19. logicæ sect. 7. atque aliorum, qui docent huiusmodi diuisionem in prædicta tria genera rationum fundandi non esse adæquatam.

Secunda verò opinio communissima est inter Doctores, atque ideò non oportet eos referre, qui omnes docent huiusmodi diuisionem esse adæquatam.

Notandum est idcirco primò, vnitatem, ac multiplicationem specificam relationum desumendam esse non tantùm à fundamento, siue à ratione fundandi, sed tum ex ipsa, cùm etiam ex termino, non quidem secundùm entitates materiales eorundem, sed secundùm rationes formales fundandi, ac terminandi: nam relatio essentialiter est ordo vnius ad aliud, ea propter, vtrunque per se requiritur ad essentiam ipsius alterum scilicet tanquam id, quod refertur; & alterũ tanquam id, in quod tenditur. Cum hoc tamen discrimine, quòd fundamentum specificat quasi in genere causæ efficientis, cùm sit causa, & radix relationis; terminus verò quasi in genere causæ formalis extrinsecæ, cùm sit id, in quo vltimò sistit relatio: seu (quod idem est) specificatio relationis sumitur à fundamento initiatiuè, & radicaliter: à termino verò completiuè, & formaliter, adeò vt ex ratione fundandi, & terminandi quasi compleatur vnicum specificatiuum, à quo sumatur vnitas, & multiplicatio specifica relationum. Vnde apertè sequitur, quòd ad vnitatem specificam relationum requiratur vnitas specifica vtriusque, fundamenti scilicet, & termini totalis. At verò, vt relationes specificè multiplicentur sufficit diuersitas specifica alterutrius. Quare, licèt ratio fundandi sit vna in specie, si rationes tamen terminandi specificè distinguantur, relationes erunt diuersæ speciei, vt patet in albo, cuius similitudo ad alterum album, & dissimilitudo ad nigrum distinguuntur specie. Et similiter èconträ; nam & si ratio terminandi sit vna, & rationes fundandi tamen sint diuersæ; erunt etiam diuersæ relationes, vt patet, in relationibus correspondentibus, quas album, & nigrum dicunt ad secundum album.

Notandum secundò, in relationibus prædicamentalibus duo posse considerari, entitatem scilicet seu realitatem, & formalitatem, seu oppositionem, quam important ad suum correlatiuum. Primum sumitur à fundamento, quia solùm fundamentum est vera causa esse, seu realitatis relationis. Secundum verò sumitur à termino; nam terminus est id, quod complet vltimatè relationes, præcisè in esse ad: ex qua parte; formaliter loquendo, relationes non habent esse, seu causari in rerum natura, sed solam oppositionem ad correlatiuum, vt patet; atque ideò non verificatur propriè loquendo, quòd ex positione talis rationis formalis terminandi resultet relatio, quia ly *ex* denotat causalitatem, quæ tantùm se tenet ex parte fundamenti, vt dictum est. Quare absolutè loquendo de relationibus in esse rei, seu quoad earum esse, & causari, absolutè etiam dicuntur specificari à fundamento, à quo propriè causantur, & non à ter-

A Dicendum est ergo primò, quòd diuisio relationis iuxta illa tria genera fundamentorum, seu rationum fundandi est adæquata. Probatur: quia relatio realis est ordo realis vnius ad aliud: ergo tot modis dicetur relatio, quot modis contigerit vnam rem à parte rei ad aliam ordinari: sed hoc contingit tripliciter: ergo tot erunt genera relationum, quot fundamentorum. Minor probatur: quia vna res potest ordinari ad aliã, vel secundùm esse, prout scilicet esse vnius dependet ab alia tanquam à mensura suæ perfectionis, & sic est tertium genus mensuræ, & mensurabilis: vel vna res dependet ab alia secundùm virtutem actiuam, aut passiuam, inquantùm vna res recipit ab alia, aut alteri confert aliquid; & sic est secundum genus actionis & passionis: vel vna res dependet ab altera, secundùm

B quod quantitas vnius potest mensurari cum altera; atque ita est primum genus nempe vnitas, & numerus: & quidem non inueniuntur relationes, quæ ad hæc tria genera non reducantur: ergo ista diuisio, &c.

Dicendum est secundò, quòd talis diuisio est generis in suas species. Probatur: quoniam illa diuisio dicitur generis in suas species, quæ datur per differentias essentiales: sed allata diuisio datur per diuersas habitudines, & respectus fundamenti ad terminum; quæ sunt differentiæ essentiales relationis: ergo, &c. Minor patet, nam cùm essentia relationis sit referri ad aliud, hoc, aut illo modo referri erit essentialis differentia illius, seu vt magis propriè loquamur, diuersi respectus erunt essentiales illius differentiæ: sicut ex eo, quòd esse per se est essentia substantiæ, diuersæ

C perseitates sunt differentiæ essentiales eiusdem, &c.

Obiicitur primò in oppositum primę conclusionis, quòd vna relatio potest esse fundamentum, seu ratio fundandi aliam: ergo diuisio in illa tria membra non est adæquata, cùm potiùs debeat esse quadrimembris. Antec. probatur: nam ex Euclide 5. Geomet. vbi definit proportionalitatem, habetur eam esse similitudinem, seu proportionem duarum proportionum, quod vtique nequit esse verum, nisi in proportione fundetur proportio, & similitudo; sed proportio est etiam relatio apud omnes: ergo vna relatio, saltem per Euclidem, est fundamentum alterius. Item, quia sicut duæ albedines sunt similes, quia sunt eiusdem speciei, atque ideò sunt fundamentum relationis simi-

D litudinis, per quam vna ad aliam ordinatur; ita duæ paternitates, e. g. aut duæ relationes similitudinis erunt similes: ergo fundant alias relationes similitudinis, per quas quælibet ad aliam ordinatur.

Respondetur, huiusmodi argumentum supponere metaphysicalem illam quæstionem controuersam inter Scotistas, & Thomistas, vtrùm scilicet vna relatio possit esse fundamentum alterius. Affirmant Scotistę ex eo, quòd relatio, ratione vnitatis transcendentalis, quam importat communem cum cæteris prædicamentis, potest habere apud ipsos rationem fundandi relationem similitudis ad aliam relationem. Negant verò Thomistæ, ex eo, quòd ipsa relatio de se sufficiens est, vt referatur ad aliam relationem, absque eo, quòd per prædictam vnitatem transcendentalem, quam importat, fundet relationem similitudinis à se distinctam, cùm relatio de se sit essentialiter habitudo ad aliud: quod enim de se tale est, non indiget aliqua

alia ratione, vt tale fit. Vnde variè respondent ad argumentum: Scotistæ enim dicunt, quòd estò vna relatio sit fundamentum alterius; tamen, quia hoc habet ratione vnitatis transcendentalis, non multiplicat nouam rationem fundandi; atque ita semper remanent illa tria genera. Thomistæ veròècontrà negant antecedens, ad cuius probationes, varias adhibent responsiones; quibus relictis, cum Caiet. p. p. q 42. art. 1. respondetur ad primam rationem desumptam ex Euclide, quòd optimè saluari potest, proportionalitatem esse proportionum similitudinem, ac relationem proportionum ad inuicem, absque eo, quòd in ipsis proportionibus fundetur talis similitudo, & proportio, siue relatio; vel, quod idem est, absque eo, quòd tales proportiones referantur ad inuicem per ipsam tanquam per nouam proportionem, aut relationem superadditam: ratio enim est, quia ad hoc vt proportionalitas sit proportio, & relatio proportionum, sufficit tantùm, quòd proportiones ita per ipsā sint modificatæ, vt ad inuicem referantur, absque eo, quòd proportionalitas sit aliqua alia relatio realis de nouo superaddita proportionibus: proportionalitas enim, cùm nihil aliud sit, quàm ipsæ proportiones hoc modo se habentes, nempe comparatæ, & ad inuicem relatæ, erit duntaxat modus quidam accidentalis earum; eodem ferè modo, quo Philosophi docent vnionem materiæ, & formæ non esse aliquam tertiam partem compositi substantialis, sed modum quendam substantialem ipsarum partium, ab ipsis ex natura rei distinctum. Dicitur tamen prædicta proportionalitas proportio, seu relatio realis, quia proportiones per ipsam modificatæ, realiter ad inuicem referuntur: sicuti à pari, etiam vnio dicitur realiter componere totum substantiale, non quòd ipsa sit eius pars, sed quia per ipsam partes vnitæ nempe materia, & forma, realiter ipsum componunt.

Ad aliam verò rationem respondendum videtur negando paritatem: quoniam vna albedo est fundamentum relationis similitudinis ad aliam, quia non se ipsa, sed ratione vnitatis transcendentalis in qualitate, redditur alteri similis: at verò duæ paternitates, seu duæ relationes similitudinis, licèt ad inuicem referantur, non tamen referuntur per aliquid superadditum, sed se ipsis, vt dictum est de proportionibus (impossibile enim est, quòd id, quod est de essentia alicuius rei, quemadmodum est referre ad aliud respectu relationis, non de se, ac per se, sed ratione alterius illi conueniat) qua de causa non currit paritas.

Contra istas responsiones insurgit Suarez disput. 47 Met. sect. 11. n. 8. tali pacto: nam si relatio paternitatis, e.g. se ipsa referretur, ac diceretur similis alteri paternitati, talis denominatio deberet esse eiusdem rationis cum ipsa, & intrinseca, atque inseparabilis ab ea, vt patet in actione, quæ se ipsa fit; quia ratio actionis est, vt fiat, cùm per eam fit aliquid: sed si vna relatio referatur realiter ad aliam, sepè ille respectus est longè diuersæ rationis à propria ratione, & effectu formali talis relationis, & est illi extrinsecus, & accidentalis: ergo non potest illa relatio per se ipsam ita referri, sed per aliam relationem. Minor probatur; quia formalis ratio, & effectus paternitatis est referri ad filium; cùm vero ipsa dicitur similis alteri paternitati, si ad illam refertur realiter, ille est effectus formalis valdè diuersæ rationis, cùm tendat ad terminū diuersæ rationis, & habeat rationem fundandi etiam diuersæ rationis. Rursus, hæc denominatio *Similis*, est accidentaria paternitati; nam si in mundo non esset alia paternitas, non denominaretur similis, nec referretur tali modo: ergo quando ita refertur, non per se ipsam, sed per aliam refertur relationem.

Respondetur, relationem paternitatis posse dupliciter considerari; vel scilicet vt relatio paternitatis est; vel vt relatio relationis paternitatis est: primo modo tantùm importat referre ad filium, eique relatiuè opponi: secundo verò modo præter hæc importat respectum, habitudinem, relationem, & similitudinem ad aliam paternitatem: non quòd prędictus respectus, habitudo, &c. sit aliqua relatio superaddita; sed quatenus prædictæ relationes paternitatis per ipsam modificatæ ad inuicem referuntur, vt dictum est suprà. Quapropter, licet talis habitudo ad aliam paternitatem, respectu relationis paternitatis primo modo consideratæ (de qua modò non loquimur) sit diuersæ rationis, & accidentaria; minimè verò respectu relationis paternitatis secundo modo consideratæ, de qua in præsenti loquimur: in intelligibile enim est, duabus relationibus ad inuicem relatis, non esse de essentia illarum ita consideratarum respectus, & habitudo similitudinis vnius ad aliam. Ad id tandem, quod addebatur de termino, & ratione fundandi diuersæ rationis, dicendum videtur, quòd cùm paternitas ad hoc vt sit relatio realis de prædicamento, importet existentiam termini, scilicet filij, & rationis fundandi, nempe actionis, ac passionis generatiuæ, implicat, quod terminetur ad aliam relationem paternitatis vt ei similis, & non terminetur ad filiationem, neque supponat actionem, & passionem generatiuam, cùm relatio paternitatis vtrumque includat. Ex quo igitur apertè colligitur relationem relationis paternitatis non esse nouam relationem eidem superadditam, cùm nec diuersum habeat terminum, neque rationem fundandi, quod indispensabiliter requiritur ad constituendam nouam relationem realem.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis, quòd qualitas est peculiare fundamentum relationis similitudinis, & dissimilitudinis, cùm secundùm qualitatem res dicantur similes, ac dissimiles. Item Vbi, & Quando sunt fundamenta relationum præsentiæ, ac coexistentiæ, vt patet: ergo non tria, sed sex erunt membra diuidentia in tali diuisione, ac consequenter erit diminuta prædicta diuisio trimembris. Præterquàm quòd relatio, quæ fundatur in ratione mensuræ, & mensurabilis, est relatio transcendentalis, & secundùm dici, vt patet ex superiùs dictis de scientia, & scibili, &c. ergo prædictum fundamentum erit superfluum ad relationem prędicamentalem, de qua est sermo in præsenti; atque ita superflua erit quoque in ipsum allata diuisio.

Respondetur ad primam rationem, quòd qualitas non est ratio fundandi tales relationes de se, sed ratione vnitatis, quam importat. Similiter Vbi, & Quando præcisè, non fundant illas relationes, sed vnitas, in Vbi, & Quando. Ad secundam verò rationem dicendum est, scientiam, potentiam, &c. duos habere respectus; vnum, qui includitur in ratione absoluta earum, eandemque complet essentialiter: alterum verò, qui extra essentiam absolutam est, atque ideò tali essentiæ conuenit accidentaliter. Primus exprimitur sub

sub nominibus absolutis potentiæ, habitus, &c. ideòque secundùm illum sunt relatiua tantùm secundùm dici, & transcendentalia. Secundus verò exprimitur sub nominibus relatiuis mensuræ, & mensurabilis, quia scilicet potentiæ, ac scientiæ mensurabiles sunt ab earum obiectis, ideòque cùm secundùm talem respectum nihil absoluti importent, sunt tantùm relatiua secundùm esse, ac prædicamentalia. Quando igitur ponuntur in tertio genere rationum fundandi, intelliguntur tantùm hoc secundo modo.

Obiicitur tandem tertio in oppositum secundę conclusionis, quòd relationes primi generis non sunt reales: ergo diuisio in ipsas; & in alias relationes, quæ sunt reales, erit analogi in sua analogata; cùm enti reali, & rationis nihil possit esse commune vniuocum. Antec. probatur: nam prædictæ relationes, cùm habeant pro ratione fundandi numerum, qui non est quid reale, sed tantùm rationis, nequibunt esse relationes reales, vt patet. Quòd autem numerus sit ens rationis, probatur tum ex Aristotele 4. Phys. text. 131. dum dixit Ablata anima tolli quoque numerum. Tum etiam quia, cùm sit multitudo numerata per vnum, non habet esse nisi per intellectum illa plura colligentem in vnum secundùm ordinem prioris, ac posterioris: ergo, &c.

Respondetur negando antecedens. Deinde negatur, numerum esse quid rationis; ad probationem verò tum ex Philosopho, tum ex ratione petitam, facilè respondetur dicendo sensum Philosophi non esse, quòd essentia numeri prædicamentalis sit ens rationis, sed quòd non datur à parte rei numerus abstractus ab omni substantia: sicut quando dicimus, quòd Animal abstractum à suis speciebus non datur à parte rei, sed tantùm in intellectu, non est sensus, quòd natura animalis quæ abstrahitur, non sit realis, sed quòd separatio illa, & status abstractionis sit ab intellectu; per quòd etiam patet ad rationem.

QVÆSTIO III.

Quomodò Relationi sit proprium habere contrarium, atque suscipere magis, & minus.

SVpponit præsens quæstio (quid quid dicat Rubius hic cap. 7. q. 14. dubio 1.) relationes habere propriam contrarietatem, propriéque suscipere magis, & minùs; sed quia hoc dupliciter intelligi potest, formaliter scilicet, prout relatiua sunt, & materialiter; siue ratione fundamentorum; hinc est quòd Philosophi in duas factiones diuisi sunt.

Quare, prima sententia docet contrarietatem propriam, propriéque suscipere magis, & minùs competere quibusdam relationibus, etiam formaliter secundùm esse relatiuum. Ita quoad contrarietatem tenet Scot. in 1. dist. 3. q. 7. & in 2. dist. 25. q. vnica. Ochamus p. p. log. cap. 52. Auersa q. 19. Log. sect. 8. Et quoad suscipere magis, & minùs, defendit Mair. passu 31. super prædic. Tatar. hic not. 2. in fine, atque alii. Quoad vtrunque tandem expresè docent Mastrius, & Bellutus hic disput. 8. q. 11.

A Secunda verò sententia docet vtranque proprietatem conuenire relatiuis, tantùm ratione fundamenti, seu materialiter acceptis. Ita S. Thom. opusc. 38. & p. 2. q. 82. art. 4. quod sumpsit ex Auerroe, aliisque antiquioribus interpretibus.

Notandum est idcirco primò ex Aristotele cap. 10. huius lib. illa propriè; & in rigore dici contraria, quæ nullam dicunt, nulloque modo important realem habitudinem ad inuicem, quæque habent tres illas conditiones, quæ superiùs in synopsi cap. 10. assignatæ sunt. Inter quas præter illam, nempe, quòd mutuò se expellant ab eodem subiecto, valdè facit ad rem in hac quæstione illa alia, quæ primo loco ponitur, videlicet, vt non sit necesse, vno contrariorum existente, aliud existere: nam cùm nullo modo se habeant ad inuicem, sed mutuò se expellant, atque excludant, B omnino illis accidit, vt ex positione vnius inferatur aliud (illatione tamen, & consequentia logica; nam secundùm ordinem, & dispositionem naturę aliter sentiendum est, vt dicetur suo loco) non enim sequitur ex ui illationis, album est; ergo & nigrum, vt patet.

Notandum est secundò, non idcirco asserendum esse, vt docent aliqui, tunc solùm relationes inter qualitates eiusdem speciei esse similitudinem, quando tales qualitates sunt eiusdem intensionis; quando verò altera est remissior, aut intensior alia, tunc vice versa esse dissimilitudinem, siue dissimilitudinis relationem: nam sequeretur ex hoc, quòd similitudo, & dissimilitudo iam non essent relationes specie distinctæ (haberent enim tunc ambæ tam fundamentum, quàm terminum eiusdem speciei, vt patet) quod apertè fal- C sum est, cùm relatio similitudinis habeat terminum specie distinctum à termino relationis dissimilitudinis: album enim, vt fundat relationem similitudinis, terminatur ad aliud album; vt fundat verò relationem dissimilitudinis, terminatur ad nigrum, quod specie differt ab albo. Quapropter licèt ex intensione, ac remissione qualitatum, relationes ibi fundatæ varientur, vt clariùs dicetur infrà; tamen, dum manent qualitates eiusdem speciei, omnes relationes dicuntur similes.

Dicendum est ergo primò, quòd habere propriè, & in rigore contrarium non conuenit relationi secundùm se, sed ratione fundamenti, quando tamen prædictum fundementum est qualitas.

D Probatur: nam sola qualitas inter cætera prædicamenta habet omnia illa requisita in synopsi capitis 10. assignata, quæ indispensabiliter requiruntur ad propriam, & rigorosam contrarietatem, de qua modò loquimur: ergo relatio, non ratione sui, sed ratione qualitatis, dum fundatur in ipsa, habet talem contrarietatem. Cons. patet. Antec. verò probatur, Qualitates enim non dicunt habitudinem ad inuicem adeò vt posita vna necesse sit ponere aliam, quæ conditio in rigore nullo pacto conuenire potest quantitati vt sic, cùm quantum non sit magnum nisi respectiuè ad paruum: neque relationi vt sic, cùm album non dicatur simile, aut dissimile, nisi per ordinem ad album, aut nigrum: neque similiter actioni, & passioni, cùm actio, aut passio non dicatur breuis, nisi respectiuè ad longam: neque tandem cæteris prædicamentis, cùm dicant, ordinem ad aliquod extrinsecum, sine quo vix intelligi possunt, vt Quando, Vbi, Situs, &c. Item, solæ qualitates, propriè, ac per se

per se primò, se ipsas expellunt ab eodem subiecto, vt dicetur suo loco: nam cætera prædicamenta, vel non sunt in subiecto, quemadmodum est substantia; vel si sunt, non sunt incompossibilia ratione contrarietatis, vt duplum, & dimidium; magnum, & paruum; longum, & breue; heri, & hodie; sursum, & deorsū, vestitum, & nudum, sedens, & stans, &c. quæ tantùm incompossibilia dicuntur ratione oppositionis relatiuæ, vel contradictoriæ, quam important: vel si opponantur contrariè, hoc tamen non sequitur ratione ipsorum, sed tantum ratione qualitatis, vt patet de superficie calida, de relatiuo albo, de ratione, & passione ignis, & aquæ, ac de cæteris alijs, quæ non ratione sui, sed ratione qualitatis pugnant ad inuicem.

Dicendum est secundò, quòd suscipere magis, & minùs non conuenit relationi secundùm se, sed tantùm ratione qualitatis, dum tamen relatio in ipsa fundatur.

Probatur: quia suscipere magis, & minùs, seu intendi, & remitti propriè loquendo exigit, vt in ipsa essentia etiam indiuiduali rei, quæ intenditur, & remittitur, sit latitudo quædam gradualis, ratione cuius possit secundùm se augeri, vel minui, seu magis, aut minùs imprimi subiecto, quod quidem solis qualitatibus conuenit, vt dictum est suprà disp. 13. q. 4. ergo relatio secundùm se non suscipit magis, & minùs, nisi ratione qualitatis, dum in ipsa fundatur.

Si fortè dicatur cum Mastrio, & Belluto loco suprà citato, huiusmodi affectionem mediante fundamento qualitatis redundare in relationem, itaut ad talem graduationem successiuam qualitatis successiuè graduetur etiam ipsa relatio.

Respondetur, hoc esse immediatè contra naturam, & rationem ipsius relationis, de qua non est successiuè fieri, sicut de qualitate, sed tantùm resultare ex positione, termini & fundamenti.

Obiiciunt primò in oppositum primæ conclusionis Mastrius, & Bellutus loco suprà citato; quòd præcisa omni contrarietate formarum absolutarum, in quibus relationes fundantur, adhuc inter aliquas esset vera repugnantia, & oppositio circa idem subiectum, vt patet non solùm de relationibus æqualitatis, & inæqualitatis, quæ fundantur in quantitate, vbi non est contrarietas; sed etiam de ipsis relationibus similitudinis, & dissimilitudinis, quæ habent fundari in qualitatibus, vbi est propria contrarietas: sed talis repugnantia, & oppositio non esset disparata, neque relatiua, aut priuatiua, vel contradictoria: ergo erit contraria, & consequenter habere contrarium propriè, & in rigore conueniet relationibus secundùm se, non autem materialiter, ac ratione fundamenti. Cons. patet. Maior sufficienter suasa est. Minor verò probatur; non esset oppositio disparata, quia est determinata inter aliqua, nempe inter æquale, & inæquale, &c. atque indifferenter non se habet inter omnia, à quibus in essentia distinguitur, in quo vtique consistit ratio oppositionis disparatæ, & impropriæ. Neque minùs esset relatiua, quia non est inter relatiuum, & correlatiuum, sed inter relationes. Neque tandem priuatiua, aut contradictoria, vt patet: ergo, &c.

Respondetur, quòd in tali casu præcisionis contrarietatis à formis absolutis, seu fundamentis, prædictæ relationes æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, importarent ad inuicem oppositionem priuatiuam, si sunt carentiæ æqualitatis, & similitudinis in subiecto apto nato eas habere; vel contradictoriam, si sunt puræ negationes earum. Ratio enim est; quia cùm oppositio contradictoria, ex eo, quòd est prima, & maxima cæterarum, imbibatur, & includatur ex Aristotele 10. Met. cap. 6. in omnibus alijs, tanquam quid prius, superius, ac simplicius in suis posterioribus, ac inferioribus, apertè sequitur, quòd si quælibet earum resoluenda sit, in ipsam veluti in suum principium necessariò resolui debeat. Patet hoc manifestissimè in prædicamento substantiæ; nam cùm ipsa substantia, vtpote quid prius, imbibatur, & includatur in suis posterioribus, si à quolibet eorum præscindatur sua differentia constitutiua, procul dubio in ipsam vt in suum principium atque superius resoluentur: ablato enim, & præciso ab homine, qui est vltimum quid in tali genere, rationale, quod est propria differentia, quippe resoluetur in animal: præciso autem ab animale, sensibile, resoluetur in animatum: item præciso animato, resoluetur in viuens; sicut præcisa vita, resoluetur in corpus: ac tandem, præcisa extensione, resoluetur in ipsam substantiam, vt patet. Ex quo igitur sequitur (proportione tamen seruata) quòd si præscindatur ab oppositione relatiua, quæ in genere oppositionis est quid vltimum, ipsum suum constitutiuum, quod est suum correlatiuum, necessariò in oppositionem contradictoriam, tanquam in suum principium, atque superius, vltimò resoluenda erit: præciso enim, & ablato ab ipsa suo correlatiuo, fiet oppositio contraria: præcisa verò introductione formę contrariæ in subiecto, fiet oppositio priuatiua: pręcisa tandem carentia formæ in subiecto apto nato, fiet oppositio contradictoria, vt patet. Quapropter, cùm a præfatis relationibus præscindatur earum correlatiuum, vt supponit argumentum, & pręscindatur contrarietas qualitatis, a qua solùm habetur oppositio per se contraria, vt dictum est; non potest concludi, nisi quòd opponantur priuatiuè, vel contradictoriè.

Obijcitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, quòd non solùm relationes fundatæ in qualitatibus, vt similitudo, & dissimilitudo, dicuntur magis, aut minùs tales (album enim vt quatuor magis simile est alteri albo vt quatuor, quàm albo vt duo) verùm etiam relationes, quæ fundantur in quantitate, vt æqualitas, & inæqualitas (palmus enim magis inæqualis est vlnæ, quàm pedi) sed magis, & minùs harū relationū nō potest prouenire à fundamētis, cùm quantitas non suscipiat magis, & minùs: ergo talis proprietas conuenit ipsis relationibus secundùm se.

Respondetur, quòd etiam supposito, album vt quatuor eadem relatione dici magis simile alii albo vt quatuor, quam albo vt duo; & palmum eadem relatione esse magis inęquale vlnæ, quàm pedi, de quo statim inferiùs: attamen ex hoc non currit paritas de albo, & palmo: nam album, ratione fundamenti, verè, ac propriè suscipit magis, & minùs, nempe maiorem, vel minorem intensionem; palmus verò nequaquam, sed tantùm ad modum quantitatis, in qua fundatur, maiorem scilicet, vel minorem extensionem, quod est suscipere magis, & minùs tantùm impropriè; sed hoc non facit ad præsens.

Obiici-

Obijcitur tandem tertiò in oppositum eiusdem secundæ conclusionis, quòd prædictæ relationes similitudinis, & dissimilitudinis decrescere possunt, crescente fundamento, & èconträ: ergo ipsæ relationes secundùm se, & non ratione fundamenti suscipiunt magis, & minùs. Consequentia bene deducitur. Antec. autem constat experientia: ponantur enim duo alba, alterum vt 6. & alterum vt 4. inter hæc quidem est similitudo; augeatur postea album vt 6. vsque ad 8. tunc crescente fundamento decrescit similitudo, vt patet: ergo, &c.

Respondetur, adhuc esse sub iudice adæquatam istius argumenti solutionem; quapropter relictis multorum responsis, ex D. Thoma 1. 2. q. 52. artic. 1. dicitur, relationes consistere in indiuisibili, ac proinde quando augetur, vel minuitur qualitas, vel quantitas, non augeri, vel minui relationes, sed tantùm variari, ita vt priores deperdantur, & acquirantur aliæ, & consequenter nullam in se suscipere magis, & minùs.

Contra istam responsionem insurgunt multi, quibus prædicta indiuisibilitas relationum est lapis offensionis, ac petra scandali; nam ex ea, vt dicunt, sequeretur plures relationes solo numero differentes, posse reperiri in eodem subiecto, quod est manifestè contra ipsum D. Thomam 3. p. q. 35. Sequela probatur; quia omnes illæ relationes essent eiusdem speciei similitudinis, aut dissimilitudinis.

Respondetur negando sequelam: nam si illæ priores relationes albi vt 6. ad album vt 4. & èconträ, erant relationes similitudinis (in sensu tamen, quo supponit argumentum, ac statim inferiùs explicando) variato altero extremo, nempe albo vt 6. in album vt 8. variabuntur etiam prædictæ relationes, adeò ut sint nouæ relationes alterius speciei, iuxta ea, quæ dicta sunt superiùs q. 2. huius disput. notatione prima; atque ita erunt nouæ relationes, non ampliùs similitudinis, sed dissimilitudinis.

Contra tamen est, quòd huiusmodi responsio repugnat doctrinæ traditæ in 2. notatione huius quæstionis, vbi dictum est relationes esse eiusdem speciei, etiã quando qualitates, in quibus fundantur, intenduntur, & remittuntur, cùm sit idem terminus, & fundamentum; ergo si multiplicantur, non sunt specie distinctæ.

Respondetur, album vt 6. triplici relatione, ac specie distincta referri posse ad cætera alba: prima quidẽ fundata in ipsa essentia albedinis per quam ad omnia alba, siue aliàs intensa, siue remissa terminatur; sicut idem pater eadem numero relatione paternitatis, respicit omnes à se genitos filios: & in hoc sensu album vt 6. dicit relationem similitudinis ad album vt 4. &c. vt supponit argumentum. Secunda verò, quæ fundatur in conuenientia prædicti gradus vt 6. per quam assimilatur cunctis albis vt 6. non autem aliis, quæ quidem relatio necessariò debet esse specie diuersa à priori; quia esse intensum vt 6. formaliter, ac reduplicatiuè sumptum, & vt conuenit cum aliis in simili gradu, secundùm quam rationem fundat prædictam relationem, distinguitur essentialiter modaliter ab ipsa albedine. Tertia tandem, quæ fundatur in eodẽ esse intenso vt 6. quatenus collato cum aliis albis magis, vel minùs intensis, secundùm quam rationem non dicitur simile, sed potiùs dissimile eisdem, atque omnia A illa eadem numero relatione dissimilitudinis respicit.

Quo igitur supposito, ad argumentum dicendum esse videtur, quòd in tali casu non ampliùs consideratur prædictum album vt 6. quatenus fundat suam relationem similitudinis in essentia albedinis, de qua relatione procedit doctrina illa tradita in secunda notatione: nam talis relatio, per aduentum alterius relationis fundatæ in esse intenso albi collato cum quolibet alio gradu supponitur deperdita; sed consideratur album vt fundat suam relationem in prædicto gradu albedinis, de qua relatione nullo modo procedit allata doctrina, nisi proportione seruata, inquantùm scilicet etiam in prædicta specie relationis, quæ fundatur in tali gradu albedinis vt 3. ad quemcunque alium gradum, seruat similem vnitatem numericam B relationis dissimilitudinis ad illa omnia quantumuis remissa, aut intensa, quemadmodum seruabat vnitatem numericam similitudinis in specie alterius relationis, quæ fundabatur in natura albedinis, vt sic.

Dicet fortasse aliquis: ergo saltem relationes illæ albi vt 6. ad album vt 4. vt fundatæ in essentia, & natura albedinis, vt sic, vel in gradu aliquo collato cum quocunque alio, crescente, aut decrescente alio extremo suscipient magis, & minùs, & consequenter non consistent in indiuisibili. Et probatur: quia cùm ex doctrina illa secundi notandi non varietur relatio, sed semper maneat eadem numero in prædictis speciebus; si magis, vel minùs assimilantur, vel dissimilantur talia alba, ipsæ quoque relationes, quatenus inuariatæ in tali specie, similitudinis scilicet, vel dis- C similitudinis, nequibant tamen non suscipere magis, & minùs, vt liquet: ergo, &c.

Respondetur negando talem consequentiam. Ad cuius probationem etiam negandum est, talia alba secundùm se formaliter magis, vel minùs assimilari, vel dissimilari; sed tantùm magis, vel minùs extendi ad maiores, vel minores gradus albedinis: nam vbi priùs album, e. g. vt 4. se extendebat ad aliud album vt 4. crescente gradu qualitatis vsque ad 6. aut 8. se extendit pariter ad album vt 6. aut 8. & viceuersa, vbi priùs album, e. g. vt 8. se extendebat ad aliud album vt 8. decrescente gradu qualitatis vsque ad 6. & 4. se restringit ad album vt 6. aut 4. Eodem ferè modo, quo pater respiciendo plures filios, non intendit, sed extendit suam paternitatem ad illos; & respiciendo pau- D ciores, non remittit, sed comprimit eandem numero paternitatem ad pauciores terminos, vt ex professo docent Metaphysici.

QVÆSTIO IV.

An reliquæ tres proprietates conueniant Relatiuis prædicamentalibus quarto modo.

CVM in antecedenti quęstione visum sit duas priores proprietates non conuenire relatiuis ratione sui, nec quarto modo, statim manet quærendum, an saltem posteriores, prædicto quarto modo proprii conueniant.

Non defuerunt aliqui, vt testantur Mastrius, & Bellu-

Bellutus hic disput. 8. q. 11. qui afferendo *dici ad conuertentiam* non conuenire relatiuis secundùm dici, & improprijs, sed solùm prædicamentalibus, consequẽter videntur affirmare omnes illas tres posteriores proprietates conuenire relatiuis quarto modo. Attamen communissima, atque vniuersalissima sententia Philosophorum est, tantùm duas illas vltimas, nempe *esse simul natura, & cognitione*, conuenire relatiuis prædicamentalibus, quarto modo proprii. Quia verò haud parum dissentiunt in ipsas explicando; vt consonam doctrinæ, quam profitetur potior sententia, explicationem afferamus, nonnulla adnotanda sunt.

Notandum est idcirco primò, quòd dici ad conuertentiam, vt debet sumi in præsenti, non est conuerti ad modum terminorum, qui solùm dicuntur conuertibiles, quando mutua prædicatione de se inuicem in recto prædicantur, vt homo est rationalis, rationale est homo; sed dici ad conuertentiam est, quòd vnum relatiuũ explicetur per ordinem ad aliud in obliquo positum, vel quomodolibet dicatur esse illius: nam eo ipso, quòd inter duo sit aliquis respectus, qui respicit, aliquẽ respicit & qui respicitur, ab aliquo respicitur, vt patet de patre, & filio, e.g. nã pater, alicuius filii est pater, & filius, alicuius patris est filius.

Notandum est secundò, quòd ad hoc, vt aliqua dicantur simul natura, duæ conditiones ex Philosopho cap. 12. huius necessariò requiruntur, quarum, deficiente qualibet, non datur ampliùs talis simultas. Prima igitur est; quòd se mutuò inferant, adeò ut si vnum est, alterum etiam sit, & ècontrà. Secunda verò est, quòd vnum non sit causa alterius. Huiusmodi autem duę conditiones non inueniũtur in rebus absolutis, quæ relationibus substernuntur: nam generans, & genitum, supra quæ fundantur paternitas, & filiatio, licèt se mutuò inferant (valet enim, est generans, ergo genitum, & ècontrà) tamen vnum est causa alterius, vt de se patet. Similiter ex duobus albis, super quæ fundantur similitudines, licèt vnum prout sic non sit causa alterius, mutuò tamen se non inferunt (non enim valet, est hoc album, ergo & illud) Sicut licèt scientia, & scibile rectè assignata se mutuò inferant, vt dicendum est infrà; tamen si accipiantur pro rebus absolutis, vnum est causa alterius: siquidem obiectum, seu scibile, quatenus tale, habet rationem causæ respectu scientiæ.

Dicendum est ergo primò, quòd dici ad conuertentiam non conuenit relatiuis prædicamentalibus quarto modo proprii, sed tantùm secundo. Probatur: nam etiam relatiua transcendentalia, & secundùm dici, si rectè assignentur, dicuntur ad conuertentiam: ergo prædicta proprietas non conuenit tantùm relatiuis prædicamentalibus, & consequenter nec quarto modo proprii, sed tantùm secundo. Conf. patet. Antec. autem probatur: quoniam si est sufficiens quilibet respectus ad aliud quomodocunque sumatur, vt dictum est suprà notatione prima, ad hoc vt inter aliqua sit prædicta conuenientia, non est cur deneganda sit prædictis relatiuis, cùm importent respectum saltem transcendentalem: non enim minùs dicere licet (proportione tamen seruata) scibile est alicuius scientiæ scibile, & ècontrà; quàm pater est alicuius filii pater, & vice versa; ergo, &c.

Dicet fortasse aliquis, quòd dici ad conuertentiam A non est nisi habere simultatem naturæ, vt patet ex Philosopho cap. 12. huius, asserente *Illa dici, vel esse simul natura, quæ essendi quidem consequentia cùm conuertantur, &c.* idest quæ dicuntur ad conuertentiam, vt dictum est suprà in synopsi eiusdem capitis: ergo si esse simul natura conuenit tantùm relatiuis prædicamentalibus quarto modo, vt dicendum est statim, eodem etiam quarto modo illis conuenit dici ad conuertentiam, non autem secundo modo.

Respondetur quòd esse simul natura non est dici vtcunque ad conuertentiam, neque per quemlibet respectum, sed rigorosè, & propriè per respectum tantummodò prædicamentalem, nempe per illum respectum, qui verè ponit in esse, adeò vt illa sint simul natura, atque ad inuicem conuertantur, quæ posita, se ponunt, ac perempta, similiter se perimunt, & B hoc non per modum causalitatis, sed simplicis resultantiæ. Cùm igitur hæc omnia conuenire nequeant relatiuis secundùm dici, & transcendentalibus (posito enim scibile, non semper ponitur scientia, & si ponatur, eam tamen causat, vt dictum est) sed tantùm prædicamentalibus; hinc est, quòd licèt concedatur illis conuertentia lata, & impropria, propria tamen, ac rigorosa omnino negatur.

Dicendum est ergo secundò, quòd esse simul natura, & cognitione sunt duæ proprietates conuenientes quarto modo relatiuis prædicamentalibus. Probatur quoad primam partem, nempe quoad esse simul natura: quoniam omnia, & sola relatiua prædicamentalia semper habent conditiones illas necessariò requisitas ad essendum simul natura: ergo quarto modo il- C lis conuenit prædicta proprietas. Conf. patet. Antec. verò probatur, & primò de relatiuis prædicamentalibus mutuis tam disquiparantiæ, quàm æquiparantiæ: disquiparantiæ quidem, quia posita paternitate necessariò ponitur filiatio, & ècontrà: æquiparantię verò, quia posito hoc correlatiuo albi, necessariò ponendum est aliud album, & vice versa, ac neutrum istorum est causa alterius, quia vna relatio non efficit aliam, cùm non sit actiua; neque est finis eius, aut forma, vt patet: neque tandem respicit illam, siquidẽ vna relatio nequit fundari in alia, vt suprà dictum est q. v. ad 1. quod tamen aliquo pacto affirmari nequit de relatiuis transcendentalibus, & secundùm dici: nam cùm eorum quidditas, & esse sit quid absolutum, non sequitur, quòd posito vno, ponatur & aliud se- D cundùm suum esse; neque implicat, quòd vnum ab alio causetur, vt patet de scibili respectu scientiæ. Itẽ probatur idem antec. de relatiuis prædicamentalibus non mutuis: etenim relatiuæ illæ denominationes, quibus à relatione vnius extremi vtrunque denominant relatiuum, alterum intrinsecè, & alterum extrinsecè, si rectè assignentur, se mutuò inferunt; & hinc est, quòd licèt relatiua tertii generis realiter vt sic nõ sint mutua, in sensu tamen explicato concedunt communiter Doctores ea esse formaliter mutua, vt tradũt Complutenses hic disput 14. q. 6. n. 79. Siquidem bene valet, datur scientia secundùm actum: ergo datur obiectum scitum: & similiter, datur obiectum scitum: ergo datur scientia secundùm actum, & vna denominatiò non est causa alterius; quandòquidem repugnat, talem relationem tribuere fundamento denominationem relatiui, quin in eodem signo naturę intelligatur correlatiuum, cui formaliter opponatur, & consequenter

quenter ipsa relatiua denominatio, à qua constituitur in esse tali; ergo, &c.

Probatur eadem conclusio quoad secundam partē, videlicet quoad esse simul cognitione; nam cùm relatiua formaliter sumpta sint simul natura, vt satis probatum est, consequens est, vt vnum debeat definiri per aliud, secundùm quòd relatiuum est; ac proinde repugnabit vnum sine alio cognosci, quod est esse simul cognitione; supposita præcipuè doctrina illa, quæ a multis traditur, nimirum relatiua non terminari ad absolutum formaliter, sed ad relatiuum. Cùm igitur esse simul natura conueniat quarto modo omnibus, & solis relatiuis prædicamentalibus, non est cur negari possit eodem quarto modo illis etiam conuenire esse simul cognitione, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia proprietate.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis; tum quòd conuertentia est mutua dependentia relatiuorum inter se: sed scientia, & scibile, quæ sunt relatiua, non habent mutuam dependentiam inter se; quia licèt scientia dependeat à scibile, scibile tamen non habet dependentiam à scientia: ergo non omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam. Tum etiam quòd magnum, & paucum sunt relatiua, & tamen dici nequit, magnum alicuius pauci est magnum, & èconttrà; ergo saltem istis relatiuis non conuenit dici ad conuertentiam; & consequenter talis proprietas non conuenit relatiuis tantùm secundo modo proprii.

Respondetur ad primam rationem, quòd si scibile consideretur materialiter, quantùm scilicet ad id, quòd est vel quale, aut quantùm, &c. ita quippe non habet dependentiam à scientia: sed si consideretur formaliter, quantùm scilicet ad rationem scibilis, videlicet quatenus per aliquam scientiam potest sciri, sic habet dependentiam à scientia, & respectum ad ipsam, non quidem purè relatiuum prędicamentalem (supponuntur enim tantùm relatiua transcendentalia) sed transcendentalem, siue secundùm dici; qui respectus exprimitur nominibus absolutis obiecti, & potentiæ, vt dictum est suprà q. 2. ad 2. & est sufficiens ad hoc, vt scibile, & scientia dicantur ad conuertentiam lato modo, vt dictum est suprà in responsione ad instantiam contra probationem primæ conclusionis.

Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd prædicta relatiua non rectè assignantur: nam magnū, & paucum non sunt correlatiua, sed tantùm magnum, & paruum, vt dictum est suprà in synopsi cap. 6. huius libri, quæ procul dubio dicuntur ad conuertentiam: valet enim, Magnum est alicuius parui magnum; & Paruum est alicuius magni paruum.

Obiicitur secundò in oppositum primæ partis secundæ conclusionis; quòd esse simul natura non conuenit solis, & omnibus relatiuis prædicamentalibus: ergo non est proprietas conueniens illis quarto modo proprii. Consequentia patet. Antecedens autem probatur: non conuenit solis, quia conuenit differentiis idem genus condiuidentibus: ibi enim concurrunt illæ duæ conditiones; nam vna infert aliam, & vna non est causa alterius; atque idem dici potest de flebile & de risibile in homine. Non conuenit autem omnibus, quia causa, & effectus licèt sint correlatiua, tamen non sunt simul natura, cùm semper causa præcedat suum effectum, ipsumque producat: ergo, &c.

Respondetur negando antecedens; ad cuius primā probationem dicendum est, simultatem naturæ relatiuorum talem esse debere, vt se mutuò inferant in existendo, non vtcunque, sed ex ratione formali propria, non autem ex ratione alicuius tertii, in quo vniuntur, vel ad quod ordinantur, vt contingit de duabus differentijs idem genus condiuidentibus, &c. nam ex ratione formali propria, vna non exigit aliam, sed tantùm ex ratione generis, quod diuidunt; atque ita non sunt simul natura per ordinem, & habitudinem ad inuicem, quemadmodum debent esse relatiua prædicamentalia, sed per ordinem ad tertium, vt patet.

Ad secundam verò probationem dicendū est, quòd si considerentur causa, & effectus materialiter quantùm ad id quod sunt, non sunt simul natura propter rationem adductam in argumento: sed si considerentur formaliter, quantùm ad rationem causæ, & effectus, & èconttrà, sunt simul natura, vt patet.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum secundæ partis secundæ conclusionis. Tum quòd vnumquodque definitum cognoscitur eo modo, quo habet esse: sed vnum relatiuum habet esse separatum, ac distinctum à suo correlatiuo: ergo vnum potest definitè cognosci, non cognoscendo aliud. Tum etiam, quòd loco definiti licet ponere eius definitionem: ergo si in definitione vnius relatiui ponendum est suum correlatiuum, loco talis correlatiui, etiam licebit ponere eiusdem definitionem, in qua definitione similiter poneretur illud primum relatiuum; atque ita idem posset poni in definitione sui ipsius, quod est inconueniens.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt relatiuum habeat esse separatum à suo correlatiuo, tamen illud esse, non est absolutum sed respectiuū, & in ordine ad suum correlatiuum, atque ideò habet cognosci, & definiri per ipsum. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd licèt in absolutis loco definiti possit poni eiusdem definitio, non tamen in respectiuis: ratio enim est, quia cùm correlatiuum ponatur in definitione sui relatiui, vt terminus habitudinis illius, loco sui non potest poni eius definitio, quæ illud explicat, vt dicit ordinem ad terminum; vnde talis definitio illud non explicaret, quatenus ponitur in definitione sui relatiui, vt patet. Et hæc dicta sint satis pro hac quintadecima disputatione.



ARBOR PRÆDICAMENTI RELATIONIS.



DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De Qualitate, & Quali.



RElationem sequitur Qualitas; quia cùm noluerit Philosophus de ipsa agere ante relationem, ob rationem jam adductam in principio præcedentis disputationis, nullo alio aptiori loco videbatur, quàm hic esse collocanda: nam cùm sit accidens intrinsecum formaliter inhęrens substantiæ, atque idcirco reliquis prædicamentis perfectius, quæ magna ex parte in quibusdam denominationibus ab extrinseco (modo tamen suo loco explicando) consistunt, ipsa præcedere debet, & consequenter hoc in loco tractari.

QVÆSTIO I.

Vtrùm definitio Qualitatis tradita à Philosopho sit bona.



A SOlent hoc loco indagare Doctores, in quo consistat ratio formalis, & essentia Qualitatis in communi, quod tantùm abest esse proprium præsentis negocii, vt Aristoteles 5. Met. cap. 14. vbi quidditates, & essentiæ talium generum, seu prædicamentorum definiri solent, nullam qualitatis definitionem tradiderit; non quòd eius essentiam, & quidditatem ignorauerit, vt arbitratus est Onna hic q. 1. art. 1. sed quia ob maximam obscuritatem, quam importat, congruentiùs esse duxit tantummodò eius species explicare, ac definire, quàm legentis intellectum confundere; cùm præcipuè ipsum non lateret ex speciebus naturam generis possibile esse inuestigare. Quamobrem hoc supposito, nimirum, Qualitatem vt sic,
B ex communi conuenientia suarum specierum nil aliud esse, quàm *Dispositionem, siue ordinem substantiæ*: antequàm Aristotelicam definitionem adductam in hoc capite explicemus, quædam breuiter supponenda sunt.

Supponendum est ergo, quòd variis modis sumitur Qualitas ab Aristotele 5. Met. cap. 14. & 18. Primo enim sumitur pro quacunque differentia, etiam essentiali; & in hoc sensu differentiæ sæpè appellantur qualitates generis, vnde prædicantur in quale quid: secundo sumitur pro omnibus accidentibus, siue propriis, siue communibus cuiuscunque prædicamenti; quare omne accidens prædicatur in quale, non solùm quoad modum significandi, vt differentiæ, sed etiam quoad rem significatam: tertio denique sumitur qualitas, prout significat, hoc speciale prædicamentum, à quo

à quo propriè; ac simpliciter denominamur quales, & per quod respondetur ad interrogationem factam per quale, quatenus distinguitur ab alijs interrogationibus factis per quid, quantum, vbi, quando, &c. & in hac tertia acceptione definitum fuit huiusmodi prædicamentum à Philosopho, non quidem rigorosè, & propriè in abstracto, sed tantùm impropriè, latè, & in concreto, dum dixit: *Qualitatem autem voco, secundùm quam quales esse dicimur*: tum quia generalissima non possunt propriè definiri, tum etiam quia, cùm vix appareat aliquid, in quo conueniant omnes species qualitatis ab Aristotele assignatæ vix poterit ipsa qualitas commodiùs describi, quàm per eius effectum formalem significatum nomine sui concreti, quod nobis est aliquantulum notius: siquidem non facilè apparet nomen aliud clarius qualitati in communi adæquatè B respondens. De tali ergo definitione, seu potiùs descriptione modò quæritur, an sit benè assignata, eo modo quo assignari potest.

Prima sententia est quorundam modernorum, talē non admittentium definitionem; non quia, sicut, & reliquæ summorum generum, impropria, & lata est; sed quia nugatoria, & puerilis. Ita Hurt. disp. 14. Met. sect. 1. & alii.

Secunda verò sententia docet huiusmodi definitionem in suo genere, & eo modo quo potest, non esse contemnendam, ac licet ipsa vti, sicut de facto Philosophi vsi sunt. Ita ferè omnes.

Notandum idcirco est ex Arist. 6. topic. cap. 2. definitionem tradi per notiora, dupliciter contingere posse, nempe vel per notiora secundùm se, vel per notiora nobis. Tunc definitio traditur per notiora C secundùm se, quando traditur per priora, vt quando definitur linea per punctum, dicendo, *Linea est quantitas continua causata ex ductu puncti*. Tunc verò traditur per notiora nobis, quando datur per ea, quæ estò secundùm se sint ignotiora, tamen quia sunt posteriora, & compositiora, sunt nobis magis nota; vt dum definitur punctum per lineam, dicendo, *Punctum est extremum lineæ*. Cùm autem in definitionibus procedendum non sit in infinitum; quando res posteriores per priores definimus, necessariò deueniendum est ad aliquam primam, quæ non possit per aliam priorem definiri, & consequenter neque habere propriam definitionem, vt patet de linea, dum definitur per punctum, quod non habet aliud prius supra se; quod tamen si ampliùs explicare velimus, retrocedendum erit ad D posteriores res, quæ nobis magis sunt notæ, vt patet dum definitur per lineam, & hæc per superficiem, ac superficies per corpus, &c. Ex quo autem fit, quòd non incongruè definitur aliquod abstractum per suū concretum tanquam per rem nobis notiorem, præcipuè quando non facilè apparet aliquid aliud clarius per quod possit definiri, vt accidit in præsenti.

Dicendum est ergo, quòd definitio Qualitatis tradita ab Aristotele non est rigorosa, & exacta, sicut & cæteræ aliorum prædicamentorum, tamen in suo genere est bona.

Probatur prima pars: quia in ea ponitur nomen deriuatum à nomine definiti, quod quidem in omnibus definitionibus etiam impropriis vitandum est, nisi quando aliter fieri nequeat, vt hic contingit, cùm non appareat distinctè, & clarè, aliquid, in quo communiter conueniant omnes species qualitatis, sicut in

A cæteris prædicamentis: ergo non est ita exacta, &c.

Probatur secunda pars: quoniam in tali prædicamento non apparet aliquid, in quo conueniant omnes species qualitatis assignatæ à Philosopho, nisi eius effectus formalis, nempe qualificare, quod satis clarè importatur per nomen concretum, scilicet per quale, quod secundùm nos magis notum est, quàm qualitas ipsa, vt patet: ergo in tali genere definiendi imperfecto talis definitio bona, & recipienda est.

Obiicitur primò, quod in tali definitione definitum definiatur per se ipsum: siquidem à parte rei idem est qualitas, & quale: ergo mala definitio, cùm idem simul non possit esse notius, & ignotius.

Respondetur, in hac definitione non omnino idem definiri per se ipsum, sed eandem rem, quatenus est minus nota, & significatur in abstracto, definiri per se ipsam, vt significatur in concreto, in quo sensu est nobis notior. Quare definitum simul esset notius, & ignotius tantum respectu diuersorum, quod non implicat. Qui modus definiendi licèt non sufficiat ad propriam, & rigorosam definitionem, sufficit tamen ad eam, quæ tantùm secundùm quid, & quoad nos est definitio.

Obiicitur secundò, quòd iam in definitionibus rerum absolutarum daretur circulus contra id, quod communiter docent Dialectici: Quinimmo manifestè ipsum commisit Aristoteles, cùm in hoc capite primò qualitatem per quale, secundò autem quale per qualitatem definiuit.

Respondetur, quòd propriè, & in rigore non dicitur circulus, nisi quando vnum definitur per aliud eodem modo, quo illud aliud definitur per ipsum, quod vtique non contingit in præsenti: nam qualitas quoad nos definitur per quale; quale verò secundùm se definitur per qualitatem. Vt autem, quantùm fieri posset, circulum istum licèt improprium euitaret Philosophus postquam definiuit qualitatem per quale, non statim quale per qualitatem explicuit, sed priùs declarauit singulas species eius, deinde subiunxit, *Qualia autem sunt ea, quæ ab his denominatiuè dicuntur*; qui modus circuli etiam in ipsis demonstrationibus licet, vt dicetur suo loco.

Obiicitur tandem tertiò, quòd in tali casu definitū ingrederetur definitionem, vt patet: ergo nullo modo admittenda est allata definitio.

Respondetur, non esse idem nomen, quod ponitur à parte definiti, & quod ponitur in definitione; nam illud est abstractum, istud verò concretum, quæ distinctio quidem sufficit in huiusmodi definitionibus, vt non absolutè, & omnino dicatur definitum ingredi definitionem:

Hoc tamen in calce huius quæstionis penitus non est ignorandum, nimirum, quòd talis definitio in concreto, vt seruet omnes leges definitionis concretorum accidentalium; facit huiusmodi sensum, scilicet *Quale est accidens substantiæ qualificatiuum*; hoc est, est accidens disponens, ordinans, modificans, & determinans (hoc enim sonat qualificare in præsenti) substantiam secundùm esse accidentale in se ipsa: eo ferè proportionali modo, quo differentia substantialis determinat potentiam materiæ secundùm esse substantiale: quare in abstracto èconrtà facit talem sensum, videlicet *Qualitas est qualificatio, seu dispositio substantiæ*; nempe est accidens disponens, ordinans, &c. vt

&c. vt dictum est suprà.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuisio Qualitatis in quatuor illa membra sit adæquata.

CVM nominibus habitus, & dispositionis; potentiæ, & impotentiæ; passionis, & passibilis qualitatis; formæ, & figuræ, variæ res significari soleant, ad tollendam ergo omnem æquiuocationem, quæ ex varietate istorum significatorum oriri posset, necessariò vndequaque putatur esse in hoc loco prænotandum, quid propriè ad rem nostram talia nomina significent, & importent.

Habitus nanque, prout ad præsens spectat, est qualitas, secundùm quam res benè, vel malè se habet, difficilè mobilis à subiecto, vt virtus, aut vitium, &c. Dispositio verò similiter est qualitas, secundùm quam res benè, vel malè se habet, facilè mobilis à subiecto; vt sanitas, ægritudo, &c. Naturalis autem potentia est qualitas fortiter productiua effectus; vt potentia nutritiua, augmentatiua in iuuentute, &c. Naturalis impotentia èconträ est qualitas debiliter productiua effectus; vt nutritiua, & augmentatiua in senectute, &c. Item passio est qualitas sensibilis, seu obiectiua proueniens ex aliqua breui alteratione, vt pallor ex metu, vel rubor ex verecundia, &c. Passibilis verò qualitas est sensibilis, seu obiectiua qualitas, sed ex aliqua fixa, firma, & permanenti alteratione proueniens; vt color rubeus, aut pallidus permanens in hominibus, siue id procedat à natura, siue ab infirmitate. Forma item est qualitas resultans ex dispositione, & ordinatione partium quantitatis in ordine ad se, connotando tamen materiam sensibilem illarum; vt forma Turris, e. g. quæ resultat ex dispositione partium, non vtcunque, sed lapidum, cæmentorum, lignorum, &c. Figura tandem est prædicta qualitas ex ordinatione partium resultans, absque connotatione tamen materiæ sensibilis illarum; vt sunt figuræ mathematicæ, e. g. Trianguli, Pentagoni, &c. aut figura animalium, arborum, &c., quæ abstrahunt à materia sensibili, puta marmoris, æris, auri, &c.

Circa tale quæsitum duæ extant sententiæ, quarum prima conatur probare talem diuisionem esse defectibilem, insufficientem, & inadæquatam. Ita Simpl. & Boet. relati a Ruuio hic cap. 8. q. 1. quos sequuntur ex modernis Mastr. & Bellut. hic disput. 7. art. 3. qui etiam pro se citant Scotum q. 36. prædicam. atque alii.

Secunda verò sententia docet talem diuisionem esse adæquatam, &c. Ita communiter ferè omnes, quare non est opus singulos singillatim referre.

Notandum est idcirco primò, habitum, ac dispositionem posse dupliciter considerari, vel materialiter, seu genericè; vel formaliter, siue specificè: primo modo nil aliud important, quàm dispositionem; seu qualitatem ordinantem, ac disponentem substantiam, vt benè, vel malè se habeat ad propriam naturam, vel operationem: secundo verò modo important

A eandem dispositionem subiecti ad benè, vel malè se habendum, &c. cùm hoc discrimine tamen, quòd si est habitus, importat talem qualitatem vt difficilè mobilem; si autem dispositio, eandem importat vt facilè mobilem à subiecto. Quare habitus, & dispositio, primò modo considerata constituunt vnum genus subalternum huius prædicamenti, sicut naturalis potentia, & impotentia, &c. constituunt tria alia genera subalterna, cùm non minùs in se includant, & contrahant qualitatem, seu dispositionem, & ordinationem subiecti vt proprium genus generalissimum, quam naturalis potentia, & impotentia, &c. At verò secundo modo considerata constituunt duas alias species subalternas, quod non faciunt potentia, & impotentia, & cætera alia membra diuidentia, & contrahentia qualitatem ex enumeratis. Et ratio est: B nam cùm prædicta tantùm distinguantur, vel vt imperfectum a perfecto, vt patet de potentia, & impotentia, passione, & passibili qualitate; vel tanquam idem cum aliqua connotatione, a se ipso absque ea considerato, vt patet de forma, & figura; nequeunt differre essentialiter, sed tantùm accidentaliter: èconträ verò habitus, cùm sit difficilè mobilis ex natura suæ causæ, à qua sumit speciem, e. g. per ordinem ad demonstrationem, si sit habitus scientiæ, aut per ordinem ad bonum honestum, si sit virtus, &c., quæ causæ propter efficacitatem, quam habent, sunt quid fixum, & stabile; non potest non distingui essentialiter, & specificè à dispositione, quæ vice versa ex natura suæ causæ inefficacis, & instabilis habet facilè C moueri à subiecto, vt patet de sanitate, & ægritudine: etenim ex diuersitate causarum per se, ac propriarum sumitur distinctio essentialis in effectibus, vt per se notum est.

Notandum secundò, quòd quando in qualitatibus aliarum specierum consideratur conuenientia, vel disconuenientia ad naturam sui obiecti, quæ consideratio tantùm per se spectat ad primam speciem, tales qualitates per se quidem sunt aliarum specierum, quarum sunt qualitates, sed per accidens, ratione scilicet talis considerationis, reducendæ sunt ad primam speciem qualitatis, cuius est talis consideratio; atque ita licèt per se spectent ad alias qualitatis species, reductiuè verò spectant ad primam; etenim color, e. g. qui est qualitas tertiæ speciei, & similiter figura, quæ est quartæ, si considerentur quatenus conueniunt naD turæ sui obiecti, spectabunt ad pulchritudinem; si autem quatenus non conueniunt, ad deformitatem. Itidem naturalis potentia, & impotentia, quæ sunt qualitates secundæ speciei; & calor, & frigus, quæ sunt qualitates tertiæ, si considerentur vt conueniunt, vel vt disconueniunt naturæ sui subiecti, spectabunt ad sanitatem, vel ægritudinem, quæ similiter sunt qualitates primæ speciei, sicut pulchritudo, & deformitas, vt in propria arbore inferiùs delineabitur: non tamen, quòd vna, & eadem qualitas sit duarum specierum, aut vna, alia fiat (hoc enim repugnat) sed quòd vna qualitas, quæ per se est vnius speciei, per accidens, ratione scilicet alicuius formalitatis accidentalis, quæ in ipsa considerari potest reducitur etiã ad illam speciem, cui conuenit per se, & essentialiter talis formalitas, quæ in ea est accidens. Et hoc idem dicendum est de aliis qualitatibus, quando in ipsis consideratur aliqua formalitas propria qualitatibus aliarum

rum specierum: etenim ægritudo si consideretur vt stabilis, & fixa; & econtra scientia vt facile mobilis; estò prima per se propriè sit de specie dispositionis, & secunda de specie habitus, per accidens tamen reducendæ sunt, prima ad speciem habitus, secunda ad speciem dispositionis; seu vt alii dicunt, licèt prima habeat essentiam dispositionis, & secunda essentiam habitus, statum verò nequaquam; nam prima habet statum habitus; secunda verò statum dispositionis: & in hoc sensu caliditas, & frigiditas quæ sunt qualitates tertiæ speciei, ponuntur à Philosopho in prima specie qualitatis.

Dicendum est ergo, quòd diuisio qualitatis in habitum, & dispositionem, &c. est adæquata. Probatur; quoniam modus, seu determinatio, aut dispositio, quam importat qualitas, vel accipitur in ordine ad ipsam naturam subiecti; vel accipitur secundùm actionem, & passionem, quæ consequuntur principia naturæ; vel tandem secundùm quantitatem. Si in ordine ad naturam, cùm hæc habeat rationem finis, sitque id, quod primò consideratur in re, sic ponitur habitus, & dispositio, quæ est prima species qualitatis, in qua sola attenditur ratio conuenientis, vel disconuenientis; seu boni, vel mali, vt dictum est. Si autem accipiatur secundùm actionem, & passionem, vel attenditur secundùm principium actionis, atque ita est secunda species, nempe naturalis potentia, vel impotentia; vel secundùm actionis, vel passionis terminos, & sic est passio, & passibilis qualitas, quæ est tertia species. Vel tandem prædictus modus, seu dispositio, & ordinatio est inter partes quantitatis, & sic est quarta species nempe forma, & figura: ergo cùm prædictus modus non videatur aliter accipiendus, diuisio prædicti modi, seu ipsius qualitatis erit sufficiens, & adæquata, neque erit aliqua qualitatas, quæ ad assignatas species non sit reducenda.

Pater Suarez disput. 42. Met. sect. 5. n. 6. multis rationibus arguit insufficientiæ allatum discursum; quarum prima (relictis aliis, quæ facilè resolui possunt ex notatis) talis est: nam si diuisio qualitatis in tertiam speciem desumeretur ex terminatione actionis, & passionis, vel talis terminatio esset actionis, & passionis, vt actio, & passio sunt, vel vt quidam motus sunt: si primum, sequeretur operationes intellectus, & voluntatis, & in vniuersum qualitates omnes, quæ per propriam actionem fiunt, pertinere ad prædictam tertiam speciem; atque ita, omnes habitus acquisiti in ipsa collocabuntur: Si secundum, sequeretur pariter, lucem solis, e. g. non esse passibilem qualitatem, immo nec lumen aeris, quia non fiunt per proprium motum, cùm tamen maximè faciant passionem in sensibus.

Respondetur, quòd diuisio qualitatis in tertiam speciem desumitur ex terminatione actionis, & passionis in ratione motus alterationis; & licèt lux non fiat per motum successiuum fit tamen per mutationem instantaneam, quæ est actus imperfecti, scilicet alicuius, quod erat in potentia; quod sufficit ad hoc, vt lux dicatur terminare motum, cùm definitio motus, ex multorum sententia, comprehendat sub se etiam mutationes instantaneas, quæ tamen sunt actus imperfecti, siue rei imperfectæ, &c.

Sed dicet fortasse aliquis: de ratione qualitatis tertiæ speciei non est terminare motum vtcunque, sed motū alterationis, qui est motus successiuus: ergo lux, &c. non sunt passibiles qualitates tertiæ speciei.

Respondetur, quòd non semper motus alterationis est successiuus, nisi fuerit alterationis successiuæ, quæ importat contrarietatem requisitam ad verum, & rigorosum motum successiuum; sed aliquando est instantaneus, vt patet in alteratione instantanea, quę est vera mutatio physica rei, quæ prius erat in potentia, per quam producitur qualitas sibi proportionata, quemadmodum est lux, vt docent Philosophi in libris de generatione, & corruptione.

Secunda verò ratio, quam adducit Suarez contra probationem allatæ conclusionis, talis est; nam prædicta terminatio motus intelligitur de termino per se primò, propriam actionem, seu motum terminante, & sic albedo non erit passibilis qualitas, quia nunquā ita fieri potest, sed quatenus ex aliqua actione resultat, vt ex calefactione, frigefactione, aut aliqua mistione, Vel etiam intelligitur de secundario termino motus resultante ex primario; & sic, etiam figura erit passibilis qualitas, quia hoc modo fit per motum; & naturales etiam potentiæ possunt hoc modo terminare motum; ergo, &c.

Respondetur, quòd pro termino motus hic intelligitur terminus per se primò terminans propriam actionem, & motum. Ad id verò, quod dicitur de albedine, respondetur, quòd & si albedo, nigredo, &c. supponant alium motum per se terminatum ad species qualitatis, ex quarū mistione fiunt, non tamen sequitur fieri per simplicem resultantiam ex prædictis, sicut, e. g. sanitas, & ægritudo, vel figura, quæ resultat ex ordinatione partium quantitatis, &c. sed fieri ex aliquo motu ad ipsas per se primò terminato: nam re vera, præter illum primum motum, datur etiam iste secundus, quod apertè cernitur tum in motu augmentationis, qui licèt præsupponat motum alterationis, nihilominus est verus motus ab illo distinctus; tum etiam in actione volitiua, quæ estò supponat actionem intellectiuam, tamen est vera actio ab ipsa distincta, &c.

Tertia item ratio, quam adducit Suarez, talis est: nam eadem qualitas, quæ natura sua est acquisibilis per motum, ad hunc finem potest esse acquisibilis, vt afficiat subiectum secundùm naturam eius: ergo prædictæ differentiæ non solum res, sed nec etiam rationes formales qualitatis distinguere possunt. Consequentia benè deducitur. Antec. autem probatur: nam, quòd substantia sit ex se producibilis tantùm per creationem, & quòd sit natura intellectualis, non variat rationem formalem substantiæ, & similiter quòd quātitas sit nata ita afficere subiectum, & quòd sit producibilis per augmentationem, non sunt duæ rationes formales quantitatis: ergo nec fieri per motum alterationis, & ordinari ad afficiendum subiectum secundùm eius naturam, erunt duæ rationes formales, constituentes diuersas species qualitatis.

Respondetur, talem rationem optimè confirmare doctrinam superiùs traditam in secunda adnotatione, nec quidquam facere contra allatam probationem: quoniam, quòd qualitas producta per motum alterationis sit conueniens naturæ subiecti, in quo est, tantùm est affirmare, quòd qualitas per se propriè tertiæ speciei, vt conueniens naturæ sui subiecti, per accidens, per rationem scilicet talis consideration[is] reduca-

reducatur ad qualitatem primæ speciei: sicut quòd substantia spiritualis consideretur quatenus producta per creationem, est tantùm concludere, quòd per accidens, nempe secundùm talem rationem reducitur ad genus relationis: creatio enim passiua est relatio tertii generis, vt dictum est: sicut etiam quòd quantitas consideretur producta per augmentationem, est tantùm concedere, quòd per talem considerationem est reducibilis ad prædicamentum passionis: augmentari enim, siue augmentatio passiua est motus, siue passio accidentalis. Quod tamen non implicat, vt patet, cùm nulla sit implicantia, quòd vna qualitas tertiæ speciei reducatur ad qualitatem primæ, veluti principium ex quo resultat; sicut non implicat, quòd substantia reducatur ad relationem tanquam fundamentum eiusdem; & quantitas ad prædicamentum passionis veluti terminus eiusdem.

Quarta tandem ratio, quam vltimo loco adducit Suarez, talis est: nam esse modum, & dispositionem substantiæ, vt illi conuenientem, vel disconuenientem, est magis differentia transcendentalis pertinens ad rationem boni, quàm aliquid conferens determinatam specificationem entis; vel saltem est ratio respectiua, aut denominatio extrinseca; nam eadem qualitas, vni naturæ potest esse conueniens, alteri disconueniens: ergo prior illa differentia assignata in probatione allatæ conclusionis nequit constituere veram speciem qualitatis.

Respondetur negando antec. nam differentia transcendentalis, nempe bonum transcendentale addit conuenientiam enti vt sic, non verò talem conuenientiam, & tali enti, & ideò transcendit per omnia genera. Dispositio autem, quam important qualitates primæ speciei, non addit conuenientiam ita illimitatam, sed talem conuenientiam, scilicet ad benè esse, vel operari, ac tali naturæ, idest habenti capacitatem dispositionis, vel habitus, vt patet. Nec vllo pacto talis ratio differentialis primæ speciei constitutiua censenda est respectiua nisi adsummum transcendentaliter, & secundùm dici, ex eo quia alicuius subiecti dispositio, & ordinatio est. Neque minùs iudicanda est denominatio extrinseca: nam licèt eadem qualitas cæterarum specierum, per accidens, & reductiuè ad primam speciem qualitatis, vni naturæ possit esse conueniens, & alteri disconueniens, vt dictum est; non tamen eadem qualitas primæ speciei, cui propriè, & per se competit conuenire, vel non conuenire naturæ subiecti, in quo est: vitium enim, e.g. ægritudo, & deformitas vbicunque ponantur, semper habent rationem inconuenientiæ: econtrà verò virtus, sanitas, & pulchritudo semper habent rationem conuenientiæ, vt patet; quapropter non erunt denominationes extrinsecæ, cùm sint inuariabiles, ac permanentes, vbicunque per se, & vt sic; non autem per accidens reponantur.

Obiicitur primò in oppositum conclusionis, quòd ex Aristotele cap. 9. huius libri habetur: *Fortasse quidem igitur alius quispiam modus apparuerit qualitatis; sed ferè qui maximè dicuntur hi sunt*: ergo huiusmodi diuisio non est sufficiens, cùm non assignentur omnia membra diuidentia, sed tantùm famosa. Tum etiam, quòd asperum, & lene, siue leue, rarum, & densum sunt qualitates, & tamen ad nullam istarum spectant specierum: nam si ad aliquam spectarent, maximè ad

A quartam, à qua tamen ipsas reiicit Aristoteles, vt ibidem videre est: ergo præter quatuor prædictas sūt aliæ qualitatis species.

Respondetur ad auctoritatem Philosophi, quòd ibi locutus est ad modum rethorum per figuram Epitropen, modestiæ causa, nempe remittendo purgato iudicio, an præter assignatas sint aliquæ addendæ species. Quasi dicat, fortasse quidem alius posset extare qualitatis modus; sed talis, qualis sit, pro nunc consideranti relinquitur, & si quis illum scit, adducat; isti enim, meo iudicio, sunt propriè ac maximè qualitatis modi, seu species. Vel potiùs dicendum est, quòd ibi Philosophus intellexit de aliis modis, seu differentiis diuisiuis generum inferiorum, suarumque specierum constitutiuis; non autem immediatè diuisiuis supremi generis, ac superiorum subalternorum

B generum constitutiuis, quæ differentiæ maximè principales dicuntur. Ad rationem autem dicendum est, quòd asperum, & lene, siue leue; rarum & densum licèt videantur qualitates, propriè tamen (vt hoc loco inquit Philosophus) pertinent ad prædicamentum Situs: nam rarum est cuius partes distant; densum verò, cuius partes propè sunt: similiter asperum est id, cuius partes sunt aliæ aliis eminentiores; lene verò, cuius partes quasi in recto sitæ sunt. Quæ omnia, satis patet ad dispositionem partium in loco pertinere.

Obiicitur secundò, tum quòd facilè, ac difficilè mobile à subiecto ferè idem sunt quòd citò transiens, & diu permanens: ergo non sunt duæ species diuersæ. Tum quòd species intelligibiles, character, virtutes

C supernaturales, & gratia ad nullam prædictarum specierum videntur pertinere, & tamen sunt qualitates: ergo plures quatuor assignandæ sunt qualitatis species.

Respondetur ad primam rationem, quòd licet vt sic difficilè, & facilè mobile; permanens, & citò transiens inter se videantur æquiualere; tamen rigorosè, & vt ad præsens attinet, essentialiter, & specificè differunt: difficilè enim, & facilè mobile desumuntur per ordinem ad dispositionem subiecti, vt difficilè, vel facilè amouibiliter, benè, vel malè se habeat: permanens autem, & citò transiens desumuntur per ordinem ad dispositionem subiecti terminantem longo, vel breui tempore motum alterationis, vt dictum est, quæ sunt duæ differentiæ essentialiter con-

D trahentes qualitatem, ac constituentes illius species, vt dicetur quæstione sequenti. Ad alias verò rationes respondetur, species intelligibiles impressas esse de secunda specie, quia ex natura sua complent potentias operatiuas tanquam concausæ ipsarum: expressas verò de prima, siquidem sunt dispositiones, cùm ex natura sua sint facilè mobiles, ordinenturque ad benè, vel malè esse potentiæ, vt docent Philosophi. Characteres autem sunt de secunda specie; nam character Baptismi pertinet ad potentiam passiuam, quia non ordinatur ad aliquam actionem, sed potiùs ad receptionem Sacramentorum: characteres verò Confirmationis, & Ordinis pertinent ad potentiam actiuam, quia ordinantur ad actiones hierarchicas: virtutes tandem supernaturales, & gratia habitualis, cùm sint habitus infusi, vt docent Theologi, erunt de specie prima qualitatis, cùm omnes sint quid difficilè mobile à subiecto, estò gratia per vnum actum peccati mor-

mortalis amittatur.

Obiicitur tandem tertiò, quòd species visibiles in aere sunt qualitates, & tamen non qualificant subiectum illo, vel alio modo: ergo aliunde, species aliæ qualitatis sunt assignandæ. Item actus immanentes, qui etiam sunt qualitates, ad nullam ex prædictis speciebus videntur spectare: ergo aliæ species sunt assignandæ.

Respondetur, quòd species visibiles non sunt in aere tanquam in subiecto sibi connaturali, & capaci omnium rationum formalium, quæ in prædictis formis inueniuntur; sed sunt in aere tanquam in medio, cùm illi inhæreant, non vt ibidem sistant, sed vt possint deuenire ad suum proprium, & connaturale subiectum, seu potiùs quasi subiectum. Vnde mirum non est, quòd non qualificent tale subiectum, constituendo ipsum in actu primo ad agendum. Subiectum autem siue quasi subiectum connaturale, & capax prędictarum rationum formalium, quas important vt *quo* prædictæ formæ, siue species visibiles, est potentia visiua, cum qua actiuè concurrunt ad operandum, nempe ad videndum, atque ideò prædictam potentiam afficiunt, & qualificant, eam constituendo in actu primo ad talem operationem; & hinc est, quòd superiùs dictum est, simul cum ipsa spectare ad secundam speciem qualitatis, nimirum ad naturalem potentiam. Ad illud verò, quòd de actibus immanentibus secundo loco dicebatur, respondetur, eos similiter spectare ad secundam speciem, nempe ad actiuam naturalem potentiam, cùm tales qualitates etiam disponant suum subiectum, vt principia agendi, vt patet de potentia cognoscitiua, & appetitiua, &c.

Obiicit Suarez, vbi suprà n. 14. contra istam responsionem de actibus immanentibus, locum Philosophi ex 10. Ethic. cap. 3. quem vocat difficilem, eumque soluit, licèt diuerso modo, quo nunc soluendus est; inquit enim Philosophus: *Atqui neque si voluptas non est qualitas, propter hoc bonum non est; neque enim operationes virtutis sunt qualitates, neque fælicitas ipsa, &c.* sed voluptas, fælicitas, & operationes virtutis sunt actus immanentes, vt constat: ergo actus immanentes non sunt qualitates.

Respondetur, quòd tota difficultas citò euacuabitur, si attente Philosophus perlegatur: quoniam allata verba non sunt de mente ipsius Philosophi; sunt autem argumenta Platonicorum contra positionem Eudoxii, qui intendebant quatuor probare rationibus, delectationem non esse de genere bonorum, quia bonum pertinet ad qualitatem, sed delectatio (dicebant Platonici) non est qualitas: ergo non est bona: bonum enim dicitur non tantùm in qualitate, sed in omnibus generibus. Itaque negauit Philosophus consequentiam; non autem concessit exinde, quòd delectatio nō sit qualitas.

✠

QVÆSTIO III.

Vtrùm prædicta diuisio qualitatis sit generis in suas species.

HViusmodi quæstio omnino resoluta manet ex præcedenti; quare breuissimè tractanda est, vnica scilicet conclusione responsiua quæsito.

Extant tamen in hoc negocio duæ opiniones, quarum prima est Tatareti, Ioannis de magistris, Orbelli, Antonii Andreæ, Maioris, Fabri, quos citant, ac sequuntur Mastrius, & Bellut. disput. 7. q. 3. art. 3. n. 120. qui etiam pro se citant Scot. in 4. distinc. 1. q. 1. asserentium prædictam diuisionem esse tantùm subiecti in sua accidentia.

Secunda verò sententia, docet esse generis in suas species, Ita communiter Thomistæ, quibus etiam videtur fauere ipse Scot. q. 36. prædicam. §. *Ad omnes istas, &c.*

Dicendum ergo est, allatam diuisionem qualitatis esse generis in suas species. Probatur: Tum quia omnia illa membra participant rationem qualitatis simpliciter, & ratio prædicta qualitatis eadem est in omnibus speciebus qualitatis ex assignatis: ergo, &c. Tum etiam quia prædicamentum est genus generalissimum, quod vniuocè prædicatur de suis inferioribus: sed quale, siue qualitas est generalissimum ex dictis, & prædictæ quatuor species sunt eius inferiora: ergo vniuocè prædicatur de illis.

Talibus rationibus nonnullas adhibent responsiones Mastr. & Bellut. ibidem, n. 122. sed quia ex dictis iam impugnatæ manent, breuitatis gratia relinquuntur.

Obiicitur tamen primò in oppositum, quòd Philosophus in hoc cap. dicit: *Est autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur*, hoc est, non vniuocè; & lib. 5. Met. cap. de quali, inter qualitates enumerat etiam qualitates substantiales, nempe differentias, quibus cum accidentalibus nihil potest esse commune vniuocum: ergo, &c.

Respondetur, qualitatem dupliciter sumi posse, nempe largè, prout comprehendit, sub se etiam differentias substantiales; vel strictè, pro prædicamento tantùm accidentis, &c. quemadmodum sumitur in præsenti. Primo modo, ratio qualitatis dicitur analogicè, in quo sensu locutus es Philosophus locis citatis; non autem in secundo.

Obiicitur secundò, quòd passio non denominat subiectum simpliciter quale: passus enim ruborem, non dicitur rubeus; & D. Paulus videndo per transitum diuinam Essentiam, non idcircò denominatus fuit beatus: ergo passio est tantùm qualitas secundùm quid, & consequenter ratio qualitatis, non dicitur vniuocè, &c.

Respondetur, quòd passio est simpliciter qualitas, & facit simpliciter quale, licèt non habeamus nomen, quo possimus explicare effectum formalem illius respectu subiecti, in quo est.

Obiicitur tandem tertiò, quòd impossibile esset, vnam speciem componi ex pluribus qualitatibus: sed

sed omnes prædictæ species componuntur ex pluribus qualitatibus; prima enim componitur ex habitu, & dispositione; secunda ex naturali potentia, & impotentia, &c. ergo non sunt veræ species, & qualitas respectu ipsarum non est verum genus, &c.

Respondetur, prædictas species vtique non esse compositas; si tamen explicentur iuxta dicta antecedentis quæstionis, notando primo.

QVÆSTIO IV.

Quo modo proprij conueniant qualitatibus tres illæ proprietates à Philosopho assignatæ.

EXplicatione tantùm indiget præsens quæstio: omnes enim Philosophi quoad substantiam rei conueniũt; discrepant verò aliquantulum quoad modum explicandi.

Notandum est idcirco primò, suscipere magis, & minùs, seu intendi, & remitti, posse dupliciter considerari: primò cum variatione, ita vt eadem qualitas in eodem subiecto, modò intensior, modò remissior fit secundùm variationem operationis suæ causæ; secundò verò inuariabiliter, ita vt eadem qualitas in eodem subiecto de se non augeatur, aut diminuatur saltem de potentia ordinaria, licèt de se habeat veram latitudinem intensiuam, & remissiuam. Primo modo intendi, & remitti contingit in aliquibus qualitatibus, quæ sunt termini alterationis, ex eo, quòd causa nunc fortiùs, nunc debiliùs operatur, vt patet in calore, & frigore; & hoc modo certum est, non omnes qualitates suscipere magis, & minùs. Secundo verò modo intendi, & remitti contingit in pluribus, & fortasse in omnibus qualitatibus secundæ speciei: intellectus enim, & voluntas, atque multæ potentiæ sensitiuæ, licèt habeant latitudinem gradualem intensiuam, aut remissiuam, cuius signum est, quòd in diuersis subiectis modò inueniuntur magis, modò minùs intensæ, in eodem tamen subiecto seruant semper per se eandem intensionem, aut remissionem, estò per accidens, ob variationem scilicet dispositionum in organis, sæpè contrarium appareat; & hoc etiam modo certum est, non solùm qualitates quartæ speciei, verùm etiam ferè omnes primæ, & tertiæ speciei non suscipere magis, & minùs. Ex quo autem fit, quòd ad hoc, vt suscipere magis, & minùs dicatur conuenire omnibus qualitatibus (exceptis tamen qualitatibus quartæ speciei) non debet sumi altero ex his modis, sed vt sic, & secundùm se, prout scilicet abstrahit ab hoc, vel illo modo, qui modi per accidens se habent ad veram rationem latitudinis gradualis.

Notandum secundò, quòd sicut nomen qualitatis solet transferri ab hoc prædicamento ad alia; ita similitudo, & dissimilitudo, quæ significant relationes in veris qualitatibus fundatas, transferri solent ad significandas relationes, quæ fundantur in aliis prædicamentis; quo sensu, duas substantias, duas quantitates, aut relationes solemus appellare similes, quando sunt eiusdem speciei; dissimiles verò, quando sunt specie distinctæ. Sed hoc non tollit, quominùs similitudo, & dissimilitudo propriè sumptæ tantùm significent relationes, quæ fundantur in veris qualitatibus, vt patet.

Dicendum est ergo, quòd prima, & secunda proprietas conueniunt Qualitati primo modò proprii, nempe soli, sed non omni; tertia verò quarto modo, nempe omni, soli, & semper.

Probatur: quoniam habere contrarium non conuenit luci, estò sit qualitas: suscipere magis, & minùs non conuenit iustitiæ, & sanitati, &c. in abstracto, licèt ipsis conueniat in concreto: neque conuenit formæ artificiatorum, aut figuris mathematicis: certum est enim vnam formam artefactam non esse magis formam artefactam, quàm alia; neque vnum circulũ, aut triangulum esse magis circulum, aut triangulum, quàm sint alii: fundare verò relationem similtudinis per se primò, & propriè conuenit omnibus qualitatibus cuiuscunque speciei, solisque illis, atque semper, vt discurrenti per singulas species patere poterit: ergo prima, & secunda proprietas conueniunt qualitati primo modo proprii; tertia verò quarto.

Obiicitur primò in oppositum, quod omnia contraria sub eodem genere ponuntur: sed qualitas non ponitur sub aliquo genere, cùm sit genus generalissimum: ergo qualitas non habet contrarium.

Respondetur, quòd licèt qualitas accepta in communi, & vt genus generalissimum est, non ponatur sub alio genere, neque vt talis habeat contrarium; tamen quatenus est in suis speciebus, quarum aliquæ inter se contrariantur, bene habet contrarium, & ponitur sub genere.

Obiicitur secundò, quòd omnia indiuidua speciei substantiæ, e. g. dicuntur similia per formam suæ speciei; cùm species sit tenuis similitudo omnium suorum indiuiduorum: ergo non conuenit soli qualitati secundùm ipsam simile, vel dissimile dici, & consequenter non est proprietas, qualitati quarto modo conueniens.


Respondetur, quòd licèt species sit similitudo essentialis suorum indiuiduorum, quinimmo potiùs dicatur identitas; tamen non est similitudo accidentalis, quæ propriè est similitudo, de qua loquimur in præsenti; ideòque indiuidua substantiæ non dicuntur per suam speciem similia similitudine accidentali, cùm hoc conueniat tantùm qualitati.


Obiicitur tandem tertiò, quòd relatio similitudinis non est accidens qualitatis, cùm non distinguatur ab ipsa saltèm iuxta sententiam asserentium, quòd relatio à fundamento non distinguatur: sed passio, seu proprietas debet esse verum accidens sui subiecti: ergo dici simile, vel dissimile non est proprietas proprissima qualitatis.

Respondetur, quòd posito, quòd relatio non distinguatur realiter a fundamento (quod tamen absolutè negatur) non tamen sequetur intentum argumenti; nam adhoc vt talis similitudo sit proprietas, sufficit, quòd sit aliquid posterius qualitate in ratione formali, aut quasi quid dependens, in ipsa qualitate fundatum: etenim sicut vnum, & verum appellari solent entis passiones, quamuis ab ente non distinguantur realiter; ita similitudo vocari poterit passio qualitatis, licèt à qualitate non distinguatur realiter.


ARBOR


ARBOR PRÆDICAMENTI QVALITATIS.





Impotentia { Ad huiusmodi impotentiam pertinent omnes prædictæ species, cum hac limitatione, nempe quatenus principia sunt debiliter operandi.





DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De sex vltimis Prædicamentis.



Dvabus de causis fortasse Philosophus pauca nobis tradidit de sex vltimis prædicamentis; vel quia de ipsis in tertio, & quarto Physicorum erat acturus; vel quia ex collatione quatuor priorum sufficientem notitiam habere possumus: nam ex substantia, & superficie continente, quæ appellatur locus, cognoscitur *Vbi*: & ex substantia, & tempore, quod est altera species quantitatis, cognoscitur *Quando*: similiter ex substantia, & relatione propinquitatis, & distantiæ, *Situs*, & *Habitus*: ac tandem ex substantia, & qualitate, quæ est potentia actiua, cognoscitur *Actio*, & *Passio*. Ex quibus etiam sumitur horum prædicamentorum perfectio, & ordo: nam quia qualitas perfectior est quantitate & quantitas relatione, ideò Actio, & Passio præponuntur *Vbi*, & *Quando*, & hæc *Situi*,

A & *Habere*, siue *Habitui*. Cæterùm, quia nonnulla circa definitiones, species, ac proprietates horum sex prædicamentorum videbantur in Logica desiderari, Gilbertus Porretanus addidit Opusculum de sex principiis inscriptum, ex quo, maiori facilitate arbor, ac series prædictorum delineare, atque describere possimus.

QVÆSTIO I.

B *An sex vltima Prædicamenta consistant in denominatione extrinseca.*



Præsens quæsitum, supponendo hæc sex prædicamenta verè, ac propriè habere rationem prędicamentorum, omnino videtur excludere quorundam opinionem, qui asserebant, ex decem prædicamentis, sola quatuor priora, nempe Substantiam, Quantitatē, Relationem, & Qualitatem esse verè, ac propriè prędicamenta; cætera verò tantùm esse quasdam complicatio-

plicationes, seu aggregationes quorundam prædicatorum minùs imperfectorum, ex quibus nec genera, nec species, neque prædicamentales ordinationes constitui possunt, nisi per quandam similitudinem, & analogiam ad illa quatuor; atque ideò (dicebant ipsi) Aristotelem paucissimis verbis, & admodùm perfunctoriè genera, & species eorum distinxisse. Hoc autem non videtur satis verisimile, cùm Aristoteles cap. de incomplexis, absque distinctione enumerauerit decem prædicamenta, & posteà, quatuor illis propositis, enumerauerit Actionem, & Passionem cum reliquis. Quapropter tali opinione vndequaque exclusa, tantùm quærendum est in quo consistant, an scilicet in aliqua denominatione extrinseca, vel intrinseca.

Prima sententia est Heruæi quodlib. 1. q. 9. Iauell. 5. Met. q. 23. Soti in hoc lib. cap. 9. Soncin. 5. Met. q. 40. & 41. Fonse. ibidem cap. 15. q. 7. sect. 3. & aliorum afferentium hæc sex vltima prædicamenta consistere in pura denominatione extrinseca, ex adiacentia alicuius extrinseci deprompta.

Secunda verò sententia, à tali denominatione extrinseca, tria ex illis tantùm exceptuat, nempe Actionem, Passionem, & Situm; reliqua verò tria, videlicet Vbi, Quando, & Habere affirmat cum prima sententia, in pura denominatione extrinseca consistere. Ita Philippus à SS. Trinitate 3. p. Summæ philoso. q. 16. per omnes articulos, qui pro se alios citat, præcipuè D. Thomam pluribus in locis.

Tertia tandem sententia docet hæc sex vltima prædicamenta non esse puras denominationes extrinsecas, sed formas quasdam, & accidentia intrinseca relicta in subiecto ex aliquo extrinseco adiacente. Ita Gilbertus. Albertus Mag. D. Thom. quos refert, & sequitur Capreol. in 2. dist. 2. q. 1. ar. 3. ipsos quoque sequuntur Sanch. lib. 3. log. Gonz. p. p. q. 10. disput. 22. ad 3. Complut. hic disput. 16. q. 1. n. 4. Mastr. & Bellut. disput. 8. q. 1. art. 1. & ferè omnes.

Notandum vnde est, denominationem extrinsecam tripliciter accipi posse, primò pro aliquo omnino extrinseco, à forma reali extrinseca desumpto, vt quando Deus denominatur Creator in tempore: secundò pro ipsa forma reali, vt extrinsecè aliquid denominat, vt creatio, quatenus extrinsecè denominat Deum creatorem: tertiò tandem pro aliquo intrinseco relicto in subiecto, proueniente à forma extrinseca denominante; vt ratio palmaris, vel bipalmaris, e. g. relicta in re mensurata ab extrinseca mensura illi adiacente. Primo modo, cùm denominatio extrinseca nihil ponat in re denominata, non est sufficiens ad constituendum aliquod prædicamentum: siquidem omnia prędicamenta accidentis dicuntur analogata analogia proportionalitatis propriæ, ac consequenter omnia intrinsecè denominare, & afficere debent primam substantiam, quæ est ratio importata per nomen accidentis. Neque minùs est sufficiens denominatio extrinseca secundo modo considerata; quoniam forma denominans iam supponitur esse in suo prædicamento, & consequenter vt denominans non debet reperiri in alio: creatio enim passiua, seu creatura ipsa vt talis, cùm sit in prædicamento relationis, dum Deum denominat creatorem in tempore, non videtur ponenda in aliquo alio prædicamento. Tertio tandem modo, nulla est implicantia vt denominatio extrinseca constituat diuersa prædicamenta, vt modò probandum est.

A Dicendum est ergo, quòd hæc sex vltima prædicamenta non sunt puræ denominationes extrinsecæ, sed formæ quædam, & accidentia alicuius extrinseci.

Probatur: quoniam distinctio penes intrinsecam, & extrinsecam denominationem eiusdem formæ non potest causare diuersa prima genera: ergo semel admisso denario prædicamentorum numero, non possunt hæc sex vltima consistere in pura denominatione extrinseca. Probatur antec. quia eadem omnino forma, quæ intrinsecè denominat subiectum, in quo est, denominat extrinsecè terminum, quem respicit per eundem, & vnicum effectum formalem eius: animal enim esse videns, & parietem visum non sunt duo effectus formales visionis, vt de se constat: ergo repugnat

B in tali forma prout sic esse duas essentias primò diuersas, & ex consequenti plura constituere prædicamenta.

Respondet Philippus à SS. Trinitate loco suprà citato art. 3. ad 2. quòd estò diuisio penes intrinsecam, & extrinsecam denominationem eiusdem formę, puta superficiei, temporis, &c. vt sic, non sit sufficiens ad constituenda diuersa prima genera, vt probat argumentum; nihilominus ratione alicuius connotati, videlicet mensuræ, aut ambientis extrinseci, quam potest importare talis forma, optimè constituere, ac causare quit: superficies enim, & tempus vt sic, non constituunt prædicamenta Vbi, & Quando, seu, quod idem est, non ponunt rem in loco, neque in tempore, sed quatenus mensuræ, & ambientia extrinseca ipsius sunt: & ratio est, quia Vbi, & Quando dicunt supra

C superficiem, & tempus rationem mensuræ extrinsecę per ordinem ad corpus, quod ambiunt: vnde ratione talis connotati superficies, & tempus distinguuntur ab Vbi, & Quando, seu à rebus, quas ponunt in loco, & tempore, tanquam includentia, & inclusa, quæ distinctio cùm sit realis, sufficiens est ad causanda, & multiplicanda diuersa prædicamenta, vt patet.

Contra tamen est, quòd prædicamenta accidentiũ constituuntur, & inter se distinguuntur ex diuerso modo, quo prædicata realia realiter insunt, siue inhærent subiecto, vel scilicet absolutè, vel respectiuè; vel ratione alicuius extrinseci, &c. vt dictum est suprà disput. 12. q. 2. quod etiam libenter admittit idem Philippus 3. p. summæ q. 11. artic. 1. sed denominatio extrinseca, etiam vt supponit prædictum

D connotatum suæ formæ, à qua procedit, non est prædicatum realiter inhærens subiecto, quod denominat: ergo non est sufficiens ad constituenda, & distinguenda diuersa prædicamenta accidentium. Maior satis liquet ex loco citato. Minor verò quamuis concedi debeat ab ipso Philippo negante prædicta tria prædicamenta constitui per aliquod intrinsecum, tamen ad maiorem notitiam hic probatur: nam si denominatio extrinseca, etiam ex suppositione connotationis suæ formæ, à qua desumitur, esset prædicatum realiter inhærens subiecto denominato, sequeretur, quòd denominatio extrinseca Creatoris in tempore, e. g. esset prædicatum realiter inhærens Deo, vt creator in tempore est, cùm & ipsa pariter supponat prædictam connotationem suæ formæ, nempe creaturæ in esse mensuræ: Deus enim, vt creator in tempore est, dependet, & mensuratur ab ipsa creatura, siue creatione passiua, à qua extrinsecè denominatur.

natur Creator, vt docent Theologi; sed hoc repugnat; ergo, &c.

Obiicit primò in oppositum conclusionis primæ sententia, quòd Gilbertus cap. 1. prope finem distinxit prædicamenta, quæ extrinsecùs contingunt, ab iis, quæ intrinsecùs se habent, illaque distribuit in sex principia: ergo consistunt tantùm in extrinseca denominatione.

Respondetur ex notatis, quòd scilicet res ab his prædicamentis possunt denominari cùm intrinsecè, tùm extrinsecè, intrinsecè quidem à modis, seu accidentibus ipsis inhærentibus, extrinsecè verò ab alio extrinseco adiacente, ex cuius adiacentia talis modus resultat in subiecto; & quia illud extrinsecum adiacens notius est, quàm modus realis intrinsecè subiecto inhærens, hinc sæpe explicari solent talia vltima prædicamenta per extrinsecas denominationes, quemadmodum illa explicauit Gilbertus, &c.

Obiicit secundò eadem prima sententia, quòd non sunt multiplicandæ entitates intrinsecæ, vbi solæ denominationes extrinsecæ sufficiunt: sed ex sola circumscriptione extrinseca superficiei continentis dicitur res esse in loco, & ex sola mensuratione extrinseca temporis dicitur esse in tempore, & sic de aliis; ergo præter has denominationes extrinsecas non sunt constituendæ aliæ entitates, & accidentia intrinseca.

Respondetur negando minorem; nam esse in loco, vel esse in tempore non important puras denominationes extrinsecas à loco, & tempore, sed peculiares modos essendi rerum, quæ sunt in loco, & tempore, in eisdem existentes, licèt alias prædicti modi, seu accidentia dependeant à rebus extrinsecis, sine quibus, ob minimam eorum entitatem nequeunt existere: Vbi enim dependet à loco, Quando à tempore, & sic de alijs dicendum est, vt infra explicabitur.

Obiicit tandem tertiò secunda sententia, quòd si debet poni in re aliquid intrinsecum, ratione cuius constituatur in loco, vel in tempore, etiam videtur ponendum in superficie, loco, & tempore aliquod aliud accidens intrinsecum, ratione cuius ambiant, & mensurent rem, constituanturque in esse loci, & temporis: sed hoc non est necesse, vt patet: ergo neque illud. Sequela Maioris probatur: quoniam non est maior ratio, vt ex adiacentia loci, & temporis resultet in re aliquod accidens intrinsecū, constituens rem in loco, & tempore, quàm ex adiacentia rei ad locum, & tempus resultet aliquod aliud accidens intrinsecum in loco, & tempore.

Respondetur negando sequelam maioris. Ad cuius probationem negatur paritas: nam ideò necesse est, quòd ex adiacentia loci, & temporis resultet in rebus accidens intrinsecum, eas constituens in loco, & tempore; quia sine tali adiacentia, de se non habent aliquid, ratione cuius constituantur in loco, & tempore. At verò ex adiacentia rerum ad locum, & tempus non est necesse, quòd resultet aliquod accidens intrinsecum in loco, & tempore, per quod constituantur, quia absque tali adiacentia locus est constitutus in esse loci, ac tempus in esse temporis, vt contingeret in vacuo (loquendo de loco) si tamen daretur: esset enim locus, licèt non repletus; & in annihilatione omnium generabilium, & corruptibilium (loquendo de tempore) si aliquando existeret: tunc enim maneret tempus mensurans motum primi mobilis, vt docet Philosophi: quare satis esset, quòd ex tali adiacentia rerum resultaret in loco, & tempore aliqua relatio, vt patebit infrà.

QVÆSTIO II.

An sex vltima prædicamenta sint quid absolutum, vel potiùs relationes.

PRæsens titulus excludit vndequaque opinionem illorum antiquorum, quos refert Heruæus quodl. 1. q. 9. asserentium hæc sex vltima prædicamenta consistere in aggregato quodam ex absoluto, & relatiuo; vnde separatim quærit an consistat in vno, vel altero extremo, nempe vel in esse absoluti, vel in esse respectiui; cùm prædicamenta debeant esse entia per se, ac simplicia, vt dictum est, non verò aliquod aggregatum.

Circa quod extant duæ sententiæ, quarum prima docet prædicta sex prædicamenta esse relationes prædicamentales; sed vt ipsa aliquo modo distinguant à proprio prædicamento relationis, non eodem modo defenditur à suis Patronis: Scot. enim in 3. dist. 1. q. 1. in 4. dist. 3. q. 1. & Quodl. 11. q. 4. quem sequuntur Scotistæ, ac præcipuè Mastr. & Bell. hic q. 12. ar. 1. qui pro se etiam citant Louanienses in hoc lib. Venet. 5. Met. cap. 36. & alios: hanc relatiuorum prædicamentalium excogitauit distinctionem: Quædam sunt (inquit) relationes intrinsecùs aduenientes, quæ, posito fundamento, atque extremis, necessariò insurgunt in eis, vt paternitas, & filiatio; aliæ sunt extrinsecùs aduenientes, quæ adhuc, posito fundamento, & extremis, non necessariò insurgunt, & ideò non ex natura extremorum proueniunt, sed ab extrinseco: tales sunt relatio vnionis inter materiam, & formam, & relatio inter locatum, & locum, de quibus constat, quòd existentibus extremis, nempe ipsa materia, & forma, vt dum separatur Anima à corpore, atque etiam locatum à loco, dum ipsum deserit, non sequitur relatio vnionis, aut locationis inter illa, nisi rursus ab aliqua causa efficiente, ac proinde extrinseca vniantur: Et in his relationibus extrinsecùs aduenientibus, ait consistere relationes horum sex Prædicamentorum. Capreolus autem in 2. distinct. 2. q. 1. cum aliis diuersa via incedit: ait enim sex vltima prædicamenta constitui ex his relationibus, quas quidem Scotus vocat extrinsecùs aduenientes, non quidē vt sic, sed quatenus fundantur in relationibus intrinsecùs aduenientibus, ac prædicamentalibus, siue spectantibus ad proprium prædicamentum relationis: at quia vnam relationem non posse esse fundamentum alterius declaratum est suprà disput. 15. q. 2. ad 1. hæc Capreoli explicatio, vt iam exclusa, relinquitur.

Secunda verò sententia docet hæc sex vltima prædicamenta esse tantùm relatiua secundùm dici, ac proinde non esse veras relationes, sed quid absolutum. Ita Heruæus quodl. citato. Soncin. 5. Met. q. 39. & 41. Iauell. ibidem q. vltima. Sot. & Masius in hoc capite: Sanch. ibidem. Compl. disp. 16. q. 1. & alij non pauci.

Notan-

Notandum idcirco est, impossibile esse relationes prædicamentales non resultare, posito fundamento, seu ratione fundandi, & termino; nam cùm extrema omnia relationis sint talia, hoc est relatiua ratione fundamenti, seu per rationem fundandi, implicat, quòd ipsis positis cum suis fundamentis, inde non resultet aliqua relatio, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco illis proueniat, qua ad inuicem sint relatiua; secus enim, posset quis affirmare ea esse, ac non esse relatiua; esse quidem propter rationem fundandi, qua posita, statim extrema ad inuicem referuntur, vt patet discurrendo per singula in vnoquoque genere: posita enim vnitate qualitatis inter duo alba, statim resultat relatio similitudinis, qua ad inuicem se respiciunt: similiter, posita actione, & passione generatiua inter duos homines, resultat relatio paternitatis, & filiationis: & posita tandem ratione mensuræ, & mensurati inter obiectum, & habitum, resultat relatio scientiæ ad scibile. Non esse autem relatiua, quia non daretur relatio ex ipsis resultans, vt supponitur, cuius speciei prædicta extrema possent esse inter se relatiua. Qua de causa, non ita facilè videtur quomodò intelligi possit illa Scotica distinctio adducta loco suprà citato, scilicet de relationibus intrinsecùs, & extrinsecùs aduenientibus, dum dixit primas esse; quæ posito fundamento, & termino non sequuntur; nec exempla ab ipso adducta videntur omnino conuincere: nam si positis materia, & forma, corpore, & loco, non inde resultat relatio (dato tamen, sed non concesso, quòd inter prædicta sit relatio prædicamentalis) hoc tantùm contingit, quia ibi nuda ponuntur extrema, absque rationibus scilicet fundandi, vt patet; si enim posita materia, & forma, poneretur pariter vnitio, siue informatio; & posito corpore, & loco, poneretur pariter approximatio, statim resultarent prædictæ suppositæ relationes prædicamentales.

Dicendum est ergo, quòd hæc sex vltima prædicamenta sunt tantùm relatiua secundùm dici; ac consequenter non sunt veræ relationes, sed quid absolutum. Probatur: nam propria ratio relationis prædicamentalis est esse *ad*, seu referre vnum ad aliud, vt dictum est suprà: sed hoc non conuenit his prædicamentis, vt constat discurrendo per singula: ergo, &c. Minor probatur: nam quatuor vltima prædicamenta ex propria ratione dicunt esse *in*: siquidem, Vbi facit rem esse in loco; Quando, in tempore: Situs disponit partes in loco; & Habitus resultat ex eo, quòd vestis sit in corpore. Similiter de Actione, & Passione idem patet; tum quia ex propria ratione non dicunt *Ad*; sed Actio dicit esse ab agente; Passio verò, esse in passo: tum etiam quia, si essent veræ relationes, necessariò essent mutuæ, quod tamen esse nequit; quia Actio, & Passio non sunt simul natura: illa enim est actus actiui, hæc verò passiui, ex 3. Phys. text. 29. actiuum autem est causa passiui, & consequenter quid prius illo, vt de se constat: ergo, &c.

Respondent Mastr. & Bellut. loco suprà citato negando minorem; ad cuius probationem dicunt, quod quatuor illa vltima prædicamenta dicunt *in* simul cum prædicamento Passionis. Item Actio dicit *ab*, causatque passum tantùm de materiali, sicut omnia accidentia tantùm de materiali dicunt *in*; veluti Pater, etiam de materiali causat filium: attamen de formali, omnia prædicta dicunt *ad*; qua de causa, nequeunt non esse relatiua prædicamentalia.

A

Contra tamen est, quòd illud importatur de formali, quod importatur vt constitutiuum; sed hoc modo importatur *in*, & *ab* a prædictis prædicamentis: ergo non de materiali, sed de formali importatur. Maior patet; forma enim, seu actus est, qui constituit. Minor verò probatur: nam tale *in*, quod importatur à prædictis prædicamentis, non est quodcunque *in* commune omnibus accidentibus, sed tale *in*, scilicet in tempore, in loco, in corpore, &c. sed per tale *in*, & *ab*, prædicta prædicamenta distinguuntur a cæteris vt dictum est suprà, quæstione antecedenti: ergo importatur vt constitutiuum. Probatur consequentia, quia idem est constitutiuum, & distinctiuum, vt constat. Cæterùm, si ob paruam entitatem, quam habent huiusmodi prædicamenta nequeunt commodè explicari nisi per ordinem ad aliud, hoc tantùm conuincit esse relatiua secundùm dici, non verò prædicamentalia.

B

Obiicitur primo in oppositum conclusionis, quòd hæc prædicamenta dependent in suo esse ab existentia illius extrinseci, ad quod ordinantur: ergo sunt veræ relationes secundùm esse, non verò aliquid absolutum. Consequentia videtur nota: siquidem in hoc differunt relatio secundùm dici, seu transcendentalis, & secundùm esse, siue prædicamentalis, quòd hæc requirit existentiam termini, non autem illa. Antec. autem satis videtur ostendi inductione, & etiam ex imperfectissima, & debilissima entitate horum prædicamentorum, quæ non rectè saluatur per hoc solùm, quòd dicant ordinem ad aliquod extrinsecum, nisi etiam requirant eius existentiam.

C

Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem dicitur, quod relationes dependere ab existentia alicuius extrinseci, non oritur formaliter ex eo, quòd sint veræ relationes secundùm esse, sed ex eo, quòd sunt entia imperfecta, & minimæ entitatis; quòd non solùm relationi, verùm etiam aliis entibus conuenit, vt patet de vnione, de alijs modis, quibus in hoc assimilantur ista prædicamenta. Quo fit, vt licèt non omnia relatiua secundùm dici, seu transcendentalia petant terminum actu existentem, vt patet de potentijs, & habitibus, in quo distinguuntur à prædicamentalibus, quæ semper ob minimam eorum entitatem talem postulant existentiam, vt dictum est supra disput. 15. tamen plura sunt relatiua secundùm dici, quæ etiam requirunt existentiam termini, non formaliter ex eo, quòd sint relatiua secundùm dici, sed ex eo, quòd sunt entia imperfecta, & debilissimæ entitatis, vt explicatum est; de quorum numero sunt ista prædicamenta, quæ proinde magis accedunt ad relationem prædicamentalem, quàm alia relatiua secundùm dici perfectiora, & per consequens minùs participant rationem absoluti.

D

Obiicitur secundò, quòd, Petrum esse in loco, vel habere Vbi, non est Petrus ipse, nec locus eum circumdās: ergo cùm sit aliquid, erit eiusdem relatio ad locum duntaxat. Probatur consequentia, quia cùm superficies continens Petrum, ipsi non inhæreat, nihil aliud acquirit, dum incipit esse in loco, præter relationem ad locum; nec aliquid aliud amittit, dum recedit à loco, præter eandem relationem: ergo Vbi nil aliud erit præter relationem; sicque de cæteris prædicamentis vltimis, quibus tale argumentum applicari

plicari potest.

Respondetur negando consequentiam; etenim Vbi non est sola relatio ad locū, sed est realis præsentia in modo absoluto, ac inhærente locato consistens; simul includens respectum transcendentalem ad locum, vel denominationem extrinsecam (modo tamen suprà explicato) ab ipso loco.

Obiicitur tandem tertiò, quòd in omnibus istis prędicamentis aliquid reperitur pertinens ad alia prædicamenta, nec ab illis inueniuntur distincta, nisi per superadditam relationem: ergo respectus, & relatio erit formalis ratio constitutiua eorundem, cùm pariter sit ratio distinctiua. Probatur antec. discurrendo per singula: nam Actio, & Passio dicunt eandem formam fluentem, quæ est in alio genere, & distinguuntur ab ea, & inter se inuicem per superadditos respectus, vt declarat Philosophus 3. Phys. text. 29. Vbi, dicit superficiem, quæ pertinet ad quantitatem, & distinguitur ab ea per respectum superadditum continentiæ. Situs dicit partes quantitatis, sed vario modo ordinatas ad locum. Quando dicit tempus, quatenus est mensura rei temporaneæ. Et denique Habitus dicit rem alterius prædicamenti, vt ab alio habitam: ergo, &c.

Respondetur negando Antec. ad cuius probationē dicendum est, quòd estò prædicta prædicamenta, de materiali connotent multa spectantia ad alia, & diuersa prædicamenta, vt probat argumentum; de formali verò tantùm important aliquod absolutum intrinsecè inhærens, per quod ab alijs distinguuntur, licèt ob paruam eorum, & imperfectissimam entitatem, postulent explicari per ordinem ad aliud, vt dictum est. Qua de causa fortasse Aristoteles loco suprà citato dixit, distingui ab inuicem per superadditos respectus, nempe per respectus transcendentales, qui sunt quid absolutum, explicabile tamen per ordinem ad aliud.

QVÆSTIO III.

Vtrùm definitiones, diuisiones, ac proprietates Actionis, & Passionis sint rectè assignatæ à Gilberto Porretano.

ESTO Actio, & Passio formaliter consideratæ, sint duo prædicamenta, inter se, & ab aliis realiter distincta, vt patet ex dictis non tantùm disput. 12. q. 2. eiusque append. verùm etiam ex pluribus rationibus, sparsim per totum præsentem librum adductis: quæ tamen entitatiuè consideratæ, sunt vnus numero motus, vt dictum est suprà, ex Philosopho prædicta q. 2. ad 3. hinc est, quòd de vtraque commune excitatur quæsitum, in quo tria quæruntur.

Circa primum supponere debemus, Gilbertum Porretanum, qui alio nomine Auctor sex principiorum dicitur, præfata prædicamenta ita definiuisse, dicendo, *Actio est, secundùm quam, in id, quod subijcitur, agere dicimur*, vt secans, quia in id, quod secatur, secans dicitur. *Passio verò est effectus, illatioque actionis*, vt secari.

Secundò supponendum est ex 3. Phys. vbi ex pro-

A fesso agitur de quidditate, & essentia horum prædicamentorum, plura reperiri in productione, seu actione physica alicuius effectus, e. g. in calefactione: primò enim inuenitur substantia, siue suppositum ignis, cui, vt *quod* tribuitur calefactio: secundò potentia operatiua, scilicet qualitas, per quam ignis constituitur potens, seu in actu primo ad calefaciendum: tertiò item effectus, nempe calor in ligno productus: quartò, motus, medio quo passum, scilicet lignum transit de non calido in calidum: quintò denique mutua relatio inter ignem, & lignum.

Tertiò tandem supponendum est, quòd in nullo prædictorum consistit essentialis, & metaphysica ratio actionis, & passionis: non quidem in esse substantiæ, seu suppositi; nam cùm actio sit actualis operatio, non potest esse principium remotum, & vt *quod*
B operationis, sicut est substantia, seu suppositum, neque minùs in esse potentiæ operatiuæ, cùm talis potentia in creatis distinguatur realiter ab actione, propriè, & essentialiter sumpta; nam qualitas, per quam agens dicitur agere, non est eius *actio*, vt patet, cùm solùm constituat agens in actu primo ad agendum: similiter non potest consistere in esse effectus, vt contendebant Soncin. 5. Met. q. 26. & alij; quoniam actio, & effectus eius sunt res pertinentes ad diuersa prædicamenta; calor enim productus in ligno est de genere qualitatis, actio autem est de genere proprio actionis, in relatione etiam ignis ad lignum minimè potest consistere, vt volebat Scot. locis in antecedenti quæstione citatis cum Scotistis; tum quia relatio est distinctum prædicamentum; tum etiam quia relatio
C fundatur in actione, & ex ipsa, & passione resultat: neque tandem consistere potest in motu, aut in dependentia, quam effectus habet à sua causa, vt volebat Suarez disput. 48. Met. sect. 1. n. 15. quoniam in creaturis, actio essentialiter sumpta, debet esse id, quod proportionaliter translatum in Deum, identificatur cum substantia eius (nam quod est accidens in creaturis, in Deo substantia est) & si Deus immediatè calefaceret lignum, e. g. talis motus non identificaretur cum Deo; quapropter certum est rationem essentialem actionis non cōsistere in motu, sed debere esse aliam realitatem vel formalitatem, à qua potentia constituitur in actu secundo, & proximè ad agendum, quod est ipsum agere, seu causalitas agentis; vt docent Philosophi 2. Phys.

D Quibus ergo suppositis, omnes illi Philosophi, qui iuxta præfatam doctrinam docent essentiam, & quidditatem actionis consistere in causalitate agentis, passionis verò in actuali receptione effectus, de quorum numero est D. Thomas, vt videre est in tabula aurea suorum operum, verbo *Actio*, & omnes eius veri discipuli; explicant prædictas definitiones in abstracto, hoc modo, videlicet, Actio est causalitas causæ efficientis; vel actus secundus potentiæ operatiuæ; item clariùs, Actio est accidens, à quo res constituitur actu producens; cum qua tamen definitione omnino coincidit illa, quam superiùs tradidit Gilbertus, vt patet: ex quibus etiam optimè sumitur definitio passionis; nam vt rectè inquit angelicus Doctor opusc. 48. tract. 6. cap. 3. sicut agere nihil aliud est, quàm causare formam in passo; sic pati nihil aliud est, quàm talem recipere formam; ac proinde potest definiri, seu explicari eius definitio tradita à Gilberto, hoc modo,

nempe

nempe Passio est actualis receptio termini; vel actus secundus potentiæ passiuæ; siue accidens, à quo res constituitur actu recipiens: vel tandem est forma faciens actu produci; hæc enim omnia inter se coincidunt, neque ampliùs indigent explicatione.

Circa secundum verò quæsitum, nempe circa diuisionem horum prædicamentorum, supponendum est, Gilbertum diuisiuisse actionem saltem, in eam, quæ est animæ, & in eam, quæ est corporis; in spiritualem scilicet, & in corpoream; quæ diuisio non est formalis, neque per se conueniens actioni, & passioni, sed tantùm per aliud nempe ratione subiectorum, in quibus fundatur, vt notant Mastrius, & Bellut. p. p. Instit. log. cap. 7. Quare Philosophi, dum formalem conantur prædictorum prædicamentorum tradere diuisionem in suas species; in varias sententias prolapsi sunt.

Quarum prima suadet, actionem, & passionem, prima sui diuisione diuidi in substantialem, & accidentalem; substantialem appellat, quæ terminatur ad substantiam; accidentalem verò, quæ terminatur ad accidens. Ita Suarez disput. 48. Met. sect. 6. n. 2. atque alij ex Societate Iesu.

Secunda verò sententia tenet actionem, & passionem, prima sui diuisione, diuidi in eam, quæ versatur circa præsuppositum subiectum, vt generatio; & in eam, quæ non versatur circa tale præsuppositum subiectum, vt creatio; Ita Ruuius cap. huius, atque alii.

Tertia denique sententia docet, actionem prima sui diuisione diuidi in immanentem, & transeuntem; idest in eam, quę non producit terminum extra agens, vt visio, auditio, &c. & in eam, quæ producit terminum extra agens, vt generatio, calefactio, &c. Passionem verò diuidi in substantialem, & accidentalem; hoc est, in generationem passiuam, & motum. Ita Sanch. Complut. ac multi alii hoc in loco.

Circa tertium tandem, & vltimum quæsitum, de proprietatibus scilicet istorum duorum prædicamentorum, supponendum est, Gilbertum, præter illas duas ab Aristotele assignatas, nimirum habere contrarium, ac suscipere magis, & minùs, alias duas addidisse; videlicet, actionem, & passionem esse semper cum motu, aut mutatione; vnamque inferre aliam. Qua de causa dubitant Doctores, quæ nam ex illis duabus conueniat actioni, & passioni quarto modo proprii: dubitant verò tantùm de his duabus vltimis, quoniam de primis certum est non conuenire actioni, & passioni ratione sui, sed ratione terminorum, & qualitatum, & consequenter nec conuenire illis quarto modo.

Prima enim sententia docet, tantùm vltimam conuenire actioni, & passioni quarto modo; tertiam verò non conuenire omnibus actionibus, & passionibus. Ita docere tenentur, qui ponunt in hoc prædicamento actionem sine præsuppositio subiecto, quemadmodum est creatio.

Secunda verò sententia affirmat, vtramque ex vltimis conuenire actioni, & passioni quarto modo proprij. Ita ferè omnes Philosophi.

Notandum est idcirco primò, quòd ad hoc vt actio reponatur in tali prædicamento, debet esse vera productio termini, ac debet supponere vt principium operandi potentiam operatiuam de genere qualitatis.

A Quapropter meritò debent excludi actiones illæ, quæ non producunt terminum, vt sunt nonnullæ sensationes, visio beata (saltèm in sententia D. Thomæ) & cæteræ actiones huiusmodi, quæ non sunt veræ productiones de hoc prædicamento, sed tantùm dicuntur actiones grammaticaliter, eo modo, quo se habet resistentia lapidis ad diuisionem. Similiter excluduntur ab hoc prædicamento omnes actiones Dei, siue immanentes, siue (virtualiter saltèm) transeuntes; vt intellectio, volitio, creatio, &c. nam esto producant terminum, tamen quia neque potentia operatiua Dei est qualitas, neque tales actiones sunt accidentia, sed ipsa substantia Dei, vt docent Theologi, non sunt actiones de prædicamento, vt patet. Huiusmodi etiã

B sunt quædam productiones, quæ solent appellari emanationes, ad distinctionem actionum prædicamentalium, vt emanatio, qua passiones fluunt ab essentia, & generaliter emanationes omnium accidentium à subiecto, exceptis illis, ad quæ datur per se motus, nempe quantitate, qualitate, & vbi, vt docent Philosophi 5. Physic.

Notandum secundò, ad prædicamentum passionis illas tantùm passiones pertinere, quæ ex natura sua præsupponunt, & consequuntur actionem prædicamentalem: quare non datur vera passio huius prædicamenti, quando proprietates recipiuntur in essentia, neque quando alia accidentia, per accidens producta recipiuntur in subiecto, vt cùm ad productionem albedinis, e. g. producitur in subiecto, seu potiùs resultat relatio in eodem, ad aliud album (nisi tamen ad

C ipsa detur per se motus (Qua de causa etiam creatio passiua creaturarum non est passio huius prędicamẽti, cùm actio Dei, quam supponit, non sit prædicamentalis. Non excluduntur tamen ab hoc prædicamento illæ passiones, quæ per accidens non producuntur ex vera actione prædicamentali; nam satis est, quòd per se, talem præsupponant actionem: si enim Deus per se ipsum calefaceret, aut moueret localiter lignũ, verè in hoc esset prædicamentalis passio, media qua reciperet calorem, aut vbi, quamuis actio Dei, quam tunc præsupponeret, non esset prædicamentalis, nam hoc esset per accidens, quippe cùm talis passio ex natura sua postulet actionem causæ creatæ.

Notandum est tandem tertiò ex D. Thoma p. 2. q. 1. art. 1. & p. p. q. 14. art. 5. ad 3. & alibi; specificationem actionis desumendam esse à principio,

D seu potentia operatiua; specificationem verò passionis, à termino per actionem producto: ratio enim est, quia actio, vt actio, dicit essentialem ordinem ad agens, est que proprius actus potentiæ operatiuæ: passio verò, vt passio, est receptio termini, & ad illum essentialiter ordinatur. Quare, quando potentia operatiua fuerit vna in specie, actiones erunt eiusdem speciei, etiam si termini sunt specie diuersi. Similiter, quandocunque termini fuerint specie distincti, passiones erunt diuersæ speciei, etiam si actiones sint eiusdem speciei. Quomodo autem verificetur hoc, tam in causis vniuersalibus, quàm particularibus, ex professo tradunt Philosophi 2. Phys. quando agunt de subiecto actionis.

Dicendum est ergo primò, Definitiones actionis, & passionis esse rectè traditas à Gilberto. Probatur; tum quia constant ex regulis definiendi accidentia in abstracto: tum etiam quia habent omnia requisita bonæ

bonæ definitionis vt sic: ergo, &c. Consequentia patet. Minor verò probatur, & primò quoad definitionem actionis; nam per ly *secundùm quam*, intelligitur forma, seu actus, aut accidens, quod ponitur loco generis, quia est gradus, seu prædicatum superius: per ly verò *in id, quod subijcitur*, intelligitur vel agens, cuius est forma, actus, & accidens, si sit actio immanens; vel intelligitur passum, in quo recipitur, si sit actio transiens; quod ponitur loco differentiæ, quia habet rationem subiecti: quæ particulæ adæquant totum definitum, idque non excedunt, vt patet: ergo habet omnia requisita definitionis vt sic, & accidentis in abstracto. Probatur verò eadem minor quoad definitionem passionis: nam per ly *effectus, illatioque actionis*, intelligitur actualis receptio, vel actus secundus, siue forma, aut accidens potentiæ passiuæ, vt explicatum est; ex quibus, actus secundus, forma, &c. quæ sunt prædicata, & gradus superiores, ponuntur loco generis; *potentia verò passiua*, quæ est subiectum ponitur loco differentiæ; quodvtique conuenit omnibus passionibus, siue substantiales, siue accidentales fuerint, vt est de se manifestum: ergo, &c.

Dicendum est secundò, quòd diuisio actionis in immanentem, & transeuntem; atque passionis in substantialem, & accidentalem: est diuisio adæquata, atque generis in suas species.

Probatur: quoniam illa diuisio dicenda est adæquata, & essentialis, generisque in suas species, quæ vndequaque, & essentialiter adæquat suum specificatiuum: sed huiusmodi sunt allatæ diuisiones: ergo, &c. Maior patet inductione; quoniam diuisio adæquata, & essentialis potentiarum est, quæ sua adæquat obiecta: sicut diuisio adæquata, & essentialis habituũ est, quæ essentialiter adæquat suos actus: & diuisio adæquata, & essentialis actuum est, quæ essentialiter adæquat sua obiecta, & sic de cæteris; cùm actus, & potentiæ specificentur ab obiectis, & habitus ab actibus, vt docent Philosophi. Minor verò probatur: quoniam specificatiuum actionis est potentia operatiua, quæ est vel immanens, vel transiens; qua de causa Philosophus 9. Met. text. 16. actionem in immanentem, ac transeuntem fortasse diuisit; passionis verò, terminus substantialis, vel accidentalis per operationem productus, vt notatum est suprà, tertio loco: ergo prædictæ diuisiones adæquant vndequaque suum specificatiuum.

Respondet Suarez disp. 48. art. 3. n. 15. negando minorem; ad cuius probationem dicit, quòd actio quidem sumit speciem ex principio agendi, non tamen insistendo in illo, sed vt relato ad terminum, seu vt determinato ratione illius ad talem actionem, nimirũ substantialem, vel accidentalem.

Contra tamen est, quòd actio formaliter, vt actio est, nempe vt distinguitur à motu, importat fluxum termini ab agente, non quidem in ratione termini, & complementi, ad differentiam motus, sed tantùm in ratione effectus, per quod distinguitur formaliter à motu, vt docent Philosophi 3. Phys. ergo licèt actio materialiter accepta, scilicet, vt importat totam operationem, & includit entitatiuè actionem, passionem, & motum, specificetur à principio operatiuo vt relato ad terminum, &c. seu ab ipso termino; non tamen formaliter vt actio est, & quatenus distinguitur à motu, in quo sensu loquimur in præsenti.

A

Dicendum est tertiò, quòd tertia, & quarta proprietas actionis, & passionis, nempe esse semper cum motu, atque vnam inferre aliam, conueniunt illis quarto modo.

Probatur: quoniam omnes, & solæ actiones, necnon passiones prædicamentales sunt materialiter, ac entitatiuè motus, seu mutationes, per quas producitur terminus in subiecto, quod est inferre passionem in materiam subiectam; ergo esse semper cum motu, & actionem inferre passionem, seu passionem inferri ab actione sunt proprietates, illis conuenientes quarto modo. Consequentia patet. Antecedens autem probatur: nam omnis, & sola actio prædicamentalis in sensu materiali, & identico, ordinat, & promouet subiectum ad terminum, seu ad effectum; & omnis, & sola passio prędicamentalis in eodem sensu similiter relinquit subiectum, in quo recipitur, in potentia ad eundem terminum siue effectum; ergo omnes, ac solę actiones, atque passiones prædicamentales sunt entitatiuè motus, seu mutationes, per quas producitur terminus in subiecto, &c. cùm motus de suo intrinseco, & formali conceptu nil aliud importet, quàm fluxum, & viam ab vno termino in alium, vt dici solet 3. Phys.

B

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd actio est causa passionis; passio verò est effectus illius: ergo malè definitur actio dicendo, quòd est secundùm quam, &c. idest, quòd sit accidens, vel forma, aut causalitas agentis, seu potentiæ operatiuæ. Antec. patet ex definitione ipsius passionis. Consequentia verò probatur: nam ratio effectus nequit intelligi sine dependentia à causa; & ratio causæ, nisi ab ea pendeat effectus: ergo actio non est causalitas agentis, &c. sed dependentia effectus ab ea.

C

Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd estò ratio causæ, & effectus importet dependentiam, quia tamen prædicta dependentia est per causalitatem ipsius causæ efficientis: intellecta enim tali causalitate, intelligitur statim & ipsa dependentia: quare cùm definitio essentialis debeat tradi per essentialia, & essentiale sit id, quod prius reperitur formaliter in re, optimè definitur actio per causalitatem agentis, quæ est quid primum formaliter; non autem per dependentiam, quæ supponit talem causalitatem.

D

Contra tamen est, quòd si ratio essentialis actionis esset causalitas agentis, causalitates aliarum causarum constituerent pariter alia tria prædicamenta, & sic non decem, sed tredecim erunt prædicamenta, quod non est asserendum: ergo, &c.

Respondetur negando sequelam maioris, quia non currit paritas de causalitate agentis, ac cæterarum causarum; nam causalitas agentis est quid completum & perfectum, atque ideò constituit prædicamentum actionis: cæteræ verò causalitates sunt quid incompletum, & imperfectum, vaganturque per multa genera, vt patet; ideò non constituunt determinata prædicamenta.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis: tum quòd effectus, & illatio idem sunt: ergo superfluè ponitur vnum illorum in tali definitione. Tum quia, cùm passio sit vnum ex decem prædicamentis, seu ex primis principiis, non est cui possit

esse

esse effectus alterius; aliter enim non esset primum principium. Tum denique quia eorum, quæ sunt idem realiter, vnum non est causa alterius; sed actio, & passio sunt idem realiter: ergo, &c.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt effectus, & illatio dicant idem secundùm eorum essentiam, tamen differunt secundùm modum essendi: se enim habent vt superius, & inferius; & vnum illorum contrahit aliud; quare nullum superfluum est. Ad secundam rationem respondetur, nullam esse implicantiam, quòd vnum primum principium formale in vno genere, causetur efficienter ab alio alterius generis, vt patet in omnibus prædicamentis, nam omnia sunt entia producta, & causata. Ad tertiam tandem, & vltimam rationem respondetur ex iis, quæ docent Philosophi 3. phys. scilicet actionem, & passionem esse idem entitatiuè, non verò formaliter; quapropter in sensu formali, vnum potest causare aliud.

Obiicitur tertiò in oppositum secundæ conclusionis ex Suarez disput. citata sect. 6. n. 2. quòd in rebus nihil fieri potest nisi substantia, aut accidens, vt constat: sed vtrunque eorum potest per se, & per propriam fieri actionem: ergo actio essentialiter diuidi debet in substantialem, & accidentalem, non autem in immanentem, & transeuntem.

Respondetur negando consequentiam: quia cùm actio non respiciat terminos, nempe substantiam, aut accidens, quæ per ipsam producuntur, sed tantùm agens, à quo est, non possunt prædicti termini ipsam specificare, ac diuidere; quia nihil specificatur, ac diuiditur penes id, ad quod non dicit habitudinem.

Contra tamen instat Suarez disput. citata sect. 3. n. 7. pluribus rationibus, quarum prima est, quia terminus comparatur ad actionem per modum formæ, & actus vltimi, propter quem primò, ac per se fit. Secunda, quia actio in re non est nisi ipsa forma, vel res, quæ fit, prout egreditur, & pendet ab agente. Tertia tandem, quia actiones ex terminis, ad quos tendunt, habent contrarietatem, & repugnantiam: ideò enim frigefactio, & calefactio contrariæ sunt, quia termini, ad quos tendunt, sunt contrarii. Item ex terminis habent communem denominationem: dicitur enim calefactio à calore, &c. ergo non potest negari, actionem dicere habitudinem, & ordinationem ad terminos, eosque respicere, &c.

Respondetur, has tres prædictas rationes tantùm probare actionem prout significat totam actionem, includitque passionem, & motum, debere respicere terminum, ad ipsum ordinari, ab eoque specificari: nam, cùm nihil aliud fit in tali sensu; quàm quidam motus, debet vtique ordinari ad terminum, & specificari ab ipso, vt docent Philosophi 5. Phys. Non autem probare, actionem formaliter sumptam, præcisè vt actio est, ordinari ad terminum, eumque respicere, &c. nam vt sic tantùm importat influxum ab agente, vt dictum est.


Obiicitur quartò in opppositum tertiæ conclusionis, quòd id, quod aliud infert, debet esse prius illo: ergo, cùm actio, & passio sint simul, actio nequit inferre passionem, & passio inferri ab actione. Tum etiam, quòd inferri ex actione non consequitur esse completum ipsius passionis, cùm sit productio eius: ergo non poterit esse illius proprietas, cùm omne proprium consequatur esse completum sui subiecti. Tum denique, quòd istæ proprietates sunt communes tam actioni, quàm passioni: ergo nulli earum poterunt conuenire quarto modo, cùm nulli soli conueniant.

Respondetur ad primam rationem, actionem, & passionem esse simul tempore; natura verò, actionem præcedere passionem. Ad secundam verò rationem dicendum est, inferri ab agente, dupliciter intelligi posse; nempe, vel pro fieri, & produci passionis: vel pro esse passionis, vt illato, & producto ab agente: primo modo inferri non consequitur esse completum ipsius passionis; secundo verò modo vtique consequitur; & hoc modo est eius proprietas, licèt non realiter distincta ab ipso esse passionis, sed tantùm ratione, cùm non sit simpliciter proprietas, sed tantùm secundùm quid, videlicet per nostrum modum concipiendi, cùm priùs concipiamus, esse, quàm dependere. Ad tertiam tandem rationem respondetur, prædictas proprietates non conuenire actioni, & passioni eodem modo, & consequenter non esse communes: nam esse cum motu conuenit actioni respectu termini producti: passioni verò respectu termini recepti. Item inferri, & esse simul, conuenit actioni, quatenus infert; passioni verò, quatenus infertur, vt patet.


Et hæc circa actionem, & passionē.



ARBOR PRÆDICAMENTI ACTIONIS.



ARBOR PRÆDICAMENTI PASSIONIS.



QVÆSTIO IV.

Vtrùm diuisio, definitio, & proprietates prædicamenti Vbi sint rectè assignatæ à Porretano.

LICET præfatus Auctor à definitione huius prædicamenti inceperit, placet tamen ab eiusdem diuisione sumere exordium: ea quippe explicata faciliùs intelligetur, quid de essentia, & definitione istius prædicamenti senserint Doctores: Diuisit autem Gilbertus prædicamentum Vbi in simplex, & compositum: simplex est id, quod à simplici, id est a minimo, & indiuisibili loco procedit, seu resultat, vt est locus puncti: punctum siquidem alicubi est; sed quoniam locus eius est adeò paruus, & indiuisibilis sicut ipsum punctum, ideò simplex, & indiuisibilis dicitur. Vbi verò compositum est, quod a loco composito, seu habente partes quantitatiuas manifestè exoritur, vt Vbi lapidis, e. g. & hominis, quorum partes locum aptè diuisibilem occupant. Vnde aliis terminis, voce tantùm fortè discrepantibus a prædictis, Vbi diuidi solet in definitiuum, & circumscriptiuum: primum tale dicitur,

dicitur, quia ita facit rem esse in loco, vt tota correspondeat toti loco, & tota cuilibet parti ipsius loci, ad modum, quo anima rationalis est tota in toto corpore, & tota inqualibet parte eius; & quo Angeli sunt in loco, nempe toti in toto, & toti in qualibet parte loci. Secundum vero, nempe circumscriptiuū, est, quod ita facit rem esse in loco, vt tota correspondeat toti loco, & partes eius partibus loci. Et huiusmodi Vbi, tantùm dimanat à quantitate, reperiturque in solis corporibus, vt de se constat.

Qua de causa excludendus est Fonseca 5. Met. cap. 15. q. 9. sect. 3. qui asserit, Vbi non solum creaturarum tam corporalium, quàm spiritualium, verè pertinere ad hoc prædicamentum, sed etiam Vbi, quo Deus est vbique, non tanquam in certo spatio reclusus sed vbique, & in omni loco diffusus: hoc enim non tantùm contrariatur dictis Sancti Aug. lib. octuaginta trium quæstionum q. 20. ac Sancti Anselmi in Monolog. caq. 22. vbi inquit, Meliùs dici Deum esse cum loco, quàm in loco, quia contineri in loco limitationem innuit; verùm etiam rectę rationi: nam si modus essendi vbique, proprius ipsius Dei, sumatur radicaliter pro aptitudine, quam ipse habet ad essendum in omni loco, est attributum immensitatis, ipsaque substantia Dei: si verò sumatur formaliter pro eo, quo Deus actualiter dicitur esse in loco, est pura denominatio extrinseca, vel relatio rationis, in quorum nullo quippe consistere potest essentia huius prędicamenti, vt de se manifestum est.

Cæteri verò Philosophi, coarctantes se tantùm ad Vbi creaturarum, in duas diuisi sunt classes, quarum prima est eorum, qui docent Vbi definitiuum esse genus generalissimum huius prædicamenti, diuidique in Vbi circumscriptiuum, & definitiuum particulariter dictum, nempe nomine diuisi, applicato vni membro diuidenti. Ita Suarez disput. 31. Met sect. 3. Molina p. p. q. 52. art. 1. Vasquez ibidem disp. 189. cap. 2. Ruu. cap. 10. de Vbi. Mastrius, & Bellut. disput. 8. q. 12. art. 2. §. *Quartò igitur, &c.* & ferè omnes de Societate, omnesque illi, qui diuisionem allatam à Gilberto nituntur suadere esse essentialem, generisque in suas species, quos etiam secutus est Bald. Gherard. p. p. Logicæ, cap. 7. de Vbi.

Secunda verò classis est eorum, qui docent præfatam diuisionem Porretani non esse vniuocam, sed analogam: diuisionemque vniuocam, & essentialem huius prædicamenti esse illam traditam ab Aristotele 7. & 8. Phys. quando diuidit Vbi circumscriptiuum (quod tantùm videtur propriè spectare ad hoc prædicamentum) secundùm species loci, nempe sursum, & deorsum; ante, & retro: dextrorsum, & sinistrorsum. Ita D. Thom. p. p. q. 52. art. 1. & alibi, quem secuti sunt ferè omnes eius discipuli, quorum nomina, & loca superfluum esset referre.

Circa definitionem verò iam constat, illam traditam à Porretano, dum dixit: *Vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci prouenient*, tantùm conuenire Vbi circumscriptiuo, & prædicamentali, de quo est sermo. Qua de causa, omnes, qui ponunt Vbi definitiuum in hoc prædicamento, tenentur negare prædictam definitionem esse bonam, & adæquatam, vtpote non conuenientem omni Vbi. Illi verò, qui tantùm ponunt in hoc prædicamento Vbi circunscriptiuum, defendunt eam esse optimam.

A Proprietates deniquè, seu attributa huius prædicamenti, tantùm duo assignantur à Porretano, nempe non habere contrarium (quod tamen intelligi debet de propriissima contrarietate, quæ in solis qualitatibus se expellentibus ab eodem subiecto consistere solet; aliam enim contrarietatem ei concedit Philosophus locis suprà citatis non ita rigorosam) & non suscipere magis, & minùs; de quibus apud omnes constat, nullam illi conuenire quarto modo, cùm etiā aliis conueniant prædicamentis. Quare aliqui arbitrantes maximam inferri iniuriam huiusmodi prædicamento, si ipsi, sicut & cæteris propriissima non assignetur proprietas, alias, atque alias venati sunt: quidam enim dixerunt talem proprietatem esse. *Habere immobilitatem, seu esse immobile.* Ita Mastrius &

B Bellut. p. p. Instit. log. tract. 1. cap. 7. qui pro se etiam citant Scotum in 2. dist. 2. q. 6. Alij verò, quos sine nomine citat Ruu. loco citato, asserunt istam esse, nimirum *Quod corrumpi possit*. Ruuius autem, nonnullique alii ponunt pro tali proprietate *Esse per se acquisibile, seu producibile per motum localem.*

Notandum est ergo pro resolutione difficultatis, Vbi necessariò requirere locum extrinsecum, ex cuius circumscriptione resultat, ad eum modum, quo ex positione termini resultat in fundamento relatio, & ex insidentia temporis resultat Quando in re temporali, &c. In hoc enim, quod est dependere ab existentia alicuius extrinseci, æquo pede currunt hæc vltima prædicamenta, & relatio, vt dictum est suprà qu. 1. Quare, sicut non potest esse Quando, nisi

C tempus sit; quia absque tempore nequit aliquid esse in tempore; sic non potest esse Vbi, nisi sit locus; quia absque loco nihil potest esse in loco. Et ideò Aristoteles 11. Met. cap. 10. lib. 3. Phys. cap. 1. & lib. 4. cap. 1. assignans terminum motus localis, indifferenter appellat Vbi, vel Locum, quia alterum absque altero inueniri non potest. Quod adeò verum est, vt quamuis Deus ab æterno fuerit potens replere quæcunque loca; tamen non ideò ab æterno fuit vbique, cùm ab æterno non fuerit locus. Vnde etiam fit, quòd si, annihilato vniuerso, crearet Deus hominem, vanum esset quærere de illo vbi esset: siquidem tunc, quamuis verè existeret extra causas, non tamen esset in loco, atque ita nullibi esset. Proptereà aiebat D. Aug. 11. de Ciuit. Dei cap. 5. *Inanes hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus*

D *sit præter mundum.* Ex quo igitur manet, naturam huius prædicamenti esse optimè per definitionem Gilberti explicatam, quæ definitio, etiam breuiùs tradi potest, dicendo: *Vbi est accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci*: vel *Vbi est accidens, quo res est in loco.*

Dicendum est ergo primò, Diuisionem Vbi in simplex, & compositum, seu in definitiuum, & circumscriptiuum, a Porretano factam, esse analogi in sua analogata.

Probatur: nam Vbi simplex non est simpliciter Vbi, sed tantùm secundùm quid, hoc est, per quandam similitudinem, & proportionem ad Vbi circumscriptiuum: ergo diuisio in prædicta Vbi est analogi in sua analogata. Consequentia patet ex dictis de analogis: vbicunque enim est similitudo, & proportio, ibi etiam est analogia. Ant. autem probatur: nam Vbi simplex, & definitiuum tale dicitur, quia sicut totum locatum

circunscribitur adæquatè à loco, seu circundatur ab ipso habetque proportionem ad illum, in quo consistit ratio Vbi compositi, & circunscriptiui; sic etiam quodlibet indiuisibile locati habet proportionem ad indiuisibile loci, sicut centrum locati ad centrum loci, licèt vnum propriè non circundetur ab alio, nec realiter distinguatur ab ipso, ratione cuius vulgariter dici solet. *Idem sunt punctus, & puncti locus*, in quo consistit ratio Vbi simplicis, ac definitiui; ergo prædictum Vbi non est simpliciter Vbi, sed tantùm secundùm quid, &c.

Dicendum est secundò, diuisionem Vbi in Vbi sursum, & in Vbi deorsum, &c. factam ab Aristotele loco suprà citato, esse essentialem, generisque in suas species.

Probatur: nam ex eo, quòd potentia actiua, alia est immanens, alia transiens; species quoque actionis sunt actio immanens, & actio transiens; & ex eo, quòd terminus productus per prædictam actionem, alius sit substantia, alius accidens; passionis species pariter sunt passio substantialis, & passio accidentalis, diuisioque earum in prædictas species est essentialis, generisque in suas species; ergo ex eo quòd locus, alius sit sursum, alius deorsum, &c. species Vbi erunt Vbi sursum, Vbi deorsum, &c. diuisioque eiusdem in ipsas erit essentialis, generisque in suas species. Antec. patet ex dictis, quæst. antecedenti. Consequentia verò probatur: quoniam non minùs specificatiuum actionis est potentia actiua, & passionis terminus productus, quàm Vbi, ipsemet locus; cùm non minùs Vbi respiciat locum, ad ipsumque ordinetur, quàm actio ad potentiam actiuam, & passio ad terminum, vt de se patet: ergo non est maior ratio de actione, & passione, quàm de Vbi.

Dicendum est tertiò, quòd definitio Vbi prædicamentalis allata à Porretano est optima. Probatur tum ex regulis definiendi accidentia tam in abstracto, quàm in concreto: tum etiam ex regulis bonæ definitionis vt sic, vt consideranti patere potest; conuenitque tantùm Vbi prædicamentali, & proprio, vt suprà dictum est; ergo, &c.

Dicendum est tandem quartò, quòd esse per se acquisibile, seu producibile per motum localem, est proprietas conueniens Vbi quarto modo. Probatur: quoniam hæc sola proprietas inter assignatas conuertitur cum Vbi prædicamentali, & propriè accepto, omnique, & soli illi conuenit: ergo est proprietas quarto modo. Conf. bene deducitur. Antec. verò probatur ex sufficienti exclusione cæterarum proprietatum: etenim, non habere propriam contrarietatem, ac non suscipere magis, & minùs, etiam tribuuntur substantiæ, quantitati, relationi, &c. similiter habere immobilitatem conuenit etiam loco, cùm sit superficies vltima immobilis, vt dicitur 4. Phys. Tandem posse corrumpi, tribuitur indifferenter omnibus rebus materialibus: ergo nulla prædictarum conuerti potest cum Vbi, sed tantùm prædicta, vt patet: valet enim dicere, quod est acquisibile per motum localem, est Vbi, & Vbi est, quod acquiritur per motum localem.

Obiicitur primò in oppositum primæ, secundæ, ac tertiæ conclusionis, probando, præter Vbi circunscriptiuum, dari alia, vera, realia, & prædicamentalia Vbi, per quæ, verè, ac realiter, atque propriè

A res sunt in loco; quia concessis talibus Vbi, vtique sequeretur solam diuisionem Porretani, vtpote vniuersaliorem, esse adæquatam, ac generis in suas species; minimè verò illam allatam ab Aristotele; definitionemque illius esse malè assignatam, vtpote insufficientem, ac defectibilem; cuius oppositum tradût præfatæ conclusiones. Quapropter ita obiicitur; tum quòd vltima Sphæra verè, & propriè habet Vbi, quia verè, ac propriè est in loco, & tamen non circunscribitur ab illo. Tum etiam quia non tantùm corpus seu substantia corporea habet ipsum Vbi, per quod realiter est in loco, verùm etiam alia accidentia corporea habent distinctum Vbi ab ipsa, per quod constituuntur propriè, ac per se in loco, vt patet tum in Sacramento Eucharistiæ in quo pereunte Vbi

B substantiæ, manet tamen Vbi quantitatis; cùm etiã, quòd si miraculosè Deus conseruaret substantiam in aliquo loco, ablata quantitate ab ea, tunc maneret Vbi substantiæ, destructo Vbi quantitatis: ergo præter Vbi circunscriptiuum, seu substantiæ corporeæ, dantur alia Vbi, vt patet.

Respondetur ad primam rationem de vltima Sphæra, dicendo illam non esse propriè in loco, sed tantùm secundùm quid, hoc est, non per se perfectè, & adæquatè, sicut alia corpora inferiora, sed imperfectè, ac inadæquatè, nempe secundùm partes, idcirco eodem modo, & non aliter habere Vbi. Ad secundam verò rationem respondetur negando antec. nam sicut per vnam, eandemque quantitatem extenduntur substantia, & omnia illius accidentia; ita per vnum, & idem Vbi, & vbicatur ipsa, omniaque

C eiusdem accidentia. Quare ad primam probationem dicendum est, quòd idem Vbi, quod ante consecrationem vbicabat substantiam panis, & accidentia ipsius, post consecrationem vbicat omnia illa accidentia. Ad tertiam verò rationem dicitur, quòd in tali casu substantia non esset inibi tanquam in loco, sed nullibi.

Obiicitur secundò in oppositum earundem conclusionum quòd saltem modus existendi in loco, quem habet corpus Christi Domini in Eucharistia, qui solet appellari Vbi sacramentale, pertinet directè, ac per se ad hoc prædicamentum; siquidem verè constituit Christum Dominum præsentem spatio specierum; & tamen non est circunscriptiuum: ergo plura alia Vbi continentur sub hoc prædicamento.

D Respondetur negando antec. quia Christus in Eucharistia est per modum, quo substantia comparatur, aut continetur à dimensionibus, non autem per modum, quo dimensiones comparantur, seu continentur a loco, atque ideò Christus per præsentiam sacramentalem, formaliter loquendo, solùm fit præsens speciebus sacramentalibus, non tamen loco, aut spatio ipsarum; sed hoc adsummùm habet per accidens, nempe per Vbi circunscriptiuum ipsarum specierum; atque ita Christus in Eucharistia, tantùm per accidens est in loco, & per accidens mouetur in illo; ac proinde per motum localem specierum non acquiritur, neque deperditur Vbi sacramentale, vt docet Suarez; sed tantùm Vbi circunscriptiuum ipsarum.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum quartæ conclusionis, quòd Vbi simplex, & definitiuum etiam acquiritur per motum localem, vt patet de Vbi Angelorum,

lorum, cùm etiam Angeli moueantur localiter: ergo prædicta proprietas non conuenit soli Vbi circumscriptiuo, & consequenter nequit ei conuenire quarto modo, &c.

Respondetur, prædictam proprietatem non conuenire Vbi Angelorum simpliciter, sed tantùm secundùm quid, nempe secundùm aliqualem proportionem, & conuenientiam: nam sicut Vbi circumscriptiuum, & prædicamentale acquiritur per motum localem propriè dictum, ita Vbi definitiuum Angelorum acquiritur per ipsorum motum localem æquiuocè, & impropriè dictum; cùm motus localis Angelorum, æquiuocè, & impropriè tantùm sit talis, vt docent Theologi, ac Metaphysici.

ARBOR PRÆDICAMENTI VBI.



QVÆSTIO V.

An Definitio, Diuisio, ac proprietates Prædicamenti Quando sint rectè à Porretano assignatæ.

HViusmodi prædicamentum ita definitum fuit, videlicet *Quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquitur*; eius autem diuisio est in quando simplex, & in quando compositum; hoc est in quando, quod relinquitur ex adiacentia temporis simplicis, & indiuisibilis quoad nos (secundùm se, scilicet vt est motus primi mobilis, est enim tempus semper indiuisibile) & in quando, quod relinquitur ex adiacentia temporis compositi. Tempus autem simplex illud appellatur, quod cum simplici, & indiuisibili actione procedit, vt est momentum, nunc, &c. Compositum verò illud vocatur, quod in composita, seu diuisibile actione consistit, vt hora, dies, mensis, &c. Deinde Quando compositum diuisit ipse Porretanus in fuisse, esse, & fore, seu futurum; esse siue hodie, est species infima, quia in tempore præsenti non sunt diuersæ partes vnde possint sumi diuersa Quando. Fuisse verò & fore; sunt species quasi subalternæ; quoniam sub prima continentur heri, nudiustertius, superiori anno, &c. Sub secunda autem cras, sequenti anno, &c. Illi tandem assignauit tres proprietates, quarum prima est non habere contrarium; secunda, non suscipere magis, & minùs: tertia verò, quòd sit in omni eo, quod incipit esse in tempore, idest, quod est aptũ denominare solummodò res corruptibiles, ac tempori subiacentes; de quibus omnibus indifferenter dubitatur in præsenti, an sint rectè tradita, & quomodò intelligi debeant.

Qua de causa, circa primam quæsiti partem est prima opinio, docens porretanam illam definitionem nõn esse bonam; at patroni, fautoresque illius, non eadem incedunt via: Suarez enim disput. 50. Met. sect. 12. n. 8. quem sequuntur Amic. Blancus, & alij, quibus etiam non parum fauet Ruu. cap. 10. huius, defendit toto conatu, Quando non esse accidens relictum ex adiacentia temporis, sed accidens, quod facit rem durare, seu esse intrinsecam rerum durationem, ac persistentiam in suo esse. Mastrius verò, & Bellut. p. p. Institutionum logic. tract. 1. cap. 7. §. *Quando, vt prædicamentum est*, & omnes illi Scotistæ, qui dicunt hæc sex vltima prædicamenta consistere in relatione reali, de quibus supra, &c. arguunt prædictam definitionem insufficientiæ, ex eo quòd tantùm conueniat vt dicunt ipsi, Quando passiuo, hoc est, illi respectui ad ipsum tempus, qui ex eius adiacentia relinquitur in rebus temporalibus; non verò Quando actiuo, idest, respectui ipsius temporis ad rem temporalem, qui ex adiacentia rei ad tempus, in ipso tempore relinquitur.

Circa verò secundam quæsiti partem, omnes illi, qui superiùs docebant, Quando esse durationem, &c. tenentur ipsum diuidere iuxta diuisionem durationis saltem creatę, nempe in permanentem, & successiuam, & hanc in tempus, illam in æuum, &c. Qui verò ponebant in hoc prædicamento, Quando actiuum, tenentur pariter illud diuidere in Quando actiuum, siue tempus, & in Quando passiuum, idest in mensurari à tempore; deinde primum, in illum respectum, quo tempus dicitur præsens, præteritum, & futurum; secundùm verò in illum respectum, quo res temporalis dicitur coexistere tempori præsenti præterito, ac futuro. Cuius diuisionis inanitatem, fortasse aduertentes Mast. & Bellut. disput. 8. q. 12. art. 2. §. *Dicendum tamen est*. vbi non ex vulgi fama, sed ex propria loquuntur sententia, palimodiam cecinerunt, apertè fatendo prædictos respectus non esse formas reales, in quo fortasse videntur quodammodò sibi contradicere,

cere, cùm vix hæc duo cohærere possint; Quando scilicet, in eorum sententia, sicut & cætera sex vltima prædicamenta, esse quandam relationem realem, & non importare in rebus tempori subiectis, formam intrinsecam realem.

Cæteri vero omnes, qui Porretanam ipsius Quando amplexati sunt definitionem, libenter etiam amplexātur eiusdem diuisionem, cum hoc discrimine tamen, quòd illi Doctores, qui ponunt in hoc prædicamento durationes indiuisibiles, vt Fonseca 5. Met. cap. 15. q. 10. Versorius Parisiensis in Petrum Hispanum tract. 3. de Quando. Mastr. & Bell. loco citato ex disput. 8. Ruu. vt suprà, & quidam alij, tenentur docere diuisionem Quando in simplex, & compositū, esse essentialem. Illi verò, qui ab hoc prædicamento, tales durationes indiuisibiles excludunt, & eas tantùm res includunt, quæ mensurantur mensura diuisibili, scilicet tempore, vt Masius q. 4. Complut. in hoc loco. Bald-Gherard. p. p. logicæ, & alij, tenentur defendere, esse analogi in sua analogata; diuisionemque essentialem illius, tantùm esse illam traditam à Porretano, dum diuisit Quando compositum (quod tantùm est prædicamentale) in esse, fuisse, & fore.

Circa tertiam denique quæsiti partem conueniunt omnes docendo prædictas proprietates esse bene assignatas. Discrepant tamen in assignando quæ nam earum conuenire possit huic prædicamento quarto modo, quidam enim, vt Sanch. & Ruu. hic, existimant nullam esse. Mast. verò, & Bellut. p. p. Instit. logic. tract. 1. cap. 7 Bald Gherard. p. p. logicæ cap. 6. atque alii, solam tertiam, & vltimam dicunt conuenire quarto modo.

Notandum est pro resolutione difficultatis, quòd optimè potest stare, aliquid habere durationem, & non mensurari tempore, seu non esse heri, neque superiori anno, &c. vt de facto continget in fine mundi, cessante motu primi mobilis, seu ipsomet tempore; tunc enim elementa remanentia durabunt, & tamen non erunt heri, neque superiori anno, cùm non sint futuri dies, menses, aut anni, iuxta illud Apocalypsis 10. *Et iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit ampliùs, &c.* Esto tamen ita sit, implicat ex alia parte aliquid esse in tempore sine duratione, & persistentia in esse, vt de se patet. Ex quo fit, quòd sicut Vbi, e. g. supponit ex parte rei locatæ quantitatem sibi intrinsecam, per quam fit apta, vt vbicetur, & supponit etiam locum, ex cuius extrinseca mensuratione resultat, ac proinde neque est quantitas rei locatæ, neque locus ipse, sed quid ex loco relictum in re quanta; sic à pari, Quando supponit durationem ex parte rei, non vtcunque, sed capacem mutationis, ac prioritatis, & posterioritatis, sicut Vbi nō supponit quantitatē vtcunque, sed de prædicamento, ac capacem diuisionis: supponit etiam tempus ipsum, in quo fit res, & à quo mensuretur; ac proinde neque est duratio ipsa, neque tempus; sed quid relictum in re durante ex eo, quòd à tempore mensuretur, vt inquit Porretanus: seu, vt ad pauciores terminos reducatur, est accidens, quo res est in tempore, vt manifestum est.

Dicendum est ergo primò, Quando non esse durationem ipsam rerum. Probatur: quia vel duratio rei est quid realiter distinctum à re, quæ durat, & ab

A eius existentia; vel est ipsa existentia rei continuata, vt vult Suarez disput. citata sect. 1. n. 5. Si primum; consequenter asserendum est, durationem ex intrinseca ratione sua esse mensuram rei durantis, ac proinde verè esse quantitatem, vel virtutis, vel molis iuxta receptam durationis diuisionem in æternitatem, æuum, & tempus: si verò dicatur secundum, consequenter asserendum est, non omnem durationem creatam esse verum accidens prædicamentale, cùm non omnis existentia creata sit accidens prædicamentale, vt patet de existentijs omnium substantiarum, quæ sunt actus quidam, seu termini substantiales, & tantùm entitatiuè substantia, atque ita duratio non spectabit ad huiusmodi prædicamentum, sed erit quid incompletum, & vagum per omne prædicamentum.

B Respondet Suarez loco citato nu. 14. durationem quidem realiter non esse verum accidens rei durantis, vt probat argumentum; prædicari tamen accidentaliter de re, quæ durat; & hoc sufficere, vt possit prædicamentum accidentis constituere; quia omnia prædicamenta accidentium sunt vera accidentia, sed quædam sunt quæ propter solam prædicationem accidentalem constituunt prædicamentum accidentis.

Contra tamen est, quòd huiusmodi solutio destruit diuisionem accidentis realis in nouem prædicamenta, confundit accidens logicum, seu prædicabile cum physico, seu prædicamentale; & collocat directè substantiam sub generibus accidentium: ergo, &c.

C Dicendum secundò, Quando non esse ipsum tempus vt mensurat rem temporalem. Probatur: quoniam idem secundū n eandem rationem, & formalitatem, non potest esse diuersorum generum: sed si prædicamentum Quando esset tempus, vt mensurat rem temporalem, idem tempus secundùm eandem rationem, & formalitatem esset de genere quantitatis, & de genere Quando: ergo Quando non erit tempus, &c. Maior de se patet. Minor verò probatur: nam tempus non potest reponi in prędicamento Quādo, nisi vt formaliter duratio, & mensura est, vt videntur etiam concedere Aduersarii: sed hoc modo etiam collocatur in prædicamento quantitatis, vt patet; ergo, &c.

Respondet Ruuius loco citato negando minorem; & confitendo huiusmodi argumentum maximè D vexare eos, qui tempus per se reponunt in prædicamento quantitatis, talem adinuenit distinctionem, quam in sua mexicana logica acutam vocat, nimirum, tempus posse dupliciter considerari, vel vt duratio, seu mensura successiua, & continua est, vel vt duratio, seu mensura extensa, & diuisibilis est: hoc secundo modo dicit spectare ad prædicamentum quantitatis; primo verò ad huiusmodi prædicamentum. Infert autem prædictam distinctionem inter tales formalitates ex eo, quòd apud omnes certum est, tempus esse durationem, & mensuram successiuam, atque continuam; minimè verò esse per se extensum, & diuisibile; cùm valdè etiam probabile sit esse durationem, ac mensuram extensam, atque diuisibilem per accidens quod vtique non contingeret, si intellectus non haberet fundamentum abstrahendi, & distinguendi vnam ex prædictis formalitatibus ab alia. Qua de causa falsa erit minor, quod scilicet secundùm eandem formalita-

malitatem tempus ad duo spectet prædicamenta, sed tantùm secundùm diuersas formalitates, vt perspicuũ est.

Contra tamen est, quòd dato; sed non concesso, quòd aliquid per duas formalitates tantùm ratione distinctas (qua distinctione distinguit Ruu. prædictas formalitates inter se, vt patet expresse in sua logica mexicana cap. de Quando) constituatur in duplici prædicamento per se; adhuc tamen non sequeretur intentum: ergo, &c. Probatur antecedens: Quoniam ratio, & formalitas durationis successiuæ, & continuæ, vt abstracta ab extensione, ac diuisibilitate, non est sufficiens ad reponendum tempus in prædicamento Quando; quia prædictum prædicamentum non consistit formaliter in esse durationis successiuæ, & continuæ præcisè, vt abstractæ ab extensione, ac diuisibilitate, cùm res per tale prædicamentum dicantur fuisse esse, vel fore ad modum extensionis, & diuisibilitatis partium ipsius temporis, vt patet: ergo adhuc admissa tali distinctione formalitatum, non sequetur intentum: semper enim esset eadem formalitas, qua tempus poneretur in prædicamento Quando, & in prædicamento quantitatis.

Dicendum est tertiò, quòd definitio prædicamenti Quando, nempe quòd sit accidens relictum ex adiacẽtia temporis in re temporali, est bona. Probatur, tum quia constat ex regulis bonæ definitionis accidẽtium tam in concreto, quàm in abstracto, si transferatur genus in differentiam, cùm tradatur per proprium subiectum loco generis, nempe per ly *relinquitur in re temporali*, & per gradum superiorem loco differentiæ, nempe per ly ex *adiacentia temporis*. Tum etiam quia res dicuntur præcisè esse heri, hodie, fuisse, fore, &c. quæ sunt veræ denominationes intrinsecæ, ac prædicata huius prædicamenti, vt constat ex exemplis adductis ab Aristotele cap. 9. huius libri, per coexistentiam ad motum primi Cæli in ratione mensuræ, seu, quod idem est, ad ipsum tempus, cùm sit mensura motus primi mobilis, ex ipso Aristotele 4. Phys. ergo Quando nil aliud est, quàm accidens relictum, &c. & consequenter talis definitio est optima.

Dicendum est quartò, quòd nulla diuisio prædicamenti Quando ex prædictis est essentialis, ac generis in suas species, præter illam, qua diuiditur in esse, fuisse, & fore. Probatur prima pars, nam duratio permanens, Quando simplex, & duratio indiuisibilis, & Quando actiuum, seu relatio temporis ad rem sibi coexistentem, non sunt Quando simpliciter, sed tantùm secundùm quid; ergo diuisio prædicamenti Quando in ipsa non est essentialis, generisque in suas species, sed analogi in sua analogata. Cons. patet. Antec. autem probatur: quoniam duratio indiuisibilis, quæ exprimitur per durationem permanentem, non est mensura de genere quantitatis, seu non est quantitas molis, & simpliciter, sed tantùm virtutis, & secundùm quid. Similiter Quando simplex, cùm non supponat in re durationem diuisibilem, ac de genere quãtitatis, est tantùm proportionaliter Quando. Item relatio temporis ad rem sibi coexistentem est relatio tantùm rationis mensuræ ad mensuratum, & consequenter tantùm accidens secundùm quid: ergo non sunt Quando simpliciter, quod est quid absolutum, & ens reale, ac simpliciter, tantùm resultans ex coexistentia temporis, quod est mensura propriè, ac per se de genere quantitatis, vt patet.

Probatur secunda pars: nam esse, fuisse, & fore, sunt differentiæ essentiales essendi in tempore; ergo diuisio Prædicamenti Quando, quod est esse in tempore, in ipsas, erit essentialis, generisque in suas species. Cons. patet; nam genus dum contrahitur per suas differentias essentiales, diuiditur profectò in suas species, cùm differentia diuidat genus, & constituat speciem. Antec. verò probatur: nam præsens, præteritum, ac futurum, sunt partes essentiales temporis, in ratione temporis: ergo esse, fuisse, & fore, sunt differentiæ essentiales essendi in tempore, cùm Quando, siue esse in tempore resultet ex adiacentia temporis mensurantis, & specificantis rem temporalem, seu id, quod est in tempore.

Dicendum est tandem quintò, quòd benè, sunt assignatæ proprietates prædicamenti Quando, quarum tantùm tertia conuenit illi quarto modo. Probatur prima pars, & primò de Non habere contrarium: quia si haberet contrarium, maximè conueniret præterito, & futuro: sed hoc non potest dici, quia ista, Quando, scilicet præsens, præteritum, & futurum, simul verificantur de eodem, vt dicendo, iste est, fuit, & erit: ergo licèt propter ipsorum successionem vnũ expellat aliud, non tamen propter contrarietatem, & repugnantiam, quam habeant, vt patet: nam; quæ habent contrarietatem ad inuicem, de ipsis respectu eiusdem, nunquam idem verificari potest. Secundò probatur eadem prima pars de Non suscipere magis, & minùs; non enim dicitur, quòd hodie sit magis, & minùs hodie, habeatque Quando, seu esse in tempore magis, vel minùs intensum, quàm dies præterita dicebatur hodie, & è conuerso; vt patet: ergo, &c.

Probatur secunda pars; quoniam illud tantùm est formaliter in eo, quod incipit esse in tempore, quod aptum, est illud intrinsecè denominare fore fuisse, & esse: sed hoc conuenit tantùm, omni & soli Quando: ergo esse formaliter in eo, quod incipit esse in tempore, conuenit Quando quarto modo. Minor patet ex dictis. Maior verò probatur: quoniam nihil propriè, ac per se incipit esse in tempore, illique adiacere, ac coexistere, quod non habeat aliquam formam intrinsecam, ratione cuius formaliter dicatur esse, fuisse, & fore: ergo, quod aptum est aliquid, hoc modo tantùm denominare, erit formaliter in illo.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd huiusmodi prædicamentum Quando, denominat intrinsecè subiectum, in quo est: sed tale subiectum non potest intrinsecè denominari Quando, nisi à duratione: ergo Quando est ipsa duratio. Consequentia bene deducitur. Maior patet ex dictis. Minor autem probatur; quoniam nullum subiectum potest intrinsecè denominari, nisi per formam intrisecam: sed subiectum quod denominatur Quando, nullam aliam habet formam intrinsecam præter durationem; tempus enim, cui adiacet, est quid extrinsecum, vt patet: ergo, &c.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem neganda est iterum minor; nam licèt tempus sit aliquid extrinsecum, tamen ex adiacentia ipsius ad rem temporalem resultat in ipsa re aliquod accidens intrinsecum, ratione cuius (supposita tamen in ratione

ne dispositionis, duratione intrinseca ex parte eiusdem rei, ve supra notatum est) intrinsecè talis res denominatur Quando, siue esse in tempore.

Obiicitur secundò in oppositum secundę conclusionis, quòd sicut se habet esse album & albedo; ita esse in tempore, & ipsum tempus: sed album, & albedo sunt idem realiter: ergo esse in tempore, siue Quando, & ipsum tempus idem erunt realiter, & consequenter Quando, erit tempus ipsum mensurans, &c.

Respondetur negando paritatem; nam albedo, & album sunt idem realiter; quia cùm albedo sit forma intrinseca illius, facit vnum concretum; at verò tempus, & esse in tempore, cùm tempus non sit forma intrinseca rei temporalis, vt dictum est, nequit cum ipsa componere, & facere vnum concretum, vt patet.

Obiicitur tertiò in oppositum tertiæ conclusionis, quòd iuuentus, & senectus, ex adiacentia temporis in re temporali relinquuntur; & tamen non sunt Quando, sed sunt qualitates de secunda specie: ergo prædicta definitio Quando conuenit alijs à definito, & consequenter non est bona.

Respondetur, quòd si capiatur senectus vt dicit naturalem impotentiam, quæ causatur per longam transmutationem, quæ fit sub motu, & tempore; & etiam iuuentus vt dicit naturalem potentiam, hoc modo sunt qualitates secūdę speciei, & non relinquuntur per se, & immediatè ex adiacentia temporis, sed per alterationem, quæ sub tempore causatur. Sed si capiantur, quatenus dicuntur diu fuisse, vel parum in tempore, sic aliquo modo important Quando, atque ita relinquuntur ex adiacentia temporis in re temporali.

Obiicitur quarto in oppositum quartæ conclusionis, quòd duratio permanens, indiuisibilis, & momentanea est accidens creatum, & completum: ergo per se, ad aliquod spectare debet prædicamentum: sed ad nullum, quàm ad hoc pertinere potest: ergo in ipso erit per se collocanda, & consequenter diuisio in talem durationem erit essentialis, &c. Hæc vltima consequentia patet: diuisio enim in ea, quæ per se spectant ad idem prædicamentum, est essentialis. Prima consequentia bene deducitur. Maior etiam patet. Minor tandem probatur: nam certum est, durationem indiuisibilem non pertinere ad quantitatem, cuius propria ratio est extensio, & diuisibilitas propria passio. Quòd verò ad alia non pertineat prędicamenta, ostendunt rationes eorum diuersissimæ à tali duratione.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm sit quantitas virtutis, seu virtus, & perfectio rei, spectat ad prędicamentum Qualitatis. Præterquam quòd, estò spectaret ad huiusmodi prædicamentum, tamen non esset ipsum Quando, cùm ab eodem supponi debeat, vt notatum est.

Obijcitur quintò in oppositum secundæ partis eiusdem quartæ conclusionis, quòd tempus primi mobilis est vnum non solùm specie, sed etiam numero, vt dicitur 4. Phys.: ergo diuisio ipsius Quando in esse, fuisse, &c. non erit generis in suas species. Probatur consequentia: nam talis diuisio desumitur ex adiacentia temporis in re temporali; & multiplicatur Quando in species ad multiplicationem temporis, vt dictū

A est in probatione conclusionis: ergo si tempus, ex cuius adiacentia sumuntur fuisse, esse, & fore, in ipso Quando non multiplicatur essentialiter, sed est quid vnum numerò, consequenter prædicta tria non erunt plures species, sed quid vnum numero sicut, & tempus.

Respondetur ex dictis disput. 14. q. 3. ad secundum, nimirum, tempus posse dupliciter considerari; vel essentialiter vt tempus est, seu vt importat durationē causatam ex priori, & ex posteriori; vel vt mensura intrinseca primi mobilis, & extrinseca cæterorum motuum est. Si consideretur hoc secundo modo, vtique est indiuisibile, & quid vnum, non tantùm specie, sed etiam numero, cùm ratio mensuræ aliquo modo debeat esse indiuisibilis: si autem sumatur primo mo-

B do, quemadmodum debet sumi in præsenti, licèt non multipliceтur essentialiter, & specificè, multiplicatur tamen materialiter, & numericè ad multiplicationem motuum, & subiectorum, in quibus est. Quare apertè sequitur, nullum fore absurdum, si ex diuerso ordine, quem res mensuratæ habent ad diuersas partes temporis, etiam si tempus ipsum in ratione mensuræ sit vnum, sumantur diuersæ species huius prædicamenti. Sicut, quamuis locus, ratione superficiei continentis, sit eiusdem speciei quid vnum; ex diuerso ordine tamen, quem res locatæ habent ad centrum, & polos mundi, non implicat, quòd sumantur sursum, & deorsum, ante, & retro, atque aliæ species Vbi, vt supra dictum est.

Obiicitur tandem sextò in oppositum quintæ con-

C clusionis, quòd valet dicere, Platonem heri fuisse tristem, hodie lætum, anno præsenti diuitem, sequenti verò pauperem: ergo Quando suscipit contraria. Tum etiam quia aliquis dicitur magis, vel minùs fuisse in tempore, vt patet de sene, & iuuene: ergo Quādo suscipit magis, & minùs. Tum denique, quia multa alia sunt accidentia, quæ solùm conueniunt his, quæ incipere apta nata sunt, vt mutatio, motus & cætera huiusmodi: ergo talis proprietas non conuenit Quando quarto modo, cùm alijs etiam competat.

Respondetur ad primam, & secundam rationem: Platonem esse lætum, fuisse aliquando tristem, non contrariari per se nempe ratione Quando sed ratione illarum qualitatum, scilicet tristitiæ, ac lætitiæ. Item aliquid dicitur magis, vel minùs fuisse in tempore,

D non ratione intensionis ipsius temporis, secundùm quam duntaxat tale prædicamentum verè, ac propriè diceretur suscipere magis, & minùs; sed tantùm ratione extensionis; vnde potiùs deberet dici aliquid habuisse maiorem, vel minorem extensionem suæ durationis; quàm magis, vel minùs fuisse in tempore. Ad tertiam tandem rationem respondetur, mutationem, motum, &c. non esse apta nata denominare rem in qua sunt, fuisse, esse, vel fore, nisi per accidens, scilicet ratione temporis, sed tantùm mutatam, vel motum, &c. Vnde patet talem proprietatem conuenire Quando tantùm, quod solùm aptum natum est denominare res fuisse, esse, & fore.

ARBOR

ARBOR PRÆDICAMENTI QVANDO.

Quando.
- Fuisse.
  - Heri.
  - Nudius tertius.
  - Superiori anno.
  - Hæc in indiuidua.
- Esse, seu hodie.
- Fore.
  - Cras.
  - Sequenti anno.
  - Hæc in indiuidua.

QVÆSTIO VI.

An definitio, diuisio, ac proprietates Positionis, siue Situs sint rectè assignatæ à Porretano.

CVM omne multiplex priùs sit distinguendum, quàm definiendum, ex Aristotele 1. Post. text. 14. & 5. Met. text. 24. atque alibi, ideò priùs enarranda sunt significata Positionis, siue Situs; qui quatuor modis vsurpari solet: primò scilicet, pro Positione, siue Propositione acceptissima, quæ vt verissima, ad aliquam conclusionem demonstrandam sumitur in scientia, qualis est hæc apud Philosophos, Natura est principium motus; & apud Mathematicos, Punctum est, cuius nulla pars est; in quo sensu Positio sumpta est ab Aristotele 1. Post loco citato. Secundo accipitur Positio pro partium ordinatione, qua ad inuicem continuantur, ac permanent, in qua significatione docuit Philosophus cap. de quantitate, lineam, superficiem, corpus, locum, & tempus constare ex partibus positionem habentibus. Tertio sumitur pro partium ordine quoad virtutem, seu potentiam actiuam, siue passiuam; in quo significato dicimus animal ad se nutriendum esse dispositum, qua ratione nutritionis, dentes, stomachus, ac cætera membra vitalia bene se habent; quòd si contrarium eueniat, animal dicitur indispositum, in quo sensu locutus est idem Philosophus in metaphys. loco citato. Quarto tandem pro ordinatione partium alicuius corporis in loco, atque ita dicebat Philosophus, quòd Situs inuenitur in omni habente partes; & in hoc sensu accipitur in præsenti.

Hoc autem modo ex Aristotele 5. Met. cap. 19. definit hic Positionem, seu Situm Gilbertus, dicens: *Positio est quidam partium situs, & generationis ordinatio*; statimque eam diuidit in stare, sedere, iacere, asperum, & lene, &c. cui tres proprietates assignat; nem-

A pe, non suscipere contraria; non suscipere magis, & minùs; & substantię proximè assistere, omnibus quidem alijs formis suppositis.

Circa primam quæsiti partem, videlicet circa definitionem, seu potiùs descriptionem Situs, Mast. & Bellut. p. p. Instit. log. tract. 1. cap. 7. §. *Situs seu Positio, &c.* & omnes illi, qui docent hæc sex vltima prædicamenta esse formas relatiuas, tenentur pariter sustinere, huiusmodi definitionem esse defectibilem, vtpote non conuenientem illi respectui loci ad partes locati, seu Situi actiuo, sed tantùm illi respectui partium locati ad partes loci, seu Situi passiuo.

Cæteri verò omnes recipiunt, ac defendunt talem definitionem, licèt non eodem, sed diuerso modo ipsam explicent.

B Circa secundam quæsiti partem, nempe circa diuisionem, duæ pariter sunt opiniones, quarum prima est Mastr. & Bellut. loco superiùs citato, atque aliorum dicentium prædictam diuisionem esse accidentalem, siue subiecti in accidentia. Essentialem autem diuisionem Situs, eam volunt esse, qua diuiditur in situm actiuum, & passiuum.

Secunda verò opinio est omnium Philosophorum asserentium prædictam diuisionem esse essentialem, generisque in suas species; licèt quidam magis, ac magis accomodam, & distinctam reddant.

Circa tertiam denique quæsiti partem, in qua de attributis, & proprietatibus huius prædicamenti agitur, est opinio Suarez disput. 52. Met. sect. 2. Ruu. hic cap. 10. Mastr. ac Bellut. loco citato, atque aliorum docentium nullam ex assignatis esse proprietatem

C conuenientem Situi quarto modo.

Reliqui verò Philosophi affirmant tertiam, & vltimam proprietatem, conuenire Situi quarto modo, licèt non eandem adhibeant explicationem.

Notandum est ergo primò, modum illum, seu accidens, quod resultat in re locata ex circunscriptione corporis continentis, seu loci, & appellatur Vbi, solùm efficere, vt res locatæ commensurentur loco ita vt vna pars earum sit extra locum alterius partis non tamen efficit, quòd tales partes habeant ordinem;

X seu

seu dispositionem respectu ipsius loci; & ad hoc ponitur Situs, seu Positio, quæ consequenter nil aliud est, quàm dispositio illa, & habitudo partium rei locatæ in ordine ad locum. Dicitur autem indifferenter Situs, & Positio; nam, licèt hæc in specie, seu specialissimè accepta, aliqualem habeant diuersitatem (Situs enim reperitur tam in naturalibus, quàm in mathematicis: Positio verò solùm reperitur in naturalibus, in quibus est naturalis ordinatio partium ex compositione rei) generaliter tamen conuertuntur, licèt Situs, adhuc potiùs dicat ordinem partium ad locum, quàm ad ipsum totum, cuius sunt partes. Positio verò è contrà; cùm potiùs dicat ordinem partiũ inter se, & ad ipsum totum, quàm ad locum. Vnde communiter definiri solet. *Situs est positio, seu ordo partium in loco*: vel est *Accidens disponens partes in loco*. Additur tamen à Gilberto, *Et generationis*, idest rei genitæ *Ordinatio*, non vt quidam existimant, videlicet, vt quasi duplici definitione, Situm naturalem, & præternaturalem, de quibus statim infrà, definiat (per positionem enim, & ordinem partium, vtrunque sufficienter exprimitur, vt deinceps clariùs patebit) sed quia positio propriè dicit talem ordinem partium, qui conuenit ipsis per compositionem, quam habent in toto, quam vtique compositionem habent per generationem totius, si sit generabile; si autem sit ingenerabile, quemadmodum est Cælum, e. g. tunc prædictæ partes habent talem ordinem per formam totius, quæ ipsas continet, & sub qua ordinantur. Qua de causa, particula illa *Et generationis, &c.* non debet intelligi copulatiuè, sed expositiuè, vt tantùm valeat sicut *idest*.

Notandum secundò, quòd Situs, seu positio partium duplex est, naturalis scilicet, & præternaturalis; naturalis est, nõ vt quidã putãt, quæ tantùm explicatur per illas particulas *Generationis ordinatio*: præternaturalis verò, quæ explicatur per priores particulas, scilicet *Positio, seu ordo partium*, cùm vtraque positio habeatur per generationem totius, licèt naturalis proximè, præternaturalis remotè: sed naturalis, quià à natura, seu à natiuitate ita conuenit; vt homini, e. g. conuenit, quòd eius caput sit superiori loco, aliæ verò partes in loco magis, vel minùs inferiori; quod non inuenitur in aliis corporibus: nam planta habet caput nempe radicem in loco inferiori, ramos verò in superiori: bruta, quasi medio modo se habent; eis enim natura, neque caput versus cælum erexit, neque terræ infixit. Præternaturalis verò, quia acquiritur ex appetitu animalis, vt sedere, stare, cubare, &c.

Notandum tertiò, quòd licèt de ratione essentiali omnium accidentium sit inhærere substantiæ, attamen quia aliquando, quædam accidentia vt talia, seu nomine proprio significata, non dicunt explicitè *esse in*, sed tantùm respectum, & habitudinem ad aliquod extrinsecum suo subiecto, communiter appellari solent accidentia non inhærentia, sed assistentia substantiæ, vt sunt Ad aliquid, Quando, Vbi, Situs, & Habitus. Quia vero inter ista. Positio, seu Situs non dicit solùm respectum ad aliquod extrinsecum, nempe ad locum, verùm etiam dicit respectum partium inter se ad suum totum, qui respectus proximior est, quàm respectus ad extrinsecum tantùm; ideò inter omnia, quæ hoc modo substantiæ assistunt, Positio, siue Situs dicitur proximiùs assistere.

A Dicendum est ergo primò, definitionem Situs traditam a Gilberto esse optimam. Probatur: quoniam datur per proprium subiectum, nempe per ly *Partium*, & prædicatum superiùs, scilicet *Ordo, & dispositio*, vt moris est definire accidentia, tam in concreto, si ly, *partium* loco generis, cæteræ autem particulæ, loco differentiæ; quàm in abstracto, si *Ordo, & dispositio*, ponatur loco generis, ly verò *Partium*, loco differentiæ. Insuper cæteræ particulæ addunt maiorem declarationem, vt dictum est; conuenitque omni contento sub definito: ergo est bona.

Dicendum est secundò, quòd Diuisio Situs tradita à Porretano, est essentialis, generisque in suas species. Probatur: quoniam illa Situs diuisio est essentialis, &c. quæ desumitur penes diuersam ordinatio-

B nem, dispositionemque partium in ordine ad locum, sed huiusmodi est illa diuisio Situs in sedere, stare, cubare, &c. seu (loquendo de prima sui diuisione) in situm naturalem, & præternaturalem: ergo est essentialis, &c. Maior patet; quoniam Situs est essentialiter ordo, ac dispositio partium. Minor verò probatur: nam vel partes ordinantur ad locum statutum à natura, vel acquisitum per appetitum animalis: si primo modo, vna pars erit cæteris superior, alia verò inferior; vna antè, alia retrò, &c. & hæc est diuisio in Situm naturalem. Si secundo modo: partes erunt dispositæ ad standum, sedendum, iacendum, &c. & hæc est diuisio in Situm præternaturalem: ergo tales diuisiones desumuntur penes diuersum ordinem partium ad locum, vt patet.

C Dicendum est tandem tertiò, quòd Situs proprietates sunt rectè assignatæ à Gilberto, quarum tantùm tertia conuenit Situi quarto modo. Probatur prima pars; tum quia locus est fundamentum Positionis, qui cùm sit quantitas, non habet contrarium, neque suscipit magis, & minùs: ergo nec Positio, siue Situs. Patet consequentia; nam cùm Situs sit ordinatio partium ad locum, si locus, ad quem ordinantur, non habet contrarium, neque suscipit magis, & minùs, non est vnde partes ordinatæ ad ipsum, debeant inter se contrariari, & vna magis ordinata, & disposita, quàm alia, possit appellari. Tum quia inter omnia accidentia, substantiæ assistentia, proximiùs assistit Situs, vt dictum est: ergo talis proprietas proximè assistendi, benè assignatur.

D Probatur secunda pars: nam proximiùs assistere substantiæ, quàm cæteræ aliæ formæ, seu accidentia assistentia, conuertitur cum Situ, adeòut valeat dicere, Situs est, qui immediatiùs, ac proximiùs assistit substantiæ, & quod immediatiùs, & proximiùs assistit substantiæ est Situs; vt patet: ergo talis proprietas conuenit quarto modo. Conse. est certa, nam proprietas conueniens quarto modo alicui, conuertitur cum eo: valet enim risibile est homo; homo est risibilis.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis: Tum quòd Positio, vel Situs denominare habet totum, & non partes; nam totus homo dicitur sedere, iacere, &c. non verò partes eius: ergo Positio non conuenit partibus, sed toti: ergo malè dicitur, quòd est Situs partium. Tum quia in Cælo est positio, siue Situs, & tamen ibi non est generationis ordinatio, cùm Cælum sit ingenerabile: ergo non rectè dicitur,

quòd

quòd sit generationis ordinatio. Tum denique quia dum Mimmici, manibus ad terram, pedibus verò ad Cælum gradiuntur conuersis, verè, ac propriè habent positionem, & situm; & tamen talis positio non est generationis ordinatio, vt patet: ergo, &c.

Respondetur ad primam rationem, quòd licèt Situs conueniat toti principaliter tamquam ei, quod per ipsum denominatur, tamen primò conuenit ipsis partibus inter se ordinatis, & postea ordinatur ad totum, & ad locum, eo quia dicit ordinem partium inter se ad ipsum totum, & locum: vnde partes se habent vt subiectum *quo*, totum verò, vt subiectum *quod*, & principale. Ad secundam verò rationem, dicendum est, quòd ly *Generationis, &c.* in tali definitione non capitur propriè, prout est progressio de non esse ad esse, aliquo præsupposito subiecto; nam hoc modo certum est in Cælo non esse generationem; sed capitur generaliter pro quacunque productione, & compositione rei, quæ etiam in Cælo reperitur, cùm Cælum pariter sit quoddam compositum productum, &c. Ad tertiam tandem, & vltimam rationem respondetur, prædictam Mimmicorũ situationem, radicaliter saltem esse per generationem ordinatam; nam si per generationem hominis non ordinaretur caput esse cæteris membris superius, nec tribueretur homini simul cum esse, appetitus ad quancunque possibilem positionem, & Situm, vtique in tali casu, caput non esset inferius cæteris membris, nec dari posset talis positio.


Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, quòd accidit Situi, e. g. hominis sedere, cuba re, &c. ergo diuisio Situs in Situm præternaturalem, nempe in sessionem, stationem, cubationem, &c. erit accidentalis. Conf. patet. Antec. verò probatur: nam præcisis ab homine, sessione, statione, cubatione, &c. adhuc homo diceretur situatus, cùm haberet caput superiùs, pedes, inferiùs, &c. ergo talis Situs præternaturalis accidit, &c.

Respondetur distinguendo antec. accidit Situi hominis, vt sic, negatur: accidit Situi hominis naturali, conceditur: ergo, &c. negatur consequentia: quia tunc diuisio esset accidentalis, cùm accideret situationi hominis, vt sic: sicut, licèt esse irrationale accidat, immo repugnet homini, quia tamen non accidit, neque repugnat existentiæ animalis, & substantiæ, diuisio animalis in rationale, & irrationale est essentialis: animal enim, vt est quid actuale, debet essentialiter esse aut rationale, aut irratinale.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum tertiæ conclusionis: tum quia sedere, & stare maximè distant, ac se expellunt ab eodem subiecto successiuè in quo sunt, & etiam de vno in aliud fit motus: ergo contrariantur, seu recipiunt contrarium. Tum quia Relatio oritur in subiecto ex parte totius; Positio verò oritur ex parte partium tantùm: ergo Positio proximiùs non assistit substantiæ, sed potiùs Relatio. Tum denique, quia priùs est esse in loco quàm habere partes ordinatas ad locum: ergo esse in loco, siue Vbi proximiùs assistit substantiæ, quàm Situs, vel saltem æquè ac ipsemet Situs; & consequenter talis proprietas non conuenit Situi quarto modo.

Respondetur, quòd licèt sedere, & stare per accidens se expellant ab eodem subiecto, per hoc scilicet, quòd per motum localem cùm vnum accedit, alterum abijciatur; non tamen se expellunt per se, & ratione sui à tali subiecto; nec per se fit de vno in aliud motus. Deinde ad secundam instantiam Respondetur, quòd licèt Relatio se teneat ex parte totius, & Positio ex parte partium, tamen positio importat respectum ad aliquod intrinsecum, vt dictum est, Relatio verò nequaquam; atque ideò Positio dicitur proximiùs assistere substantiæ, quam Relatio. Per quod etiam patet ad vltimam rationem: nam licèt esse in loco, siue Vbi priùs sit, quàm Situs, quia tamen tantùm dicit respectum ad aliquod extrinsecum, nempe ad ipsum locum, hinc est, quòd non proximiùs ipsa Positione, substantiæ assistit, vt patet.

ARBOR PRÆDICAMENTI SITVS.



QVÆSTIO VII.

Vtrùm Definitio, Diuisio, & Proprietates Habitus sint bene assignatæ à Gilberto.

HAbitus dicitur ab habendo, atque ideò sicut habere sumitur tripliciter, ita Habitus triplicem habet acceptionem, vt docet expresè Philosophus 5. Met. text. 25. Primò enim Habitus sumitur communiter, prout idem valet ac possidere quocunque modo, siue per inhærentiam, siue per relationem, &c. vt cùm dicitur habere amicum, habere pecunias, scientiam, &c. & Habitus, siue habere in hac acceptione consequitur prædicamenta, estque tantùm Postprædicamentum, de quo agit Aristoteles cap. vltimo huius libri; iuxta quam etiam acceptionem, ipsa res habita, quæcunque illa sit, siue substantia, siue accidens, quandoque appellari Habitus: quo sensu Aristoteles cap. de oppositis, dixit: *A priuatione ad habitum, non est possibilis regressus*.

Secundò sumitur habere, prout significat id, quo res se habet bene, vel malè, vel in se ipsa, vel in ordine ad aliquid aliud; quo sensu solemus inquirere, *Quomodo te habes*. Et Habitus in hac acceptione pertinet ad prædicamentum qualitatis, estque prima species eius, quia est dispositio qua res benè, vel malè se habet, vel in se ipsa, vt Sanitas, Ægritudo, &c. vel in ordine ad aliquod aliud, vt Virtus, Vitium, &c. de quibus satis dictum est suo loco.

Tertiò tandem sumitur Habere, vt est quoddam medium per modum actionis, & passionis inter habentem, & rem habitam; ratione cuius solemus dicere, vestitos, aut armatos esse, &c. qui enim habet vestem in arca, non dicitur habere hoc tertio modo, sed tantùm primo; & Habitus in hac acceptione constituit speciale prædicamentum, de quo in præsenti tantùm est sermo.

Definit autem illum Gilbertus, dicens: *Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia*: statimque eundem diuidit secundùm varia genera indumentorum, tam corpori toti, quàm singulis partibus conuenientium; videlicet in habitum, qui resultat ex adiacentia armorum, qui subdiuiditur in esse loricatum, galeatum, &c. & in habitum, qui resultat ex adiacentia vestium, qui subdiuiditur secundùm varia genera indumentorum, vt togatum esse, calceatum, cucullatum, &c. cui tandem assignat tres proprietates; quarum prima est, suscipere magis, & minùs: secunda, non habere contrarium: tertia verò, quòd habitus semper est in pluribus, nempe, & in habente, & habito.

Circa primam quæsiti partem, circa definitionem scilicet ipsius Habitus, omnes Philosophi eam recipiunt, licèt diuersissimè ipsam explicent, vt statim patebit.

Circa secundam quæsiti partem, nempe circa diuisionem in species: prima sententia est eorum, qui docent Habitum, seu talem adiacentiam corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, esse adiacens intrinsecum, independens in suo esse ab actuali extrinseco indumento, ita disponens partes corporis, vt possit commodè vestiri, & consequenter tantùm reperiri in hominibus, quorum membra ita disposita sunt à natura, vt possint de facilè indui: qua de causa tenentur fortasse diuidere tale prædicamentum penes diuersas aptitudines, ac dispositiones membrorum ad ipsum indumentum; vt in aptitudinem, quam habent membra curua, recta, aspera, &c. ita aliqui Moderni, quorum retento nomine mentionem faciunt Compl. hic disput. 16 q. vltima.

Secunda verò sententia est eorum, qui docent habitum, seu talem adiacentiam esse quamlibet inherentiam, informationem, & vnionem formæ ad suum subiectum; seu potiùs mutuum respectum formæ, ac substantiæ, siue subiecti, quod informat, cui inhæret, & vnitur: vnde tenentur diuidere hoc prædicamentum in habitationem; vt ipsi vocant, actiuam, & passiuam; seu in informationem actiuam vestis, aut cuiuslibet aliæ formæ, & in informationem passiuam subiecti vestiti, & informati. Ita Mastr. & Bellut. tum p. p. Inst. log. tract. 1. cap. 7. §. *Habitus, vel Habere, &c.* tum disput. 8. q. 12. art. 2. §. *Circa prædicamentum Habitus, &c.* qui pro se etiam citant Bassol. in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. atque alios.

Tertia denique sententia est ferè omnium Philosophorum docentium, prædicamentum Habitus esse diuidendum in habitum, qui resultat ex adiacentia vestium, vt esse cucullatum, calceatum, &c. & in habitum, qui resultat ex adiacentia armorum, vt esse loricatum, phaleratum, &c. talemque diuisionem esse essentialem, generisque in suas species.

Circa tertiam tandem, & vltimam quæsiti partem, omnes assignata recipiunt Habitus attributa; sed an tertium attributum conueniat habitui quarto modo, necne, non omnes eodem modo resoluunt: nam Burleus hic, Suarez disp. 53. Met. sect. 2. n. 5. Sanch. in sua logica, Mastr. & Bellut. loco citato Instit. log. & alii id apertè negant. Iauell. verò. Albert. Mag. Ægid. colum. Ruu. Bald Gherard. atque alii in hoc loco, omnino affirmant.

Notandum est idcirco primò, quòd sicut Vbi, est accidens resultans in re locata ex circumscriptione loci; sic Habitus vt constituit hoc prædicamentum, est accidens resultans ex adiacentia indumenti; vel accidens, ratione cuius res dicuntur indutæ, quod vtique significauit Gilbertus, dum dixit: *Habitum esse corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentiam*. qua profectò descriptione significatur, Habitum mediare inter corpus, & ea, quæ circa corpus sunt per modum agentis, & patientis; inquantùm scilicet medio illo corpus ornatur, & ea, quæ circa corpus sunt ornant: ac proinde hæc debent esse omnino extrinseca corpori, sicut locus est extrinsecus rei locatæ, & tempus rebus, quæ ab eo mensurantur. Hinc fit, animalia irrationalia, quæ à natura acceperunt arma & indumenta proportionata, vt vngulas, cornua, pilos, lanam, &c. quamuis ratione horum non habeant habitum pertinentem ad hoc prædicamentum, quia talia arma, & indumenta sunt veræ ipsorum partes, & non aliquid extrinsecum: tamen, quatenus in ordine ad humanos vsus, aliis armis, aut vestibus extrinsecis induuntur, habere proculdubio habitum de hoc prædicamento: sic enim Equus, v. g. dicitur phaleratus, aut armatus, &c.

Notan-

Notandum secundò, quòd esse semper, seu existere in pluribus, prout ad præsens spectat, non est vtcunque esse, vel existere in illis, vt subtiliter notat B. Alber. Mag. loco citato; sed esse, & existere in eis cum his conditionibus, quarum prima est, quòd in ipsis existat vt vnum numero in pluribus reduplicatiuè vt plura sunt, videlicet, quæ ad nullam vnitatem reduci possint: quare consultò Gilbertus bis, aut ter repetendo, dixit, *Secundùm eam, quæ partium est diuisionem*; non quidem partium habentium positionem, vt quidam fortasse, non satis rectè interpretati sunt, sed partium, in quibus, vt partitis, ac diuisis, est habitus; & hæc sunt habens ex parte vna, & habitum, seu res habita ex parte alia, quæ substantialiter diuisa sunt, & nullo modo vnita. Secunda verò conditio est, quòd sit in omnibus illis, vt in subiecto, non verò in vno, vt in subiecto, in alio verò, vt in termino, aut in causa, vt aliqui arbitrati sunt; quoniam, si secundùm adiacentiam, siue habitum, corpora dicuntur habere; vestes verò, & ea, quæ circa corpora sunt, dicuntur haberi, vt expresè habetur in textu; necessariò secundùm regulam denominatiuorum, talis adiacentia, & habitus, subiectiuè, & intrinsecè debet esse in ipsis. Tertia tandem, & vltima conditio est, quòd nequeat esse in vno illorum, nisi cum alio: prædicamentum enim habitus nequit esse in habente, nisi cum adiacentia rei habitæ, & ècontrà; cùm impossibile sit habere vestes, aut arma (quatenus tamen Habere est prædicamentum; nam vt postprædicamentum est, atque dicit possessionem non implicat) absque adiacentia vestium, & armorum.

Dicendum est ergo primò, quòd Habere, siue Habitus rectè definitur à Gilberto. Probatur: nam talis definitio est iuxta regulas bonæ definitionis, siue descriptionis: definitur enim Habitus, cùm sit accidens, per proprium subiectum, nempe per *Corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt*; quæ particulæ distribuendæ sunt in prædicatum, vel subiectum iuxta exigentiã modi, siue in concreto, siue in abstracto, quo placet definiri, vt dictum est: ergo rectè definitur Habitus à Gilberto.

Dicendum est secundò, quòd diuisio Habitus in eum, qui resultat ex adiacentia vestium, & in eum, qui resultat ex adiacentia armorum, est essentialis, genericisque in suas species. Probatur: quoniam diuisio essentialis huius prædicamenti illa est, quæ desumitur penes ordinem ad diuersa indumentorum genera, siue vestes, siue arma fuerint: sed huiusmodi est præsens diuisio: ergo, &c. Minor patet ex dictis. Maior verò probatur ex eo, quòd quidditas, & essentia Habitus consistit in hoc, scilicet, quòd sit adiacentia corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, vt sunt vestes, & arma: ergo diuisio iuxta hæc erit essentialis, vt patet.

Dicendum est tandem tertiò, quòd rectè sunt assignatæ proprietates Habitus, quarum tantùm tertia, conuenit illi quarto modo.

Probatur primo loco, quòd proprietas suscipiendi magis, & minùs sit rectè assignata: nam suscipere magis, & minùs prout ad præsens spectat; est idem manens in specie magis, vel minùs accedere ad perfectum esse illius speciei; ita vt per accessum ad talem terminum dicatur suscipere magis, & minùs per recessum ab eodem: Sed hoc conuenit Habitui: ergo, &c. Maior patet; nam vnus dicitur magis, vel minùs vestitus, aut armatus alio, quo magis, vel minùs accedit ad perfectionem speciei vestium, & armorum. Minor etiam liquet, cùm nulla appareat repugnantia.

Probatur secundo loco, quòd proprietas non habendi contrarium sit rectè assignata: quoniam esse armatum, & esse calceatum, non sibi contraria sunt; cùm tam habens, quàm res habita substantiæ sint: substantiæ enim nihil est contrarium: ergo, &c.

Probatur tertio, & vltimo loco, quòd proprietas essendi in pluribus vt in pluribus, sit rectè assignata, & conueniat Habitui quarto modo: nam illa proprietas, quæ dicitur ad conuertentiam cum eo, cuius est proprietas, est rectè assignata, & illi conuenit quarto modo; sed huiusmodi est prædicta tertia proprietas: ergo, &c. Maior patet. Minor verò probatur: valet enim dicere, quod existit in pluribus vt in pluribus, modo suprà explicato in secundo notando, est Habitus; & vice versa, Habitus est id, quod eodem modo existit in pluribus: ergo, &c.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis: nam *Vbi*, est adiacentia corporis, & loci existentis circa corpus, & tamen non est Habitus: ergo talis definitio non est Habitus: ergo talis definitio non est bona, cum conueniat aliis a definito.

Respondetur, quòd licèt *Vbi* dicat adiacentium locati, & loci, non tamen adiacentiam habentis, & habiti, quod applicatur, & figuratur ad figuram habentis: vnde ad Habitum requiritur adiacentia, & applicatio simul, quæ conuenit corpori; in *Vbi* autem est adiacentia tantùm.

Obiiciunt secundò in opppositum secundæ conclusionis Mastr. & Bellut. loco citato ex disput. 8. quòd essentia, & quidditas Habitus est habitio illa media, qua subiectum dici solet habere formam, & vniri cum illa: ergo diuisio essentialis illius debet esse penes diuersos modos habitionis, seu vnionis formæ, & subiecti, sed allata diuisio in conclusione est penes ordinem ad diuersa indumentorum genera: ergo non est essentialis. Vtraque consequentia bene deducitur. Minor subsumpta, necessariò concedi debet. Antec. verò probatur, tum ex ipso Gilberto, qui meritò reponit in hoc prædicamento Album esse, & Quantum esse, hoc est, respectum subiecti ad albedinem, & quantitatem; & talis vnio formæ ad subiectum est, quæ verè constituit hoc prędicamentum potiùs, quàm vnio Vestis ad corpus, quia illa, re vera est modus superadditus extremis, non autem ista: vnio nanque Vestis ad corpus, nil prorsus addit reale supra intimam præsentialitatem, & contactum, quem habet ad membra. De hac tamen attulerunt specialiter exempla Philosophi, quia peculiari quodam modo nomen Habitus illi appropriatur: vestis enim vulgariter dici solet Habitus. Tùm etiam quia vnio, præsertim informatiua, digna est, vt sibi speciale assignetur prędicamentum, cùm spectare non possit ad aliud, quàm ad prædicamentum Habitus, vt bene consideranti patere poterit: ergo quidditas Habitus est habitio illa media, siue vnio subiecti ad formam, &c.

Respondetur negando antec. ad cuius primam probationem ex Gilberto dicendum est, falsum esse, quòd posuerit in hoc prædicamento Habitus, Album esse, & Quantum esse; sed tantùm in Habere, vt post prędicamen-

icamentum est, vt Sole clariùs patet in litera: alias enim possemus dicere cæteros modos habendi etiam collocari in hoc prædicamento, cùm eodem loco eorum mentionem fecerit. Sequitur etiam esse manifestè falsum quod additur, nempe vnionem vestis ad corpus nihil addere reale supra intimam præsentialitatem, ac contactum; & quòd Gilbertus cum cæteris Philosophis attulerit exemplum de veste, vt populariter, & impropriè loqui solet; nam prætterquamquòd suprà q. 1. probatum est, hæc sex vltima prædicamenta consistere in aliquo absoluto reali, realiterque distincto à subiecto, cui inhæret: cæterùm tantùm abest, quòd de vnione, seu potiùs adiacentia vestium, & armorum, impropriè, & populariter locutus sit, vt cæteras alias vniones, & informationes, quæ non seruant pluralitatem, sed important vnitatem, ab hoc omnino excluserit prædicamento, dicens: *Hæc autem* (ea scilicet, quæ reponi debent in hoc prædicamento) *non secundùm totum dicuntur, sed secundùm particularem, seu secundùm eam, quæ in partibus diuisionem:* vnio autem formæ, & subiecti facit vnum per se, & nunquam seruat diuisionem partium, vt ex terminis patet. Ad secundam verò rationem dicendum est, vniones cùm sint quid incompletum, imperfectum, & modale, esse reducendas ad prædicamentum suorum compositorum, atque formarum.

Contra huiusmodi responsionem ad secundam scilicet istam rationem insurgunt Mast. & Bellut. loco suprà citato pluribus rationibus; tum quòd vnio est perfectior, quàm sit actio, cùm actio sit via ad vnionem; & tamen actio non reducitur ad prædicamentum formæ, & compositi, quod producitur, sed constituit speciale prædicamentum. Tum etiam quòd si vnio ponitur in prædicamento sui compositi, & formæ, quam vnit, ob connexionem, quam habet cum ea, pari ratione, etiam actio non constituet speciale prædicamentum, sed ponetur in prædicamento compositi, & formæ, quorum est productiua, ob necessariam connexionem, quam habet cum eis. Tum denique, quòd estò id concederetur de substantiali composito, de accidentali tamen concedi nequit; quia concretum accidentale non ponitur in prædicamento, vt importat ex æquò formam, & subiectum inter se vnita; sic enim est ens per accidens exul à prædicamento; sed solùm vt importat formam connotando vnionem, & subiectum: ergo inueniendum est aliquod prædicamentum, in quo per se directè ponantur vniones, saltem accidentales.

Respondetur & primò ad primam rationem, negando vnionem in esse entis esse perfectiorem actione, nam licèt actio, aliquo modo, idest non per se primò, sed ex connotato ordinetur ad vnionem (ordinatur enim per se primò ad compositum, & formam, quam producit) attamen, quia vnio est modus rei, & consequenter ens incompletum, actio verò est ipsa realis, & completa operatio agentis; hinc est, quòd hæc constituit speciale prædicamentum, minimè verò illa;

A per quod etiam patet ad secundam rationem: nam ex eo, quòd vnio non est quid completum, & perfectũ, sed tantùm modus rei; hinc est, quòd ob necessariam connexionem, quam habet cum toto, & forma, reponi debet in prædicamento illorum, & non per se in proprio prædicamento sicut actio, licèt & ipsa habeat connexionem cum suo termino. Ad tertiam tandem, & vltimam rationem respondetur, quòd non ideò reducitur vnio ad prædicamentum sui compositi, & formæ, quia importatur de connotato, sed quia connotatur, vt imperfectum, quid, & incompletum, incapax vt constituat proprium prædicamentum.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum tertiæ conclusionis. Tum quòd suscipere magis, & minùs præsupponit habere contrarium: sed Habitus non habet

B contrarium: ergo malè dicitur, quòd suscipiat magis, & minùs. Tum quòd nullum accidens est in pluribus subiectis, quia accidens indiuiduatur, & multiplicatur secundùm multiplicationem suorum subiectorum: ergo nulli Habitui conueniet in pluribus existere; & consequenter talis proprietas non rectè erit assignata, neque illi conueniet quarto modo, &c.

Respondetur ad primam rationem, quòd suscipere magis, & minùs ex permissione contrarii cum contrario, semper quidem præsupponit contrarietatem; non tamen suscipere magis, & minùs per accessum ad terminum, & recessum ab ipso; & hoc modo Habitus suscipit magis, & minùs, vt probatum est, etsi aliàs non habeat contrarium. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd nullum accidens numero potest esse in pluribus subiectis totalibus propter ra-

C tionem adductam; benè tamen in pluribus subiectis partialibus, atque inadæquatis.

Contra istam responsionem ad secundam rationem ita insurgunt Aduersarii; quòd si staret huiusmodi responsio, talis proprietas tamen non conueniret soli Habitui, sed etiam numero; & quibusdam relationibus: numero quidem, cùm existat partialiter in pluribus vnitatibus: relationibus verò quibusdam, vt patet de similitudine, & dissimilitudine, quæ de pluribus similibus, & dissimilibus partialiter dicuntur; cùm similitudo, & dissimilitudo saltem inter duo reperiri debeat: ergo, &c.

Respondetur ex secundo notando, negando antec. quoniam numerus, & prædictæ relationes licèt existant in pluribus partialiter, non tamen ita rigorosè,

D vt illa plura non sint reducibilia ad aliquam vnitatem: numerus enim cùm sit vnitas multiplicata, seu, vt ipsis verbis Gilberti vtamur, *Quid crescens secundùm vnitatum multifariam ascensionem*, est reducibilis ad vnitatem. Item relationes similitudinis, & dissimilitudinis, æqualitatis, & inæqualitatis, licèt sint quid vnum (specie tamen, non numero, in quo etiam non parum deficiunt à requisito rigore) in pluribus partialiter; attamen quia hæ tandem vniuntur in vno, quod est qualitas, vel quantitas, sunt absque dubio reducibiles ad aliquam vnitatem, quòd est contra requisitum rigorem.

ARBOR


ARBOR PRÆDICAMENTI HABITVS.

Habitus	Ex adiacentia vestium.	Cucullatum. Tunicatum. Pileatum.	Hæc in indiuidua.
	Ex adiacentia armorum.	Loricatum. Galeatum. Clypeatum.	Hæc in indiuidua.

A

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De Postprædicamentis.



HÆC tertia est, & vltima pars huius libri, in qua, vt promissum est in procemio ipsius libri, quando in partes diuisus fuit, agendum est de quibusdam consequentibus ipsa prædicamenta; quare postprædicamenta nuncupantur, quæ sunt quædam entia incompleta, siue quædam rationes imperfectæ, & incompletæ, diuagantes per multa prædicamenta, atque ideò ad nullum specialiter pertinent, vel reducuntur. Sunt autem huiusmodi, videlicet, Oppositio, Prius, Simul, Motus, & Habere. Horum autem sufficientiæ ratio est: quoniam, quæ consequuntur prædicamenta, vel ea consequuntur quoad suum fieri, vel quoad suum esse: si quoad suum fieri, & sic est Motus, si quoad suum esse, & hoc tripliciter; vel scilicet secundùm diuersitatem, aut ordinem, aut conuenientiam. Si secundùm diuersitatem, est Oppositio; cùm, teste Boetio, ipsa sit prima causa diuersitatis. Si secundùm ordinationem, est Prius. Si secundùm conuenientiam, & hoc dupliciter; vel secundùm conuenientiam inferiorum in suis superioribus, & sic est Simul; vel secundùm conuenientiam accidentium in subiecto; & sic est Habere. De omnibus autem istis est præsens disputatio: sed quia Oppositio sequitur esse quoad diuersitatem, quæ in generalissimis primò reperitur; hinc est, quod primo loco de Oppositis agendũ est.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Oppositio.



SVpponendum est in primis, hic non esse sermonem de oppositione propositionum, siue terminorum, de quibus lib. 2. Instit. log. cap. 8. sufficienter, & ampliùs suo loco, ex professo disputabitur; sed de oppositione rerum: hæc enim est, quę consequitur ad prædicamenta, &
B ex consequenti est quid reale (quidquid dicant Suarez, Molina, & alij, quos refert Sanch. q. 84. concl. 1.) Tum quia res opponuntur vno, vel altero ex his modis, nullo intellectu cogitante vt patet. Tum etiam quia modus rei; sequitur in esse ipsam rem, cuius est modus; cùm igitur Oppositio sit modus quidam prædicamentorum, quæ sunt entia realia, ipsa quoque debet esse quid reale.

Secundò supponendum est, tripliciter sumi posse Oppositionem: primò generalissimè, prout scilicet importat distinctionem, in quo sensu Socrates, & Plato e. g. quia inter se distinguuntur, appellari possunt oppositi. Secundo non tam latè, sed quatenus vltra prædictam distinctionem, importat repugnantiam conueniendi simul alicui; absque eo, quòd vnum op-
C positorum determinet sibi aliud, cui repugnet, sed indifferenter vnum repugnet omnibus, à quibus in essentia distinguitur; in quo sensu omnes differentiæ diuisiuæ, & species cuiuscunque generis appellari possunt oppositæ: volatile enim, gressibile, & aquatile respectu animalis inter se distinguuntur, & eidem nequeunt conuenire; non tamen volatile, e. g. determinat sibi vt oppositum, gressibile aut aquatile, sed indifferenter opponitur illis, omnibusque alijs, cum quibus non communicat in essentia. Tertiò tandem sumitur Oppositio strictiùs, & rigorosè, prout importat, præter distinctionem, & repugnantiam, etiam

etiam determinationem vnius extremi, cui tanquam sibi soli opponatur aliud, &ècontrà: hoc enim significat ipsius Oppositionis nomen; siquidem Oppositio, idem est, quòd contrà positio; non autem aliquid dicitur contraponi nisi rei determinatæ, è regionè cuius positum sit. Oppositio igitur primo modo non est Oppositio, sed simpliciter distinctio: secundo vero modo est Oppositio impropria, quæ alio modo dici solet disparata: tertio verò modo est Oppositio postprædicamentalis, de qua est præsens quæsitum, quæ vtique sic definiri solet, nimirum *Oppositio est repugnantia determinata aliquorum*, vt duplum, & subduplum, album, & nigrum; visus, & cæcitas; ens, & non ens: quare etiam communiter diuidi solet in relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam.

Omnes Philosophi, tam definitionem Oppositionis, quàm eiusdem diuisionem communiter recipiunt, licèt definitionem non eodem modo explicent: sed cùm res parui momenti sit, satis erit aliquam potiorem explicationem adducere; & quæsito, duabus conclusionibus satisfacere.

Notandum idcirco est, quòd particulæ illæ in definitione positæ, nempe *Repugnantia determinata aliquorum*, non important de formali relationem, ita vt sit sensus, quòd Oppositio sit relatio duorum extremorum, vt docent Mastr. & Bell. hic disput. 9. q. 1. & fortasse etiam illi, qui in antecedenti disput. docebant sex vltima prędicamenta esse formas relatiuas: hoc enim modo, extrema relatiua opponerentur ad inuicem per relationem oppositionis; atque ita vna relatio esset fundamentum alterius, contra id, quod dictum est suprà disp. 15. q. 2. ad primum; sed tantùm important relationem de materiali, & fundamentaliter, inquantùm scilicet important repugnantiam duorum extremorum habentium ad inuicem transcendentalem, vel prædicamentalem respectum; atque ideò Oppositio non est repugnantia vtcunque, sed determinata, hoc est, tantùm illorum extremorũ, quæ determinatum respectum ad inuicem important, vt suprà prænotatum est.

Dicendum est ergo primò, quòd optima est allata definitio oppositionis. Probatur: nam cùm repugnãtia sit quid superius ad repugnantiam materialem, quam vocant disparatam, & formalem, quam dicunt postprædicamentalem, bene ponitur loco generis, cui additur particula illa *Determinata* loco differentię; ly verò *aliquorum*, seu extremorum *determinatè se respicientium*, ponitur vt proprium subiectum, quod debet distribui vel loco generis, vel loco differentiæ, prout occasio definiendi oppositionem siue in concreto, siue in abstracto se dederit; vt consideranti patere poterit: ergo est optima.

Dicendum est secundò, quòd Oppositio est quadruplex, videlicet Contradictoria, Priuatiua, Contraria, & Relatiua. Probatur: quia vel repugnantia, quam importat Oppositio, est inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens: si primum, vel inter ens, & non ens simpliciter, & sic est oppositio contradictoria; vel inter ens, & non ens in determinato subiecto, & sic est oppositio priuatiua: Si autem secundum; vel tale ens, & ens mutuò se expellunt, & sic est oppositio contraria; vel se respiciunt, & sic est oppositio relatiua; ergo Oppositio quadruplex est.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis. Nam oppositio propositionum est pariter repugnantia determinata extremorum: ergo allata definitio Oppositionis non est bona. Cons. patet, cùm conueniat aliis à definito. Antec. autem probatur: quoniam propositiones non sunt repugnantes ad inuicem vtcunque, sed quatenus habent eandem determinatam suppositionem, ampliationem, restrictionem, &c. vt dictum est in Instit. log. lib. 2. citato; qua de causa, à vera oppositione multæ ibidem fuerunt exclusæ propositiones: ergo oppositio propositionum est pariter, &c.

Respondetur, quòd per illam particulam *Aliquorum*, siue extremorum in hac definitione appositam non sunt intelligenda tam entia realia, quàm entia rationis; sed duntaxat realia; cùm sermo tantùm sit de consequentibus entia realia, & prædicamentalia; vnde non est quòd dicta definitio videatur competere propositionibus, quæ formaliter sunt secundæ intentiones, atque entia rationis. Qua de causa, prædicta definitio adsummùm conueniet oppositioni propositionum tantùm analogicè, per quandam scilicet similitudinem, & attributionem; non verò vniuocè, & propriè.

Obijcitur secundò in oppositum secundę conclusionis. Quoniam in bona diuisione vnum membrum ex diuidentibus non debet comprehendi sub alio: sed in hac diuisione, vnũ membrũ sub alio comprehenditur: oppositio enim contradictoria includitur in omnibus alijs generibus oppositionis, vt dictum est suprà ex 10. Met. dsput. 15. q. 3. ad. 1. ergo non est bona diuisio.

Respondetur, nullum esse inconueniens, quòd vnum membrum ex diuidentibus comprehendatur sub alio identicè, & materialiter, in quo sensu oppositio contradictoria transcendit, & imbibitur in vnoquoque genere, vt ibidem dictum est. Secùs autem videtur dicendum, si vnum membrum comprehenderetur formaliter sub alio, quod absolutè negatur euenire in hac diuisione, vt infrà clariùs dicetur.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum eiusdem secundæ conclusionis. Etenim vniuersale, & singulare opponuntur vt colligitur ex Aristotele 1. Post. text. 12. ergo addenda est quinta species oppositionis; & consequenter allata diuisio est mutila; cùm allata oppositio ad nullam ex assignatis reducatur.

Respondetur, Aristotelem ibi tantùm dixisse, quòd ea, quæ nobis nota sunt, vt sunt singularia, non sunt nota natura, & ea, quæ natura sunt nota, vt sunt vniuersalia, nobis ignota sunt: ex quibus verbis profectò non inuenitur, quomodo vniuersale, & singulare opponantur. Præterquamquòd, absolutè negandum est vniuersale, & particulare, seu singulare esse opposita, oppositione de qua est sermo in præsenti: nam vniuersale, aut metaphysicum, aut logicum est; si hoc secundùm, opponitur quidem singulari saltem relatiuè, non tamen prout singulare consideratur secundùm suam entitatem realem, sed quatenus subiicitur vniuersali; atque ita talis oppositio non est oppositio physica, aut metaphysica, de quibus tantùm loquimur; sed logica, cùm sit inter extrema rationis, non autem realia, vt patet: si autem est primum, idest vniuersale metaphysicum, tunc propriè non dicitur opponi singulari, cùm à singularibus non existat separatum, sed tantùm ab ipsis sit præcisum,

sum, idest non consideratum in illis, quæ præcisio non est oppositio, vt patet.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

De oppositionis Diuisione.

DVbitari solet hoc loco circa prædictam Oppositionis diuisionem, an scilicet sit generis in suas species; an potiùs analogi in sua analogata: sed quia iam ex dictis tum de vniuocatione, & analogia, tum de diuisione omnium prædicamentorum, eius resolutio satis patere potest; hinc est, quòd speciale quæsitum ex professo non excitatur de hac re; sed tantùm, quid in hoc dicendum sit, ad præagitatam quæstionem appenditur.

Relictis igitur aliis opinionibus, breuissimè respondetur ex doctrina Diui Thomæ opusc. 37. cap. 1. 2. & 3. quem sequuntur Caiet. & Sot. in hoc cap. Masius ibidem q. 3. & communiter Thomistæ, talem diuisionem esse analogam tum quia Oppositio est quid reale conueniens rebus diuersorum prædicamentorum, quibus nihil potest esse reale commune vniuocum. Tum etiam, quia oppositio contradictoria, simpliciter & absolutè est oppositio, cùm excludat omne medium, quod à nullis aliis exluditur oppositionibus; ac proinde per ordinem ad oppositionem contradictoriam ceteræ aliæ participant rationem oppositionis, & sunt oppositiones tantùm secundùm quid: qua de causa, oppositio nequit esse quid commune vniuocũ, sed tantùm analogum, vt patet, ac consequenter præfata diuisio erit analogi in sua, &c.

QVÆSTIO II.

An relatiuè, & contrariè opposita, sint rectè definita ab Aristotele.

CVM oppositio contradictoria omnium sit maxima, vt videbitur infrà; rectus postulabat ordo, vt primo loco de ipsa ageretur: sed quia Philosophus, quem omnes secuti sunt, exordium sumit a relatiuè oppositis, hic pariter ab eisdem incipiendum est; cuius rationem fortasse adduxit Caiet. hoc in capite, dicendo, quòd ordo inter enumeratas oppositiones dupliciter considerari potest; primò in latitudine oppositionis; secundò in latitudine entis. Si consideretur primo modo, tunc contradictio primum locum tenet, deinde priuatio, tertiò contrarietas, & vltimò relatiua oppositio; quia tantò priorem locum inter oppositiones obtinet oppositio, quantò minùs conuenientiæ compatitur; constat autem contradictionis extrema in nullo conuenire, quia alterum ens, alterum purum nihil est. Priuatiuè autem opposita, & si in nullo formaliter conueniant, in subiecti tamen positione conueniunt; vtrunque enim subiectum ponit, seu supponit. Contrariè autem opposita, & si

A mutuò se expellant, quia tamen in vnius generis natura conueniunt, post priuatiuè opposita tertium locum obtinent. Relatiuè tandem opposita vltimò manent, non quòd in genere formaliter conueniunt, nec se, ex hoc quòd formaliter relatiuè opposita sunt, se expellunt; sed quia opposita, seu potiùs contraposita sunt, intra opposita enumerantur. Si autem consideretur talis ordo oppositionis in latitudine entis, sic viceuersa, relatiuæ oppositioni primus debetur locus; contrariæ, secundus; priuatiuæ tertius; & contradictoriæ, quartus. Ratio enim est; quia illa oppositio, quæ magis recedit ab entis positione, posteriorem inter entia locum tenet; & ea, quæ minùs entitatis remouet, priorem locum obtinet. Cùm igitur hic considerentur opposita hoc secundo modo,

B idest in latitudine entis, eò quòd sint postprædicamenta, hoc est affectiones, modique reales, entia realia consequentes; hinc est, quòd cum Philosopho exordium sumitur à relatiuè, & non contradictoriè oppositis, ex eo quia illa minùs entitatis remouent, vt de se, manifestum est.

Quamuis autem prædicta opposita ex terminis ipsis facilè dignosci possint, cùm ipsa potiùs sint definitiones; nihilominus placuit Philosopho ipsa definire, & primò in hoc capite relatiuè opposita, dicens: *Ea esse, quæ id quod sunt, oppositorum esse, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur*: hoc est, illa dicuntur relatiuè opposita, quæ secundùm suum esse, si sint relatiua prædicamentalia, aut aliquo alio modo, si sint transcendentalia, suorum oppositorum esse dicuntur: vt, e. g. duplum, quod secundùm suum esse, sui oppositi, idest

C dimidii, duplum esse dicitur, & è contra. Secundò verò, non tantùm in eodem capite, sed etiam & clariùs 10. Met. cap. 6. definit contrariè opposita, dicens: *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subiecto insunt, à quo mutuò se expellunt*; vt album, & nigrum, calidum, & frigidum, &c.

Omnes Philosophi communiter recipiunt allatas definitiones; sed non omnes eodem modo explicant; qua de causa, vt determinata aliqua explicatio hic habeatur, hæc duo sedulò adnotanda sunt.

Et primò ex Diuo Thoma q. 7. de Potentia, artic. 8. ad 4. quòd duabus singularibus differentiis, relatiuè opposita ab aliis oppositis separantur; quarum prima est, quòd cæterorum oppositorum semper alterum alterius negatio est, vel saltem ipsam secum

D adducit, vt patet de contradictoriè, aut priuatiuè oppositis: vel est priuatio, aut illius priuationem inducit, vt patet de contrariè oppositis. Relatiuè verò opposita præcisè, & formaliter vt talia sunt, nullam dicunt, vel important negationem, aut priuationem ad inuicem: pater enim, & filius non ideò opponuntur, quia se destruunt, aut expellunt (siquidem mutuò se ponunt, & perimunt) sed quia cùm mutuò se respiciant, pater contraponitur filio, seu è regionè ponitur, ac viceuersa. Secunda verò differentia est, quòd cæterorum oppositorum alterum se habet vt imperfectum respectu alterius; relatiuè verò opposita, prout formaliter vt talia, neque perfectionem dicunt, neque imperfectionem: & ratio vtriusque differentiæ est, quia cùm quidditas, & essentia relatiuorum sit ad aliud se habere, non est cur vnum correlatiuum, aliud respiciendo, negationem, vel priuationem inducat, aut aliquam perfectionem, vel imperfectionem inuoluat,

uoluat. Nec quidem temerè, sed matura considera tione sæpe repetitum fuit *Relatiuè opposita formaliter, vt talia*; nam si considerentur materialiter, vt scilicet opponuntur contradictione participata (ingreditur enim, & imbibitur contradictio in omnibus oppositis, cùm sit quid primum in tali genere) vnum oppositorum vtique dicit negationem, aut priuationem alterius, atque vnum respectu alterius, imperfecti rationem sortitur; sed hoc tantùm est per accidens, nempe ratione ipsius oppositionis contradictoriæ, quæ in ipso imbibitur, non autem per se, & formaliter.

Notandum secundò, quòd tres conditiones, seu proprietates assignantur ab Aristotele in hoc capite 10. contrariè oppositis; quarum prima est, non esse necessarium, si vnum contrariorum existit, quòd etiã existat aliud: non enim sequitur, si album est, nigrum etiam esse, quia possunt omnia esse alba, & nigrum tamen semper illis opponi; quæ proprietas intelligitur de illatione, seu consequentia logica: physicè enim, siue iuxta ordinem naturæ, si vnum elementum est, erit etiam, & suum contrarium, vt docet Philosophus 2. Cæli, text. 28. Secunda verò proprietas est, duo contraria non posse esse in eodem subiecto, in gradibus scilicet intensis, atque respectu eiusdem; patet enim; quòd idem non potest esse summè calidum, e. g. & summè frigidum; nec secundùm eandem considerationem, simul calidum, & frigidum; licèt in gradibus remissis & secundùm diuersas considerationes, idem possit esse simul calidum, & frigidum, vt apertè cernitur in mistis, vbi manent primæ qualitates ad medioeritatem reductæ; atque in eo, quod respectu frigidioris appellatur calidum, & respectu calidioris frigidum. Tertia tandem proprietas est, contraria esse circa idem subiectum, idem scilicet specie, aut genere; vt si subiectum sanitatis est animal, idem etiam sit subiectum ægritudinis: & iuxta has proprietates explicanda est contrariè oppositorum definitio.

Dicendum est ergo primò, quòd definitio relatiuè oppositorum est rectè assignata à Philosopho. Probatur: nam per ly *Id, quod sunt oppositorum esse, &c.* præsens definitio conuenit omnibus relatiuè oppositis, tam prædicamentalibus, quàm transcendentalibus, vt dictum est: insuper distinguitur à cæteris oppositis; nam licèt quodlibet oppositorum respiciat determinatè aliud: album enim dicitur determinatè opponi nigro, ut antecedenti quæstione notatum est; tamen secundùm proprium suum esse, seu entitatem, aut aliquo alio modo, cætera opposita non dicuntur esse suorum oppositorum: album enim non dicitur nigri album; nec visus dicitur cæcitatis visus, & sic de cæteris. Denique in allata definitione fundantur duæ illæ conditiones excludentes relatiuè opposita ab omnibus alijs, assignatæ à Diuo Thoma, vt notatum est: ergo cùm particula *Oppositio*, seu opposita, quæ implicitè intelligitur in particula illa *Ea esse* (valet enim ac esse opposita) stet loco generis, cùm omnibus competat oppositionibus; cæteræ verò particulę loco differentiæ, erit optima definitio, siue descriptio.

Dicendum secundò, quòd definitio contrariè oppositorum est rectè assignata à Philosopho. Probatur: quoniam in hac definitione, pariter subintelligitur opposita loco generis; deinde per ly *sub eodem genere*, contrariè opposita differunt à contradictoriè, ac priuatiuè oppositis, quorum vnum est semper non ens, quod non ponitur sub genere: deinde ponitur, *maximè distant*, ad differentiam mediorum, quæ sunt inter contraria, quæ vtique inquantùm media sunt, propriè non contrariantur extremis; sicut rubeum, quod est medium inter album, & nigrum, non contrariatur alicui illorum. Deinde ponitur, & *eidem subiecto insunt*, ad differentiam relatiuè oppositorum, quæ sunt in diuersis subiectis. Tandem ponitur, *à quo mutuò se expellunt*, eo tamen modo, quo explicatum est suprà, ad differentiam similiter relatiuè oppositorum, quæ non se expellunt, atque eorum quoque, quæ non sunt contraria, sed compossibilia in eodem subiecto.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis; tum quòd Simile refertur ad aliud Simile, & non opponitur illi; quia vnum simile, non solùm non est oppositum, sed propterea dicitur simile, quia est maximè conforme: ergo, &c. Tum etiam quòd quęcunque opponuntur habent oppositionem secundùm determinatum respectum vnius ad alterum: sed relatiua, non habent oppositionem secundùm prædictum respectum, quia respectus vnius ad alterum est forma ipsius relationis, in qua ambo conueniunt; ergo nulla relatiua opponuntur.

Respondetur, & primò ad primam rationem, per illam tantùm probari, relatiuè opposita mutuò non se expellere, neque vnum importare negationem alterius, non verò, quòd mutuò non se respiciant, & se respiciendo contraponantur, in quo consistit eorum oppositio, vt dictum est; per quod etiam patet ad secundam rationem: non enim relatiua opponuntur, quia sunt ad aliud; sed quia ad id, quod refertur vnum, non refertur aliud; siquidem pater, & filius, e. g. non opponuntur quia am bo sunt ad aliud, sed quia pater refertur ad filium, cui non refertur ipsemet filius, cùm filius, non ad se ipsum, sed ad patrem referatur.

Obiicitur secundò contra secundam conclusionem; tum quod Bonum, & malum contrariantur, & tamen non opponuntur sub eodem genere, cum sint prima genera: ergo malè dicitur, quòd contraria ponuntur sub eodem genere. Tum etiam quòd contradictoria plus distant, quàm contraria: ergo contraria non maximè distant, vt dicitur in definitione.

Respondetur ad primam rationem, Bonum, & Malum posse dupliciter considerari; moraliter scilicet, & physicè: si considerentur primo modo, sunt quidem diuersa genera; non tamen contrariè opponuntur, sed contradictoriè, vel saltem priuatiuè, vt docent Morales. Si autem considerentur secundo modo, sunt ambo sub genere qualitatis, & habitus: qua de causa particula illa, *sub eodem genere*, est intelligenda indifferenter, scilicet tam de genere infimo, quàm subalterno, & supremo; atque ideò Philosophus addit, quòd contraria, vel sunt sub eodem genere, vt albedo, & nigredo sub genere coloris, vel sunt sub contrariis generibus, vt iustitia, & iniustitia, sub virtute, & vitio; vel sunt ipsa contraria genera, vt virtus, & vitium; quæ omnia tamen sunt sub vnico genere qualitatis, vt patet. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd licet contradictoria maximè

mè distent, non tamen sub eodem genere, sicut contraria: quare nihil ad rem.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum eiusdem secundæ conclusionis, Quoniam ab igne, per frigus, aut humidum, non potest expelli calor, adeòut remaneat ignis cum frigore, &ècontrà; sicut expulso calore à ligno, remanet tamen ipsum lignum cum frigore expellente, & viceuersa: ergo non omnia contraria mutuò se expellunt ab eodem subiecto.

Respondetur, quòd prædicta particula definitionis, scillcet *mutuò se expellunt ab eodem subiecto*, debet intelligi de illis qualitatibus contrarijs, quæ sunt à subiectis separabiles, & quòd eisdem non insunt connaturaliter, hoc est definitè à natura (si tamen sermo sit de actuali expulsione) nam si sermo sit de aptitudinali expulsione, sicut debet esse, sufficit, quòd talia contraria possint expelli, nisi impediantur ratione suæ Inseparabilitatis; hoc autem est per accidens: accidit enim ad expulsionem alicuius contrarii, quòd pariter destruatur subiectum, eò quòd sit inseparabile ab ipso, vt patet.

QVÆSTIO III.

Vtrùm priuatiuè, & contradictoriè opposita, bene sint definita ex Philosopho.

ARistoteles enim, multa hic tradens de priuatiuè, ac contradictoriè oppositis, vix distinctam, & explicitam aliquam illorum definitionem posuit; qua de causa Doctores dispersa congregantes, huiusmodi, aut alias similes definitiones, siue descriptiones inuenerunt: nimirum *Priuatiuè opposita, ea sunt, quæ circa idem habent fieri subiectum ordine irregressibile, tempore determinato à natura*; & visus, & cæcitas in homine, aut cane, &c. *Contradictoriè verò opposita, ea sunt, quorum repugnantiæ non est dare medium*, vt homo, & non homo, &c. Quare iure optimo in titulo, non à Philosopho; sed ex Philosopho dictum est.

Omnes doctores licèt circa modum varientur, tamen circa rem vnanimiter conueniunt, sensumque prædictarum definitionum recipiunt: at quia, nisi rectè explicentur ipsarum verus, ac germanus sensus, non satis percipi potest, nonnulla propterea notanda sunt.

Primò, quòd duplex est priuatio, imperfecta vna, perfecta alia: prima est, quæ tantùm negat habitum, seu formam debitam in subiecto, & relinquit principia habitus, & formæ tam propinqua, quàm remota; vt est quies respectu motus, tenebræ respectu lucis, &c. quies enim negat motum in subiecto, non verò principium motus, quæ est natura: sicut tenebræ negant lucem, non autem diaphaneitatem in aere, quę est principium propinquum lucis, & illuminationis. Perfecta verò ea est; quæ negat prædictum habitum, & principia proxima illius, & tantùm relinquit principia remota; quemadmodum est cæcitas respectu visus, quæ negat visum, ac debitam complexionem organi, & cætera huiusmodi. Prima contingit, vt obseruat D. Thomas 8. Met. lect. 2. quandò subiectum, seu materia ita ordinatur immediatè ad ipsas priuationes sicut ad formam oppositam, quia nimirum potentia receptiua eius non respicit actum quasi in exercitio, atque ita æqualiter se habet ad formam, & ad eius priuationem. Secunda verò contingit, quando subiectum, seu materia non respicit immediatè ipsas priuationes, sed mediis formis oppositis, quia se habet ad diuersa secundùm ordinem prioris, & posterioris: tunc enim subiectum priùs petit habere formam, ex cuius absentia admittit in se priuationem. De prima quidem non procedit allata definitio, quæ importat ordinem irregressibilem, de quo dicit Philosophus: *A priuatione ad habitum non datur*, naturaliter scilicet, *regressus*: sed tantùm de secunda.

Notandum secundò, medium, de quo est sermo in præsenti, esse duplex, per participationem scilicet vtriusque extremi, & per negationem eorundem: primum est, quando inuenitur subiectum, cui vtrunque inest extremum, quales sunt colores medii, qui omnes participant de albo, & nigro; ac medii sapores, qui pariter participant de dulce, & amaro: secundum verò est, quando inuenitur subiectum, cui neutrum extremum inest; vt substantia respectu patris, & filii, quæ nec pater, nec filius est, sed tantùm substantia. Nullum autem horum mediorum potest dari inter opposita contradictoria, vt inter ens, & non ens; nam vel tale medium diceretur participare de contradictoriis ex eo, quòd esset compositum ex vtroque; vel ex eo, quia vtrunque recipere posset: non quidem primum, quia nulla res intrinsecè ex esse, & non esse componitur, vt dicitur 1. Phys. neque minùs secundum; quoniam sequeretur duas propositiones contradictorias posse esse simul veras, quod repugnat iuxta illud vniuersalissimum principium. *Impossibile est idem simul esse, & non esse*. Nec tandem potest dari secundum medium, nempe per negationem extremorum, cùm non minùs impossibile sit, quòd aliquid non sit ens, & simul non sit non ens, vt de se liquet.

Dicendum est ergò primò, quòd priuatiuè opposita rectè definiuntur per allatam definitionem. Probatur: quoniam priuatio, prout ad præsens spectat, dicit corruptionem habitus, & principiorum eius in suo subiecto, ideòque priuatio habet fieri circa idem subiectum, sicut habitus. Et quia corruptio præsupponit illud, quod corrumpitur, ideò priuatio præsupponit habitum, & habitus naturaliter præcedit priuationem; vnde habet fieri circa idem subiectum, non vtcunque, sed secundùm ordinem prioris, ac posterioris. Et quia, corruptis principiis habitus, non potest fieri regressus in habitum, & ipsa priuatio dicit corruptionem eorundem principiorum, ideò habitus, & priuatio sunt vtique circa idem subiectũ, &c. sed ordine irregressibili. Et tandem, quia aliquis dicitur habere priuationem, quando non habet habitum eo tempore, quo debet habere, ideò dicitur tempore determinato à natura; sicut catulus ante nonum diem non dicitur cæcus quamuis careat visu: ergo cùm talis definitio habeat, & contineat in se omnes conditiones priuatiuè oppositorum, erit optimè assignata.

Dicendum secundò, quòd contradictoriè opposita benè definiuntur per allatam definitionem. Probatur: nam per illas particulas, nempe. *Quorum repugnantiæ non est dare medium*, distinguuntur contradictoriè

dictoriè opposita ab omnibus aliis: ergo rectè definiuntur. Cons. patet ex eo, quòd vltra genus, definitio debet habere verba exprimentia differentias. Antec. autem probatur: nam opposita relatiuè habent medium per negationem extremorum: de lapide enim valet dicere, quòd nec dominus, nec seruus est, &c. Similiter opposita priuatiuè, etiam habent medium per negationem, &c. de elementis enim valet dicere, quòd nec sunt viuentia, neque mortalia. Item opposita contraria immediata, etiam habent medium per negationem extremorum: de terra enim valet dicere, quòd nec sana, neque infirma est. Contraria verò mediata vtrunque medium habent, tam scilicet per negationem, quam per participationem extremorum: de croceo enim, & viride valet dicere, quòd tam de albo, quàm de nigro participant: & de substantia valet affirmare, quòd nec alba, nec nigra sit: ergo contradictoriè opposita, per prædicta verba distinguuntur ab omnibus aliis, &c.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis, tum quòd rationale, & irrationale priuatiuè opponuntur; sicut æquale, & inæquale; & tamen non habent fieri circa idem: ergo mala est definitio priuatiuè oppositorum. Tum etiam, quia id, quod non est ens, non potest fieri, quia factio terminatur ad esse rei: sed priuatio est non ens: ergo non habet fieri circa idem subiectum.

Respondetur ad primam rationem, quòd licèt rationale, & irrationale secundùm modum significandi, & intelligendi, quo intelliguntur, & cognoscuntur à nobis, scilicet vnum per negationem alterius, sint aliquo modo priuatiuè opposita; tamen, secundùm id, quod sunt, non sunt priuatiuè opposita, cùm sint formæ positiuæ, sed magis habent rationem contrariorum: quamuis propriè, & in rigore, neque dicenda sint opposita, cùm sint differentiæ, vt dictū est suprà q. 1. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd licèt priuatio non fiat per se; bene tamen per accidens, nempe per corruptionem habitus; quare nec ens est, nisi per accidens, & secundùm quid, scilicet est tantùm carentia entis.

Obiicitur secundò in oppositū secundæ conclusionis; tū quòd animal, nec est rationale, nec irrationale: numerus, nec par, nec impar; ens, nec idē, nec diuersū: ergo prædicta contradictoria habent medium saltem per negationem. Tum etiam quòd ea, quæ solùm per instans durant, simul incipiunt, & desinunt: ergo habent simul esse, & non esse; & consequenter assignata definitio non est bona, &c.

Respondetur ad primam rationem ex dictis, nempe, quòd prædictæ differentiæ propriè non sunt oppositæ; & si aliquo modo videntur oppositæ, cùm sint formæ positiuæ, sunt opposita contraria, non autem contradictoria. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd ea, quæ durant per vnicum instans sunt proculdubio indiuisibilia, cùm mensurentur mensura indiuisibili; & consequenter iuxta ea, quæ dici solent 6. Phys. incipiunt per primum sui esse, idest, non est tempus, in quo immediatè anteà fuerint; & desinunt per vltimum sui esse; idest in eodem instanti sunt, & incipiunt immediatè non esse in tempore sequenti: qua de causa, licèt in eodem instanti incipiant, & terminent suum esse; non tamen in eodem instanti habent simul esse, & non esse; sed esse in illo instanti, non esse verò in tempore sequenti: vnde patet, quòd simul tempore nequit affirmari de eodem, esse, & non esse.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum eiusdem secundæ conclusionis; nam duæ propositiones de futuro contingenti ante decretum liberum diuinæ voluntatis, nec sunt veræ, nec falsæ; vt e. g. Petrus cras leget: Petrus cras non leget, cùm omnem determinatam veritatem, aut falsitatem accipiant à diuino decreto determinante futuram, vel non futuram lectionem Petri: ergo saltem illa duo contradictoria habebunt medium per negationem extremorum, scilicet quòd Petrus cras nec leget, neque non leget. Consequentia patet; nam, intantùm duæ propositiones oppositæ non habent determinatam falsitatem aut veritatem, inquantùm inter eas potest dari aliquod medium, quod neque sit vna, neque alia.

Respondetur, talem difficultatem postulare, longiorem discussionem de veritate futurorum contingentium in intellectu diuino, quæ non est logici muneris; nihilominus, ne difficultas videatur prætermissa, pro nunc dicendum est, eam esse legem contradictoriorum formalium, quòd vnum sit determinatè verum; idest, quòd ita de facto importet necessariam, & determinatam veritatem, vt si eam tantùm importaret de possibili, & contingenti, adsummùm esset dicendū contradictorium materialiter, hoc est, aliàs institutum ad significandum contradictorium formaliter, quod pariter dicendum est de falsitate. Qua de causa, cùm prædictæ duæ propositiones de futuro contingenti ante decretum, &c. significent veritatem, & falsitatem de possibili, & contingenti, vt probat argumentum, non sunt dicendæ formaliter contradictoriæ, sed tantùm materialiter, idest quatenus sunt institutæ ad significandum contradictoria formaliter post determinatum decretum diuinæ voluntatis. Quare mirum non est, si medium habeant, contra legem contradictoriorum, cùm ad ipsius obsequantiam non teneantur.

QVÆSTIO IV.

An Oppositio contradictoria sit omnium maxima.

NEcessariò recolenda videntur ea, quæ ex Caietano, ad secundam quæstionem huius disputationis suprà prænotata sunt, circa ordinem scilicet, & locum harum oppositionum. Insuper supponendū est etiam hic non esse sermonem de oppositione in aliquo genere prædicamentali; nempe quatenus contingit, vel in genere substantiæ, vel quantitatis, aut relationis, &c. nam in hoc sensu certum est, oppositionem contradictoriam, quæ est extra omne genus (dicit enim negationem entitatis vt sic) neque primum, neque nouissimum in prædictis generibus tenere locum; sed omnium primam, & maximam esse oppositionem priuatiuam, ad quam cæteræ aliæ reducuntur, vt dicitur 1. Phys. cùm omne quod fit, ex suo contrario priuatiuo fiat, vt patet in singulis generibus.

neribus. Sermo igitur erit de oppositione simpliciter, & absolutè considerata præcisè vt sic.

Sunt autem in hac difficultate duæ opiniones, quarum prima est negatiua; asserit enim oppositionem contrariam esse primam, & omnium maximam. Ita quidam Philosophus, quem sine nomine refert Soncinas 10. Met. q. 18.

Secunda verò est affirmatiua. Ita Aristoteles 10. Met. cap. 7. D. Thom. opusc. 46. cap. 1. 2. & 3. & communiter omnes Doctores.

Notandum est idcirco primò, quòd maioritas perfectionis, prout ad præsens spectat, dupliciter considerari potest, vel in ordine scilicet ad perfectionem entitatiuam extremorum; vel in ordine ad maiorem, vel minorem repugnantiam eorundem: si consideretur primo modo, non est dubium inter opposita primum locum tenere contraria, quorum extrema sunt positiua absoluta: deinde relatiua, quorum extrema sunt positiua relatiua: postea priuatiua, cùm saltem vnum extremum illorum sit positiuum, & intrà genus (est enim forma alicuius generis) tandem contradictoria, cùm positiuum suorum extremorum sit extra omne genus prædicamentale, vt dictum est. Si autē consideretur secundo modo; cùm inter ens, & non ens sit infinita distantia, maioritatem perfectionis obtinebunt primo loco contradictoria; deinde priuatiua: postea contraria; tandem relatiua; cùm minùs, & minùs eorum extrema distent ab inuicem, vt consideranti patere poterit.

Notandum est secundò, quòd sicut dictum est suprà in responsione ad tertium antecedentis quæstionis de propositionibus contradictoriis; ita de ipsa oppositione contradictoria sentiendum est; videlicet, quòd dupliciter considerari potest, vno modo materialiter, alio verò formaliter. Oppositio contradictoria materialiter considerata, nil aliud est, nisi ipsæ res, de quibus prædicatur affirmatio, aut negatio sibi opposita; atque ita loquendo de oppositione contradictoria, certum est, quòd non requirit tantam diuersitatem inter ea, de quibus dicitur, quantam requirunt aliæ oppositiones; quia affirmatio, & negatio ei opposite, possunt verè enuntiari de his, quæ sunt eadem res, licèt talis affirmatio, & negatio tunc non contradicant, quoniam talis res potest fundare oppositas rationes, secundùm quarum vnam conuenit sibi affirmatio, & secundùm aliam negatio: sicut punctus continuans duas lineas, comparatus ad lineam priorem, dicitur esse eius finis, & non principium; comparatus verò ad lineam posteriorem, dicitur principium, & non finis. Oppositio autem contradictoria formaliter considerata, est ipsa affirmatio, & negatio accepta in esse affirmationis, & negationis: nam affirmatio significat esse, & negatio non esse; cùm enim dicitur lapis, dicitur aliquod ens; &, cùm dicitur non lapis, dicitur formaliter non ens. Hoc autem modo loquendo de oppositione, certum quoque est, maximam supponere diuersitatem inter sua extrema, cùm inter ens, & non ens sit distantia infinita.

Dicendum est ergo, Oppositionem contradictoriā esse omnium maximam. Probatur: nam de ratione oppositionis est repugnantia: vbi est ergo maxima repugnantia, ibi maxima est oppositio: sed inter duo contradictoria est maxima repugnantia, quoniam in

A nullo possunt conuenire, cùm non possint habere medium, vt probatum est quæstione antecedenti: ergo, &c. Tum quia diuidunt ens vniuersaliter; nam de quolibet ente est affirmatio, vel negatio vera. Tum etiam quia non conueniunt neque in veritate, neque in falsitate; sicut enim non possunt esse simul vera, sic nec simul falsa. Tandem, quia maximè distant, quoniam alterum est ens, alterum non ens; non enim potest imaginari maior distantia, quàm inter ens, & non ens: ergo est maxima oppositio.

Obiicitur primo in oppositum; tum quia ex minori oppositione non infertur maior oppositio: sed ex contrarietate, quæ est minor oppositio, infertur contradictio; nam ex albo, & nigro infertur album, & non album, non autem ex albo, & non albo infertur album, & nigrum, vt patet; ergo, &c. Tum

B etiam quia alia quælibet opposita includunt contradictionem, & insuper aliquid aliud addunt. Tum etiam quia faciliùs non album fit album, quàm nigrū, quod vtique non esset, si inter album, & non album esset maxima illa repugnantia, & distantia. Tum denique, quia inter quædam contradictoria datur medium: nam inter non album, & albissimum datur medium, nempe album; cùm magis distet albissimum à non albo, quam album: ergo oppositio contradictoria non est omnium maxima.

Respondetur, & primò ad primam rationem, negando minorem; ad cuius probationem dicendum est falsum esse, nigrum respectu albi inferre propriè non album: nigrum enim est forma positiua, non album verò pura negatio albi. Ad secundam verò rationem

C respondetur, quòd vtique conuinceret, si illud additum causaret maiorem perfectionem in ratione distantiæ, ac repugnantiæ, sed ècontrà res se habet. Ad tertiam verò rationem respondetur, non album posse dupliciter considerari, vel vt dicit priuationem albedinis; vel vt dicit negationem eiusdem: primo modo quidem potest concedi, quòd faciliùs fiat albū, quàm nigrum, cùm nullam habeat resistentiam contrarii: Secundo verò modo nequaquam: impossibile enim est, quòd id, cui negatur albedo, fiat album; quemadmodùm impossibile est, quòd lapis, cui negatur visio, fiat videns. Præter quam quòd, si staret prædicta ratio, nihil tamen faceret contra allatam conclusionem; quoniam maioritas oppositionis debet desumi ex maioritate distantiæ extremorum, vt dic-

D tum est; non autem ex maiori resistentia ipsorum. Ad quartam tandem, & vltimam respondetur, albissimū, & cætera huiusmodi, tantùm magis distare materialiter, quam positiua eorum à non albo, &c. formaliter enim æquè distant, cùm æque vnum habeat rationem entis, & aliud non entis.

Obijcitur secundò, tum quia oppositio priuatiua videtur magis elongare vnum extremum à participatione alterius, quam contradictoria; quia priuatio perfecta, de qua est sermo, tollit omnino potentiam ad receptionem formæ, qua priuat; cùm a priuatione ad habitum non detur regressus: ergo oppositio contradictoria non est omnino maxima. Tum etiam quia illa oppositio, quæ plura apponit media inter extrema, magis elongat, & remouet extema inter se; vt patet in corporibus, quæ tantò magis distant ab inuicem, quantò plura sunt media, & longiora spatia pertranseunda: sed in oppositione contraria plura

sunt

sunt media, quàm in oppositione contradictoria, cùm nullum habeat medium: ergo, &c.

Respondetur ad primam rationem, quòd priuatio non tollit potentiam ad actum, quo priuat, ipsam destruendo entitatem potentiæ; sed tantùm principia proxima, apponendo scilicet impedimentum indelebile in potentia, vt ad actum non reducatur: vbi contradictio èconträ per negationem entis, quam includit, destruit etiam potentiam ad ens, nihil prorsus entitatis potentiæ ad ipsum relinquendo, & consequenter contradictio, magis opponit, & elongat extrema inter se, quàm priuatio. Ad secundam verò rationem respondetur concedendo maiorem, loquendo de distantia locali, & dimensiua, vt probat argumentum; loquendo verò de distantia formali, quæ est in ordine entis inter extrema oppositionis, neganda est; nam tantò maior est distantia, maiorque elongatio in ordine entis, quantò pauciora sunt media inter extrema oppositionis; quia eo ipso, quòd pauciora interueniant, minorem admittunt inter se conuenientiam; cùm per media vnum extremum semper participet aliquid alterius.

Obiicitur tandem tertio, tum quia necessarium, & impossibile plùs repugnant, quàm possibile, & impossibile; nam possibile est medium inter necessarium, & impossibile: medium autem, & extremum, minùs repugnare debent, vt patet, quàm extrema ipsa, quæ sunt necessarium, & impossibile: sed necessarium, & impossibile opponuntur contrariè; possibile verò, & impossibile contradictoriè, vt ex 2. Periher. dictum est suprà 2. lib. Institutionum: ergo maior oppositio erit contraria, quàm contradictoria. Tùm etiam, quia propositio vniuersalis negatiua plùs destruit de propositione vniuersali affirmatiua, cui contrariè opponitur, quàm propositio particularis negatiua, quę tali vniuersali affirmatiuæ contradictoriè opponitur: per huiusmodi enim propositionem, Nullus homo est animal, tollitur ab omnibus hominibus ratio animalis; per hanc verò, Aliquis homo non est animal, nõ tollitur ratio animalis, nisi ab aliquo homine tantùm: ergo maior est oppositio inter contraria, quàm inter contradictoria; & consequenter maior oppositio est contraria, quàm contradictoria.

Respondetur, quòd huiusmodi rationes tantùm propriè habent locum in oppositione complexorum, non verò incomplexorum, de quibus modò est sermo; nihilominùs; cùm easdem seruent ferè incomplexorũ leges; vt huiusmodi difficultas euitata non videatur, sed potiùs ex industria quæsita; dicendum est ad primã rationem, quòd possibile, dupliciter considerari potest: primò pro omni eo, quod potest esse, siue sit necessarium, siue contingens: secundò verò pro eo, quod est contingens, idest, quod potest esse, & non esse. Hoc secundo modo, est quidem medium inter necessarium, & impossibile, tamen tali impossibili, contradictoriè non opponitur (impossibili enim contradictoriè opponitur non impossibile, vt patet loco citato cap. 11.) Primo verò modo, cùm possibile æquiualeat non impossibili, contradictoriè opponitur impossibili, vt dictum est; at hoc modo, non est medium ad necessarium, & impossibile, sed quid superius, vt patet.

Ad secundam verò rationem respondetur, negando antec. nam cùm destructio, quam importat oppositio

A in propositionibus oppositis, sit destructio falsitatis, aut veritatis; plùs destruit de his oppositio contradictoria, in qua vna propositio per se, & ab intrinseco est determinatè vera, altera verò determinatè falsa; quàm oppositio contraria, in qua propositiones possunt esse ambæ falsæ. Et licèt in allato exemplo vna illarum propositionum possit esse vera, altera falsa more contradictoriarum; hoc tamen sequitur per accidens, idest ratione materiæ necessariæ, in qua est; non autem per se, & ab intrinseco, vt contingit in propositionibus contradictoriis, quarum vna est determinatè vera, altera falsa, vbicunque, & in qualibet materia, siue necessaria, siue contingenti ponatur: etenim si propositiones contrariæ fiant in materia contingenti, possunt esse ambæ falsæ, vt patet in

B istis: Nullus homo est albus; Omnis homo est albus, &c.

QVÆSTIO V.

Vtrùm rectè ac sufficienter sint assignati sex modi Prioris.

DVplici de causa Philosophus cap. 11. huius libri agit de Priori, quarum prima est, quia superiùs de illo in prædicamentis Substantiæ, ac Relationis fecerat mentionem, dicendo, Substantiam singula-

C rem esse primam, & Scibile esse prius scientia: secunda verò, quia cùm Prædicamentum sit ordo, seu coordinatio generum, & specierum, absque cognitione Prioris, & Posterioris, quæ disponunt talem ordinẽ, vix aliquis omnino perfectam prædictorum prædicamentorum notitiam assequeretur. Huius autem Prioris, seu prioritatis modos tantùm quinque assignauit, quatuor scilicet ex communi sententia, vnum autem ex propria; quibus postea Sacri Theologi sextum addiderunt, vt dictum est in synopsi prædicti capitis; qua de causa modò dubitatur de eorum sufficientia; an scilicet vltra illos addendi sint alii: nec caret fundamento ratio dubitandi; nam cùm paulatim extensus sit eorum numerus, nescimus, an tandem vndecunque sit terminatus, adeòut ad maiorem non sit pro-

D cedendum.

Prima sententia est quorundam Philosophorum, quos sine nomine citant Mastr. & Bell. hic disput. 9. q. 2. qui prædictos modos ex Aristotele 5. Met. text. 16. vsque ad sexdecim multiplicauerunt.

Secunda verò sententia communissima est, quæ docet prædictos modos esse tantùm sex, nec plures, nec pauciores, licèt Auctores in assignando eorum nomina, non omnino conueniant.

Notandum est idcirco primò, quòd licèt prima facie videatur Philosophus diuersus in numerando prædictos modos hic, ac quando eosdem numerauit 5. Met. text. citato; nihilominùs, re bene considerata, vtrobique eundem numerum seruauit, licèt diuerso modo expressum; etenim illi modi, quos in metaphysicis adduxit, sub istis quoque comprehenduntur: Prius namque secundùm cognitionem, ad Prius, à quo non valet subsistendi consequentia, reducitur: siqui-

siquidem vniuersaliora, quæ sunt priora ordine cognitionis confusæ, sunt etiam subsistendi consequentia priora: non enim valet consequentia, est animal, ergo homo: est homo, ergo Petrus. Et prius secundùm ordinem actus, ad prius secundùm dignitatem videtur reducendum: res enim existentes, siue quæ sunt in actu ita ordinantur ad inuicem, vt vna dignitate loci, principij, motus, aut alterius dignitatis, altera dicatur prior. Prius autem secundùm ordinem potentiæ, ad prioritatem causæ materialis, quæ est prioritas naturæ, & causalitatis, potest, & debet reduci; et sic de cæteris ibi assignatis, vt fusiùs ostendit Iauellus in epitome 5. Meta. cap. 6. & vt distinctè considéranti patere potest; atque ita, non est modus in Metaphysica expressus, qui ad aliquem ex his quinque ab Aristotele assignatis cap. 11. huius libri non reducatur.

Notandum secundò, quòd licèt variè explicetur modus prioritatis naturæ, quem alij vocant causalitatis, vt obseruant Mastrius, & Bellut. loco suprà citato; tamen communissima, & vera explicatio illius est, quæ suprà in huius capitis synopsi allata fuit; videlicet quòd talis modus sit id, quo aliquid dicitur prius alio, cum quo cõuertitur secũdùm existendi consequentiam, & est causa illius; vt hominem esse, ac orationem, seu propositionem in qua id affirmatur, esse veram: conuertuntur enim inter se; siquidem valet, homo est: ergo oratio, seu propositio id explicans, vera est, & è contrà, talis propositio, homo est, est vera; ergo homo existit, seu est; & esse hominem, quodammodò prædictæ orationis veræ, causa est: nam ab eo, quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Tali etiam modo essentia dicitur prior, suis passionibus; & differentia, sua specie, quam constituit, &c.

Dicendum est ergo, quòd rectè, ac sufficienter sunt assignati sex modi Prioris. Probatur; nam tot modis aliquid aliquo dicitur prius, quot dicitur propinquius alicui determinato principio: sed sex principalibus modis aliquid dicitur propinquius alicui determinato principio: ergo, &c. Maior patet cùm Prius ex D. Tho. quodlib. 15. q. 10. art. 1. dicatur id, quod est propinquius alicui determinato principio; & etiam inductione in omnibus rebus: puer enim, e. g. in ordine generationis dicitur prior viro, quia propinquior est determinato principio generationis; & sic valet de cæteris. Minor autem probatur: nam vel aliquid dicitur propinquius alicui determinato principio in ordine durationis, siue temporis, siue æui, aut æternitatis fuerit; & sic est prius tempore, &c. vel in ordine vniuersalitatis; & sic est prius prioritate consequentiæ; vel in ordine distributionis, aut dispositionis, seu ordinationis; & sic est prius ordine; vel in ordine perfectionis; & sic est prius dignitate; vel in ordine essendi, siue causandi; & sic est prius natura; vel tandem in ordine processionis duntaxat, & à quo; & sic est prius origine: sed præter hos modos, alii non sunt assignandi; vel si sunt, ad ipsos tanquam ad principaliores reducuntur, vt notatum est suprà: ergo sex tantùm principalioribus modis aliquid dicitur propinquius alicui determinato principio.

Obiicitur primò in oppositum, tum quia aliquid etiam dicitur prius secundùm locum naturalem vniuersi, qui solet diuidi in superiorem, & inferiorem;

A dexterum, & sinistrum; atque ita ignis est prior aere respectu loci superioris, posterior respectu inferioris. Tum etiam quia addi potest modus prioris secundùm rationem, quo illud prius altero dicitur, quod licèt reipsa non sit prius ipso concipitur tamen vt prius à nobis, vt in secundis intentionibus liquet; nam in hac propositione, Homo est homo, homo est à parte subiecti prior se ipso à parte prædicati: ergo, &c.

Respondetur ad primam rationem, quòd prius secundùm locum, reducitur ad prius ordine, vt patet, vel ad prius dignitate: nam quod superiorem obtinet locum, vel illum habet, quia sic disponitur à natura, vel ratione suæ dignitatis. Ad secundam verò rationem dicendum est, hic non esse sermonem de prioritate

B rationis, sed tantùm de prioritate reali; & dato, & non concesso, quòd etiam esset sermo de prioritate rationis, tamen reduceretur ad prioritatem ordinis: non enim minùs dicitur subiectum prius prædicato, quàm principia respectu conclusionis, ac literæ respectu syllabæ; quæ omnia dicuntur priora prioritate ordinis, vt iam dictum est.

Obiicitur secundò, tum quòd omne prius, est prius secundùm aliquem ordinem: ergo prius ordine non est modus distinctus ab aliis. Tum etiam, quòd omne superius est secũdo modo, prius suo inferiori, & tamen inter superius, & inferius conuertitur consequentia: quia sicut sequitur, inferius est; ergo superius est; sequitur etiam vice versa: ergo malè definitur prius prioritate consequentiæ. Tum denique, quòd in tempore non est prius, nec posterius, quia de tempo-

C re non habemus nisi *nunc*, in quo non est prius, neque posterius, cùm sit indiuisibile quoddam: ergo non datur prius tempore; & consequenter, vel isti modi sunt malè assignati, vel sunt pauciores sex.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd omne prius generaliter aliquo ordine debet esse prius, at non ordine doctrinæ, vel compositionis, secundùm quem specialiter prius tertio modo, dicitur prius ordine. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd licèt inferius, & superius, si considerentur quãtùm ad nomina, & intentiones, inferioris, & superioris, conuertantur secundùm existendi consequentiam, eò quòd hoc modo sunt relatiua, non tamen conuertuntur, si considerentur quantùm ad naturas eorum, cùm superiùs præcedat inferius. Ad tertiam

D tandem rationem respondetur, quòd licèt de tempore non sit nisi nunc in actu, & in facto esse; tamen secundùm successionem, & secundùm potentiam sunt plures partes temporis, vt præteritum, & futurum, quæ sunt in fieri ex fluxu successiuo ipsius nunc.

Obiicitur tandem tertiò; quia inter ea non datur prioritas originis, quæ sunt simul natura, & cognitione: sed Pater, & Filius in diuinis sunt simul natura, & cognitione, quia sunt relatiua: ergo inter eos nequit dari talis prioritas originis. Item, quòd si daretur inter Patrem, & Filium talis prioritas, daretur etiam aliquod signum, in quo esset Pater, & non esset Filius, atque ita Filius non esset coæternus: sed hoc est falsum: ergo, &c.

Respondetur ad vtranque rationem, quòd cùm prioritas originis non sit prioritas in quo, sed à quo, non repugnat neque cum simultate naturæ, neque cum coæternitate: non cum simultate naturæ, quia nulla

nulla est implicantia, quòd eorum quæ sunt simul natura, vnum sit ab alio; dummodò non sit instans reale, nec rationis, in quo sit vnum, & non aliud: neque cum coæternitate, quia nullum daretur instans, in quo esset Pater, & non Filius. Ex quo etiam patet, quòd prioritas non dicitur vniocè, & æqualiter de omnibus istis modis, sed tantùm analogicè.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm rectè, ac sufficienter assignati sint tres modi Simul.

SVpponendum est tanquam indubitatum, quòd tot possunt poni modi ipsius Simul, quot a Philosopho ponuntur modi Prioris (sextum enim modum à Theologis allatum omnino excludunt Doctores, cùm impossibile sit in Diuinis, vnam Personam origine altera priorem, esse simul origine cum ipsa) quare cùm ab illo quinque ponantur prioritatis modi, tot idem erunt simultatis apponendi: nam oppositorum (quemadmodùm sunt Prioritas, & Simultas) eadem est disciplina; & quot modis dicitur vnum oppositorum, dicitur & reliquum. Qua de causa, aliqua erunt simul tempore, vt illa, quæ eodem tempore fiunt; aliqua simul secundùm consequentiam, vt illa, inter quæ est consequentia mutua; aliqua simul secundùm ordinem, vt illa, quorum neutrum dependet ab alio, vt patet in disciplinis: quædam enim sunt principia, quorum vnum non dependet ab alio respectu alicuius conclusionis; aliqua simul secundùm dignitatem; vt ea, quæ habent eundem gradum in dignitate; & tandem aliqua simul natura, idest, quæ conuertuntur respectu sui esse, & neutrum illorum est causa alterius, & differt iste modus à secundo; quoniam secundus est, quando aliqua conuertuntur secundùm consequentiam, siue vnum sit causa alterius, siue non; iste verò est, quando aliqua conuertuntur, ita tamen quòd neutrum sit causa alterius.

Tres autem præcipuos horum modorum posuit Aristoteles, nempe Simul tempore, Simul natura, & Simul diuisione; quia hi tres maximè deseruiunt doctrinæ, & cognitioni prædicamentorum: primus enim deseruit ad cognoscendum si proprietates vniuscuiusque prædicamenti sint tempore simultaneæ, vel priores, aut posteriores. Secundus autem valet ad cognoscendas proprietates prædicamenti ad aliquid, inter quas est ista, proprium esse relatiuorum dici ad conuertentiam, vt suo loco explicatum est. Tertius tandem iuuat ad cognoscendum quòd in omni prædicamento sunt differentiæ oppositæ simul diuisinæ sui generis; & vniuersaliter omnia inferiora dicuntur simul contineri sub suis superioribus iuxta talem modum.

Nulla discrepatio est inter Doctores circa rem istã; sed propter quædam argumenta, quæ fieri solent in contrarium, debent diligenter aliqua adnotari circa expositionem secundi, & tertii modi.

Notandum est idcirco primò, quòd Simul secundo modo, ex illis tribus à Philosopho assignatis dicitur ea,

A quæ conuertuntur, & neutrum est causa alterius; vt sunt relatiua, quæ simul ponuntur in esse, & pereunt; & inter se conuertuntur, non quidem secundùm supposita, ita vt de se inuicem verificentur, sed secundùm existendi consequentiam: non enim dicitur, pater est filius, sed pater est filii pater, & èconträ. Et neutrum est causa alterius, eò quòd vnum non præcedit aliud; nec potest habere esse, nisi ponatur suum correlatiuum. Quare illa, quæ hoc modo dicuntur simul, habent oppositionem ad duos modos Prioris, ad secundum scilicet, & quintum; atque ideò dicitur, *quæ conuertuntur*, ad differentiam secundi modi Prioris; *& neutrum est causa alterius*, hoc est, non materialiter, & ratione fundamenti, sed formaliter, vt relatiua sunt, ad differentiam quinti modi.

B Notandum secundò, quòd simul diuisione, ea dicuntur, quæ ex equò diuidunt aliquod genus, vt sunt duæ differentiæ, vel duæ species eiusdem generis; & istæ species, vel differentiæ possunt dupliciter considerari; vno modo comparando illas inter se, & sic vna est semper alia prior via perfectionis, cùm vna sit semper altera perfectior: alio verò modo considerantur inquantùm conueniunt in suo genere, in quo essentialiter continentur, & sunt æqualis perfectionis; & sic sunt simul perfectione, nec vna est perfectior altera, vel prior, vel posterior; atque ideò iste modus Simul, potest dici perfectione, & dignitate, & opponitur quarto modo Prioris quo aliquod dicitur prius dignitate, vel perfectione.

Dicendũ est ergo, quòd tres modi Simul, rectè, & sufficienter sunt a Philosopho assignati. Probatur: C nam quæcunque sunt simul simultate deseruiente doctrinæ prædicamentorum, aut sunt simul tempore, aut simul natura, vt prænotatum est suprà: si simul tempore, sic est primus modus; si simul natura; & hoc dupliciter, vel simul natura relationis, & sic est secundus modus; vel simul natura diuisionis, & sic est tertius: ergo prædicti modi sunt rectè, ac sufficienter assignati.

Dicet fortasse aliquis quòd non omnes modi Prioris deseruiunt cognitioni prædicamentorum, vt constat de prioritate dignitatis, cùm vix appareat in prædicamentis eius vtilitas, & tamen idem Philosophus inter prædictos modos Prioris enumerauit: ergo à pari licèt Simul dignitate, atque alii modi simultatis præter assignatos, non deseruiant cognitioni prædi- D camentorum; nihilominùs Philosophus, eorum debebat mentionem facere, cùm oppositorum eadem sit ratio.

Respondetur negando, quòd prius dignitate non deseruiat cognitioni prædicamentorum: per hunc enim modum cognoscimus ordinem generis, & differentiarum ad speciem, quæ ex ipsis componitur. At verò simultas dignitatis, ordinis, &c. nihil facit ad cognitionem prædicamentorum, cùm nihil in illis sit simul tali simultate, vt manifestum est.

Obiicitur primò in oppositum, tum quòd puer, & senex nunc viuentes, sunt simul tempore, cùm sint in eodem nunc; & tamen eorum generatio non fuit in eodem tempore: ergo malè dicitur, quòd simul tempore ea sunt, quorum generatio est simul. Tum etiã quòd illa, quæ conuertuntur, & neutrum est causa alterius, sunt simul tempore, cùm generatio, & corruptio eorum sit in eodem instanti temporis: ergo pri-

primus, & secundus modus coincidunt: & consequenter prædicti tres modi non rectè assignantur.

Respondetur ad primam rationem, quòd licèt puer, & senex nunc viuentes, sint simul tempore secundùm aliquam partem suæ durationis; non tamen secundùm totam eorum durationem, cùm vnus priùs tempore inceperit, quàm alius. Ad secundam verò dicendum est, quòd licèt ea, quæ conuertuntur secundùm existendi consequentiam, sint simul tempore; tamen alia ratione dicuntur simul tempore, & simul natura: quia inquantùm simul producuntur in eodẽ instanti, dicuntur simul tempore; inquantùm verò intelliguntur simul esse sub aliqua natura, dicuntur simul natura; atque ideò prædicti modi non coincidunt.

Obiicitur secundò: nam causa est, ad cuius esse sequitur aliud: sed ad esse vnius relatiui sequitur esse alterius: ergo vnum est causa alterius; & consequenter malè ponitur secundus modus.

Respondetur, quòd licèt ad esse vnius relatiui sequatur illatiuè, seu resultet esse alterius, non tamen sequitur causaliter, & secundùm naturam, quo modo effectus sequitur ad suam causam.

Obiicitur tandem tertiò; quòd quæcunque sunt simul, in aliquo simul conueniunt: sed illa: quæ diuidunt è contrariò vnum genus, nunquam sunt simul in eodem, neque conueniunt in aliquo vno, quia opponuntur inter se: ergo saltem malè assignatur tertius modus Simultatis.

Respondetur esse satis, quòd ea, quæ condiuidunt æquè genus conueniant in illo esse, licèt opponantur oppositione disparata, & impropriè, non autem propriè, & in rigore, ita vt determinatè se respiciant, & excludant, vt dictum est suprà q. 1.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm rectè, & sufficienter sint assignatæ species, seu genera subalterna motus.

QVIA de motu hic, non nisi cognitione quàdam nimis confusa tractari potest, cum eius absoluta tractatio sit philosophica; satis est pro nunc rudi Minerua, specierum, seu generum subalternorum illius tradere sufficientiam. At id sanè ignorandum non est, istas species non esse propriè species alicuius veri generis, cùm sint viæ quædam, & entia incompleta; sed esse species eo sensu, quo membra qualibet diuidentia solent species appellari.

Cùm omnes Philosophi affirmatiuam sectentur sententiam, aduertendum solummodò est, quòd mutari, siue moueri est aliter rem se hebere nunc, quàm priùs; quod dupliciter contingere potest, vel in anima scilicet, vel in re corporali; si in anima, solet dici motus, qui est actus perfecti, idest existentis in actu prout in actu, de quo non est sermo in præsenti, cùm sit altioris considerationis. Si autem in re corporali, solet dici motus, qui est actus imperfecti, siue existentis in potentia prout in potentia, vt dicitur 3. Phys. Huiusmodi autem motus dupliciter sumitur; primò

A generaliter, secundò specialiter; primo modo idem est quòd mutatio communiter accepta, siue sit instantanea, idest facta in instanti, ita vt eius terminus acquiratur, vel deperdatur indiuisibiliter; siue sit successiua, ita vt eius terminus acquiratur, vel deperdatur diuisibiliter, & in tempore. Secundo modo, idem est quòd motus propriè dictus, de cuius ratione est successio, & eius terminus acquiritur, siue deperditur diuisibiliter, & necessario fit in tempore, & ipsi repugnat fieri in instanti. Hic autem non est sermo de speciebus motus considerati hoc secundo modo, sed tantùm primo.

Dicendum est ergo, quòd rectè, ac sufficienter sunt assignatæ sex species motus. Probatur: quoniã omnis motus est via, & processus ad aliquem terminum: omnis autem terminus est vel substantia, vel

B accidens: si substantia, vel est affirmatiuus, vel negatiuus: si affirmatiuus, & sic est generatio: si negatiuus, & sic est corruptio, Si autem est accidens, vel est accidens connotans respectum transcendentalem saltẽ; & sic est loci mutatio, seu motus localis: vel est accidens absolutum; & hoc dupliciter; quia aut est qualitas, & sic est alteratio, aut quantitas; & hoc dupliciter, quia aut est quantitas perfecta, & sic est augmentatio; aut est quantitas imperfecta, & sic est diminutio: ergo, cùm motus sumat speciem à termino ad quem, rectè, ac sufficienter erunt assignatæ prædictæ sex species.

Obiicitur primò in oppositum; nam motus intensionis, & remissionis sunt veri motus: sed ad nullam prædictarum spectant specierum: ergo sunt diuersæ

C species, & consequenter plures sex. Antec. patet; sũt enim actus imperfecti relinquentes mobile adhuc in potentia ad vlteriorem actum, vt patet. Minor verò probatur; nam si ad aliquam prædictarum specierum spectarent, maximè ad alterationem, cùm tantùm qualitates, ad quas terminatur alteratio, propriè intendantur, & remittantur: sed hoc non est dicendũ, quia intensio, & remissio non terminantur ad qualitates, sed ad gradus earum, cùm ipsas supponant: ergo ad nullam spectant, vt inductione experiri potest.

Respondetur negando minorem: nam prædicti motus reducuntur ad alterationem. Ad probationem verò in contrarium dicendum est, intensionem, & remissionem, ex sententia probabili multorum, non

D terminari ad gradus qualitatis, cùm non fiant per additionem gradus ad gradum, aut eorundem diminutionem; sed tantùm terminari ad maiorem, vel minorem radicationem qualitatis in subiecto, ita vt intensio terminetur ad qualitatem maximè radicatam, remissio verò ad eandem parùm radicatam: qua de causa prædicti motus collocantur sub motu alterationis, vt species sub genere subalterno, vt docent Philosophi in libris de generatione.

Obiicitur secundò; tum quia datur motus rectus, idest à termino à quo ad terminum ad quem; & motus reflexus, idest à termino ad quem, ad terminum à quo. Tum etiam quia datur motus naturalis nempe secundùm naturalem inclinationem mobilis; datur motus violentus, scilicet contra naturalem inclinationem; & motus neuter, idest, nec secundùm, nec contra naturalem inclinationem: ergo dantur plures aliæ species motus vltra sex assignatas.

Respondetur, motum rectum, motum obliquum, motum naturalem, & neutrum (si tamen praedictus motus neuter concedendus est) non esse essentialiter motus, sed potius accidentia illius: ratio enim est, quia motus non sumit speciem penes diuersum modum, & tendentiam in terminum; sed penes diuersum terminum, vt docent multi Philosophi 5. Physicorum.

Obijcitur tandem tertio; nam Philosophus 5. Phys. & cum eo omnes docent Interpretes, ad substantiam non terminari per se motum, sed tantùm per accidens, videlicet vel ratione quantitatis, aut qualitatis, &c. sed generatio terminatur ad substantiam, vt dictum est in synopsi capitis 13. huius libri: ergo saltem generatio non est per se vna ex his speciebus motus. Maior propositio non tantùm patet auctoritate Philosophi, & caeterorum, verùm etiam ratione: nam cùm substantia de se sit indiuisibilis, non potest habere latitudinē successiuam requisitam ad motum: ergo, &c.

Respondetur, quòd hic non loquimur de motu strictè, & rigorosè sumpto, hoc est, tantùm de successiuo, de quo est sermo 5. Phys. & de quo dicit Philosophus cum caeteris non dari, seu terminari per se ad substantiam propter rationem adductam: sed loquimur de motu generaliter, vt comprehendit etiam mutationes instantaneas, vt notatum est; & in hoc sensu ponuntur inter species illius generatio, & corruptio.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm rectè, ac sufficienter assignati sint septem modi Habere.

Explicatis speciebus motus, consequenter hic explicandi sunt modi Habere: & ratio ordinis est, quia motus valet ad cognoscendum quomodò accidētia à substantia causentur: habere verò valet ad cognoscendam reductionem accidentium ad substantiam. Quia verò accidentia priùs causantur, quam ad aliud reducantur, idcirco post motum conuenienter agendum est de modis habere.

Aliud tamen ignorandū non est, quòd Philosophus hoc loco enumerauit tantùm principaliores, & vniuersaliores modos habendi, relinquendo multos alios inferiores ad hos reducibiles, de quibus agit 5. Metaphys. text. 15.

Notandum est tamen primò pro declaratione difficultatis, quòd Habere dupliciter accipitur: vno modo generaliter, vt se extendit ad omnes suos modos, & sic ponitur reductiuè in diuersis praedicamentis, habetque rationem postpraedicamenti: alio verò modo capitur specialiter, solùm pro tertio modo habendi, prout est corporum, & eorum, quae circa corpus sunt, adiacentia, & sic est vnum praedicamentum ab aliis distinctum, de quo suprà satis dictum est. Hoc autem secundo modo non sumitur Habere in praesenti, sed tantùm primo.

Notandum est secundò, quòd primus modus habere, nempe habere qualitatem, reponitur in praedi-A camento qualitatis reductiuè, quia tale Habere dicit inhaerentiam qualitatis ad substantiam, & talis inhaerentia est esse illius qualitatis. Et similiter secundus modus, scilicet habere quantitatem, est in praedicamento quantitatis. Sed Habere tertio modo est praedicamentum ipsum habitus ab aliis distinctum. Et Habere membrum, siue partem integralem, est reductiuè in praedicamento substantiae, quia dicit vnionem partis in toto, talis autem vnio fit per formam substantialem. Sed Habere contentum, est in praedicamento vbi, quia tale habere dicit esse in loco continente. Et Habere possessionem, est in praedicamento relationis, quia possessor dicitur correlatiuè ad rem possessam tanquam ad correlatiuum eius. Et similiter Habere vxorem, est in praedicamento relationis: coniux enim dicitur correlatiuè ad coniu-B gem, & sunt relatiua aequiparantiae. Vnde patet, quomodò Habere secundùm diuersos modos eius ponatur in diuersis praedicamentis.

Dicendum est ergo, quòd rectè, sufficienterque assignati sunt septem modi Habere. Probatur: quoniam in omni modo Habere, habens est principium habiti; vel ergo est principium eius secundùm naturam, & voluntatem simul, & sic est quartus modus, scilicet habere membrum, aut partem integralem: membrum enim habetur secundùm naturam, & secundùm voluntatem applicatur ad operandum. Vel est principium eius secundùm naturam tantùm; vel secundùm voluntatem tantùm: si primum, hoc est dupliciter; vel est principium alterius secundùm materiam, vel ratione materiae, & sic est secundus mo-C dus, nempe habere quantitatem, quae sequitur materiam; vel ratione formae, & sic est primus modus, scilicet habere qualitatem quae consequitur formam. Si secundùm voluntatem tantùm, hoc est dupliciter, vel habens habet tantùm; vel habet, & habetur: si secundum, & sic habetur septimus modus, nempe habere vxorem: si primum, hoc est dupliciter; vel habitus figuratur ad formam habentis, vel non: si secundum, sic est sextus modus, vt habere domum, & pecuniam: si primum, hoc est dupliciter; vel habens circundat habitum, & sic est quintus modus, vt vas continere vinum, &c. vel circundatur ab illo, quod habetur, & sic est tertius modus, nempe habere vestem, &c. sed praeter hos modos, habens non potest esse principaliter, & vniuersaliter principium habiti: D ergo rectè, ac sufficienter assignati, &c.

Obijcitur primò in oppositum, tum quia idem non potest esse praedicamentum, & postpraedicamentum; quia oporteret idem esse in diuersis praedicamentis, & poni in vno tantum, quod non est dicendum: sed Habere, est vnum praedicamentum: ergo malè ponitur tanquam vnum postpraedicamentum. Tum etiam quia omne quod diuiditur, est aliquod totum: sed Habere non est aliquod totum, cùm non sit vnum: ergo malè diuiditur per septem modos.

Respondetur ad primam rationem, quòd licèt idem vniuocè, & eodem modo acceptum, non sit praedicamentum simul, & postpraedicamentum; tamen idem secundùm vocem aequiuocè acceptum potest esse praedicamentum, & postpraedicamentum; & sic est habere, vt notatum est. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd estò Habere non sit aliquod totum secundùm rem; est tamen vnum totum secundùm

dùm vocem: idem enim benè diuiditur diuisione vocis in suas significationes.

Obiicitur secundò, nam omne habere mediat inter rem habentem, & rem habitam; sed inter quantitatem, & substantiam nihil mediat, cùm quantitas immediatè insit substantiæ: ergo nihil dicitur habere quantitatem. Tum etiam quòd in omni modo, Habere est principium habiti, vt dictum est: sed possessor non est principium rei possessæ, neque vir respectu suæ vxoris: ergo malè ponuntur sextus, & septimus modus Habere.

Respondetur ad primam rationem, quòd Habere quantitatem non mediat quidem realiter inter substantiam, & quantitatem, tanquàm accidens realiter distinctum à quantitate, quia idem est realiter cum quantitate: mediat tamen modaliter, quia dicit inhærentiam quantitatis ad substantiam. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd licèt possessor,

A inquantùm relatiuè dicitur ad rem possessam, & etsi vir respectu propriæ vxoris, non sit principium; tamen secundùm id, quod est, aliquo modo est principium in genere causæ finalis; possessum enim est propter possessorem, & vxor propter virum.

Obiicitur tandem tertiò, quòd substantia dicitur habere relationem, actionem, & passionem. Et similiter genus dicitur habere speciem; & qualitas habere contrarium; & tamen tales modi non numerantur in præsenti: ergo tales modi Habere, non sunt

B assignati ad sufficientiam.

Respondetur, quòd tales, & similes modi non sunt ex principalioribus; quare commodè possunt reduci ad assignatos, videlicet vel ad primum, vel ad secundum, aut quintum, proportione tamen seruata, vt consideranti patere poterit. Et hæc non tantùm circa Prædicamentorum librum, verùm etiam circa totam primam Logicæ partem dicta sufficiant.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



SECVNDA PARS
LOGICAE
DE SECVNDIS INTENTIONIBVS,
quibus dirigitur secunda intellectus operatio,

IN QVA DISPVTATIONES CONTINENTVR, AC QVAESTIONES, QVAE AGITARI SOLENT IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS PERIHERMENIAS, SIVE DE INTERPRETATIONE.





CVM secunda intellectus operatio, A compositio scilicet, & diuisio, non minus dirigatur notitia istorum terminorum secundarum intentionum, videlicet Nominis, Verbi, Orationis, Propositionis, Æquipollentiæ, &c. quam prima directa fuerit notitia illorum terminorum, nempe Vniuersalis, Prædicabilis, Generis, Indiuidui, Analogi, &c. (intellectus enim non potest ferre iudicium de aliqua re, hoc est de illa aliquid affirmare, vel negare, quod est componere, ac diuidere; notitiam nisi præhabeat Nominis, Verbi, Orationis, Propositionis, &c. vt patet) iure optimo, postquàm tractatum est in prima parte de Generibus, Speciebus, Analogis, &c. debet in hac secunda tractari de nomine, verbo, oratione, &c. quod vtique B ordinatè fiet, si circa duos Perihermenias libros qui de talibus fusè tractant, disputetur.

Inscribuntur autem isti libri *Perihermenias*, quod si ex græco in latinum vertatur, Interpretationem significat: nam, cùm orationes, seu propositiones, & voces, de quibus tractant, sint notæ, atque expressiones eorum, quæ sunt in mente, licèt illæ principaliter, istæ verò minus principaliter; nullo alio veriori, atque aptiori titulo poterunt inscribi, quàm de interpretatione, seu de vocibus conceptus intellectus significantibus, & interpretantibus, non vtcunque & vt sic, sed quatenus prædictos exprimunt conceptus, vnum de alio affirmando, vel negando, seu secundùm veritatem, vel falsitatem, vt optimè obseruant D. Thomas, Scotus, & alii.

Qua de causa obiectum formale, & principale eorum erit. Oratio enunciatiua, seu Propositio, vt communiter docent Aristotelis Interpretes; quia hęc est de qua principaliter agitur in illis, & cuius partes explicantur, quæ sunt Nomen, & Verbum. Hæc etiam est, cuius passiones probantur, & in quam cętera, de quibus disputatur, tanquam in finem ordinantur, quæ sunt propriæ conditiones obiecti, vt ex professo dicetur in libris Posteriorum.

Diuisio verò horum librorum non est eadem apud omnes interpretes: nam Græci sub vno, eodemque libro totum opus includunt, Latini verò, quos sequi debemus, in duos libros ipsum diuidunt, in quorum primo de Enunciatione, & eius partibus agitur, in secundo, de varijs eiusdem modis.

LIBER

LIBER PRIMVS

PERIHERMENIAS, EIVSQVE SYNOPSIS.

ISTE liber habet sex capita: primum continet Procemium, vbi Philosophus proponit ea de quibus acturus est, ac de Signis, & de significatione, aliqua attingit. In secundo idem Philosophus agit de Nomine, vbi definit ipsum, partes definitionis explicat; atque à ratione nominis casus obliquos excludit. In tertio tractat. de Verbo, cuius definitionem statuit, & explicat: excluditque verba infinita, & casus obliquos verborum; ac tandem verbum, & nomen inter se comparat. In quarto agit de Oratione, cuius essentiam explicat, vbi etiam tractat de Propositione, varias eiusdem diuisiones adducit, ac tandem de propositionum contradictione disputat. In quinto prosequitur de oppositione propositionum, & aliquas eius leges statuit. In sexto tandem agit de futuris contingentibus, explicans, quomodò veritas, vel falsitas reperiatur in propositionibus de futuris contingentibus; ad quòd insinuandum priùs explicat quomodò reperiatur veritas, vel falsitas in propositionibus contingentibus de præterito, & præsenti. Deinde concludit, propositiones de futuro contingenti non habere determinatam veritatem, aut falsitatem.

DISPVTATIO DECIMANONA,

De natura, & diuisione Signi in communi.

NON sine manifesto erroris periculo aliquid de Enunciatione, ac vocibus significatiuis determinari potest, nisi priùs indagando videamus, quid sit significare; nec significandi rationem attingere omnino valemus, si naturam, & diuisionem Signi, vnde significatio venit, ignoremus. Qua de causa primo loco, de natura, quidditate, ac diuisione Signi in communi agendum est.

QVÆSTIO I.

In quonam consistat ratio, & essentia Signi.

A SVpponendum est primo loco in hac quæstione, quòd signum dupliciter considerari potest, vel specialiter pro aliquo sensibili; vel generaliter prout abstrahit à sensibili, & à spirituali. Si consideretur primo modo, maximè conducit ad attingendam eius essentiam definitio illa D. Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 1. nimirum, quòd *sit illud, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire.* Si autem consideretur secundo modo, cùm insufficiens remaneat prædicta D. Augustini definitio, ampliorem aliam Dialectici inuenerunt,
B dicendo, *Signum esse, id quod repræsentat aliud à se, potentiæ cognoscenti.*

Secundò supponendum est, quòd in tali definitione signi in communi duo reperiuntur, primum est ratio repræsentatiui, seu manifestatiui: secundum verò est ordo ad alterum, scilicet ad rem, quam repræsentatur, & ad potentiam, cui manifestat, & repræsentat: qua de causa Dialectici valdè laborant in assignando, in qua ex prædictis rationibus consistat essentia signi.

Tertiò tandem, vt certa ab incertis secernantur, supponendum est rationem essentialem signi posse dupliciter considerari, formaliter scilicet, & materialiter: si consideretur hoc secundo modo, certum est
C consistere in aliquo absoluto; quia signum materialiter, & præsuppositiuè dicit tantùm rationem repræsentatiui, seu manifestatiui alterius, quæ ratio ad summùm importat relationem transcendentalem, quæ à ratione absoluti non recedit: tum quia repræsentatiuum potest saluari in ordine ad se, & sine respectu ad alterum, vt quando lux manifestat se ipsam, & obiectum se repræsentat, vt videatur, &c. Tum etiam, quia potest aliquid manifestare alterum sine dependentia ab ipso, sed potiùs per dependentiam alterius à se; sicut principia manifestant conclusiones, lux, colores, Deus visus à Beatis, creaturas, &c. Si autem consideretur prædicta ratio essentialis formaliter, hoc est in ratione signi, scilicet vt addit supra
D repræsentationem alterius, dependentiam ab illo; vertitur adhuc in dubium, an talis ratio sit quid absolutum, seu relatiuum transcendentale, an potiùs relatiuum formale, quodcunque illud sit, siue scilicet reale, siue rationis? nam circa hoc erit resolutio inferiùs in appendice ad quæstionem primam vigesimæ disputationis.

Prima igitur sententia docet rationem essentialem Signi formaliter accepti consistere in aliquo absoluto, vt fundat relationem formalem signi ad rem significatam. Ita Alex: Alens. 1. sent. punc. 4. q. 1. Ledesma titulo 4. q. 1. art. 2. dub. 3. Conimb. 1. Periher. q. 1. art. 1. & multi ex recentioribus.

Secun-

Secunda verò sententia docet prædictam rationem essentialem signi formaliter accepti consistere in illa relatione formali, quam signum ad rem potentiæ significatam importat. Ita D. Thomas 3. p. q. 1. art. 1. in corp. & q. 63. art. 3. & in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. Ioan. à S. Tho. hic, q. 21. art. 1. & communiter veri Thomistæ.

Notandum est idcirco primò, quòd quadruplex est causa cognitionis, scilicet efficiens, obiectiua, formalis, & instrumentalis; efficiens est ipsa potentia, nempe intellectus: obiectum est res, quæ mouet potentiã, vel ad quam tendit ipsa cognitio, vt dum cognoscitur lapis, &c. formalis est ipsa notitia, qua redditur potentia cognoscens, vt cognitio ipsa lapidis: instrumentalis autem est medium, per quòd obiectum repræsentatur potentiæ, sicut Imago exterior Cæsaris, quæ repræsentat Cæsarem. Causa verò obiectiua, seu ipsum obiectum triplex est; motiuum scilicet tantùm; terminatiuum tantùm; & motiuum, & terminatiuum simul. Motiuum tantùm est, quod mouet potentiam ad formandam notitiam non quidem sui, sed alterius; vt imago, seu species impressa est similitudo obiecti, quæ mouet potentiam ad cognoscendum ipsum obiectum. Terminatiuum tantùm, est res cognita per notitiam, & cognitionem potentiæ; vt similitudo, & species expressa obiecti, quæ exprimitur, & producitur à potentia per cognitionẽ. Terminatiuum denique, & motiuum simul, est quando res cognita ita mouet, & terminat potentiam, vt non solùm habeat respectu illius rationem obiecti intelligibilis, verùm etiam actu intellecti; vt est Diuina essentia in sententia D. Thomæ respectu intellectus Beati.

Notandum secundò, quòd impositio, seu destinatio voluntatis instituentis, vt aliquod sit signum talis, vel talis rei, non est ipsum signum formale, sed tantùm fundamentale, seu fundamentum relationis signi, in qua relatione posteà ratio formalis, & essentialis signi consistit, vt statim inferiùs probabitur: tribuit enim signo talis impositio solam cõnexionem cum re, quam significat, & subrogationem pro illa ad significandum non naturaliter, sed secundùm placitum imponentis: eodem ferè proportionali modo, quo abstractio naturæ à singularibus non est vniuersale formale, sed fundamentale, & metaphysicum, seu fundamentum vniuersalis logici. Ex quo autem fit, quòd sicut signum naturale, dum tantùm fundamentaliter, seu ratione sui fundamenti exercet significationem, nulla adhuc existente relatione ad significatum, vt est imago, e. g. Imperatoris iam defuncti, & non existentis, non est signum formaliter, sed tantùm fundamentaliter, & materialiter: ita à pari, vox, aut scriptura, & alia signa ad placitum, dum ratione impositionis semel factæ duntaxat, nulla scilicet præconcepta relatione, significant, & repræsentant, non redduntur formaliter signa, sed fundamentaliter proximè, vt inferiùs in appendice citata ad primam quæstionem vigesimæ disputationis clarè explicabitur.

Dicendum est ergo, quòd ratio essentialis, siue essentia signi formaliter considerati, consistit in aliquo relatiuo formali. Probatur: nam ratio signi, vt formaliter signum est, non consistit tantùm in hoc quod est repræsentare, seu manifestare aliud à se; sed

A in tali modo manifestandi, quod est repræsentare aliud, tanquam inferiori modo ad illud, scilicet vt minùs principale ad magis principale, vt mensuratum ad suam mensuram, vt substitutum, & vicem gerens ad id, pro quo substituitur, & cuius gerit vices ergo consistit in aliquo relatiuo. Consequentia patet, cùm ex dictis disp. 15. q. 2 mensuratum dicat respectum, & relationem formalem ad mensuram. Antec. verò probatur, tum ex suppositis superiùs tertio loco; cùm etiam, quia ad hoc tantùm deseruit signum, vt sit medium, & substituens loco signati, quod intendit manifestare potentiæ, eò quòd res per se ipsam non innotescit, sed per tale medium: vnde si res se ipsa manifestatur, cessat ratio, & officium signi: ergo signum est quid respiciens signatum, vt subrogatum vice il-
B lius, & aliquid deseruiens, ac ministrans ipsi, & mensuratum per ipsum: tantò enim meliùs signum significat, quantò propinquiùs se habet ad signatum in se.

Respondent aduersarij negando consequentiam; ratio enim est, quia signum non respicit significabile vt purum terminum, quemadmodùm supponit argumentum, sed vt obiectum suæ significationis: vnde non videtur consistere in puro respectu, sed in ordine transcendentali; sicut potentia, & scientia respiciunt obiectum, & ab ipso quoque mensurantur.

Contra tamen est, quòd signum non respicit significatum vt obiectum, seu materiam, circa quam versatur præcisè, sicut potentia, & scientia sua obiecta respiciunt; sed tanquam substitutum, & vices signati gerens, atque loco eius subrogatum in repræsentando
C potentiæ: & quia directè signum importat hanc substitutionem, & subrogationem ad alterum, ideò formaliter est quid relatiuum ad id, pro quo substituit. Potentia autem, & scientia non important hanc relationem ad obiectum, sed important rationem principii, & virtutis circa aliquid operantis, quòd non est relationis, formaliter loquendo: operari enim relationi non conuenit; esse autem substitutum, & subrogatum, relationis est: atque ita scientia, & potentia; actus, & habitus respiciunt obiectum transcendentaliter, vt mensuram sui, & specificatiuum; signum autem formaliter est quid subordinatum, & inferius significato, seu eius vices gerens.

Obiicitur primò in oppositum, quoniam formalis ratio Signi saluatur per hoc, quòd sit verè, & forma-
D liter ductiuum potentiæ ad suum significatum; sed ducere potentiam ad significatum non fit media relatione, sed media proportione, & connexione, quæ est inter signum, & significatum, quæ est fundamentum relationis: ergo signum formaliter non consistit in relatione formali, sed adsummùm fundamentali, & transcendentali. Maior constat ex definitione signi, quod scilicet *repræsentat aliquid potentiæ cognoscenti*: ergo est ductiuum potentiæ ad significatum. Minor verò probatur; quia vt signum nobis repræsentet, non est necesse quòd cognoscamus relationem eius: sicut rusticus, ex vestigio cognoscit animal, non cogitando de relatione, &c. ergo, &c.

Respondetur, quòd in ratione ductiui possumus duo considerare; scilicet vim, seu rationem exercendi ipsam repræsentationem ducendi; & relationem subiectionis, seu substitutionis ad id pro quo, eam exercet: sicut in Domino, e. g. & consideratur potestas guber-

gubernandi, seu coercendi subditos, & relatio ad illos; & in Seruo facultas obediendi, & relatio subiectionis. Quantùm igitur ad vim ducendi repræsentatiuè, concedendum est signum non esse relationẽ formalẽ, sed ad summùm transcendentalem, seu fundamentalẽ, atque prędictã proportione, & connexionẽ cum significato siue ex natura, siue ex instituto sit: at verò quantùm ad formalitatẽ Signi, quę nõ est quęlibet proportio, & repræsentatio, sed subseruiens, & substituta signato, consistit formaliter in relatione substituti repræsentatiui: sicut esse seruum, vel esse dominum formaliter, relationes formales sunt: & tamen ius coercendi, & obediendi, relationes formales non sũt, sed fundamentales, & transcendentales. A

Quare in forma, admissa maiore secundùm explicationem modò adductam, neganda est minor: ad cuius probationem distinguendum est: vt Signum videlicet nobis repræsentet sine dependentia, & substitutione ad rem signatam, non est necesse vt cognoscamus relationem eius, quomodò rusticus ex vestigio cognoscit animal, concedendum est; sed hoc modo non est signum formale, sed fundamentale: vt autem signum nobis repræsentet modo explicato, nempe cum dependentia, & substitutione ad rem signatam, non est necesse quòd cognoscamus relationes eius, negandum est, ac in tali relatione consistit signum formale. B

Obiicitur secundò nam per id habet signum ducere potentiam ad signatum, non vtcunque, sed vt mediũ per quod habet manifestare potentię ipsum signatum: sed hoc habet sufficienter ratione relationis transcendentalis, quia cognita relatione transcendentali causę, vel effectus, aut imaginis, vel quacunque connexione duorum, attingitur statim terminus: ergo non requiritur alia relatio formalis, vt signum ducat ad signatum, vt medium. C

Respondetur negando minorem; nam ex eo quòd viso effectu cognoscatur causa, aut visa imagine, Archetypus; non tamen constituitur formaliter ratio signi, nisi addamus peculiarem relationem ræpræsentationis substituentis, vt dictum est. Quare prædicta relatio transcendentalis adsummùm fundabit relationem formalem signi, in qua tantùm consistit essentia illius, vt signum formaliter est.

Obiicitur tandem tertiò, nam signum in communi, non potest consistere in relatione, &c. ergo absolutè signum non est relatio. Conſ. patet: nam si genus non est in ratione relatiui quomodò species ad relationem spectabit: Antec. autem probatur; quia signum est commune ad signum formale, & instrumentale: sed formale non est relatio, sed qualitas, cùm sit notitia, vel conceptus: ergo, &c. D

Respondetur negando antec. ad cuius probationem dicendum est signum formale esse qualitatem, & conceptum materialiter, non autem formaliter; in quo sensu à D. Thoma Character appellatur qualitas materialiter, & fundamentaliter, non vero formaliter, cùm sit signũ, & consistat in prædicta relatione.

✠

QVÆSTIO II.

Vtrùm Signum possit esse propriè, & expressè signum sui ipsius.

HViusmodi quęstio licèt non controuertatur inter Philosophos, attamen non omnino caret fundamento dubitandi: nam cùm ex dictis in antecedenti quæstione statutum sit inter signum, & signatum intercedere relationem, quæ saltem inter signa ex instituto: & rem per ipsa significatam potest esse rationis, quam relationem non implicat esse eiusdem rei ad se ipsam; hinc est, quòd occasio hæsitandi præbetur, an sint aliqua signa, quæ propriè, & expressè possint significare se ipsa, nec ne.

Notandum est idcirco primò, quòd relatio signi per ordinem tam ad rem, quam significat, quàm ad potentiam, cui significatur, siue signum fuerit naturale, siue ex instituto, coincidit cum relationibus causæ, & effectus, aut alicuius dependentiæ, quæcunque fuerit: nam habitudo vnius naturæ ad aliam, vel est quia vna supponit aliam, à qua materialiter accipit esse; vel quia est talis, vt ea posita, necessariò alia consequatur: qui respectus non sunt alii, quàm effectus, vel causæ, vel alicuius dependentiæ. Quapropter, cùm inter causam, & effectum; & inter dependens, & id à quo dependet, debeat esse realis distinctio, & alietas vt patet: nemo enim potest esse à se ipso dependens, nec effectus sui ipsius, & vice versa; hinc est, quòd illa distinctio rationis, quæ intercedit inter signa, & signata, si signum esset sui ipsius signum, non esset sufficiens ad saluandam alietatem, & distinctionem requisitam inter ea; vnde alia maior petenda est. Ex quo etiam patet, quàm debile fundamentum talis distinctionis sit illud de oppositione relatiua vt sic, quam aliqui tantùm ponunt inter signum, & rem significatam, cùm aliquando importare possit distinctionem rationis, quæ non sufficit, vt dictum est.

Notandum est secundò ex D. Tho. 4. sent. dist. 8. q. 1. art. 2. quæst. 2. ad 3. quòd idem esse signum sui ipsius, potest dupliciter intelligi; vel quòd significet se ipsum sub eadem specie, sub qua est significatum; vel sub diuersa specie: primo modo est impossibile, propter carentiam distinctionis inter signum, & rem significatam, vt magis patebit in probatione conclusionis: secundo verò modo, nulla est implicantia, vt patet exemplo pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Iesu Christi sub speciebus sacramentalibus, qui significat se ipsum in propria specie, cùm in tali casu etiam saluetur aliquo modo definitio signi, quæ in significare aliud à se consistit. Dictum est *aliquo modo*, quia non significat aliud à se propriè, & simpliciter, quemadmodùm debet intelligi definitio; sed impropriè, & secundùm quid, quatenus scilicet idem sub vna specie potest esse diuersum à se ipso sub alia specie: hoc autem modo significare se ipsum, seu esse signum sui ipsius, non facit ad rem, cùm procedat quæstio de significatione sui ipsius propriè, & simpliciter, quæ connotat distinctionem simpliciter inter signum, &

rem

rem significatam, vt statim dicendum est.

Dicendum est ergo, Nullum Signum propriè, & expresse posse esse signum sui ipsius. Probatur primò de signo in generali: nam Aristoteles in contextu huius primi capitis appellauit voces, notas conceptuum, quòd si accommodetur signo in communi, ostendit necessariam eius distinctionem à signato: nihil enim est nota sui; idque indicatur manifestè tum ex definitione S. Aug. in qua dicitur, Signum ostendere aliquid præter se; tum etiam ex vulgata, & vniuersali illa Dialecticorum: nam ly *aliquid*, importat distinctionem, & diuersitatem signati à signo: ergo cùm idem à se ipso nequeat habere diuersitatem, & distinctionem propriè, & simpliciter, consequenter nec poterit esse signum sui ipsius.

Probatur secundò specialiter de signis formalibus, quòd etiam, proportione seruata, adaptari potest signis in generali; prædicta enim signa sunt imagines, & similitudines rerum signatarum: imaginem verò esse distinctam à repræsentato, certum est tum in Theologia, cùm in Philosophia. Vbicunque est similitudo, inquit D. Tho. 1. Sent. dist. 7. q. 2. art. 2. ad 2. & alibi, oportet quòd sit aliqua distinctio, quia secundùm Boet. *Similitudo est rerum differentium eadem qualitas*; alias non esset similitudo, sed identitas, vt patet: ergo cùm prædicta signa formalia connotent distinctionem à re signata; nequibunt esse signa suiipsorum.

Obijcitur primò in oppositum quoniam significare idem videtur esse, ac repræsentare; siquidem per illud definitur: sed idem repræsentare se ipsum concedit D. Aug. in lib. de Magist. quod etiam non parum indicat etymologia ipsius vocabuli: nam repræsentare est rem præsentem facere; & nihil potest facere melius rem præsentem, quàm ipsa res præsens: ergo etiam idem poterit significare se ipsum, esseque signũ sui ipsius.

Respondetur negando maiorem; nam repræsentare est vniuersaliùs significare, latiusque patet, & idcirco adhibetur in definitione signi pro genere à D. Aug. Siquidem significare, solùm se extendit ad alia diuersa à significante, vt dictum est: repræsentare verò, & ad alia, & ad ipsum repræsentans: quare mirum non est, quòd idem repræsentare se ipsum concedatur à D. Aug. sed non idem significare se ipsum, vt ibidem patet, quando dixit, *Multa se repræsentare, quæ signa non sunt*; quia nimirum non repræsentant aliud diuersum.

Obijcitur secundò; tum quia nomen significat omnia nomina, intra quæ & ipsum numeratur: ergo etiam significat se ipsum. Tum etiam, quòd conceptus formatus de conceptu communi se ipsum repræsentat, & significat, quatenus sub communi conceptu cum reliquis, & ipsum continetur: ergo idem potest esse signum &c.

Respondetur, Signum duobus modis posse rem significare, vno expressè, ac immediatè; altero confusè, & secundariò. Hoc secundo modo, nomen, & conceptus communis possunt etiam significare se ipsa; non autem primo modo, in quo sensu intelligenda est conclusio.

Obijcitur tandem tertio: nam Deus, Angelus, Anima separata se cognoscunt per suasmet essentias immediatè vt probatiores profitentur Theologi: sed

A nulla res cognoscitiua percipit obiectum nisi mediante aliquo signo: ergo eadem essentia erit signum, & significatum; & consequenter idem erit signum sui ipsius.

Respondetur negando essentias Dei, Angelorum, & Animarum separatarum esse signa. Ad probationem verò, in qua dicitur, nihil cognosci à potentia absque signo, siue specie, dicendum est, id esse verum ad summùm de signo, & specie in actu secundo, siue producto per potentiam cognoscitiuam, qualis est conceptus seu species expressa, quod contingit, quando obiectum est tantùm motiuum, non autem terminatiuum: falsum verò de signo in actu primo concurrente ad cognitionem, cuiusmodi sunt species intelligibiles impressæ: quoniam obiectum si proportionatum sit, & sufficienter præsens per se influit B in cognitionem, absque tali signo, & specie.

QVÆSTIO III.

Vtrùm diuisio Signi instrumentalis in naturale, & ad placitum, vel ex instituto, sit bona, & adæquata.

QVæstio hæc vnum supponit, & aliud quærit, supponit enim diuisionem illam signi generaliter sumpti in formale, & instrumentale, de qua non nihil in Institutionibus ad Logicam lib. 1. cap. 1. dic- C tum est, esse bonam, & adæquatam: ratio enim est, quia omne id, quo mediante aliud cognoscimus, aut necesse est a nobis priùs cognosci aut non: si debet cognosci est instrumentale signum; si verò non; formale: quod idcirco formale dicitur, quia causat cognitionem informando in ratione termini, aut in ratione principii, seu, quod idem est; vel in ratione speciei impressæ, vel expressæ. Præter has autem differentias signi generaliter sumpti, non videntur aliæ assignandæ: significare enim per sui cognitionem, & absque tali cognitione, sunt vltimæ, ac propriæ differentiæ signi, vt sic, maximè oppositæ, cùm inter ipsas non sit assignabile medium, vt patet. Ex quo autem sequitur, quòd talis diuisio necessariò sit bona, & essentialis. At quia de signis formalibus non D est locus in præsẽti (de speciebus enim intelligibilibus, & conceptibus intellectus agitur in 3. de Anima) ipsis igitur relictis, ac instrumentalibus tantùm retentis, quorum est præsens institutum, atque illa D. Aug. definitio recepta, quam communiter admittunt Doctores, quærit itaque excitata quæstio, an diuisio signi instrumentalis in naterale, & ad placitum, quod alij dicunt signum datum, vel artificiale, vel ex instituto; sit bona, & adæquata.

Talem diuisionem nullus redarguit: & omnes aliæ, vt in rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum, in proprium, in speculatiuum, & practicum, &c. de quibus satis abundè Conimb. hic q. 2. art. 1, 2, & 3. Fons. lib. 1. Instit. dialec. cap. 9. ad ipsam reducuntur veluti accidentia ad sua subiecta, vt patet: qua de causa huiusmodi quæsitum, tantùm explicationem postulat.

Notandum est idcirco primò, omnes causas, omnesque

que effectus per se, esse signa naturalia, effectuum illos, illos verò causarum: Effectus quidem, quia vt adnotauit S. Tho. p.p.q. 12. art. 2. ex D. Dionys. de diuin. nomin. omnis effectus esto sit æquiuocus, est similitudo suæ causæ, quatenus causam imitari conatur, & ex consequenti causam repræsentat. Quod etiam expressè docuit D. Paulus ad Rom. 1. dicendo: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Causa verò, & si non dicatur similitudo sui effectus (siquidem eum non imitatur) nihilominus eiusdem signum est, vel quia compertum est experientia, ex tali causa oriri talem effectum; vel quia comprehensa perfectè causa, necesse est eius virtutem, & consequenter effectus, quos per talem virtutem producere potest, comprehendere; vt contingit in Angelis, cùm in subiecto passiones cognoscunt, & in nobis, cùm easdem per discursum inuestigamus. Quòd si aliquando, nec effectum ex causa, nec causam ex effectu deprehendimus; vel est, quia neutrum perfectè penetramus; vel quia sunt effectus, & causa per accidens, inter quæ non est naturalis, & intima habitudo, quæ dirigit mentem, & cognitionem ab vno in aliud, quod indispensabiliter requiritur ad rationem signi. Et hac de causa totam hanc doctrinam, ad causas, & effectus per se, Philosophi coarctant.

Notandum secundò, rerum naturas bifariam spectari posse; vno modo quoad essentiam; alio verò quoad existentiam: hoc secundo modo naturæ rerum subordinatæ sunt voluntati diuinæ liberæ, iuxta illud Psalm. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra.* Priori verò modo non accipiunt esse à voluntate Dei, sed ab Ideis existentibus in Essentia diuina ante omnem actum voluntatis, vt docent Theologi: & ratio est, quia existentia est prædicatum contingens, quod rebus communicatur per influxum realem ex tempore, quem Deus pro libito impendere, vel exhibere potest; at essentia æterna est, & nullo modo separabilis à re, cuius est essentia, quare non potest à libera voluntate Dei pendere: vnde significatio naturalis, fundata in natura rei, nulla ratione censeri potest imposita à libera voluntate Dei: quinimmo si per impossibile Deus nollet, vt fumus, e. g. suapte natura significaret ignem, nihilominus, si talem naturam habeat participatam ex Ideis, illum repræsentabit.

Dicendum est ergo, quòd diuisio Signi instrumentalis in naturale, & ad placitum est bona, & adæquata. Probatur; nam quidquid aliud repræsentat, aut significat; vel habet vim ad eam significationem, aut repræsentationem ex natura sua, vel beneficio alicuius (alius enim modus fingi non potest) si enim habet vim à natura, est signum naturale; si beneficio imponentis, est ex instituto, siue ad placitum: signa etenim naturalia sunt, quæ apud omnes idem significant, seu potiùs, quæ suapte natura vim habent significandi aliquid: signa verò ex instituto, quæ ex hominum voluntate, & quadam quasi compositione significant, vt dictum, & exemplificatum est in Institutionibus Logic. loco citato: ergo talis diuisio est bona, & adæquata: adæquat enim totum signum instrumentale, & obseruat regulas bonæ diuisionis;

Obiicitur primò in oppositum, nam imago Cæsaris e. g. non significat illum naturaliter, nec ad placitum: ergò insufficiens est prædicta diuisio. Probatur antecedens quoad primam partem; quia imago, non à natura, sed ab arte habet vt significet: quoad secundam verò partem; quia si imago Cæsaris sit vera, & propria, non pendet ex hominum voluntate, quòd Cæsarem repræsentet: ergo &c.

Respondetur, imaginem Cæsaris esse signum naturale illius: quia quamuis præcesserit ars, qua fuit formata; ipsa tamen formata, iam significat, & repræsentat ex naturali similitudine, & non ex hominum impositione.

Contra tamen, est quòd idem dicendum esset de vocibus; nimirum quòd licèt significent ex impositione; ea tamen facta, naturaliter significabunt.

Respondetur negando sequelam; cùm enim imago sit naturalis similitudo, manente ipsa, non potest aliam rem repræsentare, aut proprium prototypum non exprimere: at verò vox, eadem manens potest significationem amittere, vel mutare; atque ideò non est quid simile.

Obijcitur secundò, nam eadem res, signum est naturale, & ex instituto: ergo diuisio non est bona. Patet antec. in Iride, quæ simul significat ex instituto diuino, terram ampliùs non esse illuendam aquis; & quia sit in nube rorida, aptaque vt breui dissoluatur in imbrem, naturaliter significat pluuiam mox futuram; ergo &c.

Respondetur, hanc diuisionem non fieri in membra opposita materialiter, ratione scilicet materiæ, in qua est ratio signi; sed formaliter, idest ratione formalitatis signorum, quam potest habere vnaquæque res: quamuis enim in vnam rem vtraque ratio, seu formalitas signi incurrat, vt in exemplo Iridis adducto cernere licet; semper tamen vna discriminatur ab alia per suam propriam, & intrinsecam formalitatem: quare licèt eadem Iris ratione materiæ, nempe nubis roridæ in qua est, sit simul signum naturale, & ad placitum, ratione tamen illius formalitatis, secundùm quam est signum naturale, non est signum ad placitum; & è contra.

Obiicitur tandem tertiò, quòd eadem Iris signum est, nunquam deinceps futuri cathaclysmi, seu diluuij vniuersalis, Genes. 9. Sed huiusmodi signum non est naturale, neque ad placitum: ergo prædicta diuisio non est adæquata. Minor probatur quoad primam partem: non est signum naturale, quia ante diluuium hoc non significabat; signa verò naturalia, debent semper idem significare. Probatur eadem Minor quoad secundam partem, scilicet non ad placitum, quia non est ex hominum voluntate, sed Dei beneplacito: ergo, &c.

Respondetur, institutum diuinum sufficere, ad hoc vt aliquid sit signum ex instituto; vt patet de Sacramentis, quæ sunt signa gratiæ ex voluntate diuina.

Contra tamen est, quòd signum saltem, quod Deus apposuit Caino, vt à nullo interficeretur, Genes. 4. ab eodem appositum fuit ad significandum secundùm suam voluntatem, ac beneplacitum; & nihilominus erat signum naturale, alioqui cæteri homines, quibus Deus significationem eius non reuelaret, per illud non intelligerent; ergo, &c.

Respondetur ex D. Hieronymo, epistola 215. illud signum Caim fuisse tremorem, vt ipse colligit ex versione Septuaginta Interpretũ: nam vbi in vulgata

habetur *Ero profugus*, *& vagus*, legunt ipsi, *Ero gemens*, *& suspirans*. Qua de causa omnes videntes talē tremorem, & gemitum, ad miserationem naturaliter commouebantur, vnde ipsum non interficiebant. Ex quo patet, tale signum fuisse ex beneplacito Dei concessum Caino, vt significaret tamen naturaliter.

DISPVTATIO VIGESIMA.

De Vocibus significatiuis ad placitum.



Xclusis vocibus non significatiuis, quæ scilicet auditui nostro nihil repræsentant, vt *Blitri*; *Buf*, *&c*, & reiectis pariter vocibus significantibus naturaliter, quæ scilicet apud omnes idem significant, vt latratus canum, gemitus infirmorum, &c. vtpote non conducentibus ad enunciationem, seu propositionem enunciatiuam, de qua est præcipuus scopus in præsenti: iure optimo postquam disputatum est de signis, siue significare in communi, modò in particulari videndum est de vocibus significatiuis ad placitum; videlicet, quæ sunt articulatæ, atque formatæ labijs, lingua, gutture, dentibus, palato, & similibus naturalibus instrumentis, atque ex institutione humana significant, vt canis, leo, &c. ex istis enim componitur propositio enunciatiua, vt videndum est.

QVÆSTIO I.

Vtrùm voces significent immediatè tam conceptus, quàm res; vel potiùs conceptus, & non res, aut vice versa.



RO tituli enucleatione illud in primis obseruandum est, quòd cùm audimus voces, aut scripta legimus significatiua ex instituto, duo semper in nobis gignuntur conceptus; alter ipsius vocis, aut scripturæ, qui in homine etiam ignaro idiomatis gigni potest; alter rei significatæ, qui non gignitur nisi in eo, qui tenet vocabuli significationem: voces nanque, & scripta sunt signa instrumentalia, vt dictum est, quæ necessariò sunt percipienda, si ipsorum interuentu res significatæ cognoscendæ sunt. De primo autem conceptu, qui etiam alio nomine appellatur non vltimatus, seu medius, non procedit præsens quæstio: voces enim, & scripturæ non significant huiusmodi concep- A tus ad placitum, in quo sensu tantùm disputare intenditur, sed naturaliter; cùm vox significatiua talis conceptus, ipsum importet apud omnes: siquidem omnis vox, de qua modò loquimur, significat locutionem, & omnis scriptura, scriptionem. Procedit igitur præsens quæstio tantùm de secundo conceptu, qui alio nomine appellatur vltimus, siue vltimatus; an scilicet immediatè significetur per voces ante res, vel èconträ; aut potiùs æque immediatè cum rebus.

Item secundo loco obseruandum est, quòd prædictus conceptus vltimatus dupliciter à vocibus significari potest; primò, vt in se quædam res est saltem in actu signato, & reflexè cognoscitur per alium conceptum; secundo verò modo, vt interdum quoddam B signum est, seu medium concipiendi rem, cuius est signum, & repræsentatio. Primo modo certum est, quod non omnes voces talem significant conceptum, sed quædam adsummùm peculiares, & determinatæ, vt puta hoc nomen conceptus, verbum, species expressa, &c. quare controuertitur tantùm in hoc secundo sensu.

Prima tamen sententia docet, per voces significari immediatè res. Ita Scot. in 1. dist. 27. q. 1. ad secundum. Ocham. & Gabriel ibidem dist. 22. q. vnica. Fons. 2. Met. cap. 1, q. 2. sect. 4. Vasq. p. p. disp. 57. n. 8. & disp. 75. cap. 3. Suar. p. p. tract. 1. lib. 2. cap. 31. n. 6. Hurt. disp. 8. logicæ, sect. 3. Arriag. disput. 13. sect. 2. Quied. controu. 8. log. n. 7. Poncius disp. 9. q. 2. quos referunt, & sequuntur Mastr. & Bellut. hic disput. 2. q. 1. n. 2. qui etiam dicunt, & meritò C quidem, præsentem quæstionem esse de nomine; nam, quod isti appellant res, alii dicunt conceptum obiectiuum.

Secunda verò sententia affirmat quòd voces tam immediatè significant res, quàm conceptus. Ita Henr. Gand. in summ. art. 37. q. 6. Bassol. in 2. dist. 22. q. 1. art. 1. Iand. hic, q. 1. & alii, quos referunt, & sequuntur Conimb. hic. cap. 1, q. 3. art. 2.

Tertia tandem sententia docet, per voces, significari immediatè conceptus, res verò conceptibus mediantibus, & remotè. Ita Philosophus 1. Periher. cap. 1. Ammonius, Alexander, Auerroes, Boet. ibidem. Albert. Magn. tract. 2. cap. 1. D. Tho. p. p. q. 13. art. 1. & alibi, vt citat, & sequitur Capreol. in 1. distinc. 27. q. 2. art. 1. Domin. de Fland. 4. Met. q. D 7. art. 4. Petr. de Bruxel. hic q. 1. art. 1. Complut. in lib. de Anima, disput. 21. q. 2. §. 2. n. 28. & alii non pauci.

Notandum est idcirco primò, quòd actus intellectus consueuerunt appellari partus, seu conceptus mentis, sumpta metaphora à partu, seu conceptu prolis: quare sicut nomen partus non tantùm extenditur ad actionem pariendi, seu concipiendi, verum etiam ad rem conceptam; ita & nomen conceptus extensum est non solùm ad ipsos actus intellectus significandum, verùm etiam ad ipsum obiectum actus, seu ad rem ipsam, quæ intelligitur, non quidem vt materialiter, & secundùm omne id, quod habet à parte rei, consideratur; sed secundùm quòd producitur, & exprimitur per actus intellectus; cum hoc discrimine tamen, quòd actus ipse scilicet intellectio appellatur conceptus formalis; & res quæ, cognoscitur, & tali modo exprimitur idest illius species expressa

con-

conceptus obiectiuus: Ex quibus manifestè duo colligi possunt, nimirum quòd species expressa rei, quæ alio etiam nomine verbum mentis appellari solet, non est idem cum intellectione, vt supponunt Scotus, & reliqui Auctores primæ sententiæ, atque ideò putant D. Thomam, atque Thomistas asserere, quòd voces significent immediatè conceptus formales, seu ipsam intellectionem: sed est quid distinctum per modum rei à re, quæ intra se realiter non identificantur, vt probati Philosophi docere solent in libris de Anima: nam conceptus obiectiuus, seu terminus productus nequit esse idem realiter cum conceptu formali, seu actione productiua. Alterum verò, quod colligitur est, quòd cùm voces non sint institutæ ad significandum actiones esse cognitionem ipsam exprimentis, nisi indirectè, & reflexè, vt patet, & apertè fatentur Aduersarij, nequibunt pariter significare immediatè, & directè conceptus formales, sed tantùm obiectiuos, vt magis patebit infrà.

Notandum secundò, quòd significatum, prout ad præsens spectat, duplex est: nempe *quod*, & *quo*: significatum *quod*, dicitur res illa, ad quam significandam ordinatur vltimatè signum, & ideò alio nomine nuncupari solet significatum principale, cùm ad hoc principaliter, & vltimatè significandum institutum sit signum: significatum verò *quo*, dicitur medium, quo res significatur, vnde alio nomine dici solet significatum minùs principale. Qua de causa, cùm ad significatum *quod*, vltimatè ordinentur voces, erit significatum vltimum, & remotum in executione, cùm sit primum in intentione: cùm verò non ordinentur voces ad significatum *quo* tanquam ad finem, sed tanquam ad medium, erit significatum proximum, & immediatum in executione, cùm sit vltimum in intentione: intendimus enim priùs tempore rem, & posteà curamus de medio ad illam attingendã; atque ideò proximiùs, & immediatiùs conceptus se habet ad voces, quàm ad res, iuxta illud, quod est primum in intentione, est vltimum in executione, & è contrà.

Dicendum est ergo, quòd voces, immediatè, & proximè, tantùm significant conceptus obiectiuos. Probatur primò auctoritate, tum D. Aug. lib. 2. de Ordine, cap. 12. vbi ait, *Rationem inuenisse sermonem; quia homines, animos suos sentire non poterant*: tum D. Basil. Homil. in Ioann. dum inquit, *Verbum nostrum, totius nostræ cognitionis imaginem refert*, atque aliorum, vt videre est apud Conimb. loco citato art. 1. propè finem: tum etiam Aristot. cap. 1. huius, dũ dixit: *Ea igitur, quæ in voce consistunt, signa sunt affectuum, qui in anima sunt*; & posteà subdit: *Affectus tamen, quorum hæc signa sunt primò*: ergo voces immediatè tantùm significant conceptus obiectiuos.

Respondent Aduersarii, vt videre est apud Conimb. atque Mastr. & Bellut. quòd prædicti Auctores quando dixerunt voces significare conceptus, non intellexerunt, quòd signicarent prædictos conceptus immediatè cum tali subordinatione signi, & significati, ita vt voces essent signa, & conceptus significata; sed tantùm, quòd immediatè significarent prædictos conceptus, veluti signa posteriora subordinata vocibus, quæ sunt signa priora eiusdem rei; aut velut conditio necessariò requisita ad hoc, vt res per voces significari queant.

A Contra tamen, est, quòd illa res dicitur habere rationem significati, quando per signum ducimur directè in cognitionem ipsius: sed hoc modo per asserta prædictorum Doctorum ducimur directè per voces in cognitionem conceptuum: ergo per prædictos Doctores conceptus, & voces subordinantur ad inuicem in ratione signi, & significati, & non tanquàm signa priora, & posteriora, aut conditio, &c. Conf. de se patet. Antec. ex dictis necessariò debet admitti. Minor verò probatur: nam per allatos Doctores nullo pacto immediatè possumus venire in cognitionem conceptuum, nisi per voces, vt præcipuè per auctoritatem D. Aug. adductam ex Philosopho, dum voces appellauit passionum notas, idest cognitiones, & notiones, patet: Nota enim, teste Sypontino, à verbo

B nosco deriuatur: ergo per adductos Auctores directè ducimur in congnitionem conceptuũ per voces; cùm directè illud dicatur cognosci per aliud, quod nullo alio modo, nisi isti æquiualente potest cognosci æquè immediatè & proximè.

Probatur secundò eadem conclusio istis rationibus, nimirum, quia voces sunt inuentæ, vt homines suos exprimant conceptus: ergo signa sunt immediata illorum.

Tum etiam, quia per voces sæpe significamus res in eodem statu, quem habent in nostro intellectu; vt dùm significamus albedinem, vel aliud accidens in abstracto, quod tamen ita non est in re. Tum quia de facto multa sincategoremata solos conceptus significant, vt si, fortè, &c. quæ dubitationem significant. Tum etiam quia, quando vnum signum subs-

C tituitur loco alterius, necesse est, quòd priùs indicet signum, pro quo substituitur, quàm rem ab illo significatam, quia tendit in rem beneficio illius: sed voces substituuntur pro conceptibus: ergo immediatè significant conceptus. Tum denique, quia alioquin non daretur mendacium, nam mentiri est contra mentem ire, ex D. Tho. 2. 2. q. 19. art. 3. ergo, &c.

Respondent Aduersarij, prædictas rationes tantùm conuincere de conceptibus obiectiuis rerum, non autem de formalibus, quod libenter debet concedi: quare apertè constat tale quæsitum potiùs esse de nomine, quàm de re.

Obijcitur primò in oppositum. Tum quia si voces significarent conceptus, omnes propositiones essent

D falsæ, vt clarè patere potest in hac, nempe Homo est animal: nam cum vox *homo*, significet conceptum hominis, & vox *animal* conceptum animalis, esset verum dicere, conceptum hominis esse conceptum animalis, quod apertè falsum est. Tum etiam, quia omnia nomina essent æquiuoca; quoniam non minùs se haberet hoc nomen Homo ad hominem verum, & hominem pictum, quàm ad hominem à parte rei, & ad hominem mente conceptum. Tum denique, quia vox id significat, quod auditus percipit; sed qui audit loquentem, rem apprehendit, non autem conceptũ, nisi reflectat in eundem: ergo voces non significant conceptus.

Respondetur ad primã rationem negando sequelã; nam cùm propositiones, & orationes sint voces complexæ, non debent importare, & significare conceptus incomplexos, & ab inuicem discretos, ita vt hæc propositio, *homo est animal*, significet concep-

tum hominis, & conceptum animalis; sed complexos, & per modum vnius, ita vt illa propositio significet esse obiectiuè in intellectu huiusmodi conceptum, nempe homo est animal. Ad secundam rationem debet pariter negari sequela; nam hæc vox *homo* de homine à parte rei, & mente concepto dicitur, non tantùm nomine, sed etiam ratione, ac definitione: nam tam est animal rationale homo à parte rei, quàm obiectiuè in intellectu. Ad tertiam tandem rationem dicendum est, adsummum probare, audientem non concipere conceptum formalem, nisi reflexè; non autem conceptum obiectiuum, seu rem præconceptam in intellectu loquentis.

Obiicitur secundò, quòd multæ sunt voces, quibus non respondent conceptus, tum ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 3. qui ait, *Multa verba significantia ore proferri, quibus nulli præcedunt in mente conceptus*, & subdit: *Diuina, nec dicuntur, vt cogitantur; nec cogitantur, vt dicuntur*. Tum etiam ex D. Chrysost. orat. 2. in 1. ad Hæb. *Quæ de Deo* (inquit) *mente versamus, ne possumus quidem loqui, aut multa loquimur, non possumus autem intelligere*. Tum denique ex D. Greg. Niss. de hominis opific. dicente, inter dormiendum non operari intellectum hominis, & tamen dormientes plerunque loquuntur; ergo, &c.

Respondetur, nullum esse incommodum, absolutè loquendo, cùm sine aduertentia loquimur, nullos conceptus in mente præcedere; neque hoc contrariatur allatæ conclusioni, in qua sermo tantùm est de vocibus prolatis ex aduertentia, & deliberatione: vnde ad testimonium D. Aug. dicendum est, primo loco agere de vocibus indeliberatè prolatis; in secundo verò loqui per hyperbolem, ad explicandam magnitudinem diuini esse: atque eodem modo dicendum est ad testimonium D. Chrysost. Ex quo etiam patet ad illud de dormientibus, cùm non loquantur ex aduertentia, & deliberatione, seu intentione humana, supposito tamen quòd intellectus quiescat; de quo alibi tractant Philosophi.

Obiicitur tandem tertiò; quòd voces per diuersas significationes significant res, & conceptus; sed per vnam significationem conceptus significant immediatè: ergo per aliam immediatè, similiter res significare debent. Consequentia patet, cùm non videatur maior ratio de vna cognitione, quam de alia. Minor necessariò ex dictis admitti debet. Maior verò probatur; nam cùm voces significent conceptus vt *quo*, res verò vt *quod*, diuersas importare debent significationes.

Respondetur negando maiorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd significare aliquid vt *quo*, vel vt *quod*, non est significare diuersa significatione, sed tantùm vnica, sub diuersa tamen ratione, & modo. Sicut enim esse causatum vt *quod*, vel vt *quo*, non arguit diuersam actionem, & causalitatem in agente, sed tantùm diuersam rationem, & modum terminandi prædictam actionem, & causalitatem, vel scilicet vt *quod*, seu principaliter, & remotè; vel vt *quo*, seu minùs principaliter, & proximè, vt patet manifestè in omnibus operationibus physicis: ita esse significatum vt *quod*, & vt *quo*, non debet arguere diuersam significationem in significante, sed tantùm diuersum modum in ratione terminandi prædictum significatum, vel scilicet vt *quod*, idest principaliter, & re-A motè, vel vt *quo* nimirum minùs principaliter, & proximè, vt notatum est suprà, cùm non appareat diuersa ratio, proportione tamen seruata, inter actionem, ac significationem.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

An significatio vocis sit quid reale, vel rationis; quid absolutum, vel relatiuum: an forma intrinseca, vel tantum denominatio extrinseca.

B CVM voces significare proximè, & immediatè conceptus, remotè verò res vsque modò probatum sit; tamen nihil dictum est de tali significatione: quapropter cùm possit quis dubitare, an prædicta significatio sit quid reale, vel rationis; quid absolutum, vel relatiuum: an forma intrinseca, aut extrinseca tantùm denominatio deriuata in ipsa voce à voluntate primi instituentis; hinc est, quòd hæc pauca ad quæstionem veluti illius complementum appendenda sunt;

Quia tamen significatio vocis potest dupliciter considerari, vel in exercitio significationis, cùm scilicet ingerit audienti notitiam rei significatæ: vel in actu primo, quatenus scilicet per voluntatem instituentis duntaxat assumitur ad hanc, vel illam rem significandam: in vtroque sensu priùs videndum est C quid existimauerint Doctores; deinde verò quid tenendum sit.

Circa primum ergo sensum Mastr. & Bellut. disput. 2. log. q. 2. §. *Dicendum secundò*, qui etiam pro se citant Scotum in 2. distin. 42. ad 2. q. 2. & in 4. dist. 1. q. 5. docent exercitium significationis vocis non fieri per aliquam causalitatem physicam, qua vox producat cognitionem, seu conceptum rei in mente; sed tantùm per quandam excitationem, & causalitatem veluti moralem, qua vox moraliter excitat mentem auditoris, vt ad probationem vocis, cuius significationem scit, statim eliciat rei significatæ conceptum, merito speciei impressæ illius, quam præhabet; & hanc opinionem dicunt communiter esse receptam.

D D. verò Tho. 3. p. q. 62. art. 4. ad. 1. & alibi, quem sequuntur omnes veri Thomistæ, asserit, quòd exercitium significationis vocis cùm actu generat notitiam rei significatæ, fit per aliquam causalitatem physicam instrumentalem, qua vox instrumentaliter producit cognitionem in mente audientis.

Circa secundum sensum iidem Mastr. & Bellut. loco citeto §. *Dicendum in primis*, affirmant significationem vocis in actu primo, nullam formam realem, & intrinsecam ipsi voci dicere absolutam, aut respectiuam; sed solam denominationem realem extrinsecã, deriuatam in ipsa à voluntate primi instituentis, qui etiam pro se citant Hurt. disput. 8. log. sect. 2. Arriag. n. 20. & 21. disput. 13. ac alios recentiores.

D. verò Tho. 3. p. q. 6. art. 1. omnesque illius veri discipuli docent prædictam significationem vocis in actu primo, non esse quidem formam realem absolutam, sed ens rationis, siue relationem rationis, ex denomi-

denominatione extrinseca voluntatis in ipsa voce resultantem; adeò vt ipsa vox sit subiectum, & fundamentum talis relationis; denominatio verò extrinseca à voluntate prouenjens instituentis, ratio fundandi eiusdem.

Dicendum est itaque primò, omnibus rectè pensatis, significationem vocis in exercitio significationis, idest, cùm actu generat in mente auditoris notitiam rei significatæ, non fieri per aliquam causalitatem moralem, sed physicam instrumentalem. Ratio enim est; quoniam voces significatiuæ ad placitum sunt instrumenta Animæ, eiusque voluntatis, quibus vtitur ad exponendos, seu significandos suos conceptus: instrumenta verò, vt multi docent Philosophi 2. Phys. attingunt effectum principalis agentis recipiendo in se ipsis aliquam formam, seu virtutem saltem rationis ab eodem agente, à quo eleuantur: qua de causa voces nequibunt causare cognitionem rerum conceptarum à mente seu Anima loquentis in intellectu audientis, nisi prædictis vocibus communicetur à voluntate loquentis aliqua virtus, & qualitas saltem rationis, ob quam eleuetur corporalis sonus verborum ad causandam instrumentaliter talem cognitionem: ergo talis causalitas non erit excitatio, & efficientia moralis.

Dicendum est pariter secundò, significationem vocis in actu primo, quatenus scilicet per voluntatem instituentis tantùm assumitur ad hanc, vel illam rem significandam, esse relationem rationis fundatam in denominatione extrinseca proueniente à voluntate imponente significationem vocibus: nam talis significatio tunc datur in vocibus, quando assumuntur, & ordinantur ab instituente, seu voluntate illius ad gignendam notitiam in mente auditoris; quoniam si prædictæ voces non essent relatæ, & ordinatæ ad talem notitiam, non esset sufficiens ad significandum denominatio illa extrinseca à voluntate proueniens, vt patet de vocibus non significatiuis, quæ estò assumerentur à voluntate instituentis, quia tamen non referuntur, neque ordinantur ad gignendam notitiam in mente auditoris, ideò nullam haberent significationem: quapropter ipsarum significatio non erit extrinseca uoluntatis denominatio, sed aliquid aliud ex illa resultans, nempe relatio rationis ipsarum uocum ad notitiam gignendam in mente auditoris:

Nonnullis tamen rationibus nituntur Aduersarij elidere, talia fundamenta; & primum fundamentum quidem hoc pacto: quoniam uox tantùm immutat sensum auditus, nec habet causare in sensu, vel in phantasia; aut in intellectu, nisi conceptum uocis ex se: auditu tamen immutato à uoce significatiua; immutantur phantasia, & memoria, & rememoratur rei cui tale nomen fuit impositum; & sic excitat intellectum ad considerationem illius rei, cuius priùs habuit notitiam: non enim moueretur, & excitaretur, nisi res per uocem significata, fuerit sibi nota: ergo eius causalitas non est physica, sed moralis excitatio. Insuper si uox haberet prædictam uirtutem eleuatam sibi communicatam ratione cuius physicè causaret &c. sequeretur, quòd posset mouere intellectum audientis secundùm illam intentionem, inquantùm scilicet est uox significatiua; & sic uox latina, e. g. lapis, moueret intellectum Græci audientis eam, causando in eo conceptum lapidis, quem in se continet, quod probatur ex eo, quia conceptus idem significant apud omnes.

Secundum autem fundamentum, hoc medio putant euertere: quoniam ex positione ipsius sequeretur, quòd cognitio, quæ est quid reale in mente auditoris, esset causata ab ente rationis, tali scilicet significatione uocem eleuante, ut instrumentaliter concurrit efficienter in actu secundo ad productionem cognitionis, quod non est dicendum, cùm ens rationis sit inferioris ordinis, quàm ens reale, & causa semper nobilior debeat esse suo effectu.

Respondetur ad primam rationem oppositam primo fundamento, quod estò semper audiens præhaberet notitiam uocis, significationisque illius, ac conceptus per eam significati (quod non est tamen ita de facili concedendum) non idcirco haberet notitiam conceptus loquentis, antequàm uerba significatiua proferret: unde uerba illa non causarent prædictam cognitionem conceptus loquentis excitando moraliter, sed eam de nouo physicè causando, ut dictum est. Ad secundam uerò rationem dicendum est, quòd licet conceptus ijdem sint apud omnes, non tamen uoces, quæ ipsos significant, cùm non naturaliter, sed ad placitum significent; quo quidem placito uox non redditur uirtuosior, ut per sonum omnibus indifferenter repræsentet conceptum loquentis ut supponit argumentum, sed tantùm gnaris idiomatis, & significationis, ut intendit ipsum principale agens, nempe loquens, cuius uox est instrumentum tantummodò iuxta placitum illius, & instituentis eleuatum.

Ad aliam rationem contra secundum fundamentũ, respondetur ex dictis disp. 1. q. 2. ad 2. nimirum, nullum esse inconueniens, quòd ens rationis concurrat efficienter ut conditio sine qua non, eleuans instrumentum ad producendum ens reale: causa tamen est uox per talem conditionem, & formam rationis eleuatam, quæ est quid reale

QVÆSTIO II.

Vtrùm conceptus ijdem sint apud omnes; voces verò diuersæ.

PRæsens quæsitum potiùs esset supponendum, quàm scrutandum, cùm ipsius resolutio pateat omnino ex Philosopho; nihilominus placet illud explicare, ut nonnulla argumenta, quæ talem positionem decutere poterant funditus derimantur, cum hac conditione tamen, ut quidquid dictum, aut dicendum est de uocibus, proportione seruata etiam applicandum sit scripturæ.

Sunt tamen in hac re duæ sententiæ, quarum prima docet tam conceptus, quàm uoces esse idem apud omnes. Ita Pythagorici apud Dexippum 1. Periher. cap. 6.

Secunda uerò sententia est omnium Peripateticorum, qui docent conceptus esse eosdem, uoces uerò diuersas apud omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd cùm species intelligibilis, seu conceptus obiectiuus intellectus debeat

tum hominis, & conceptum animalis; sed complexos, A & per modum vnius, ita vt illa propositio significet esse obiectiuè in intellectu huiusmodi conceptum, nempe homo est animal. Ad secundam rationem debet pariter negari sequela; nam hæc vox *homo* de homine à parte rei, & mente concepto dicitur, non tantùm nomine, sed etiam ratione, ac definitione: nam tam est animal rationale homo à parte rei, quàm obiectiuè in intellectu. Ad tertiam tandem rationem dicendum est, adsummùm probare, audientem non concipere conceptum formalem, nisi reflexè: non autem conceptum obiectiuum, seu rem præconceptam in intellectu loquentis.

Obiicitur secundò, quòd multæ sunt voces, quibus non respondent conceptus, tum ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 3. qui ait, *Multa verba significantia ore proferri, quibus nulli præcedunt in mente conceptus*, & subdit: *Diuina, nec dicuntur, vt cogitantur; nec cogitantur, vt dicuntur*. Tum etiam ex D. Chrysost. orat. 2. in 1. ad Hæb. *Quæ de Deo* (inquit) *mente versamus, ne possumus quidem loqui, aut multa loquimur, non possumus autem intelligere*. Tum denique ex D. Greg. Niss. de hominis opific. dicente, inter dormiendum non operari intellectum hominis, & tamen dormientes plerunque loquuntur: ergo, &c.

Respondetur, nullum esse incommodum, absolutè loquendo, cùm sine aduertentia loquimur, nullos conceptus in mente præcedere; neque hoc contrariatur allatæ conclusioni, in qua sermo tantùm est de vocibus prolatis ex aduertentia, & deliberatione: vnde ad testimonium D. Aug. dicendum est, primo loco agere de vocibus indeliberatè prolatis; in secundo verò loqui per hyperbolem, ad explicandam magnitudinem diuini esse: atque eodem modo dicendum est ad testimonium D. Chrysost. Ex quo etiam patet ad illud de dormientibus, cùm non loquantur ex aduertentia, & deliberatione, seu intentione humana, supposito tamen quòd intellectus quiescat; de quo alibi tractant Philosophi.

Obiicitur tandem tertiò; quòd voces per diuersas significationes significant res, & conceptus; sed per vnam significationem conceptus significant immediatè: ergo per aliam immediatè, similiter res significare debent. Consequentia patet, cùm non videatur maior ratio de vna cognitione, quam de alia. Minor necessariò ex dictis admitti debet. Maior verò probatur; nam cùm voces significent conceptus vt *quo*, D res verò vt *quod*, diuersas importare debent significationes.

Respondetur negando maiorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd significare aliquid vt *quo*, vel vt *quod*, non est significare diuersa significatione, sed tantùm vnica, sub diuersa tamen ratione, & modo. Sicut enim esse causatum vt *quod*, vel vt *quo*, non arguit diuersam actionem, & causalitatem in agente, sed tantùm diuersam rationem, & modum terminandi prædictam actionem, & causalitatem, vel scilicet vt *quod*, seu principaliter, & remotè; vel vt *quo*, seu minùs principaliter, & proximè, vt patet manifestè in omnibus operationibus physicis: ita esse significatum vt *quod*, & vt *quo*, non debet arguere diuersam significationem in significante, sed tantùm diuersum modum in ratione terminandi prædictum significatum, vel scilicet vt *quod*, idest principaliter, & remotè, vel vt *quo* nimirum minùs principaliter, & proximè, vt notatum est suprà, cùm non appareat diuersa ratio, proportione tamen seruata, inter actionem, ac significationem.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

An significatio vocis sit quid reale, vel rationis; quid absolutum, vel relatiuum: an forma intrinseca, vel tantum denominatio extrinseca.

B CVM voces significare proximè, & immediatè conceptus, remotè verò res vsque modò probatum sit; tamen nihil dictum est de tali significatione: quapropter cùm possit quis dubitare, an prædicta significatio sit quid reale, vel rationis; quid absolutum, vel relatiuum: an forma intrinseca, aut extrinseca tantùm denominatio deriuata in ipsa voce à voluntate primi instituentis; hinc est, quòd hæc pauca ad quæstionem veluti illius complementum appendenda sunt:

Quia tamen significatio vocis potest dupliciter considerari, vel in exercitio significationis, cùm scilicet ingerit audienti notitiam rei significatæ: vel in actu primo, quatenus scilicet per voluntatem instituentis duntaxat assumitur ad hanc, vel illam rem significandam: in vtroque sensu priùs videndum est C quid existimauerint Doctores; deinde verò quid tenendum sit.

Circa primum ergo sensum Mastr. & Bellut. disput. 2. log. q. 2. §. *Dicendum secundò*, qui etiam pro se citant Scotum in 2. distin. 42. ad 2. q. 2. & in 4. dist. 1. q. 5. docent exercitium significationis vocis non fieri per aliquam causalitatem physicam, qua vox producat cognitionem, seu conceptum rei in mente; sed tantùm per quandam excitationem, & causalitatem veluti moralem, qua vox moraliter excitat mentem auditoris, vt ad probationem vocis, cuius significationem scit, statim eliciat rei significatæ conceptum, merito speciei impressæ illius, quam præhabet; & hanc opinionem dicunt communiter esse receptam.

D. verò Tho. 3. p. q. 62. art. 4. ad. 1. & alibi, quem sequuntur omnes veri Thomistæ, asserit, quòd exercitium significationis vocis cùm actu generat notitiam rei significatæ, fit per aliquam causalitatem physicam instrumentalem, qua vox instrumentaliter producit cognitionem in mente audientis.

Circa secundum sensum iidem Mastr. & Bellut. loco citato §. *Dicendum in primis*, affirmant significationem vocis in actu primo, nullam formam realem, & intrinsecam ipsi voci dicere absolutam, aut respectiuam; sed solam denominationem realem extrinsecã, deriuatam in ipsa à voluntate primi instituentis, qui etiam pro se citant Hurt. disput. 8. log. sect. 2. Arriag. n. 20. & 21. disput. 13. ac alios recentiores.

D. verò Tho. 3. p. q. 6. art. 1. omnesque illius veri discipuli docent prædictam significationem vocis in actu primo, non esse quidem formam realem absolutam, sed ens rationis, siue relationem rationis, ex denomi-

denominatione extrinseca voluntatis in ipsa voce resultantem; adeò vt ipsa vox sit subiectum, & fundamentum talis relationis; denominatio verò extrinseca à voluntate proueniens instituentis, ratio fundandi eiusdem.

Dicendum est itaque primò, omnibus rectè pensatis, significationem vocis in exercitio significationis, idest, cùm actu generat in mente auditoris notitiam rei significatæ, non fieri per aliquam causalitatem moralem, sed physicam instrumentalem. Ratio enim est; quoniam voces significatiuæ ad placitum sunt instrumenta Animæ, eiusque voluntatis, quibus vtitur ad exponendos, seu significandos suos conceptus: instrumenta verò, vt multi docent Philosophi 2. Phys. attingunt effectum principalis agentis recipiendo in se ipsis aliquam formam, seu virtutem saltem rationis ab eodem agente, à quo eleuantur: qua de causa voces nequibunt causare cognitionem rerum conceptarum à mente seu Anima loquentis in intellectu audientis, nisi prædictis vocibus communicetur à voluntate loquentis aliqua virtus, & qualitas saltem rationis, ob quam eleuetur corporalis sonus verborum ad causandam instrumentaliter talem cognitionem: ergo talis cusalitas non erit excitatio, & efficientia moralis.

Dicendum est pariter secundò, significationem vocis in actu primo, quatenus scilicet per voluntatem instituentis tantùm assumitur ad hanc, vel illam rem significandam, esse relationem rationis fundatam in denominatione extrinseca proueniente à voluntate imponente significationem vocibus: nam talis significatio tunc datur in vocibus, quando assumuntur, & ordinantur ab instituente, seu voluntate illius ad gignendam notitiam in mente auditoris; quoniam si prædictæ voces non essent relatæ, & ordinatæ ad talem notitiam, non esset sufficiens ad significandum denominatio illa extrinseca à voluntate proueniens, vt patet de vocibus non significatiuis, quæ estò assumerentur à voluntate instituentis, quia tamen non referuntur, neque ordinantur ad gignendam notitiam in mente auditoris, ideò nullam haberent significationem: quapropter ipsarum significatio non erit extrinseca uoluntatis denominatio, sed aliquid aliud ex illa resultans, nempe relatio rationis ipsarum uocum ad notitiam gignendam in mente auditoris:

Nonnullis tamen rationibus nituntur Aduersarij elidere, talia fundamenta; & primum fundamentum quidem hoc pacto: quoniam uox tantùm immutat sensum auditus, nec habet causare in sensu, vel in phantasia; aut in intellectu, nisi conceptum uocis ex se: auditu tamen immutato à uoce significatiua; immutantur phantasia, & memoria, & rememoratur rei cui tale nomen fuit impositum; & sic excitat intellectum ad considerationem illius rei, cuius priùs habuit notitiam: non enim moueretur, & excitaretur, nisi res per uocem significata, fuerit sibi nota: ergo eius causalitas non est physica, sed moralis excitatio. Insuper si uox haberet prædictam uirtutem eleuatam sibi communicatam ratione cuius physicè causaret &c. sequeretur, quòd posset mouere intellectum audientis secundùm illam intentionem, inquantùm scilicet est uox significatiua; & sic uox latina, e. g. lapis, moueret intellectum Græci audientis eam, causando in eo conceptum lapidis, quem in se con-

A tinet, quod probatur ex eo, quia conceptus idem significant apud omnes.

Secundum autem fundamentum, hoc medio putant euertere: quoniam ex positione ipsius sequeretur, quòd cognitio, quæ est quid reale in mente auditoris, esset causata ab ente rationis, tali scilicet significatione uocem eleuante, ut instrumentaliter concurrit efficienter in actu secundo ad productionem cognitionis, quod non est dicendum, cùm ens rationis sit inferioris ordinis, quàm ens reale, & causa semper nobilior debeat esse suo effectu.

Respondetur ad primam rationem oppositam primo fundamento, quod estò semper audiens præhaberet notitiam uocis, significationisque illius, ac conceptus per eam significati (quod non est tamen ita de facili concedendum) non idcirco haberet notitiam

B conceptus loquentis, antequàm uerba significatiua proferret: unde uerba illa non causarent prædictam cognitionem conceptus loquentis excitando moraliter, sed eam de nouo physicè causando, ut dictum est. Ad secundam uerò rationem dicendum est, quòd licet conceptus ijdem sint apud omnes, non tamen uoces, quæ ipsos significant, cùm non naturaliter, sed ad placitum significent; quo quidem placito uox non redditur uirtuosior, ut per sonum omnibus indifferenter repræsentet conceptum loquentis ut supponit argumentum, sed tantùm gnaris idiomatis, & significationis, ut intendit ipsum principale agens, nempe loquens, cuius uox est instrumentum tantummodò iuxta placitum illius, & instituentis eleuatum.

Ad aliam rationem contra secundum fundamentũ,

C respondetur ex dictis disp. 1. q. 2. ad 2. nimirum, nullum esse inconueniens, quòd ens rationis concurrat efficienter ut conditio sine qua non, eleuans instrumentum ad producendum ens reale: causa tamen est uox per talem conditionem, & formam rationis eleuatam, quæ est quid reale

QVÆSTIO II.

Vtrùm conceptus ijdem sint apud omnes; voces verò diuersæ.

D

PRæsens quæsitum potiùs esset supponendum, quàm scrutandum, cùm ipsius resolutio pateat omnino ex Philosopho; nihilominus placet illud explicare, ut nonnulla argumenta, quæ talem positionem decutere poterant funditus derimantur, cum hac conditione tamen, ut quidquid dictum, aut dicendum est de uocibus, proportione seruata etiam applicandum sit scripturæ.

Sunt tamen in hac re duæ sententiæ, quarum prima docet tam conceptus, quàm uoces esse idem apud omnes. Ita Pythagorici apud Dexippum 1. Periher. cap. 6.

Secunda uerò sententia est omnium Peripateticorum, qui docent conceptus esse eosdem, uoces uerò diuersas apud omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd cùm species intelligibilis, seu conceptus obiectiuus intellectus debeat

debeat esse imago ad uiuum repræsentans suum obiectum, seu rem ipsam; necessariò à tali obiecto, seu re, cuius est imago, exprimi debet: aliter enim similitudo, atque imago ipsius obiecti expressa non diceretur: siquidem unumquodque directè suam, non alienam exprimit imaginem. Huiusmodi autem expressio dupliciter contingere potest; uel scilicet in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis extrinsecæ, seu exemplaris. Si contingat primo modo, certum est tantùm entia realia positiua habere vim producendi actiuè imaginem, & similitudinem sui in intellectu: siquidem entia rationis, & negationes, cùm non habeant in se formam, actiuè nequeunt, efficienterque eam alteri communicare, iuxta illud, Nemo dat, quod non habet. Si autem contingat secundo modo, scilicet in genere causæ formalis extrinsecæ, seu exemplaris, nullum est inconueniens, quòd entia rationis, & negationes, quippe quæ habent esse obiectiuè in intellectu, ostendendo se exprimant formaliter extrinsecè suos conceptus: ad hoc autem, ut aliquid habeat rationem imaginis, seu conceptus obiectiui, sufficit quòd sit expressum à re, siue obiecto, cuius est imago, & similitudo, uno uel alio modo, uidelicet uel effectiuè, uel exemplariter.

Notandum secundò ex Abulense in Genes. cap. 13. q. 344. quòd Deus formauit Adam, & Euam loquentes, non solùm infundendo illis uoces, uerùm etiam ipsarum notitiam, atque significationem; nam si non habuissent cognitionem alicuius idiomatis, non posset fieri illis locutio aliqua, quam intelligerent, quod certè non est sustinendum, cùm multa illis locutus sit Deus. Nomina verò, quæ animalibus imposuit Adamus, non ea, à Deo iam acceperat (sic enim non Adamus, sed Deus ipse, nomina eis imposuisse diceretur) acceperat tamen linguam, seu locutionem à Deo, quantùm ad alia omnia perfectam, præter eam partem, quæ animalium nomina continet, quam scilicet integram reliquit Deus prudentiæ, ac sapientiæ Adami; uidelicet ut ipse per scientiam, quam habebat animalium, & per notitiam plurimarum uocum, quam acceperat, nomina conderet, atque ad libitum suum ipsis animalibus imponeret, singulorum naturis ritè congruentia, nec ea quidem uno modo formata, sed diuersis è causis petita, nempe uel ex propria differentia specifica, uel ex naturali proprietate, uel ex motu, uel ex figura, uel ex peculiari aliqua operatione, uel ex aliquo singulare, & proprio accidente. Et hoc est, quod dicitur Genesis 2. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius*; idest nomen adæquatum, & conueniens eorum naturis, ut notat Eusebius lib. 11. præparat. euang. cap. 4. Quo etiam proportionali modo philosophari potest de confusione Babelica linguarum: postquàm enim linguæ confusæ sunt, unusquisque propriam uocem, significationemque illius à Deo infusam habuit, docuitque posteros, atque ita cum linguis diuisæ sunt gentes, atque nationes.

Dicendum est ergo, quòd conceptus ijdem sunt apud omnes; voces verò nequaquam. Probatur prima pars: nam conceptus obiectiui, seu species intelligibiles sunt formaliter, & essentialiter imagines, ac repræsentationes obiecti, seu rei conceptæ: ergo apud omnes tale idem debent esse. Antec. præsupponitur certum, ex ijs, quæ dici solent in libris de Anima. A Cons. uerò probatur: nam quia homo; e. g. essentialiter est animal rationale, apud omnes tale idem debet esse, cùm essentia sit inuariabilis: ergo à pari, quia conceptus obiectiui essentialiter sunt imagines, & repræsentationes obiecti, idem tale apud omnes debent esse.

Probatur secunda pars, nempe uoces esse diuersas apud omnes nationes: tum quia uoces non repræsentant essentialiter conceptus obiectiuos, sed ex libera uoluntate instituentis: ergo nequeunt esse tale idem apud omnes, cùm instituentes fuerint diuersi. Tum quia, alioquin ab omnibus nationibus omnes linguæ intelligerentur; experientia tamen ostendit de hoc manifestam falsitatem. Tum denique, quia nunquam uariaretur significatio uocum, & rem determinatam semper significarent, de quo tamen oppositum manifestè cernitur, cùm significationes uocum uarientur, ac sæpè sæpius eadem uox significet B opposita: ergo, &c.

Obiicitur primò in oppositum primæ partis; quòd si staret prædicta prima pars conclusionis, uel ideò esset, quia omnes homines eosdem formarent conceptus de eadem re; uel quia conceptus, quem format quilibet de una re, omnibus aliis hominibus deseruire posset ad percipiendam cognitionem eiusdem rei: sed utrunque est falsum: ergo falsum etiam est, quòd conceptus iidem sint apud omnes. Maior patet, quoniam non uidetur alius modus assignandus, quo conceptus dici possint iidem apud omnes. Minor uerò probatur, & primò quoad primam partem: nam rusticus, e. g. & Mathematicus de eodem Sole diuer- C sos formant conceptus, dum putat ille esse minorem rota plaustri; iste uerò esse maiorem tota terra. Et plerique etiam de eadem propositione, contraria opinantur, dum alii eam existimant ueram, alii falsam. Quoad secundam uerò partem etiam probatur; quoniã conceptus ab uno formatus, cùm sit accidens, nequit migrare in mentem alterius, cùm accidens non migret de subiecto in subiectum: ergo, &c.

Respondetur admittendo primam partem dilemmatis in maiori propositione. Ad cuius probationem in contrarium dicendum est, quòd licèt conceptus complexi, seu propositiones aliquando non sint idem apud omnes ob diuersam connexionem, quam quisque apprehendere potest prædicati cum subiecto; non autem conceptus simplices, & incomplexi, cæteris D paribus, idest supposita in unoquoque intellectu, qui de tali re format conceptus simplices, aliquali cognitione ipsius rei, saltem quoad substantialia: unde licèt rusticus habeat conceptum de Sole, quòd sit minor rota plaustri; Mathematicus uerò quòd sit maior terra, cùm ille putat in propositione, quam format de Sole, prædicatum, idest minoritatem conuenire Soli, habereque connexionem cum illo, iste verò èconträ; nihilominus tam rusticus, quàm Mathematicus habent de illo eundem conceptum simplicem, nempe esse Solem.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ partis conclusionis; tum quòd Philosophus 1. Polit. cap. 2. dixit, sermonem esse homini naturalem, eo quòd suapte natura sit animal sociabile: ergo voces debent significare naturaliter, & consequenter eædem debent esse apud omnes. Tum quia legitur apud Plinium lib. 7. naturalis historie cap. 24. & alios, Attim à nati-

natiuitate mutum; videntem militem arripientem A gladium ad occidendum Cræsum patrem suum, locutum fuisse verba significatiua huiusmodi, *Miles ne occide Cræsum*, quod vtique non dixisset, nisi verba significarent naturaliter, cùm ob surditatem, significationem illorum verborum à nemine didicisset. Tum denique, quia habetur notabilis Historia apud Herodotum lib. 1. de duobus pueris inter pecudes iussu Psammatichi Egyptiorum Regis, ea arte educatis, vt humanam vocem non audirent; ij verò post biennium, primum hominem cùm vidissent, *Becus*, hoc est apud Phryges, panem proclamarunt, quo facto creditum est, esse Phryges mortalium omnium antiquissimos, quorum vox à natura esset expressa: ergo, &c.

Respondetur ad auctoritatem Aristotelis, ipsum insinuare voluisse, sermonem esse homini naturalem; B non quia significet naturaliter, sed quia illius articulatio, & significatio ex institutione voluntatis est quid homini proprium, & secundùm illius naturam. Ad illud Plinij dicendum est, quòd nerui necessarij ad sensationem, vt docent Philosophi 2. de Anima, oriuntur ex cerebro; sed in principio sui ortus non sunt diuisi, sed vniti: quare nerui descendentes ad auditum coeunt in vnum truncum cum iis, qui loquendi munere funguntur: qua de causa plerunque fit, vt qui muti sunt, etiam sint surdi, quia læsio contingit initio, vbi nerui sunt vniti. Fieri tamen potest, vt impedimentum locutionis sit in lingua, quo in euentu, & si quis mutus sit, non erit surdus, & ob vehementem passionem tantum adhibeat conatum, vt dissoluat impeditæ locutionis vinculum, quod certe credimus C Cræsi filio contigisse. Ad illud tandem Herodoti Respondetur, casum illum fictitium esse, ad ostendendam potiùs superbiam Phrygiorum, quàm veritatem; præcipuè cùm vox illa *Becus*, non paucam habeat affinitatem, & conuenientiam cum agnorum, caprarumque balatu, cum quibus Pueri illi in syluis fuerant educati.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum eiusdem secundæ partis; quòd essentia rei vbique est eadem: sed vox significatiua essentialiter est significatiua: ergo vbique est eadem. Maior patet. Minor autem sic probatur: quoniam vox per impositionem accipit significationem; omnis autem forma in subiecto existens, necessario causat suum effectum formalē: ergo postquàm significationem accepit, necessariò est significatiua, & consequenter apud omnes idem significat, D

Respondetur, vocem significatiuam vt talem esse quidem essentialiter significatiuam, sed ad placitum, non autem simpliciter, & naturaliter. Cùm igitur apud omnes nationes non sit idem placitum, eademque voluntas, hinc est, quòd est etiam diuersa significatio. Quapropter licèt vox significatiua postquàm significationem accepit, necessariò causet suum effectum in subiecto, idest in intellectu percipiente talem significationem; non verò in intellectu prędictam significationem non intelligente, vt experientia patet.

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

De vocum diuersa significatione.



Onsiderato ordine significationis vt sic tam in vocibus, quàm in scripturis, modò agendum videtur de eiusdem significationis diuersitate. Talis autem diuersitas ex communi consensu consistit in hoc, quòd scilicet quædam voces (applicari etiam potest scripturis, proportione tamen seruata) significant veritatem, aut falsitatem; quædam verò nec veritatem, nec falsitatem: cùm autem voces illæ dicantur significare veritatem, aut falsitatem, quæ intellectus conceptus veros, aut falsos repræsentant; illæ verò nec falsitatem, nec veritatem, quæ conceptus nec falsos, nec veros manifestant, vt videbitur infrà; antequàm de prædictis vocibus quidquam determinandum sit, necessariò videndum putatur, in quibus nam intellectus conceptibus consistat veritas, vel falsitas, & in quibus non; sic etenim, talibus explicatis conceptibus, facili quoque via voces veritatis, aut falsitatis manifestatiuas, ac significatiuas cognoscere poterimus.

QVÆSTIO I.

An veritas formalis consistat formaliter in prima operatione intellectus.



Eritatem vt sic esse adæquationem rei, & intellectus, ex quodam Isaaco libro de definitionibus D. Thomas accepit p. p. q. 16. art. 2. Cùm autem prædicta adæquatio possit ad vtrunque extremum, scilicet, & ad rem, & ad intellectum comparari, & consequenter veritas in vtroque saluari, vt ibidem aduertit idem Sanctus Thomas art. 1. alia erit veritas rei, alia verò intellectus: Veritas rei, quæ alio nomine incomplexa, & transcendentalis dicitur, *est adæquatio rei ad intellectum*, tanquàm ad suam mensuram, principium, causam, & exemplar; vt patet de rebus, quæ causantur ab intellectu Diuino, vel humano, non quidē cognoscitiuo, & speculatiuo, sed practico, vt sunt omnia creata respectu Dei, & omnia artefacta respectu intellectus practici, seu ideæ: vera enim omnia prędicta sunt, si adæquentur, & assimilentur ideæ artificis, seu intellectui practico ipsa producenti. Veritas autem intellectus,

lectus: quae alio nomine complexa, & formalis dicitur, vice versa, *est adaequatio intellectus ad rem*, tanquàm ad suam mensuram, principium, & causam; vt patet de rebus cognitis ab intellectu speculatiuo creato, quę sunt intelligibiliter in ipso vt cognitum in cognoscente, quo sensu dixit Philosophus in lib. Praedicam. cap. de Substantia: *Ex eo, quòd res est, vel non est, oratio seu propositio dicitur vera, vel falsa*. De prima veritate non est sermo in praesenti, cùm enim sit passio entis, cum ipsoque conuertatur, de ea tractant Metaphysici; erit ergo tantùm de secunda.

Quia verò, quantùm fieri potest, studendum est, vt certa ab incertis separentur; vt certum profectò apud omnes supponendum est, veritatem formalem reperiri formaliter in intellectu, quare de consequenti consistere debet formaliter in aliquo eius conceptu: cùm autem formaliter in omnibus aequè consistere nequeat (etenim formae consistunt in indiuisibili) hinc est, quòd vertitur in dubium, an in conceptibus formalibus, vel potiùs obiectiuis formaliter consistat. Caeterùm, quia vt inquit D. Aug. lib. 1. Solilo. cap. 15. Faciliùs intelligitur vbi veritas non sit, quàm vbi sit, & in quo non consistat, quàm in quo consistat, idcirco priùs examinandum est, in quibus conceptibus intellectus formaliter non consistat, vt posteà in quibus consistat stabiliri possit. Et vt incipiatur à conceptibus formalibus, seu actibus, & operationibus intellectus: primo loco quaeritur, Vtrùm (tertia operatione relicta, cùm in ipsa illatione, quid quid dicant Conimb. hic, q. 5. art. 2. proprie non sit veritas, sed bonitas, propterea communiter dicitur bona illatio, non autem vera) veritas formalis formaliter consistat in prima intellectus operatione, videlicet in simplici apprehensione.

Prima opinio est affirmatiua; sed non eodem modo defenditur à suis Patronis: omnes enim Platonici absolutè dicunt veritatem, ac falsitatem formales consistere formaliter in prima intellectus operatione. Ferrariensis autem 1. cont. gent. cap. 59. §. *Ad dubium ergo motum, &c.* Conimb. loco suprà citato. art. 3. & alii dicunt veritatem formalem considerari posse, vel subiectiuè, vel obiectiuè, hoc est per modum formae inhęrentis vel per modum obiecti cogniti in actu exercito: si consideretur hoc secundo modo, concedunt non consistere in prima intellectus operatione; bene tamen primo modo. Ægidius tandem quodl. 4. q. 9. Soncin. 6. Meta cap. 17. & alii dicunt veritatem formalè esse duplicē, simplicē vnā, alteram complexam, atque illam consistere in prima operatione intellectus, esseque simplicem conformitatem imaginis cum suo prototypo; hanc uerò nequaquam, sed in secunda, repraesentareque coniunctionem unius cum alio.

Secunda verò opinio est negatiua, quae communis videtur, & defenditur ab Aristotele hoc loco: 3. de Anima cap. 5. text. 22. & 6. Met. cap. 2. D. Anselmo opusc. de veritate cap. 6. D. Thoma hoc loco lect. 3. & p. p. q. 16. art. 2. & alibi. B. Alberto tract. 2. huius libri cap. 3. Caiet. p. p. citata. Heruaeo quodl. 3. q. 1. art. 2. & 3. Durand. in 1. dist. 16. q. 5. n. 14 Flandr. 6. Met. q. 13. art. 3. Blas. à concept. in sua Met. disp. 23. q. 1. Philippus à SS. Trinit. 3. p. Summae Philosophicae q. 9. art. 2. aliisque multis, licèt non omnino conueniant in se ipsos explicando, vt in sequentibus cernetur quaestionibus.

A Notandum est ergo primò, quòd veritas formalis, quae est in intellectu, non excludit ab eo, quod habeat suam veritatem transcendentalem sicut & aliae res; vnde sicut res naturales dicuntur transcendentaliter verae, quia habent similitudinem cum suo principio, nempe cum exemplaribus diuinis; ita veritas transcendentalis intellectus, vt intellectus seu potentia intellectiua est consistit in hoc, quòd habeat in se perfectam similitudinem cum obiecto, quod est principiū, & mensura intellectionis: licèt enim intellectus in ratione entis habeat veritatem suam transcendentalem per comparationem ad suum exemplar in intellectu diuino existens, sicut & caeterae creaturae: tamen consideratus in ratione potentię formaliter cognoscētis, habet suam veritatem transcendentalem etiam per comparationem ad obiectum, & per similitudinem

B formalem cum eo: nam cùm res dicatur vera veritate transcendentali ex D. Tho. p. p. q. 17. art. 1. ex eo, quòd habeat ea, quae sibi competunt; & natura potentiae cognoscitiuae sit exigere transformari in obiectum; per hoc habebit intellectus, vt potentia intellectiua est, veritatem suam transcendentalem, per quod conformabitur obiecto. Qua de causa cùm per speciem intelligibilem impressam obiecti formaliter repraesentatiuam transformetur intellectus intelligibiliter in obiectum, per ipsam consequenter etiam habebit intellectus veritatem suam transcendentalem.

Notandum secundò ex D. Tho. p. p. q. 16. art. 2. Nomen veri formalis importare verum vt cognitum; vnde cùm vltima perfectio, in quam tendit intellectus,

C sit veritas vt cognita (illud enim, in quod vltimò tendit intellectus, est verum cognoscere, atque ideò quando semel veritatem attigit, ibi sistit omnis motus ipsius, nec vlteriùs progreditur) oportet, quòd veritas formalis pertineat ad perfectissimam intellectus operationem: terminus enim, & finis cuiuslibet rei attingit perfectissimam eius operationem, ad quam caeterae, si quae sunt aliae in tali re per modum dispositionis ordinantur.

Dicendum est ergo primò, quòd Veritas formalis non consistit formaliter in simplici apprehensione intellectus. Probatur primò: nam veritas formalis secundùm proprium modum, quo est in intellectu, est conformitas intellectus ad rem vt cognitam in actu exercito: sed haec conformitas non consistit in sim-

D plicium apprehensione: ergo nec veritas, &c. Maior patet: quoniam talis conformitas non debet esse quaecunque, aut quaecunque similitudo existens in intellectu, sed debet esse cōformitas, aut similitudo existens in intellectu, modo sibi proprio: modus autem essendi rei in intellectu est esse vt cognita in cognoscente; nam esse per informationem, aut inhaesionem conuenit aliis obiectis ab intellectu. Minor verò probatur: quoniam cùm intellectus per primam sui operationem tantùm apprehendat quid quid est, & non applicet praedicatūm ad subiectum, non cognoscit aliquid ut sibi conforme, aut disforme: ergo talis conformitas ut cognita nequit consistere in simpliciū apprehensione.

Probatur secundò: tum quia contraria nata sunt fieri circa idem subiectum; sed simplex apprehensio intellectus non est subiectum mendacii, aut falsitatis ex Aristotele in antepraedicamentis cap. 4. & ex dicendis

cendis inferiùs: ergo in prima intellectus operatione non consistit veritas formalis completè, quæ formali contrariatur falsitati. Tum etiam, quia veritas, & falsitas formales sunt proprietates propositionis, vt dictum est in Institutionibus logicalibus, & ampliùs suo loco explicabitur: sola enim propositio potest esse vera, vel falsa; sicut sola propositio vocalis significat verum, vel falsum: sed in simplicium apprehensione non est propositio, sed solùm termini mentalis, ad propositionem conficiendam in secunda mentis operatione ordinati, cognitio: ergo in prima mentis operatione non est formaliter, & propriè veritas formalis.

Ex his ergo euidenter apparet, maxima cum difficultate sustineri posse, quòd veritas formalis sit formaliter, & propriè in simplici apprehensione etiã subiectiuè, quia contra naturam veritatis formalis est, quòd sit solùm subiectiuè in intellectu, & non vt cognita; cùm de ratione formali illius sit, quòd sit cognita, & quòd ratio, quæ per simplicem apprehensionem præcisa, atque diuisa fuerit à subiecto, rursus reuniatur, & attribuatur ei per verbum exprimens conuenientiam, & vnionem vtriusque ad inuicem, vt magis infrà declarabitur.

Respondent tamen Aduersarij multa, & diuersa, quibus potiùs videntur nobiscum sentire. nam re vera illa veritas, quam ponunt in prima intellectus operatione, est tantùm veritas transcendentalis, vt notatum est primo loco, quam, & nos vtique in tali operatione non negamus.

Dicendum est secundò, quòd veritas formalis, materialiter, siue seminaliter, seu in esse inchoato, & incompleto, consistit in simplicium apprehensione. Probatur: quia in prima mentis operatione reperitur materia, & semen propositionis mentalis, cùm in ea reperiantur conceptus, ex quibus fit, & componitur propositio illa: sed vbi reperitur materia, & semen propositionis, ibi consistit materialiter, ac seminaliter veritas eiusdem propositionis: ergo cùm veritas formalis sit veritas propositionis, prędicta veritas materialiter consistet, siue seminaliter in prima intellectus operatione.

Confirmatur: quoniam conceptus illi formales, quibus concipitur, e. g. homo, & animal in prima mentis operatione, sunt conceptus, circa quos debet versari intellectus, quando facit hanc propositionem, *Homo est animal*, & ex quibus prædictam componit propositionem: ergo in prima mentis operatione reperitur materia, ex qua fit ueritas formalis, & circa quam uersatur intellectus attingendo ueritatem formalem; atque ita ueritas formalis consistit ueluti materialiter, & in esse inchoato, atque incompleto in simplicium apprehensione.

Obiicitur primò in oppositum: nam Aristoteles 1. Post. cap. 8. distinguit prima principia demonstrationis in suppositiones, siue propositiones per se notas; & in positiones, seu rerum definitiones, quæ in simplicium apprehensione reperiuntur: sed principia demonstrationis sunt præmissæ ueræ: ergo ex Aristotele in apprehensione simplicium tantùm consistit formaliter, non autem materialiter, & inchoatiuè ueritas formalis.

Respondetur, quòd Aristoteles ibi non intendit, solas definitiones per se esse principia, uel præmissas

A demonstrationis; sed quòd ex ipsis conficiuntur præmissæ, addito subiecto, & copula, ut patet.

Obiicitur secundò, tum quia in apprehensione simplicium potest dari oratio significatiua ueri, uel falsi, quemadmodùm est ista *Animal rationale*. Tum etiam quia in definitione ueritatis formalis ponitur *intellectus* simpliciter: ergo etiam ut simpliciter apprehendens, potest esse uerus.

Respondetur ad primam rationem, talem, ac similes orationes non significare uerum, aut falsum, nisi illis copula adiungatur, sed tunc non pertinent ad primam operationem intellectus. Ad secundam uerò rationem dicendum est, quòd si definitio ueritatis formalis explicet ueritatem formalem tam completam, quàm inchoatam, nominat quidem intellectum

B simpliciter: si autem tantùm explicet ueritatem formalem completam, nominat intellectum in ratione iudicantis, & cognoscentis.

Contra istam responsionem ad secundam rationem, hoc tamen obiici potest, nimirum quòd non requiritur ad ueritatem formalem, seu conformitatem nostri intellectus ad rem, quòd talis conformitas cognoscatur, nam ista cognitio non est nisi per actus reflexos nostri intellectus: constat autem, quòd ante quamcunque reflexionem, intellectus uerus est.

Respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, ante talem reflexionem, intellectum esse verum tantummodò materialiter, & inchoatiuè, non autem formaliter.

Obiicitur tandem tertiò, quòd verum debet reperiri in operatione illa intellectus, in qua cognoscitur

C aliquid per comparationem ad aliud, vt est aliquid ipsius; sed intellectus per simplicem apprehensionem cognoscens quidditatem aliquam, cognoscit eam per comparationem ad id, cuius est quidditas: apprehendit enim eam vt quidditatem huius rei; ergo veritas formalis debet formaliter consistere in simplici apprehensione, non verò materialiter, & inchoatiuè.

Confirmatur: quoniam in simplici apprehensione potest reperiri compositio: potest enim in ea reperiri definitio, & diuisio, quæ conficiuntur ex pluribus terminis: ergo cùm veritas consistat in compositione, & diuisione, consistet etiam formaliter in simplici apprehensione.

Respondetur ad argumentum, quòd intellectus potest cognoscere quidditatem per comparationem

D ad id, cuius est quidditas, duobus modis; vel per comparationem scilicet applicantem, & adiudicantẽ quidditatem illi rei, cuius est quidditas; vel per comparationem simplicem non adiudicantem quidditatẽ illi rei, cuius est quidditas. Prima comparatio fit per actum iudicij, & per veram compositionem iudicatiuam, cùm talis comparatio fiat per hoc, quòd quidditas illa coniungatur per modum prędicati cum illa re, cuius est quidditas, tanquam cum subiecto, ex vi alicuius verbi vtrunque copulantis, & simul connectentis; & in hac comparatione consistit veritas formalis. Secunda autem comparatio fit per simplicem apprehensionem; qua de causa in ea non consistit veritas formalis, nisi adsummùm materialiter, & inchoatiuè.

Ad confirmationem item respondetur quòd sola compositio, vel diuisio iudicatiua est illa, in qua consistit veritas formalis (modo tamen explicando)

non autem compositio, aut diuisio, in quibus non interuenit iudicium aliquod, quales sunt definitio, & diuisio, sed de hoc statim,

QVÆSTIO II.

Vtrùm veritas formalis, consistat formaliter in secunda intellectus operatione.

CVM in secunda intellectus operatione reperiatur compositio, & diuisio, seu affirmatio, & negatio, aliquando sine iudicio, aliquando verò cum ipso, per quod determinatè probatur assensus, aut dissensus affirmationis, siue negationis; præsens quæsitum non idcirco in vtroque sensu debet agitari, sed tantùm in secundo, cùm maximè id cohæreat veritati.

Sed antequam tradatur quid circa hoc senserint Auctores, supponendum est, quæstionem esse de veritate formali per comparationem ad intellectum humanum tantùm; certum enim est, quòd Angeli non intelligunt comparando, aut diuidendo; & multò minus Deus, vt docet Theologi; cùm intelligere hoc modo arguat imperfectionem in intellectu.

Supponendum etiam est, aliud esse quærere, an veritas formalis reponatur formaliter in actu iudicii, seu in intellectu iudicante; aliud verò quærere, an consistat formaliter in tali actu. Primum sine disputatione debet admitti, nam cùm veritas formalis sit forma cognita, & intellecta, vt clariùs dicetur infrà, debet consequenter reperiri formaliter, seu vt forma in subiecto, in ipso actu iudicii, seu in intellectu iudicante, cuius proprium est adæquationem prædicati cum subiecto cognoscere: alibi enim non apparet formaliter posse reperiri. Ex quo duntaxat vertetur in dubium, an talis veritas formalis in prædicto actu iudicii in quo formaliter reperitur, etiam formaliter consistat.

Nulla quippe est hic controuersia inter Doctores constituentes veritatem formalem in aliquo absoluto secundæ operationis nostri intellectus: omnes enim docent talem veritatem consistere in actu iudicii intellectus, seu in intellectu iudicante, sed non formaliter completè, & in facto esse, sed tantùm vialiter, & in fieri tanquàm in actu causante, & vt perfectum in suo perfectibili. Ita omnes illi Thomistæ, qui pro secunda sententia inferiùs q. 4. citandi sunt.

Notandum est idcirco primò, quòd ad hoc vt intellectus sit perfectè similis obiecto, & vnum quid intelligibiliter cum eo, in quo essentialiter consistit veritas formalis; intelligere debet, quòd rationes repræsentatæ, obiecto conueniant, & sint vnum quid cum eo, quod certè fieri non potest nisi per iudicium reuniens rationes prædictas cum obiecto, quæ ex eo abstractæ fuerant, atque ab inuicem separatæ per præcedentes actus simplicis apprehensionis: cùm enim intellectus noster procedat in acquisitione perfectionis suæ de potentia in actum, priùs consequenter rationes vniuersales, e. g. entis, substantiæ, viuentis, &c. per simplicem apprehensionem præcisè cognoscit, & deinde per superueniens iudicium reflectens super prædictos actus, & super conceptus obiectiuos, ra-

A tionesque repræsentatas per ipsos, cognoscit tales rationes non ampliùs modo abstractiuo sicut anteà, sed modo vnitiuo, copulans eas per actus iudicij, per quem modum iudicat eas esse vnum quid cum obiecto ex quo abstractæ fuerant, atque præcisæ ab inuicem; quod similiter etiam facit quantùm ad prædictos conceptus obiectiuos, per quos rationes illæ repræsentantur: iudicat enim eos habere conformitatem, & similitudinem in esse repræsentatiuo cum obiecto, sicut prædictæ rationes per eos repræsentatæ iudicantur conuenire, & conformari in esse entis cum ipso.

Notandum secundò, non esse absolutè necessarium ad rationem essentialem veritatis formalis, quòd obiectum attingatur per actum iudicii reflectentis suprà aliud iudicium, quod anteà præcesserit, & confirmantis veluti compositionem ab actu præcedenti

B factam; sed sufficere, quòd attingatur per actum iudicii reflectentis suprà actum simplicis apprehesionis, & suprà rationem, quæ de obiecto appræhensa fuit: ratio enim est, quia in omni iudicio reperitur veritas, vel falsitas formalis; vnde in iudicio, quod supponitur ante actum iudicii reflectentis, suppo neretur etiam ibi veritas, vel falsitas formalis, licèt ob imperfectionem intellectus contingat vt plurimùm, quòd ferat imperfectum iudicium de obiecto, antequam perfectè de eo iudicet. Ex hoc tamen non sequitur, quod veritas formalis absolutè, & secundùm sua essentialia reperiatur solùm in secundo illo actu, sed tantùm sequitur, quòd secundùm totam suam perfectionem non reperiatur vt plurimùm nisi in illo actu secundo; quamuis tamen è contrà possit fieri vt interdum

C perfectè reperiatur in primo iudicij actu, vt sæpius accidere potest in ijs, qui pollent excellenti ingenio, quique ad primam apprehensionem alicuius rationis alicui obiecto conuenientis, penetrant statim conuenientiam illam cum obiecto, & primo iudicio quod efformant, applicant, & adiudicant ei tale prædicatum; & quamuis posteà possint reflectere supra illũ actum per alium actum iudicii; secundus tamen priori superueniens non addit ei maiorem aliquam perfectionem substantialem, sed accidentalem tantùm. Et hoc contingere potest non solùm in excellenti ingenio præditis, verùm etiam in omnibus saltem quoad principia notissima, sicut sunt hæc, nimirum, Quodlibet est, vel non est: Omne totum est maius sua parte, &c.

D Dicendum est ergo primò, quòd veritas formalis consistit in iudicio intellectus, perfectè quidem, si tale iudicium est perfectum; imperfectè autem, si non est perfectum. Probatur: quoniam in illo actu, & operatione intellectus perfectè, vel imperfectè debet constitui (modo tamen insequenti conclusione explicando) veritas formalis, per quem proximè, & immediatè attingitur: sed tali modo tantùm attingitur à iudicio: ergo in ipso perfectè, si sit perfectum, imperfectè verò, si sit imperfectum, debet consistere. Maior patet ex dictis in antecedenti quæstione: nam si veritas formalis est vltima perfectio intellectus, quam tanquam finem, ac terminum intendit, consequenter in illo actu intellectus consistet, per quem proximè, & immediatè attingitur, siue perfectus, siue imperfectus fuerit. Minor verò probatur: nam cæteri actus, & operationes intellectus, idest tam simplex apprehensio, quàm discursus ordinantur ad iudicium,

iudicium; iudicium autem ad veritatem iudicandam de obiecto: ergo veritas formalis immediatè, & proximè tantùm attingitur à iudicio.

Confirmatur: nam compositio, & diuisio præcisè absque iudicio possunt reperiri in intellectu, & ibi potest non consistere veritas formalis, vt de facto contingit, quando intellectus format huiusmodi propositionem, e. g. *Astra omnia sunt paria*, manendo suspensus, an debeat assentiri tali propositioni, vel non: ergo proxima ratio, & operatio ad cognoscendam veritatem formalem erit iudicium.

Dicendum est secundò, quòd veritas formalis non consistit formaliter completiuè, & in facto esse in actu iudicii intellectus; sed tantùm vialiter, & in fieri, vt scilicet in actu eam causante, & vt perfectiuum in suo perfectibili.

Probatur: quoniam si veritas formalis consisteret formaliter, & in facto esse in actione iudicatiua, talis actio, & operatio esset formaliter per ipsam conformis, & similis obiecto cognito: sed hoc non est dicendum: ergo non consistit in illa actione formaliter, sed tantùm vialiter, & in fieri, &c. Hæc vltima consequentia necessariò sequitur ex prima; nam si veritas formalis ex dictis superiùs consistit in actu iudicii, cùm non consistat in ipso formaliter in facto esse, consistet de consequenti vialiter, & in fieri. Maior etiam patet; nam cùm veritas formalis sit conformitas, & similitudo formalis obiecti cogniti, actus ipsā recipiens, vel ab ipsa informatus, erit necessariò aliquo modo conformis, atque similis obiecto: vnumquodque enim tale est per suam formam, vt patet. Minor autem probatur: quoniam talis actio, & operatio intellectus, vel esset conformis, & similis obiecto cognito in esse entis, vel in esse repræsentatiuo, sed non in esse entis, quia actio intellectus est immaterialis, obiectum autem vt plurimum materiale; neque in esse repræsentatiuo, & intelligibili, quia actio intellectus non est repræsentatiua, cùm sit hoc munus speciei intelligibilis, vel intentionalis: ergo, &c.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd proprietas propositionis, siue enunciationis est, quòd sit vera, vel falsa: sed per compositionem, & diuisionem præcisè vt sic formantur veræ propositiones; ibi enim aliquid affirmatur, aut negatur de alio: ergo etiam in secunda mentis operatione, prout præcisè dicit compositionem, & diuisionē, consistit veritas formalis.

Respondetur dari in intellectu nostro tria propositionum diuidentium, & componentium genera: nam aliæ sunt propositiones diuidentes, & componentes tantùm secundùm apprehensionem; aliæ verò secundùm imperfectum iudicium; aliæ tandem secundùm perfectum, & formatum iudicium prioris iudicii confirmatiuum. Primæ dicuntur veræ ad summùm materialiter; cæteræ verò formaliter, cum hoc discrimine tamen, quòd tertiæ, secundis dicuntur perfectiores. Quo supposito dicendum est argumentum committere fallaciam illam, quæ vocatur simpliciter ad secundùm quid: nam in præmissis ostenditur, quòd per compositionem, & diuisionem producuntur, & attinguntur propositiones veræ simpliciter, & vt sic, nempe vt materialiter, vel formaliter; in consequentia verò, secundùm quid, & vt tales, nempe tantùm veræ formaliter: rectè enim concluderet intentum si

A minor propositio ostenderet per compositionem, & diuisionem præcisè formari propositiones veras formaliter.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis: nam in illa actione, & operatione intellectus debet consistere suo modo veritas formalis, quæ per vocalem enunciationem exprimitur: sed sic est quòd per talem enunciationem tantùm exprimuntur compositio, & diuisio præcisè absque iudicio: ergo in compositione, & diuisione præcisè, non autem in iudicio consistet veritas formalis. Maior patet ex eo, quòd voces sunt signa eorum, quæ sunt in mente. Minor verò probatur: nam huiusmodi propositio vocalis enunciatiua, e. g. *Homo est animal*, significat in mente proferentis, tantùm esse conceptum compo-

B nentem tale prædicatū cum illo subiecto; non autem iudicantem talem vnionem esse veram, aut falsam, vt patet: ergo per enunciationem vocalem tantùm exprimuntur compositio, & diuisio, non autem iudicium.

Respondetur negando minorem: Ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm veritas formalis sit veritas vt cognita, & intellectus non cognoscat veritatem obiecti, nisi iudicet prædicatum conuenire subiecto; hinc est, quòd vocalis enunciatio vt significet veritatem formalem nequit cum diuisione, & compositione non significare iudicium intellectus proferentis.

Obiicitur tandem tertiò in oppositū eiusdem primę conclusionis quòd iudicium non attingit veritatem

C formalem, sed supponit: ergo veritas formalis nullo modo consistit in illo. Consequentia patet, nam quod supponitur in esse ante aliquam actionem, & operationem, non attingitur, & causatur per illam. Antecedens autem probatur: quia de ratione iudicii est approbare talem esse veritatem, non verò eam attingere causando: ergo eam supponit.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, de ratione iudicij non esse approbare veritatem formalem intellectus esse talem, sed tantùm veritatem rei, & trascendentalem, qua approbatione deinde facta, causat veritatem formalem in intellectu. Ex quo apertè constat, iudicium intellectus non supponere veritatem formalem, sed ipsam attingere causando in intellectu.

Cætera verò argumenta, quæ obiici solent in op-

D positum secundæ conclusionis, adducenda, & resoluenda sunt inferiùs, quando statuetur in quo conceptu intellectus formalis veritas, formaliter consistat.

QVÆSTIO III.

Vtrùm veritas formalis consistat formaliter in relatione, ac respectu formali, quicunque ille sit, qui intercedere potest inter conceptus formales, & conceptus obiectiuos intellectus.

CVm in vnitate, ac conuenientia intelligibili, & repræsentatiua iudicij, seu intellectus iudicantis

tis cum obiecto, fundari possit relatio similitudinis; A rectè sequitur, vt postquàm visum, & determinatum est, veritatem formalem non consistere formaliter in aliquo conceptu formali intellectus, modò quæratur, an saltem in relatione intercedente inter prædictos conceptus formales, & obiectiuos intellectus formaliter consistat quæcunque fuerit talis relatio, nimirū siue realis prædicamentalis, siue rationis.

Philosophi autem circa hoc in duas classes diuisi sunt, quarum prima est illorum, qui affirmatiuam sectantur partem, sed non eadem incedunt via; nam, Fland. 6. Met. q. 23. Iauell. ibidem q. 13. Zumel. p. p. q. 16. art. 1. disput. 2. Amic. tract. 21. disp. 4. qu. 1. dubio 2. & alij docent veritatem formalem consistere formaliter in relatione formali conformitatis, & similitudinis iudicij intellectus cum obiecto, quam relationem dicunt esse realem, si obiectum existat; rationis verò, si non existat. Mastr. autem, & Bellut. disput. 10. log. q. 2. ar. 3. qui pro se etiam citant Scot. pluribus in locis, acerrimè defendunt veritatem formalem, formaliter consistere in prædicta relatione, quam dicunt esse realem, sed non esse determinatè prædicamentalem, aut transcendentalem, neque determinatè realem perfectam, scilicet cum omnibus conditionibus requisitis ad veram realem relationem, sed indifferenter se habere; nam in vno actu est transcendentalis (inquiunt ipsi) in alio prædicamentalis; in vno erit relatio perfecta realis, in alio realis imperfecta, quæ à Scoto sæpius vocatur relatio rationis, vt contradistinguitur à reali cum omnibus conditionibus.

Secunda verò Philosophorum classis, negatiuam C partem sequitur. Ita D. Thom. p. p. q. 16. art. 2. 6. Met. lect. 4. & alibi, Bannes, & Caiet. ibidem. Sonc. 6. Met. q. 17. Arau. 4. Met. q. 5. art. 5. Ægid. quodl. 4. q. 7. Thomas Pius. p. p. q. 16. art. 2. Philip. à SS. Trinit. 3. p. summæ Philos. q. 19. art. 1. Blas. à Concep. in sua Met. disput. 23. q. 4. & ferè omnes, licèt non eodem modo se explicent, vt videbitur in sequentibus quæstionibus.

Notandum est idcirco, quòd huiusmodi iudicium intellectus, e. g. *Petrus disputat*, vt antecedit resultantiam relationis, quam potest habere ad suum obiectum, habet ordinem transcendentalem ad illud, quo ipsummet respicit per modum expressiui, & enunciatiui ipsius; deinde disputante Petro, idem iudicium habet negationem excessus in sua expressione; nam ita D adequatur, vt non excedat, neque excedatur ab illo; & ad hanc expressionem adæquatam sequitur relatio æqualitatis, vel numerati, conformis, & adæquati, realis quidem, si omnia requisita adsint, vel rationis, aliquo illorum deficiente. Vnde colligitur non esse expectandam huiusmodi relationem, vt constituatur veritas; sed ante prædictæ relationis resultantiam, consummatur in expressione obiecti cogniti adęquatè cum negatione excessus; ita vt illa cognitio, adæquata, & positiua expressio iudicij sit ratio formalis ipsius veritatis, negatio verò excessus sit eius complementū intrinsecum: sed de hoc clariùs infrà, quando statuetur in quo veritas formalis, formaliter consistat.

Dicendum est ergo, quòd veritas formalis non consistit formaliter in aliqua relatione formali, reali, vel rationis conceptus formalis, seu iudicii intellectus ad conceptos obiectiuos eiusdem.

Probatur primò: quoniam finis, & vltima perfectio, in quam tendit intellectus, est veritas formalis, vt suprà dictum est; sed finis, & vltima perfectio, in quam tendit intellectus, non est aliqua relatio conformitatis cum obiecto, realis quidem, si obiectum sit reale, & existens; rationis verò, si non existat, vel sit quid rationis; tamen in tali relatione non consistet ratio formalis veritatis formalis, sed in aliqua qualitate absoluta: terminus enim intellectionis, aut cuiuscunque alterius motus non est reatio, sed aliquid absolutum, cùm doceant Philosophi, ad relationem non dari per se motum.

Probatur secundò: nam veritas formalis, est aliqua ratio, seu forma existens in intellectu, habens rationem obiecti cogniti, per quam repræsentatur iudicio B intellectus conuenientia prædicati cum subiecto, vt quòd Homo, e. g. sit animal: sed relatio quæcunque sit, non potest hoc modo se habere: ergo, &c. Maior patet ex dictis, & ex dicendis magis patebit. Minor autem probatur ex eo, quòd relatio, quæcunque sit, realis scilicet vel rationis, non est forma de genere qualitatis, apta nata repræsentare intelligibiliter cōuenientiam prædicati cum subiecto, vt ostensum est suprà in proprio prædicamento: ergo relatio non potest, &c.

Obijcitur primò in oppositum, nam veritas formalis, vt dictum est, consistit in conformitate, & similitudine intellectus cum obiecto: ergo cum similitudo, & conformitas dicant relationem, veritas formalis consistet formaliter in aliqua relatione.

Respondetur, quòd quando dicitur, veritatem consistere de formali in similitudine intellectus cum obiecto, intelligendum est de similitudine fundamentali dicente tantùm relationem transcendentalem; non autem de similitudine formali, dicente relationem prædicamentalem: quare veritas formalis, adsummùm importat relationem transcendentalem conformitatis, & similitudinis intellectus cum obiecto, quæ est quid absolutum.

Obiicitur secundò, quòd conceptus formalis, seu actus judicii intellectus secundùm se, & absolutè, pręcisa omni relatione ad conceptum obiectiuum, non habet conformitatem, neque conuenientiam cum obiecto: ergo ratio veritatis formalis consistet formaliter in tali relatione. Consequentia patet ex eo, quòd veritas formalis est conformitas, & conuenientia intellectus ad rem. Antecedens autem probatur: nam plerunque obiectum est substantia, vel ens rationis; actus autem iudicii semper est accidens reale: ergo nequeunt habere inter se conformitatem, & conuenientiam aliquam, nisi relatiuam.

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt in esse rei obiectum, & actus iudicii intellectus non habeant adæquationem propter rationem adductam; tamen in esse intelligibili, & repræsentatiuo illam omninò habent ante omnem relationem, quæ exinde potest resultare: species enim expressa, seu obiectum in esse cognito, & repræsentatiuo est in eodem imaterialitatis gradu cū potentia cognoscitiua, seu actu iudicii intellectus, cum ambo sint accidentia realia, ut docent Philosophi.

Obiicitur tandem tertiò, quòd totum esse conformitatis, & adæquationis intellectus ad rem est referri ad

ad ipsam: ergo totum esse veritatis formalis consistit in tali relatione. Consequentia patet; cùm veritas formalis sit adæquatio, & conformitas ad rem. Antecedens autem probatur: quoniam talis conformitas, & adæquatio nequit cognosci, nisi simul cognoscatur res, cui conformatur, & adæquatur; sed quæ sunt simul cognitione, habent esse ad aliud, cùm sit proprietas quarto modo conueniens relatiuis: ergo totũ esse conformitatis,& adæquationis intellectas ad rem erit referri ad aliud.

Respondetur sicut ad primum argumentum; quòd scilicet adæquatio, & conformitas prædicta, alia est formalis, alia verò fundamentalis. Prima est relatio illa æqualitatis, adæquationis, similitudinis, & conformitatis, quæ ex vna parte resultat ex iudicio intellectus exprimente, & enunciante obiectum cognitum; & ex alia, ex ipso obiecto cognito, & expresso. Secunda verò est ipsa ratio fundandi talem relationẽ, seu ipsummet iudicium intellectus, vt exprimens, & producens similitudinem obiecti cogniti. Prima conformitas habet totum suum esse ad aliud, & est simul natura, & cognitione cum obiecto cognito, & expresso; secunda verò, nequaquam: nam cùm prædictus actus iudicii intellectus producat talem speciẽ; & similitudinem obiecti, non potest esse simul natura, & cognitione cum eo, ob rationem adductam in postprædicamentis disput. 18. q. 6. not. 1. licèt aliàs, ob respectum scilicet transcendentalem, quem importat commodè, explicari nequeat nisi per ordinẽ ad aliud. Sermo autem in præsenti tantùm est de secunda adæquatione, & conformitate, in qua; vt statim probabitur, consistit formaliter veritas, &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm veritas formalis consistat formaliter in relatione conformitatis, quam potest habere conceptus obiectiuus intellectus ad se ipsum in esse rei consideratum; vel potiùs in ipso conceptu obiectiuo expresso, terminante conceptum formalem, seu actum iudicij.

Conceptus obiectiuus, seu species intelligibilis duplex est; alia enim appellatur impressa, alia verò expressa, siue verbum mentis; vtraque tamen est imago, & repræsentatio obiecti, cum hoc discrimine tamen, quòd species impressa est forma intelligibilis; species verò expressa est forma actu intellecta, seu cognita. Ex quo, apertè sequitur, quòd cùm veritas formalis sit vltima perfectio intellectus, non potest consistere in conceptu obiectiuo, seu specie impressa, neque minùs in relatione eiusdem ad se ipsã in esse rei (species enim intelligibilis impressa, seu forma intelligibilis non est quid vltimum, cùm perficiatur, & terminetur per formam intellectam, seu speciem expressam) qua de causa præsens quæstio tantùm procedit de conceptu obiectiuo, seu specie expressa, & terminante actum iudicij, siue intellectionis; vel de relatione eiusdem ad se ipsam in esse rei consideratam.

A Prima opinio circa id, vt referunt Mast. & Bellut. disput. 10. q. 2. art. 3. fuit Duran. in 1. dist. 19. q. 5. art. 6. Vasquez. p. p. disput. 76. cap. 1. & aliorum asserentium, veritatem formalem consistere formaliter in relatione rationis, conformitatis conceptus obiectiui, quam dicit ad se ipsum in esse rei consideratum: nam estò pro conceptu obiectiuo intelligant præfati Auctores tantùm speciem impressam, seu conceptum obiectiuum in ratione motiui, non autem speciem expressam, seu conceptum obiectiuum in ratione terminatiui; attamen ipsorum rationes, quatenus probant veritatem formalem consistere formaliter in relatione rationis conformitatis conceptus obiectiui, in ratione motiui intellectus, ad se ipsum in esse rei consideratum, possunt etiam probare, consistere in relatione
B rationis conformitatis conceptus obiectiui in ratione terminatiui intellectus ad se ipsum in esse rei pariter consideratum.

Secunda verò opinio est D. Tho. p. p. q. 16. art. 2. primò contra Gent. cap. 59. 6. Met. lect. 4. & alibi, omniumque ferè Thomist. asserentium veritatem formalem non consistere formaliter in prædicta relatione rationis, sed in ipso conceptu obiectiuo absolutè sumpto; terminante iudicium intellectus; & repræsentante conuenientiam prædicati cum subiecto; hoc est, in ipsa specie expressa existente in intellectu.

Notandum est idcirco primò; quòd si verum sumatur prò vero formali, dubium esse non potest, quin per priùs dicatur de intellectu, quàm de rebus; quia verum sic sumptum est analogum analogia attributionis ad intellectum, & cætera entia, & in solo in-
C tellectu intrinsecè reperitur tanquam in præcipuo analogato, in cæteris verò omnibus extrinsecè tantùm. Si autem sumatur verum absolutè, ut præscindit tam à uero formali, quàm à uero transcendentali, tunc comparabitur ad intellectum, & ad cætera entia, tanquàm analogum analogia proportionalitatis propriæ, ac per consequens reperietur intrinsecè in omnibus suis analogatis, & proportionaliter cuncta illa denominabit; quia sicut se habet uerum formale in comparatione ad intellectum, ità proportionaliter se habet verum transcendentale in comparatione ad cætera entia; atque ita verum sumptum prout abstrahit tam à vero transcendentali, quàm à vero formali, æqualiter æqualitate proportionalitatis, & rem, & intellectum denominabit. Quamuis si attendamus ad
D communem vsum loquendi, per priùs dicatur verum de intellectu quàm de rebus; quia quando absolutè, & sine vllo addito loquimur de vero, intendimus loqui de vero formali, non autem de uero transcendentali.

Notandum secundò, quòd vna veritas transcendentalis est maior, siue perfectior alia: veritas enim hæc consequitur entitatem, & regulatur ab illa, quemadmodùm & aliæ proprietates entis; datur autem vna entitas maior, seu perfectior alia, sic & vna datur veritas, bonitas, & vnitas maior alia; maximè si in hac comparatione includatur Deus; nihil enim est vniuocum illi, & creaturis, sed omnia; quæ sunt in creaturis, sunt cum dependentia ab illo. Item vna veritas formalis est maior alia, quia vnus intellectus potest magis adæquari ad rem, quam alius, si illam perfectiùs cognoscat: vnde diuinus intellectus, quia perfectissimè adæquat rem, cùm illam comprehendat, est infinitè verus, & sic proportionaliter

naliter de alijs. Similiter veritas enunciationum non est æqualis in omnibus, sed vna est maior alia; licèt enim vt enunciatio sit vera debeat illud, quod enunciatur, ita esse; tamen hæc veritas fundatur, & dependet à veritate transcendentali rerum, & à connexione prædicati cum subiecto expressa in enunciatione: quare cùm ipsa connexio in aliquibus sit maior; est enim maior in necessarijs, quàm in contingentibus; & loquendo de necessarijs est maxima in Deo, qui solus simpliciter est necessarius, idcirco etiam veritas enunciationum est maior in vno, quàm in alio; & hoc maximè apparet, si loquamur ex suppositione: nam res quæ cadunt subreuelatione diuina, ita sunt veræ ex supppsitione reuelationis diuinæ, vt omnes aliæ veritates nihil sint in comparatione illarum, ac priùs cælum, & terra transibunt, quàm uerba Christi prætereant, ut ipse dixit.

Dicendum est ergo primò, quòd ueritas formalis non consistit formaliter in relatione rationis conformitatis conceptus obiectiui expressi ad se ipsum in esse rei consideratum. Probari potest in primis omnibus illis rationibus, quibus probatum est suprà, veritatem formalem non posse formaliter consistere in relatione aliqua iudicij intellectus ad conceptum obiectiuum illud terminantem, cùm vtrobique valeant. Deinde probatur hac ratione: nam veritas formalis etiam in abstracto prædicatur de sapientia æterna, & propterea dicebat Christus de se ipso, quod erat ipsa veritas: ergo non potest consistere formaliter in prædicta relatione rationis. Antec. patet. Conf. verò probatur: quoniam cùm abstractum non significet nisi formam, quam exprimit, si prædicta forma, nempe veritas formalis esset relatio rationis, Christus pariter esset ens rationis, quod implicat.

Respondent Aduersarij, quæstionem non esse de veritate increata, sed de veritate intellectus humani, & consequenter adductam rationem nihil ad rem.

Contra tamen est, quòd proportionaliter loquendum est de veritate increata, ac de creata; cùm veritas creata sit participatio quædam veritatis increatæ, vt dictum est; ergo si veritas creata est tantùm aliquid rationis de formali, idem erit dicendum de increata.

Dicendum est secundò, quòd veritas formalis, formaliter consistit in ipso conceptu obiectiuo expresso, terminante iudicium intellectus, & repræsentante connexionem prædicati cum subiecto.

Probatur: nam veritas formalis non est verum vtcunque, sed vt cognitum, ex dictis q. 1. not 2. sed verum vt cognitum nequit non consistere in conceptu obiectiuo terminante intellectum, seu in specie expressa repræsentante connexionem prædicati cum subiecto: ergo in tali conceptu formaliter consistere debet. Minor probatur tum ex sufficienti diuisione; nam cùm non consistat in conceptibus formalibus, neque in relationibus eorundem ad conceptus obiectiuos, neque in specie impressa, vt suprà probatum est, si in intellectu reperiri debet, non poterit non consistere in tali conceptu obiectiuo: non enim aliud dandum est ex parte intellectus, in quo consistere possit. Tum etiam, quia de natura, & ratione speciei expressæ est esse intelligibiliter, & repræsentatiuo modo in intellectu, vt cognitum in cognoscente: ergo, &c.

A Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd veritas formalis dicit omnimodam conformitatem, & adæquationem, quam potest habere cum obiecto: sed nihil potest ita æquari cum obiecto, sicut res obiectiuè, & repræsentatiuo modo considerata vt refertur ad se ipsam in esse rei: ergo in tali relatione rationis consistet formaliter veritas formalis. Maior patet ex dictis. Conf. benè deducitur. Minor autem probatur: quoniam nihil potest ita adæquari cum obiecto, quàm id, quod est confirmatiuum iudicij intellectus, adeòut intellectus certitudinaliter non cognoscat rectè se iudicare de connexione prędicati cum subiecto, nisi confirmetur per id, quod ita adæquatur cum obiecto: sed res obiectiuè, & repræsentatiuo modo considerata, vt refertur ad se ipsam in esse rei, est huiusmodi: intellectus enim tunc confirmatur in

B suo iudicio, quando referendo terminum prædictum, seu rem obiectiuè consideratam ad se ipsam in esse rei; cognoscit eam habere summam adæquationem cum eo, ipsumque non excedere: ergo nihil potest ita adæquari cum obiecto, sicut res obiectiuè considerata, vt refertur, &c.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd illa ratio adducta conuinceret, veritatem formalem consistere formaliter in illa relatione rationis conceptus obiectiui ad se ipsum in esse rei consideratum, confirmante iudicium intellectus, si talis relatio esset de perfectione essentiali veritatis formalis; sed quia tantùm est de perfectione accidentali, cùm ipsam supponat essentialiter perfectam, & constitutam, & potiùs se teneat ex parte

C insufficientiæ, & hebetudinis intellectus non valentis per prius iudicium, veritatem formalem in specie expressa, & termino producto perfectè cognoscere; hinc est, quòd nihil conuincit contra positam conclusionem. Videantur intereà adnotata q. 2. & 3. huius disputationis.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis nam quòd significatur per propositionē verãm; est veritas formalis: sed per propositionem veram significatur conceptus obiectiuus, non vt sic, sed quatenus refertur ad se ipsum in esse rei: ergo in tali relatione consistit formaliter veritas formalis. Maior patet ex dictis, & ex dicendis magis constabit. Minor verò probatur ex Aristotele, cap. de Substantia, dicente: *Ex eo quòd res est, vel non est, propositio*

D *dicitur vera, vel falsa*: ergo per propositinem veram significatur formaliter conceptus obiectiuus, non vtcunque, sed quatenus refertur ad se ipsum, in esse rei consideratum: aliter enim non diceretur, ex eo quòd res est, vel non est, &c. sed ex eo quod conceptus obiectiuus verus, vel falsus est, &c.

Respondetur negando minorem; nam conceptus obiectiuus significatur à propositione vocali, vt ipsam rem duntaxat repræsentat, seu connexionem prædicati cum obiecto ipsius, non autem vt refertur ad ipsam rem. Ad probationem verò dicendum est, Aristotelem tantùm per illa verba voluisse significare, vt ferè omnes Interpretes ibidem explicant, propositionem esse veram, vel falsam, si conformetur, vel non conformetur rei vt est in se, non quidem immediatè, sed mediante conceptu ipsam rem repræsentante, non verò ad ipsam se referente.

Obiicitur tertiò in oppositum secundæ conclusionis;

nis; quòd si veritas formalis consisteret formaliter in specie expressa, seu termino iudicij intellectus; in illa actione saltem, qua Beati vident Deum, non daretur veritas formalis: sed hoc non est dicendum: ergo, &c. Minor patet ex dictis; nam si vna veritas est maior, & perfectior alia, non solùm in illa actione debet dari veritas, sed maxima, & perfectissima veritas, cùm intellectus Beatorum per talem actionem summè adæquetur, & intelligibiliter identificetur cum diuina Essentia in ratione obiecti cogniti, vt docent Theologi. Maior autem probatur: nam in sententia probabilissima D. Thomæ, in visione beata non datur species expressa terminans intellectum Beatorum, cùm ipsi in Patria non forment verbum: ergo si in verbo, seu specie expressa consisteret formaliter veritas formalis; in actione illa, qua Beati vident Deum, saltem non consistet formaliter veritas.

Respondetur distinguendo sequelam maioris; in illa actione saltem non dabitur veritas formalis creata, concedenda est; increata, neganda: nam cùm diuina Essentia in opinione D. Thomæ gerat vicem speciei expressæ, & impressæ, seu obiecti non solùm terminatiui, verùm etiam motiui; veritas formalis in ipsa formaliter consistens, erit increata, sicut increata est diuina Essentia, vicem gerens speciei expressæ, in qua consistit prędicta veritas formalis. Quod quidē non repugnat, quoniam licèt talis actio, vt sic sit creata; terminatiuè verò, seu ratione obiecti cogniti terminantis, increata est.

QVÆSTIO V.

In quonam consistat formaliter falsitas formalis.

QVia falsitas opponitur veritati, & vnum contrariorum per aliud innotescit, cùm eadem sit eorum ratio, idcirco post quæstiones de veritate, de falsitate agendum est, vt ita paulatim accedamus ad principale quæsitum, de diuersa scilicet vocum significatione, quæ in significatione veritatis, aut falsitatis consistit, vt in principio disputationis dictum est.

Falsitatem autem formalem, de qua tantùm est sermo in præsenti, *esse difformitatem, aut disconuenientiam intellectus ad rem*, nemo est qui dubitet. Litigium autē haud paruum est inter Philosophos, an formaliter consistat in negatione conformitatis, & conuenientiæ intellectus ad rem; vel in positiua difformitate.

Prima sententia est Cauell. disp. 3. de Anima sect. 9. Pasqualigi disput. 71. Met. & aliquorum Modernorum asserentium falsitatem formalem consistere in carentia, & negatione conformitatis intellectus ad rem.

Secunda verò sententia est ferè omnium Philosophorum docentium falsitatem formalem consistere formaliter in positiua difformitate intellectus ad rem; sed non omnes conueniunt in assignando, an tale positiuum sit quid absolutum, vel respectiuum, reale, vel rationis. Omnes enim illi Philosophi, qui in antecedentibus quæstionibus docuerunt, veritatem formalem consistere in relatione reali, vel rationis actus A formalis ad obiectiuos conceptus, & obiectiuorum conceptuū ad se ipsos in esse rei consideratos; docent pariter falsitatem formalem, formaliter consistere vel in relatione reali, vel rationis conceptuum formalium ad obiectiuos, &c. Omnes autem illi, qui in antecedentibus quæstionibus docuerunt veritatem formalem, formaliter consistere in adæquatione, & conformitate absoluta conceptus obiectiui terminantis iudicium intellectus ad rem; docent pariter falsitatem formalem, formaliter consistere in prædicta difformitate, seu disconuenientia absoluta conceptus obiectiui ad rem, cùm oppositorum eadem sit ratio.

Cùm autem præsens quæstio ex dictis de veritate ferè explicata maneat; solummodò probandæ sunt nonnullæ conclusiones, & argumenta in oppositum B diluenda.

Dicendum est ergo primò, quòd falsitas formalis non consistit formaliter in negatione, & carentia conformitatis, & adæquationis intellectus, seu conceptus obiectiui illius ad rem.

Probatur: nam falsitas formalis opponitur contrariè veritati: ergo nequit formaliter consistere in negatione, & carentia conformitatis, & adæquationis intellectus ad rem. Consequentia clarè patet ex dictis in postprædicamentis disput. 18. q. 2. vbi habetur, quòd oppositio contraria est inter formas positiuas; vnde quæ tali modo opponuntur, nequeunt formaliter consistere in aliqua carentia, & negatione. Antec. autem probatur: quoniam non minùs falsitas formalis, quàm veritas qualificat intellectum; cùm denominet illum positiuè falsum; ad differentiam C falsitatis negatiuæ, seu ignorantiæ puræ negationis, quæ illum tantùm denominat falsum negatiuè, idest non ob aliquam prauam dispositionem, & affectionem mentis aliter apprehendentis, & iudicantis rem, quàm sit, vt contingit in falsitate formali, de qua loquimur; sed ob puram carentiam, & negationem cognitionis rei; ergo cùm veritas, & falsitas sint ambæ formæ positiuæ, ac sub eodem genere qualitatis maximè distent (non enim possunt esse de eodem respectu eiusdem) consequenter erunt inter se oppositæ contrariè, vt ex dictis loco citato patere potest.

Dicendum est secundò, quòd falsitas formalis non consistit formaliter in aliqua relatione. Probatur tum ex omnibus illis rationibus, quibus suprà probatum est veritatem non consistere in aliqua relatione. D Tum etiam, quia vna falsitas formaliter, & præcisè secundùm se est magis falsitas, quàm alia; sicut vna veritas est magis veritas, quàm alia: magis enim, vel minùs falsus dicitur intellectus, qui habet maiorem, vel minorem difformitatem ad rem; sicut magis, vel minùs verus dicitur intellectus, qui habet maiorem, vel minorem adæquationem, & conformitatem ad eandem; sed relatio ex dictis disp. 15. q. 3. conclus. 2. secundùm se præcisè non suscipit magis, & minùs, sed tantùm ratione fundamenti; ergo formalis falsitas nequit consistere formaliter in aliqua relatione.

Respondent aliqui, vt Mastrius, & Bellut. loco in superioribus quæstionibus citato, cum cæteris Scotistis, relationem secundùm se suscipere magis, & minùs; sed circa hoc videri possunt ea, quæ loco citato de relatione dicta sunt: satis enim ibidem præliatum est.

Alij verò recentiores, de quorum numero præci-

puus

puus est Hurtadus disput. 11. Log. sect. 2. §. 27. & sequenti, negant falsitatem suscipere magis, & minùs: dicunt enim falsitatem consistere in indiuisibili; nam aberrat (inquiunt ipsi) à veritate ille intellectus, qui enunciat falsitatem de vna re, vel pauciora prædicata de ipsa negat; quàm ille, qui enunciat falsitatem de pluribus, vel plura prædicata de illis negat: sicut æquè non moratur Venetijs, qui est Romæ, quàm qui est Bononiæ, quamuis hic minùs distet, & hoc, quia absentia illa consistit in indiuisibili, & per accidens se habet illa maior, vel minor distantia.

Contra istam responsionem est, quod dictum est suprà in probatione primæ conclusionis, videlicet falsitatem formalem non consistere formaliter in negatione, & carentia conformitatis ad rem; sed tantùm falsitatem negatiuam, seu ignorantiam puræ negationis, de qua videtur loqui responsio, & exemplũ ab illis adductum; idcirco nihil ad rem; cùm falsitatem formalem, non autem negatiuam, asseratur non consistere in indiuisibili.

Dicendum est tandem tertiò, quòd falsitas formalis consistit formaliter in ipso conceptu obiectiuo expresso terminante iudicium intellectus, & repræsentante res aliter ac sunt in se ipsis; seu connexionem prædicati cum subiecto non conuenientem ipsi rei.

Probatur facilè, & breuiter ex dictis in antecedentibus quæstionibus: nam intellectus non adæquatur, nec conformatur rebus, in quo consistit veritas formalis, nisi per speciem expressam terminantem iudicium ipsius, & repræsentantem res, vt sunt à parte rei, &c. ergo à pari, intellectus nunquam erit inadæquatus, ac difformis rebus, in quo consistit falsitas formalis, nisi per speciem expressam ipsas res repræsentantem aliter ac sunt in se ipsis, &c. cùm de contrarijs eodem modo philosophandum sit; & consequenter falsitas formalis consistet formaliter in ipso conceptu obiectiuo expresso, ratione cuius intellectus dicitur formaliter difformis, inadæquatus, & falsus; iuxta illud *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; tum quia sicut se habet malitia ad bonitatem, ita falsitas ad veritatem: nam sicut malum est quidam voluntatis defectus, ita falsum est quidam defectus intellectus ex 6. Ethic. cap. 2. ergo sicut malitia dicit saltem carentiam priuatiuam bonitatis; ita falsitas erit priuatio veritatis. Tum etiam quia si falsitas diceret quid positiuum: ergo Deus concurreret, & esset causa falsitatis in intellectu nostro; atque ita posset aliquem decipere, quod repugnat summæ ipsius veritati, & perfectioni: ergo falsitas formalis consistet in carentia saltem priuatiua veritatis.

Respondetur ad primam rationem, illam paritatem tantùm habere locum inter malum naturale, vel morale ex vna parte; & falsitatem transcendentalem, secundùm quid, vel moralem (cùm falsitas simpliciter non sit admittenda) ex alia, vt sunt peccata iuxta illud *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*: quæ omnia vtique important carentiam saltem priuatiuã, vt de illis affirmauit Philosophus loco citato ex 6. Ethic. quare nihil obstat allatæ conclusioni, in qua tantùm est sermo de falsitate formali, siue cognitionis. Ad secundam verò rationem Respondetur, quòd aliud est dicere Deum concurrere ad actum erroris, & A ad illam entitatem falsitatis; aliud posse nos decipere. Primum est verum, quia concurrit cum causis secundis, tanquàm vniuersalis causa, & cùm sinat illas, motus suos agere, concurrit cum illis ad decipiendum. Secundum autem est falsum, quia tunc esset auctor, & totalis causa erroris, quod repugnat, vt docet argumentum. Quo etiam modo, licèt concurrat, ad entitatem actus peccaminosi, non tamen debet dici per se causa peccati, sed tantùm per accidens cùm præter intentionem illius eueniant peccata. Sicut ex eo, quòd concurrat ad monstra, aliosque naturales defectus, non tamen dicitur causa imperfectionis, cùm hoc proueniat ob imperfectionem causæ secundæ duntaxat cum qua concurrit.

Obijcitur secundò in oppositum secundæ conclu- B sionis, quòd dissimilitudo, disconuenientia, & inæqualitas, non minùs sunt relationes prædicamentales primi generis, quàm similitudo, conuenientia, & æqualitas: sed falsitas formalis est dissimilitudo, disconuenientia, & inæqualitas intellectus ad rem: ergo consistit in aliquo relatiuo, non autem absoluto.

Respondetur huiusmodi argumentum iam esse solutum superiùs q. 3. ad primum: nam sicut similitudo, æqualitas, &c. in qua consistit veritas formalis, importat tantùm relationem transcendentalem, cùm sit similitudo, & æqualitas tantùm fundamentalis: ità à pari dissimilitudo, & inæqualitas, in qua consistit falsitas formalis, tantùm importabit relationem transcendentalem, cùm sit dissimilitudo, & inæqua- C litas fundamentalis; ex qua potest deinde resultare dissimilitudo, & inæqualitas formalis, seu relatio prædicamentalis, vt ibidem dictum est.

Obijcitur tandem tertiò in oppositum tertiæ conclusionis: nam si staret prædicta conclusio, sequeretur, quòd quando intelligitur, e. g. Petrus vt animal tantùm, talis conceptus esset falsus: cùm Petrus, non tantùm sit animal verùm etiam rationalis: sed hoc non est dicendum: ergo &c.

Respondetur, quòd conceptus ille obiectiuus, in quo assertum est formaliter consistere falsitatem formalem non est conceptus præcisiuus, qualis est ille, dum concipitur Petrus tantùm vt animal; nam in hoc adest conformitas saltem partialis cum obiecto; dummodò non concipiatur diuisiuè, idest affirmando de Petro animalitatem, & negando rationalitatem; tunc D enim esset conceptus falsus, vt patet.

QVÆSTIO VI.

Quænam sint voces, quæ significant veritatem, aut falsitatem formalem, & quæ nec veritatem, nec falsitatem formalem designant.

HÆc est principalis quæstio, in cuius gratiam cæteræ omnes excitatæ, atque examinatæ sunt, cùm eius resolutio ex resolutione illarum omnino pendeat; quia de causa non est hic ampliùs immorandum; sed hoc ex supradictis duntaxat


Dicen-

Dicendum est, nimirum voces complexas, seu orationes, & propositiones tantùm significare veritatem, aut falsitatem formalem: voces verò incomplexas, nec veritatem, aut falsitatem prædictam importare, nisi de materiali, & potentialiter.

Probatur: quia cùm veritas, aut falsitas formalis, tantùm consistat formaliter in conceptibus obiectiuis expressis per iudicium intellectus diuidens, aut componens, idest affirmans aut negans prædicatum de subiecto; & cùm prædicti conceptus tantùm immediatè significentur per voces complexas, seu per orationes, aut propositiones enunciatiuas, vt dictum, & probatum est; hinc est, quòd tantùm prædictæ voces veritatem, aut falsitatem formalem significabunt; cæteræ verò omnes nequaquam, nisi adsummùm potentialiter, & de materiali, cùm tantùm illos significent conceptus obiectiuos, qui possunt fieri complexi, & sunt materia orationis, & propositionis mentalis, aut vocalis, in quibus suo modo potest consistere veritas, aut falsitas formalis.

DISPVT. VIGESIMASECVNDA

De vocis significatiuæ ad placitum diuisionibus.



Xplicata vsque modò diuersitate significationis vocis, quæ consistit in significando, vel non significando veritatem, aut falsitatem; & cùm statutum sit voces complexas, seu orationes enunciatiuas, minimè verò voces simplices, & incomplexas id significare; valde erit ad rem, antequam accedamus ad tradendam naturam, & quidditatem harum vocum, nonnulla de vocis ad placitum significantis, vt sic, in simplicem, & complexam, istarumque in sua inferiora, diuisione prælibare; tradita enim notitia qualitatis talium diuisionum, naturam, & quidditatem tum simplicium, tum complexarum vocum ex institutione significatiuarum, meliùs percipiemus, cùm diuisiones ad definiendum maximè valeant 2. Post. cap. 4. text. 19. comm. 74. & 75.

QVÆSTIO I.

An diuisio vocis significatiuæ ad placitum in simplicem, & complexam sit generis in species.

A 

Ignificare, seu significatiuum vocis ad placitum posse capi dupliciter, docent hoc loco Dialectici; vno modo, prout formaliter importat compositum ex voce, & significatione, vt quoddam aggregatum ex illis: secundo verò, prout formaliter tantùm importat significationem, & vocem de connotato, ad modum concretorum accidentalium, quæ in recto tantùm formam important, & in obliquo connotant materiam, vt patet de albo, dulce, &c. de quibus satis dictum est suprà disp. 2. q. 7. ad secundum. Quapropter si accipiatur significatiuum vocis primo modo, certum erit huiusmodi diuisionem non esse generis in suas species: ens enim
B per accidens, cuiusmodi est significatiuum vocis primo modo acceptum, non est capax rationis genericæ, cùm non sit capax vnitatis simpliciter, & vniuersalitatis propriè dictæ; & consequenter membra diuidentia, scilicet voces significatiuas, simplicem, & compositam, non esse illius species. Dubitare ergo tantùm quis poterit de diuisione significatiui, secundo modo considerati.

Quæstio hæc apud Auctores videtur tantùm de nomine, ideò superfluum erit ipsos singillatim in medium adducere, cùm in re omnino conueniant. Quare breuissimè explicabitur iuxta ea, quæ superiùs disput. 10. q. 1. de diuisione complexorum, & incomplexorum pro titulo quæstionis prænotata sunt.

Dicendum est ergo, quòd diuisio vocis significa-
C tiuæ ad placitum in simplicem, & complexam, non est vniuoca, generisque in suas species; sed analogi in sua analogata.

Probatur prima pars: quia significatiuum simplex est ens per se, complexum autem est per aggregationem, & per accidens: sed ad ens per se, & ad ens per accidens nihil datur commune vniuocum: ergo non est diuisio generis in suas species. Minor, & consequentia patent. Maior autem quoad primam partẽ, ex suppositione in principio quæstionis facta, sufficiẽter suadetur. Quoad secundam verò partem sic probatur: nam significatio orationis e. g. quæ est vox complexa, non est aliud, quàm aggregatio significationum, partium significatiuarum, vt ex ipsius definitione colligi potest; est enim oratio vox, cuius
D partes significant separatim: ergo, &c.

Probatur secunda pars: quoniam significatiuum vocis incomplexæ est significatiuum, & vnum quid simpliciter: significatiuum autem vocis complexæ est significatiuum, & vnum quid ratione alterius, siue secundùm quid; ergo talis diuisio est analogi in sua analogata. Consequentia patet ex dictis disput. 9. de Analogia q. 1. Antec. autem quoad primam partem liquet ex modo traditis; quoad secundam verò probatur: nam oratio e. g. quæ est significatiuum vocis complexæ, intantùm est significatiua, inquantùm partes materiales ipsius, nempe voces simplices significatiuæ sunt: per hoc enim, quòd partes orationis significatiuæ sunt oratio ex illis composita, trahit suum significatiuum, vt doctè obseruat Versorius Parisiensis in Petrum hispan. Insuper est quid vnum tantùm secundùm quid, scilicet ex vnitate, & intentione orationis, aut propositionis, non autem vnitate signi-

ficationis, & secundùm se: ergo significatiuum vocis complexæ non est quid vnum simpliciter.

Obiicitur primò in oppositum primæ partis conclusionis; quia non minùs est ens per accidens significatiuum vocis complexæ, quàm simplicis: ergo significatiuum vocis æqualiter dicitur de illis, & consequenter talis diuisio vocis significatiuæ erit generis in suas species. Vtraque consequentia ex sæpe dictis patet. Antec. autem probatur: quoniam vox significatiua, siue simplex, siue complexa, est quoddam artefactum, cuius materia est vox, vt docet Aristoteles lib. 5. de generatione animal. cap. 7. significatio autem forma: sed omnia artefacta sunt entia per accidens: ergo tam vox significatiua complexa, quàm simplex sunt entia per accidens.

Respondetur ex dictis disput. 14. q. 1. quòd licèt artificialia materialiter accepta, quatenus scilicet constant ex rebus diuersorum generum, sint entia per accidens; tamen formaliter, quatenus scilicet illa omnia, ex quibus constant, ordinantur ad talia artificialia constituenda ratione vnius figuræ artefactorum, e. g. Domus, Turris, &c. sunt vnum per se, & reponuntur directè in prædicamento qualitatis sub quarta specie. Qua de causa, & si vox significatiua, quæ est quoddam artefactum, materialiter accepta, quatenus scilicet directè importat tam significationem, quàm vocem, sit quoddam ens per accidens; formaliter tamen, inquantùm scilicet in recto tantùm importat significationem, & in obliquo vocem, est vnum per se, vt dictum est. Hoc autem non æquè currit de vocibus significatiuis complexis; nam etiam si formaliter considerentur, inquantùm scilicet important significationem in recto, semper illam important vt complexam ex pluribus significationibus simplicibus, & vt quid vnum secundùm quid, nempe vnitate orationis, & propositionis, quam constituunt, vt inferiùs meliùs explicabitur.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ partis: nam conceptus complexus importatus per significationem vocis complexæ, e. g. orationis, est vnum quid: ergo & ipsa vox complexa, & consequenter non erit ens, & vnum per accidens, sed per se, & talis diuisio erit æqualis, & vniuoca. Hæ omnes consequentiæ naturaliter se inferunt. Prima verò bene deducitur: nam si res significata est vna, significatiuum, seu res significans non erit multiplex, cùm ab ipsa accipiat vnitatem. Antec. verò probatur; quoniam talis conceptus optimè cognoscitur ab intellectu: ergo quid vnum, cùm intellectus nequeat plura simul intelligere.

Respondetur, conceptum complexum esse quid vnum, non vnitate per se, sed per accidens, cùm constet ex pluribus vnitatibus, nempe conceptibus simplicibus. Et licèt intellectus noster non intelligat plura per modum plurium, sed per modum vnius; quia tamen illud vnum in tali casu est quid complexũ ex pluribus vnitatibus per se, est idcirco semper vnum per accidens, scilicet ratione vnitatis orationis, propositionis, &c.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum secundæ partis conclusionis, quòd talis diuisio non est analoga analogia attributionis, neque proportionalitatis propriæ: ergo nullo modo. Cons. est manifesta ex sufficienti analogiæ diuisione. Antec. autem probatur: non analogia attributionis, quia ratio importata per nomen significationis tam est intrinseca in vocibus complexis, quàm incomplexis, quod vtique est contra rationem prædictæ analogiæ, vt dictum est suprà disp. 9. q. 2. nec etiam analogia proportionalitatis propriæ, quia ratio importata per nomen significationis non est in vocibus significatiuis simplicibus absolutè, in complexis autem secundùm proportionem ad illas; sed in omnibus æquè absolutè, cùm vtraque vox habeat de se significare conceptus, siue simplices, siue complexos, & non per ordinem, & proportionem ad aliam.

Respondetur negando antec. ad cuius probationem dicendum est, quòd ex eo quòd ratio importata per nomen significationis est intrinsecè tam in vocibus simplicibus, quàm complexis, optimè colligitur, quòd talis diuisio est analoga vtraque analogia: analogia quidem attributionis, quia in vocibus complexis talis significatio est cum dependentia à significatione vocum simplicium, vt dictum est, & hoc modo non est in illis intrinseca, nisi secundùm quid, vt statim dicetur: analogia verò proportionalitatis propriæ, quia si prædicta significatio sumatur proportionabiliter, vt de facto debet sumi, talis significatio vocis complexæ non est cum dependentia à significatione vocis simplicis: nam sicut se habet vox simplex ad suam significationem, ita proportionabiliter vox complexa ad suam; eodem modo sicut superiùs disput. 9. citata q. 2. ad 1. de ente respectu substantiæ, & accidentis dictum est.

QVÆSTIO II.

An diuisio vocis significatiuæ simplicis in nomen, & verbum sit generis in suas species.

PRæter nomen, & verbum, multas alias esse voces simplices, vt sunt aduerbia, coniunctiones, interiectiones, & syncategoremata multa, nemo est qui ignoret: quia verò de ipsis, Dialecticis cura non est, cùm non sint præcisè necessariæ ad veritatem orationis, sed potiùs ad ornatum, vel non habeant significationem, quæ per se vsui esse possit, sed ad summùm ad ipsa nomina, verbaque significãda inseruiant, hinc est, quòd in titulo quæstionis non constituuntur sub voce simplici plura membra duobus enumeratis.

Quæstio autem hæc vnum supponit, & aliud quærit: supponit enim vocem simplicem significatiuam diuidi in nomen, & verbum; nam hoc manifestè conuincitur, vt obseruat D. Tho. Ammon. ac cæteri fideliores Aristotelis interpretes in hoc 1. lib. Periherm. cap. 1. ex eorum definitionibus, in quibus expresè ponitur definitio vocis simplicis, est enim quæ non habet partes separatim significantes, vt habet complexa, Qua de causa admittendi non videntur quidam Recentiores negantes talem diuisionem, eo fortasse conuicti argumento, nimirum, quòd vox simplex consideratur tantùm in ordine ad rem significatam: nomen autem, & verbum considerantur, vt habent casus, & articulos;

los: hoc enim stare non potest, cùm propriæ rationes nominis, & verbi, quibus à cæteris dictionibus separantur, non sint declinatio, & coniugatio apud Logicos, sed peculiares significandi modi, cum tempore scilicet, vel sine tempore, vt inferiùs explicabitur. Dubitatur igitur tantùm de qualitate talis diuisionis, an scilicet sit essentialis, generis in suas species; vel potiùs essentialis, analogi in sua analogata.

Prima sententia docet prædictam diuisionem, vel esse accidentalem, vel si est aliquo modo essentialis, esse analogi in sua analogata: Quæ sententia apud Conimb. cap. 4. huius, q. 2. art. 2. tribuitur Caiet. 3. p. q. 2. art. 7. ad primum dubium; ac nonnullis alijs.

Secunda verò sententia tenet esse essentialem generisque in suas species. Ita Conimb. loco citato, qui etiā dicunt ita sensisse, saltem implicitè Boet. in edit. 2. ad cap. de Verbo Ammon. ibidem. Alb. Mag. tract. 2. cap. 4. D. Tho. lect. 5. Richar. 1. sent. dist. 22. q. 1. ad 4. Scot. ibidem. §. *Contra sicut*, &c. atque alij.

Notandum est idcirco primò ex D. Tho. p. p. q. 13. art. 4. & alibi, eas voces esse diuersas in significando, quæ significant mediantibus conceptibus specie diuersis: quare docent communiter Theologi, nomina, quæ dicuntur de Deo, vt Sapiens, Iustus, Misericors, &c. & si ipse sit vna res simplicissima, non tamen esse synonyma, sed specie distincta; quia significant, interuenientibus conceptibus inadęquatis, specie differentibus: Nam cùm significatio vocis, ex dictis, sit relatio rationis, fundata super impositionem instituentis, ab ea quoque sumere debet vnitatem, aut distinctionem specificam; relatio enim, absolutè loquendo, specificatur à fundamento, vt iam notatum est superiùs secundo loco disp. 15. q. 2. Instituentis autem impositio habet diuersitatem ex conceptibus; quoniam in imponenda voce, præter eius conceptum, qui est medius, interuenit conceptus rei significandæ, quem vocant vltimum, & obiectiuum, à quo actus voluntatis, scilicet talis impositio nominis specificari debet; cùm actus voluntatis sumant specificationem ex obiectis prout ab intellectu repræsentantur.

Notandum secundò, tam nomen, quàm verbum diuersos significare conceptus: quoniam nomen, pręcipuè si erit abstractum, significat suam formam per se stantem, vt hęc nomina, Amor, e. g. Odium, Timor, &c. verbum verò, semper compositam cum subiecto, vt Amo, idest habeo amorem; timeo, idest habeo timorem, &c. quare verbum semper est connotatiuum, vt doctè obseruant D. Tho. lect. 5. 1. Periher. & alii Interpretes: nomen verò tantùm quando est concretum. Item, nomen significat suam formam in facto esse, ac per modum qualitatis: Amor enim e. g. importat formam productam qualificantem; verbum autem eam significat in fieri, & per modum actionis: Amare enim est amore aliquem prosequi. His tamen non obstantibus, non inde sequitur, indifferenter ab vno, vel ab alio ex prædictis significatis conceptibus, nomen, & verbum suam accipere distinctionem specificam; sed tantùm à secundo, videlicet ex eo, quòd nomen significat suam formam in facto esse; verbum autem in fieri: Ratio est, quia significare vel non significare formam compositam, seu copulatam cum subiecto, nisi tali significationi superaddatur vel in fieri, vel in facto esse, non est sufficiens distinguere omnino, & vniuersaliter nomen a verbo; licèt enim distinguantur essentialiter nomina abstracta à uerbis, non tamen nomina concreta, ut patet; cùm tam nomina concreta, quàm uerba hoc habeant commune, uidelicet significare formam cum subiecto compositam, atque copulatam.

A

Dicendum est ergo, quòd diuisio vocis significatiuæ simplicis in nomen, & verbum, est essentialis, & specifica, siue generis in suas species. Probatur: quoniam verbum formaliter significat rem, seu formam vt egredientem ex causa, & quasi in fieri; nomen verò significat rem, & formam iam productam, & in facto esse, vt dictum est: ergo diuisio vocis simplicis significatiuæ in nomen, & verbum, est essentialis, &c. Consequentia probatur: Nam cùm diuisio essentialis vocis significatiuæ desumenda sit penes diuersum modum formaliter significandi, vt dictum est, & cùm nomen, & uerbum, diuerso modo formaliter significent; diuisio in talia membra erit essentialis, & specifica.

B

Obijcitur primò in oppositum; quòd nomen, & uerbum idem formale habent significatum: ergo non differunt specie: & consequenter prædicta diuisio in talia membra non est essentialis, &c. Conſ. patet ex dictis, cùm differentia, & diuisio specifica sit sumenda ex diuersa significatione. Antec. autem probatur: nam amo, verbum, e. g. & amor nomen, significant formaliter amorem; nam quòd verbum alteriùs importet tempus, seu copulam, & connexionem in enunciatione, nihil confert ad essentialem distinctionem, quia tempus, & talis connexio non pertinent ad formale significatum verbi, sed ad connotatum: ergo idem formale habent significatum.

C

Respondetur negando antec. ad cuius probationem dicendum est, amorem significatum tam per nomen, quàm per verbum amo, non esse significatum formale nominis, & verbi; sed tantùm amorem pro forma in fieri, vel in facto esse, vt dictum est suprà, vnde amor vt sic est tantùm significatum materiale, à quo desumenda non est diuisio essentialis, & specifica.

Obijcitur secundò, quòd nomen, & verbum sunt composita per accidens, ex voce, & significatione, vt dictum est: sed in compositis per accidens non reperiuntur vera genera, nec veræ species: ergo talis diuisio nequit esse specifica, &c.

D

Respondetur, nomen, & verbum posse dupliciter considerari, vel vt formaliter significant totum compositum ex voce, & significatione; vel vt formaliter tantùm significant significationem, vocem autem de connotato: primo modo sunt composita per accidens; sed tali modo non considerantur in præsenti; secundo verò modo, quemadmodum considerantur in præsenti, sunt entia per se, & sunt capacia generum, & specierum.

Obijcitur tandem tertiò, quòd signa eodem modo conueniunt, ac inter se ipsa significata; sed significata nominis, & verbi analogicè conueniunt: ergo ipsa signa nequeunt inter se vniuocè conuenire; & consequenter diuisio vocis in talia signa, nempe, in nomen, & verbum, non erit essentialis. Maior patet,

cùm signa ex significatis, seu significationibus accipiant speciem, & distinctionem. Minor verò probatur: nam qualitas, quæ significatur per nomen amoris, e. g. conuenit tantùm analogicè cum productione, & fluxu sui ipsius, qui fluxus non est nisi significatum verbi amo, cùm talis productio sit tantùm qualitas ratione termini, & secundùm quid, vt patet: ergo, &c.

Respondetur concedendo maiorem, si tamen intelligatur de significatis formalibus; secùs verò si intelligatur de significatis materialibus, de rebus scilicet significatis. In quo sensu etiam neganda est minor: ad cuius probationem dicendum est, tantùm probare de significatis materialibus, quæ vtique analogicè conueniunt, non autem de ipsis significatis, seu significationibus formalibus, à quibus tantùm nomina, & verba sortiuntur suas species, cùm ab ipsis abstrahi possit ratio vna communis: & simplex nempe significatio, quæ participatur æqualiter ab ipsis, contrahiturque per oppositas differentias essentiales, per talem scilicet, & talem modum significandi, vt dictum est.

QVÆSTIO III.

Vtrùm etiam diuisio vocis significatiuæ ad placitum complexæ in orationem enunciatiuam, & non enunciatiuam sit generis in suas species.

Licèt idem entitatiuè sint significatiuum, seu vox significatiua complexa, & oratio; tamen, vt certa ab incertis segregentur, excitatur præsens quæstio sub ratione orationis formaliter; vnde consultò, ac deliberatè ponitur in titulo *in orationem*; non autem *in vocem significatiuam complexam*: si enim pro diuiso supponeretur hic significatiuum complexum, superuacaneum esset quæsitum, cùm ex dictis iam certum sit, illius diuisionem non esse vniuocam, & generis in suas species: Est enim significatiuum complexum tale quid vnum per accidens, incapax vnitatis requisitæ ad rationem generis, & vniuersalis. Reducitur ergo tota difficultas ad vocem significatiuam complexam sub ratione orationis formaliter; & sensus quæstionis est, an vox significatiua complexa formaliter, ut oratio est diuidatur in orationem enunciatiuam, & non enunciatiuam tanquam genus in suas species.

Prima sententia est negatiua, quam docent nonnulli, quos sine nomine refert Ruu. tom. 2. Log. Mexic. 1. Periher. cap. 4. q. 1. n. 25.

Secunda verò sententia affirmatiua est, quam idem Ruu. loco citato vocat communissimam, quare superfluum erit pro ipsa Auctores nominatim adducere.

Notandum est idcirco primò, quòd sicut in toto physico, ut docent illi, qui formas admittunt partiales, & datur forma partialis, ut anima, e. g. respectu corporis, & totalis, ut humanitas respectu suppositi: ita in oratione, forma partialis erit prædicatum, uel aliquid loco prædicati respectu subiecti, uel illa pars, quæ aliam determinat, ita ut si ad inuicem se determinent, ad inuicem sint formæ in quantùm determinant; & materia, ut sunt determinabiles: eo ferè modo, ut in contractu mutuo, e. g. Matrimonij, dici solet. Forma uerò totalis erit ipsa significatio composita, & complexa, ut induit intentionem, & respectum totius, per quod oratio optimè distingui potest à nomine, & uerbo: nam licèt hæc talia, etiam habeant pro forma significationem, ut dictum est suprà, quia tamen significatiuum nominis, & uerbi est simplex, & incomplexum, significatiuum uerò orationis, compositum, & complexum; non possunt non admittere distinctionem.

Notandum secundò, quòd forsitan falluntur Conimb. 1. Periher. cap. 4. q. 3. art. 1. & alij, qui per significationem complexam non inuenientes distinctionem orationis à nomine, & uerbo, docent formam essentialem, ac totalem orationis esse unionem, & nexum grammaticalem partium, quo inter se uniuntur: nam unio est quidem forma, & actus unibilium, ut unibilia sunt, non tamen est ipsa forma essentialiter constitutiua totius, sed applicatiua, & unitiua formæ essentialis ad suam materiam, siue subiectum: unde unio inquantùm unio, non est forma constitutiua compositi, neque in ea potest consistere specifica, & intrinseca forma constituens aliquod totum; quia vnio de suo intrinseco conceptu tantùm dicit esse medium, seu applicationem, & copulam extremorum, cùm supponat extrema constituentia, quæ per ipsam tanquam per medium debent vniri.

Dicendum est ergo, quòd diuisio vocis significatiuæ complexæ in orationem enunciatiuam, & non enunciatiuam est generis in suas species. Probatur: quoniam vox complexa formaliter considerata sub ratione, & intentione orationis importat conceptum vniuersalem essentialiter superiorem, ac prædicabilē tam de oratione enunciatiua, quam de non enunciatiua; ergo prædicta diuisio est generis in suas species. Conf. patet ex dictis lib. 2. Instit. cap. 4. de diuis. Antec. autem probatur: Nam vox complexa formaliter considerata, &c. est tantùm capax vnitatis: ergo vniuersalitatis, & prædicabilitatis.

Obijcitur primò in oppositum, quòd vox complexa etiam formaliter considerata in ratione orationis est multiplex: ergo non est capax vnitatis, & vniuersalitatis; & consequenter eius diuisio non est generis in species. Hæc vltima consequentia benè sequitur ex prima. Prima verò benè deducitur. Antec. autem probatur; quoniam significatio complexa, quæ est forma, vt dictum est, à qua vox complexa suam accipit vnitatem, non est vna, sed plures significationes: ergo uox complexa formaliter considerata erit multiplex, cùm nil aliud sit, quàm significatio complexa.

Respondetur negando antec. ad cuius probationē dicendum est, tantùm probare significationem complexam esse multiplicem materialiter, non autem formaliter, & sub ratione, & intentione orationis, ac propositionis, vt dictum est.

Obijcitur secundò, quòd uox significatiua complexa saltem analogicè dicitur de oratione enunciatiua mentali, & scripta: ergo talis diuisio non est uniuoca, nec generis in species. Conf. patet: Nam in diuisio-

diuisione vniuoca diuisum non solùm æqualiter, & vniuocè debet prædicari de membris proximè diuidentibus, verùm etiam de membris remotè diuidentibus, vt manifestum est de substantia, quæ non solùm vniuocè, & æqualiter dicitur de corpore, & spiritu, sed etiam de substantia inanimata, & animata. Antec. autem probatur: Quoniam vox complexa, primò, & principaliter dicitur de oratione enunciatiua vocali; minùs autem principaliter, & secundùm quid, de oratione enunciatiua mentali, & scripta, idest secundùm aliquam proportionem, & conuenientiam ad vocalem, vt patet: ergo, &c.

Respondetur, quòd hic sumitur vox complexa limitatè, pro significatiua tantùm vocali, & ideò uniuocè tantùm dicitur de oratione enunciatiua vocali, non autem de mentali, & scripta. Si autem sumeretur generaliter pro signo, seu significatione complexa, etiam vniuocè diceretur de ratione enunciatiua mentali, & scripta, cùm & ipsæ signa quædam ex instituto sint.

Obiicitur tandem tertiò, quòd diuisio uniuoca in sententia omnium non debet dari per differentias accidentales, sed essentiales, ut patet; sed hæc datur per significare, & non significare ueritatem, aut falsitatem, quæ sunt proprietates, accidentia, & passiones orationis, seu uocis complexæ enunciatiuæ: ergo, &c. Probatur minor: quoniam datur per orationem enunciatiuam, & non enunciatiuam, quarum prima est, quæ uerum, aut falsum significat; secunda uerò, quæ nec uerum, nec falsum significat: ergo, &c.

Respondetur, huiusmodi argumentum petere difficultatem inferiùs examinandam, an scilicet enunciatio, seu propositio essentialiter definiatur per significare ueritatem, aut falsitatem; nihilominus pro nunc rudi Minerua dicendum est, significare ueritatem, aut falsitatem sumi posse dupliciter, uel ex parte significationis, & repræsentationis obiecti complexi, in quo ueritas, aut falsitas inuenitur, ut dictum est superiori disputatione; & hoc modo essentiale est enunciationi uerum, uel falsum essentialiter significare, cùm essentiale sit conceptum obiectiuum complexum significare. Vel denique accipi potest significare ueritatem, aut falsitatem pro actuali exercitio conformitatis, aut difformitatis; & hoc quidem modo accidit enunciationi, & est passio, ac proprietas illius. In præsenti autem significare ueritatem, aut falsitatem sumitur priori modo; atque ita diuisio est essentialis, cùm detur per essentialem differentiam.

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA,

De Nomine, & Verbo.



Diuisa uoce significatiua ex instituto in simplicem, & complexam, atque his in sua inferiora; modò accedendum est ad explicationem Nominis, & Verbi; tum quia hæc continentur sub primo membro diuidente, nempe sub uoce simplici; tum etiam quia sunt partes

A materiales orationis enunciatiuæ, unde præcedere debent ipsam orationem, de qua, disputatione sequenti. Cùm autem nomen uerbo simplicius sit, utpote solam rem, non uerò rem, & actionem eum tempore sicuti uerbum significans, primo loco de illo, secundo uerò de isto in præsenti disputandum est.

QVÆSTIO I.

An definitio Nominis allata à Philosopho sit bona.

B 

Nominis definitionem traditam ab Aristotele 1. Periher cap. 2. atque superiùs lib 2. cap. 1. Institutionum explicatam, esse alicuius concreti accidentalis, nemo ambigere debet; cùm etiam nomen sit artefactum quoddam ab intellectu, ex uoce tanquam ex materia, & significatione tanquàm ex forma artificiali. Quare non satis rectè arbitrati sunt Niphus, Lemosius, atque alij in hoc 2. cap. nomen definiri per uocem tanquàm per uerum genus; cùm artefacta, atque concreta accidentalia, non per uerum genus, sed per subiectum loco generis probatum sit suprà disput. 3. q. 1. esse definienda.

C Supponendum est etiam, uocem, quæ ponitur loco generis in definitione nominis, non esse utcunque, sed tantùm illam, quam ex Philosopho 2. de Anima. text. 90. definiuit Petrus Hisp. tract. 1. Summ. dum dixit: *Vox est sonus ab ore animalis prolatus, & naturalibus instrumentis formatus*; quæ instrumenta decem enumerantur, unde uersus

Instrumenta decem sunt, guttur, linguà palatum,
Quatuor, & dentes, pariter duo labia, pulmo.

Qua de causa per illam excluduntur soni inarticulati Brutorum, atque etiam soni instrumentorum, qui alio modo satis imperfecto dicuntur uoces. Excluduntur etiam nomina mentalia, & scripta, contra Louanienses hoc in loco, cùm hæc sint nomina tantùm per deriuationem à uocibus, quarum ueluti supplementa sunt ad hoc, ut cum absentibus agere possimus; illa uerò potiùs sint conceptus, & termini mentales, ex quibus propositio mentalis componitur.

D Tertiò tandem supponendum est, Aristotelem in præsenti (quidquid dicant Hurtad. dispnt. 8. §. 12. & Arriaga disp. 13. sect. 3.) nomen definiuisse in toto rigore, inquantùm scilicet deseruire potest propositioni scientificæ; atque ideò à ratione nominis excludit terminum complexum, infinitum, sincategorematicum, & obliquum: huiusmodi autem termini, sicut secundùm quid tantùm, & confusa significatione dicuntur termini, eodem modo adsummùm nomina dici possunt; nec aliud probant præfati Auctores, dum oppositum conantur ostendere.

Omnes Philosophi Aristotelicam illam nominis definitionem admittunt, licèt non eodem modo explicent; unde pro declaratione, quam cum maiori ipsorum parte dare hic intendimus.

Notan-

Notandum est primò, quòd vox in præsenti duobus modis considerari potest: Primo materialiter, prout solùm dicit sonum dearticulatum humanis instrumentis: Secundo formaliter, scilicet prout significatiua est, ex quo habet, quòd sit nomen, aut uerbum. Primo modo considerata, habet se tanquam subiectum eiusdem significationis commune ad nomen & uerbum; sicut lignum commune subiectum est respectu cathedræ, ac portæ, potens suscipere formam artificialem utriusque. Si verò consideretur secundo modo, nempe ut significatiua, uerum genus est ad nomen, & uerbum, ut antecedenti disputatione q. 2. dictum est. Cùm autem tam nomen, quàm uerbum, quædam artefacta, & concreta accidentalia, confecta ab intellectu sint; in præsenti non debent sumi primo modo. Quare cæteræ partes, hoc est *Significatiua ad placitum, &c.* stare debent loco differentiæ.

Notandum 2. nomen compositum, sic ex nominibus integris, aut ex nomine, & uerbo componi, ut ex pluribus ac diuersis significationibus eorum resultet quædam tertia significatio indiuisibilis eiusdem nominis compositi; in quo ualde simile est naturali composito uiuenti ex anima, & corpore facto, non cuicunque, sed heterogeneo, hoc est, partes habenti diuersę rationis, ut brachium, caput, pedes, &c. non enim componitur nomen aliquod ex multis nominibus eandem rem significantibus, vt e. g. ex gladio, & ense: sed ex significantibus res diuersas: quamobrem ex his diuersis significationibus resultat tertia significatio totius, diuersa à partibus; unde sicut anima non informat partes separatas corporis, sed dum separantur à toto, aliam formam consequuntur diuersam; ita forma nominis compositi, quæ est significatio eius, non informat partes separatas, cùm alias habeant significationes sibi proprias, atque diuersas à significatione totius, quam participabant, dum illud componebant. Patet autem hoc manifestè in nomine Respublica, & in nomine Equiferus, quia nec Respublica significat rem quamlibet, ut negocium publicum; sed congregationem ciuium, sub his legibus, aut tali ordine dispositam, quæ diuersum quid est à significatione utriusque partis separatæ: & Equiferus significat, non Equum ferocem, quem significant partes separatæ, sed aliud animal ualdè diuersum, nempe Equum non domesticum, de quo Plinius lib. 8. cap. 15. & lib. 28. cap. 6.

Dicendum est ergo, quòd optima est definitio nominis tradita à Philosopho. Probatur ex regulis bonę definitionis, & præcipuè ex regulis, quibus definiuntur concreta accidentalia, ut locis citatis satis dictum, & explicatum est.

Obiicitur primò in oppositum, quòd nulla materia uerè prædicatur de toto composito, cùm non dicat totum eius esse; sed uox est materia nominis: ergo malè asseritur, quòd nomen sit uox, &c.

Respondetur, quòd licèt materia propriè dicta, quæ est materia ex qua, uel cum qua in naturalibus, non uerificetur de toto composito, quia non dicit totum eius esse; tamen materia in qua, & materia secundùm modum benè uerificatur de eo, cuius est; ut dicendo, album est homo. Vox autem secundo modo pro materia accepta, est materia nominis, & habet similitudinem cum materia rei artificialis in hoc, quòd sicut materia rei artificialis prædicatur in recto de composito, ut patet dicendo, Domus est fundamentum, parietes, & tectum; ita etiam materia secundùm modum, cuiusmodi est uox respectu nominis.

A

Obiicitur secundò, quòd hæ uoces, seu nomina, cæna, prandium, &c. significant cum tempore: nam prima uox significat comestionem in tempore uespertino, secunda, eandem in matutino: ergo malè dicitur in definitione nominis, *sine tempore*.

Respondetur, illa nomina significare quidem rem, & tempus, licèt non supponant pro tempore; non tamen significare exercitium ipsum temporis; sicut significatur dum dicitur, comedo, cæno, &c.

Contra tamen hoc est, quòd nomen Motus saltem significat exercitium temporis, cùm importet fluxum, & fieri: ergo hæc definitio non conuenit omni contento sub definito.

B

Respondetur negando antec. ad cuius probationē dicendum est, quòd motus dupliciter accipitur, uno modo secundùm suum esse reale, uel materiale, quod habet in mobili, & sic non est ens permanens, sed successiuum; alio modo secundùm esse, quod habet in anima, quæ retinet primam partem ipsius motus cum alijs sequentibus, & isto modo est res permanens: Vnde quia modus significandi eius, immediatè sumitur à tali modo intelligendi, quo concipitur ab anima, ideò motus non significat per modum fluxus, licèt significet fluxum; atque ita non significat cum tempore.

Obiicitur tandem tertiò, quòd nomen infinitum potest esse subiectum enunciationis, ut dicendo, non homo currit; & similiter nomen obliquum, ut dicendo, Regis interest: ergo malè excluduntur per illas particulas definitionis *finita*, *& recta*: ergo mala definitio; cùm illa uera sint nomina apud Logicos, quæ possunt esse subiectum enunciationis, seu in enunciatione.

C

Respondetur, quòd nomen illud *non homo* potest dupliciter considerari, uel scilicet ut nomen infinitum est; uel ut uirtute intellectus determinatur ad aliquod subiectum finitum; ut dum capitur pro omni alia parte ab ipso homine: primo modo nunquam potest esse subiectum enunciationis: secundo uerò modo nulla est repugnantia, sed tunc capitur per modum nominis finiti, ut patet. Ad secundam uerò rationem dicendum est, quòd in hac oratione, *Regis interest*, & similibus, nomen obliquum non est subiectum, ut obliquum est, sed in ratione nominis recti, seu casus recti, ut patet resoluendo, Regis interest, hoc est, aliquid est pertinens Regi; sed de hoc statim in sequentibus.

D

QVÆSTIO II.

Vtrùm nomen infinitum sit verè, & propriè nomen apud Logicos.

Ad hoc ut nominis infiniti, de quo modò quæritur, exacta habeatur notitia, sciendum est negationem, quæ in ipso indispensabiliter includitur, duobus modis sumi posse: primò negatiuè, hoc est in tota ui negationis, quo pacto, etiam si in principio

propo-

propositionis ponatur, copulam eiusdem propositionis, ac totam ipsam propositionem negat; ac propterea de ea dictum est esse malignantis naturæ, ita vt quidquid post se inueniat, destruat, & oppositū efficiat. Secundò autem modo infinitanter, hoc est, vt solùm neget significatum ipsius vocis, cui proximè adiungitur, ita vt vis eius vlteriùs non transeat: Quare si adiungatur subiecto propositionis, non transit vis eius ad copulam, nec reddit propositionem negatiuā, quia effectus eius, solùm est negare significatum nominis, cui adiungitur, & ex hoc quasi infinitum illud nomen efficere, quia cætera omnia significat præter rem illam, super quam cadit, idcirco *non homo* significat cætera omnia præter hominem, nihil eorum determinans. Negatio ergo, quæ indispensabiliter in nomine inuenitur infinito, non est intelligenda primo, sed secundo modo; quare prædictum nomen infinitum definiri solet, *quòd sit illud, quod aliqua negatione apposita, reddit suam significationem indeterminatam*.

Omnes Philosophi vnanimiter excludunt à vera, & propria ratione nominis apud Logicos, nomen infinitum; sed differentia inter ipsos est in assignando particulas, ratione quarum à definitione nominis excludatur. Quamobrem prima sententia docet nomen infinitum non excludi à definitione nominis apud Logicos per illam particulam *finita*, cùm omnino superfluam existimet; sed iam esse exclusum per alias particulas definitionis, nempe *Cuius nulla pars separata significat*. Ita Ruu. hic q. 5. in fine, atque alii Recentiores.

Secunda verò sententia è contra docet nomen infinitum solùm excludi à ratione propria nominis apud Logicos per illam particulam necessariò positam in definitione, nempe *finita*. Ita D. Tho. opusc. 48. cap. de nomine. & 1. Periher. lect. 5. quem sequuntur Ioann. à S. Tho. q. 2. de nomine art. 2. & omnes veri Thomistæ.

Notandum est idcirco primò, quòd nomen infinitum, quantùm ad modum significandi, de materiali significat rem illam, quæ negatur, de formali verò cęteras omnes indefinitè; vt non homo, de materiali hominem, de formali verò leonem, bouem, ac cætera omnia indefinitè præter hominem significat. Hinc est ergo, quòd ad infinitatem nominis requiritur, quòd negatio non significetur per se, & formaliter ex ipsa prima impositione, vt arbitratus est Ruuius loco citato; sed quòd nomen afficiendo, significationem eius reddat indeterminatam, idest non significantem quid res sit, sed quid non sit. Vnde non solùm aliquis, reliquus, & similia pronomina non sunt dicenda infinita quia non significant substantiam infinitam, & indeterminatam per interuentum negationis infinitantis, sed tantùm per se, & ex proprio conceptu; verùm etiam nec ista alia nomina, scilicet nullus, nihil, &c. cùm significent ipsam negationem per se directè, & de formali sub determinato suo conceptu, non verò ex adiuncta negatione indeterminante, vt patet.

Notandum secundò, inde sequi, vt nomen infinitum nullo modo queat significare negationem in abstracto, sed tantùm in concreto; nam cùm debeat verificari de aliquo positiuo, nunquam verificaretur, si negationem in abstracto de formali significaret: non enim potest verificari de lapide e. g. ista propositio,

A Lapis est negatio hominis; sed tantùm ista, nempe Lapis est non homo: quare semper erit nomen connotatiuum, cùm de formali significet formam negatam connotando subiectum, de quo verificatur in concreto; non tamen ob talem connotationem dicendum est nomen complexum, cùm non retineat duplex significatum: nomen enim infinitum non relinquit suum significatum in eo statu, in quo erat, sed mutat in oppositū, nempe in negationem sui significati: non enim relinquit significatum positiuum, quod habebat, & negationem adiunctam, sed ipsum in eam permutat: quare in hoc complexo, e. g. *Nullus homo*, non datur infinitatio, quia vtrunque significatum relinquitur, & manet illæsum.

Dicendum est ergo primò, quòd nomen infinitum
B apud Logicos, non est verè, & propriè nomen. Probatur: Quoniam infinitatio tollit proprium, & essentiale officium nominis apud Logicos: ergo, &c. Cons. patet. Antec. autem probatur. Nam officium, & ratio propria nominis apud Logicos est esse notoriū, & designatiuum rei: nomen enim dicitur à notando, quia vnamquanque rem suo nomine notamus, discernimus, & distinguimus: sed nomen infinitum, nec notat, nec designat, nec nominat aliquid: ergo non est nomen, &c. Minor constat, quia nomen, eò ipso quòd infinitatur, reddit significatum suum indeterminatum, & solùm significat quid non sit, non verò quid sit, vt dictum est.

Dicendum est secundò, quòd prædicta nomina infinita excluduntur à vera, & propria ratione nomi-
C nis apud Logicos per illam particulam *finita*, positam in definitione ipsius nominis. Probatur: quoniam absque tali particula non explicatur propriū munus, & modus significandi nominis, scilicet per modum notaminis, seu notantis quid sit res, vt considerando per singulas particulas patet: ergo, &c.

Nec obstat si dicatur, quòd excluditur per illam particulam, *Cuius nulla pars, &c.* quia, ut dictum est, nomen infinitum non habet partes, sed est incomplexum: si enim complexum esset; propositio ex subiecto infinitato esset propositio negatiua, quia illa negatio etiam ferretur in copulam, & non tantùm in subiectum, cùm haberet ibi suam significationem partialem, quæ significatiuè, & formaliter componeret propositionem, & relicta suæ naturæ, totum, quod post se inueniret, destrueret: consequens autem est
D absurdum, vt patet in conuersione propositionis per transpositionem prædicati in subiectum, quæ fit ex negatiua, infinitatis terminis, in affirmatiuam, & ècontra; ut dum dicitur, Omne non animal est non homo, in qua, transmutato prædicato in subiectum, & terminis infinitis in finitos, æquipollet, & conuertitur in istam, Omnis homo est animal, ut dictum est suprà lib. 2. Instit. cap. 9. ergo, &c.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; tum quia uerbum, quod est copula in propositione, verè, ac propriè est verbum; ergo nomen, quod est extremum copulatum, aut copulabile, quodcunque illud sit, uerè, & propriè erit nomen: sicut enim est de ratione verbi, quòd sit copula; ita de ratione nominis, quòd sit extremum copulabile. Tum etiam, quia nomen infinitum, saltem ex parte sui significati formalis, significat aliquid certum, & determinatum: etenim non homo e. g. significat negationem

tionem determinatam, nempe hominis, & non equi; sicut cæcum significat negationem visus, & non auditus: ergo sicut cæcum propter istam rationem est verè, & propriè nomen; ita non homo, & reliqua nomina infinita.

Respondetur, & primò ad primam rationem non currere paritatem, quia ad hoc, vt verbum uerè, & propriè verbum sit, nihil aliud requiritur, nisi quòd significet copulando, seu per modum copulæ: hoc enim est proprium munus, & officium verbi, quòd si id habeat, sufficit. At verò nomen non solum dicit esse extremum copulabile, sed insuper per modum notaminis, seu notantis, quod vtique non habet nomen infinitum, vt dictum est. Ad secundam verò rationem respondetur, quod ad hoc, vt aliquid sit verè nomen apud Logicos, non sufficit, quòd rem certam, & determinatam significet, siue sit de formali, siue de materiali, seu de connotato; sed insuper debet eam significare modo certo, determinato, designatiuo, certificatiuo, & per modum notaminis, quod vtique verificatur de nomine *cæcum*, non autem de nomine *non homo*, *&c.*

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis: Quòd intelligibile, & imaginabile significant aliquid indeterminatum sicut & non homo: dicuntur enim tam de eo, quod est, quàm de eo, quod non est; tam de ente reali, quàm de ente rationis; & tamen sunt verè, & propriè nomina: ergo ex eo, quòd nomen infinitum aliquid indeterminatum significet, non debet a ratione nominis excludi.

Respondetur negando paritatem: Nam non homo significat indeterminato modo, cùm significet quid homo non sit; at uerò intelligibile, & imaginabile, licèt ex parte rei significatæ significent indeterminato modo; tamen ex parte modi significandi significant modo determinato, cùm significent quid res sit, nempe uel intelligibilis, uel imaginabilis.

Obijcitur tandem tertiò in oppositum secundæ conclusionis; quòd nomen infinitum habet partes significatiuas separatim: ergo sufficienter exclusum manet à ratione nominis per illam particulam *Cuius nulla pars, &c.* non uerò excluditur, *per finita*, Anteced. probatur: *non homo* enim constat ex non, & homo: sed ly *non*, non componit nomen infinitum materialiter, sed significatiuè, & secundùm conceptum suum ultimatum: ergo mediante diuerso conceptu ab eo quem infinitat; & consequenter nomen infinitum subordinatur duplici conceptui, & est complexum.

Respondetur negando antec. quia *non homo* non habet partes significatiuas separatim, nisi de materiali, & eo modo, quo habent illa nomina Respublica, Equiferus, &c. Quare sicut prædicta nomina per talem particulam non excluduntur a uera ratione nominis, ita nec nomina infinita. Ad probationem autem prædicti antecedentis dicendum est, ly *non*, & ly *homo* in nomine infinito non componere nisi de materiali; de formali autem, seu quoad significationem, tantùm importare unicum conceptum deriuatum ab illa particula infinitante, nempe non, ut notatum est supra secundo loco.

A

QVÆSTIONIS APPENDIX.

An nomina transcendentia infinitari possint; & an nomen infinitum dicatur vniuocè tam de entibus, quàm de non entibus.

NOnnulla alia remanent dubia circa nominis infinitatem, quæ in explicata quæstione commodè resolui nequibant, nisi in longum quàm par est, protraheretur; quare maioris distinctionis, & claritatis gratia ad ipsam, ueluti complementum, & terminus modò appenduntur.

B Dubitari solet primo loco, an nomina transcendentia, ut Ens, Bonum, Vnum, &c. infinitari possint. Quare pro resolutione istius dubii, distinguenda sunt transcendentia hoc modo, quædam enim sunt uniuersalissima, ut Ens; alia uerò minus uniuersalia, ut passiones eius, nempe Verum, Bonum, & Vnum, quæ minùs uniuersalia dicuntur, quia secundùm rationes formales non se includunt; nec enim Bonum est Verum formaliter, nec Verum est formaliter Vnũ. Transcendens autem uniuersalissimum, ut Ens, rursus potest accipi, uel absolutè ut abstrahit ab ente reali, rationis, substantia, & accidente, uel cum aliqua limitatione, scilicet, vel pro solo ente reali, uel pro solo ente rationis, aut pro sola substantia, aut accidente.

C Certum est ergo, quòd si loquamur de transcendentibus minùs uniuersalibus, infinitari possunt; quia non uerum, aut non bonum adhuc uerificari possunt de entibus, & non entibus; vnde reddunt semper indeterminatam significationem: dicendo enim, non uerum, nescimus, an sit formaliter Bonum, uel formaliter Vnum, uel an sit non ens. Similiter, loquendo de transcendentibus uniuersalissimis cum limitatione, certum est etiam propter eandem rationem infinitari posse; dicendo enim, non substantia, nescimus, an sit accidens reale, uel rationis, aut non ens. Vnde tantùm remanet difficultas de transcendentibus uniuersalissimis, absolutè, & absque limitatione.

De quibus profectò negat Magnus Albertus in commentario huius libri tract. 2. cap. 5. cum Auicenna, quos sequuntur Tolet. & alij cap. præsenti,
D quorum ratio est; quia talia transcendentia non possunt accipere indeterminationẽ ex negatione addita; nam cùm ratione transcendentię uagentur per omnia genera, negatio illis addita potiùs destruit indeterminationem; unde si infinitetur ens absolutè sumptum, solùm de non entibus dici poterit.

At uerò potiùs cum Tatareto 1. Periher. q. 2. dub. 3. Louaniensibus ibidem, ubi Suessa. & Ruu. Sot. lib. 2. summ. cap. 1. Mastrio, & Bellut. p. p. instit. tract. 2. cap. 1. & aliis sentiendum est oppositum; quia cùm enti possit adiungi negatio, ac de non entibus prædicari in propositione affirmatiua, vt quando dicitur, *Chimera est non ens*; ac de entibus quoque negari in propositione negatiua, ut quando dicitur, *homo non est non ens*, necessariò uidetur admittendum, quòd ens aliquo modo infinitari possit, etiam acceptum in omni sua latitudine.

Quare

Quare ad rationem oppositæ sententiæ respondendum est ex dictis, infinitationem scilicet nominis consistere in indeterminatione non rei significatæ, sed modi significandi, quem benè retinent nomina transcendentia vniuersalissima infinitata, vt non ens significat negationem entis, non per modum determinati, hoc est significando quid sit illa negatio entis; sed modo indeterminato, videlicet tantùm significando quid non sit ens, non determinando quid illud sit: nam dicendo, Chimera est non ens, non idcirco determinatur quid chimera sit, de qua negatur ens. Neque est necesse nomen infinitum verificari de entibus, & non entibus, sed id solùm conuenit nomini infinitato particulari, & limitato, de quo Aristoteles, & omnes communiter duntaxat loquuntur.

Secundo tandem loco dubitari solet, an prædictum nomen infinitum particulare, & limitatum, dicatur vniuocè de entibus, & non entibus, vel potiùs analogicè. Apparet enim statim non vniuocè, sed æquiuocè, aut analogicè dici; quia si vniuersis entibus nihil commune vniuocum esse potest, vt dici solet in Metaphysicis; multò minùs entibus, & non entibus; magis enim hæc distant, quàm illa.

Nihilominus meliùs cum Toleto hic, & alijs dicendum est, nomen infinitum particulare, & limitatum, seu non transcendens transcendentia vniuersalissima, vniuocè dici tam de entibus, quàm de non entibus, quia solam significationem per negationem indeterminatam importat: talis autem indeterminatio causata per negationem, æquè dicitur de entibus, & de non entibus, quia tam leoni, quàm hircoceruo conuenit æquè enim dicimus non leonem, & non hircumceruum, cùm nihil in ipsis ponat: ergo vniuocè conuenit vtrique; quibus & si nihil reale possit esse commune, vt probat ratio adducta in contrarium; benè tamen ens rationis; esse enim genus, aut speciem, vt in prædicabilibus dictum est, vniuocè conuenit naturis substantialibus, & accidentalibus, naturis realibus, ac entibus rationis: sed indeterminatio causata per negationem, quam de formali importat nomen infinitum, est ens rationis: ergo nihil prohibet vniuocè de entibus, & non entibus prædicari; & consequenter ipsum nomen infinitum vniuocè prędicatur tam de entibus quàm de non entibus.

QVÆSTIO III.

An casus obliqui, à vera, & propria nominis ratione excludendi sint apud Logicos.

ESTO Philosophus priùs definierit nomen sine illis particulis *finita, & recta*, vt patet in textu; non tamen inde sequitur prædictas particulas non esse de essētiali integritate definitionis ipsius nominis, sed esse veluti addititias, & extraneas, solummodò prædictę definitionis explicatiuas; nam, vt subtiliter obseruat D. Thomas 1. Periherm. lect. 5. Aristoteles ibi incæpit definitionem per magis communia, & posteà terminauit, ampliùs exprimendo quæ requirantur ad rationem nominis simpliciter. Qua de causa, sicut

A in antecedenti quæstione dubitauerunt Philosophi, an per particulam *finita*, an potiùs per priores particulas definitionis, exclusa sint nomina infinita; ita in præsenti iterum dubitant, an per particulam *recta*, an potiùs per alias excludantur à uera ratione nominis casus ipsius obliqui.

Prima sententia fuit Stoicorum, vt refert Ammonius 1. Periher. cap. de Nomine, quos fortasse secutus est Comm. eodem loco; quæ docet casus obliquos esse simpliciter nomina, licèt imperfecta.

Secunda verò sententia est Philosophi eodem loco, & communiter omnium, quæ docet casus obliquos esse omnino excludendos à vera, & propria ratione nominis apud Logicos, per particulam illam *Recta*.

Notandum est idcirco primò, quòd etiam casus B obliquus non potest excludi à vera, & propria ratione nominis per illam particulam *Cuius nulla pars, &c.* quia casus obliquus inquantùm talis, non est complexus, sed sequitur rationem sui recti: si enim rectus est complexus, vel incomplexus, etiam & obliquus: modus autem significandi, vt cuius, vel cui, &c. importatus per casum obliquum, non duplicat conceptum rei significatæ, nec facit complexum, sed tantùm eidem conceptui modum apponit; alioquin etiā nominatiuus esset complexus, quia significat per modum quid, sicut obliquus per modum cuius, &c.

Notandum secundò, quòd licèt casus obliqui, ratione rei conceptæ non habeant diuersum specie conceptum in intellectu ab eo, quem habent casus recti, vt modò dictum est; nihilominùs ratione diuersi modi concipiendi vnam, & eandem rem, habent conceptum C diuersæ rationis, & speciei ab illo: non enim potest vnico, & eodem conceptu repræsentari vna res in recto, & in obliquo, eò quòd in obliquo exprimitur aliquis respectus, & habitudo, quæ non exprimitur in recto, scilicet habitudo possessionis, aut quasi possessionis: significatur enim tanquàm cuius, non tanquàm quid; vbi autem diuersa habitudo, & respectus exprimitur, diuersus conceptus est, & diuersa repræsentatio, quia iste respectus pertinet ad diuersum modum intelligendi, & significandi vnam, & eandē rem. Vnde quamuis ex parte rei significatæ non varietur conceptus, variatur tamen in ratione, & officio nominis, obliquando à modo significandi in quid, ad modum significandi in cuius; &c.

Dicendum est ergo, quòd casus obliqui optimè exD cluduntur à propria ratione nominis apud Logicos per illam particulam *Recta*. Probatur: quoniam casus obliqui non significant directè, & per se nominando, quod indispensabiliter requiritur ad veram rationem, & officium nominis apud Logicos: ergo à tali ratione sunt excludendi. Probatur antec. quoniam tunc significatur aliquid nominando, quando significatur per modum quid: sic enim significatur quasi per se stans, quod distinguit rationem nominis à ratione verbi, quod significat quasi per modum fluentis, non autem per se stantis: sed casus obliqui significant per modum cuius, vel cui: ergo non possunt significare per modum quid est in se, & per se stantis, siue substantiæ, cuius manifestum signum per Philosophum, ac D. Thomam adducitur; quia scilicet casus obliqui non per se solos sufficiunt constituere verum, vel falsum cum verbo *Est*, sicut nominatiuus, siue casus rectus: quod cùm intelligi nequeat per particulas

illas *Cuius nulla pars, &c.* vt notatum est primo loco: ergo per illam aliam, scilicet *Recta*.

Obijcitur primò in oppositum, quòd casus obliqui saltem conueniunt sub ratione communi nominis logici: sunt enim voces significatiuæ ad placitum sine tempore, quarum nulla pars separata significat: ergo simpliciter sunt nomina, licèt ob carentiam vltimæ perfectionis expressæ per particulam illam *Recta*, sint imperfecta.

Respondetur negando antec. si intelligatur de conuenientia propria, & per se: nam obliqui casus non sunt voces significatiuæ ad placitum ex se, sed inquantùm quædam deriuationes sunt à recto descendentes, proptereà præcisè vocantur nomina; quare soli recto conueniet definitio per se, & simpliciter, obliquis autem propter quandam attributionem, atque ideò non simpliciter, sed ad summùm nomina sunt secundùm quid.

Obijcitur secundò, quòd si qua ratione essent excludendi casus obliqui, maximè quia verbo adiuncti non constituunt enunciationem, verum, aut falsum significantem, vt docet Aristoteles: sed hæc ratio in duobus deficit: ergo, &c. Probatur minor: deficit primò, quia falsum assumit; nam dum per obliquos casus sic loquimur: Pænitet me peccasse. Mea interest legere; verum absque dubio aut falsum significamus. Deficit autem secundò, quia licèt verum esset, verbo adiunctos, enunciationem non constituere; minimè tamen id necessarium videtur ad nominis rationem; nam adiectiua, vera sunt nomina; tamen non semper verbo adiuncta, verum, vel falsum significant: nihil enim tale significamus, dicentes, albus est; nisi fortè substantiuè accipiatur, vt album est, aut album currit, &c.

Respondetur negando minorem: ad cuius primam probationem dicendum est, prædictos casus obliquos significare quidem veritatem, aut falsitatem, non simpliciter, & per se, sed tantùm secundùm quid, vt scilicet deriuantur à casibus, & nominibus rectis. Ad secundam verò probationem itidem dicendum est, nomina adiectiua non esse propriè nomina, & ideò verbo adiuncta non semper significare, nisi substantiuè accipiantur; vnde apud Logicos, tantùm sunt nomina secundùm quid.

Obijcitur tandem tertiò ad hominem, nempe in oppositum illius, quod dictum est in fundamentis: quòd intantùm casus obliqui non excluduntur à vera, & propria ratione nominis per illam particulam *Cuius nulla pars separata, &c.* sed per aliam superadditam, nimirum *Recta*, quia saltem ratione rei significatæ non important duplicem conceptum, sed tantùm ex modo significandi ipsam rem: sed hæc ratio assumit falsum: ergo, &c. Minor probatur: nam per istum modum significandi ipsam rem, casus obliqui distinguerentur à recto, ab eoque differrent categorematicè; idest veluti duo termini categorematici, cùm differant penes ipsam rem diuersimodè significatam: sed hoc contrarium est illi, quod dictum est suprà: ergo, &c. Maior patet exemplo nominis, & verbi, quæ ab inuicem differunt categorematicè, cùm significent eandem rem diuersimodè; nomen enim eam significat per modum per se stantis; verbum autem per modum fluxus, vt dictum est. Minor autem probatur: quoniam casus obliqui cùm descendant per deriuationem à casibus rectis, non sunt simpliciter significatiui sicut illi, sed consignificatiui, idest simul cum illis significatiui, vt dictum est ad primum, & secundum argumentum: ergo nequeunt ab inuicem differre categorematicè, nempe ex parte rei diuersimodè significatæ: sed syncategorematicè, idest quia sunt consignificatiui ad modum syncategorematis, vt omnis, aliquis, &c.

Respondetur negando minorem: ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm casus obliqui non sint simpliciter significatiui, sed tantùm consignificatiui, modus significandi illorum non attribuitur, neque conuenit immediatè ipsi rei significatæ per nomen logicum, seu casus rectos, sicut attribuitur, & conuenit immediatè ipsi rei significatæ per nomen, & verbum; sed attribuitur, & conuenit immediatè ipsi nomini, seu casui recto vt nomen est; inquantùm scilicet nomen, quod significabat quid sit, obliquatum per casus obliquos significet, & notet cuius, vel cui sit. Qua de causa iste modus significandi non faciet differre casus obliquos à rectis categorematicè, cùm non sit modus significandi immediatè ipsam rem; sed tantùm syncategorematicè, cùm sit modus consignificandi, seu significandi cum ipso nomine eandem rem.

QVÆSTIO IV.

An verbum consignificet tempus.

PLures particulas continet definitio verbi, quæ modò explicari deberent, sed quia, vel suprà in definitione nominis de illis satis est dictum, vt quòd sit vox significatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta; vel quia occasione huius particulæ, in præsenti declarandæ sunt, vt quòd sit semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota; hinc est, quòd tantùm examinandum videtur super illa particula *Significare cum tempore*, quæ ad differentiam nominis adducitur, in Verbi definitione; quærendo scilicet, an verum sit verbum consignificare tempus; quod etiam fecit Philosophus, dum propter eandem rationem 1. Periher. cap. 3. verbum esse vocem significatiuam ad placitum non expressit.

Pro tituli tamen intelligentia, necessariò recolenda sunt, quæ dicta manent lib. 2. Instit. cap. 1. dum assignata fuit differentia inter significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore, seu consignificare tempus, quod est proprium verbi: quibus etiam addendum videtur, quòd ad hoc, vt de verbo verificetur huiusmodi consignificare tempus, non est necesse, vt verificetur ex parte rei significatæ per verbum, sed tantùm ex modo significandi ipsius verbi: non enim requiritur, quòd talis res sit actio, motus, passio, vel fieri; sed quod per modum motus, aut temporis significetur, hoc est per modum transeuntis, & secundùm habitudinem præsentis, præteriti, vel futuri. Quare verba ista, videlicet *Est, Habeo, Possideo, Quiesco, &c.* licèt ex parte rei significatæ nullum importent fluxum, aut motum; sunt tamen verba apud

Logicos, quia ex modo significandi importantur semper per modum transeuntis, & fluxus, præsentis scilicet ad præteritum, vt de se patet.

Tandem hoc præcipuè aduertendum est, nimirum, quòd consignificare tempus etiam ex parte modi significandi non est in præsenti adaptandum omni verbo, vt sic; sed inquantùm habet rationem copulæ, atque vnionis extremorum in propositione; qua de causa adductæ fuerunt à Philosopho illæ particulæ, *Et est semper nota*, idest copula, seu vnio *eorum, quæ de altero dicuntur*, hoc est prædicati cum subiecto. Vnde iure optimo, loco citato exclusum fuit à ratione verbi participium, quod licèt aliquid sumat à verbo, vnde significet cum tempore, tamen nequit copulare, & vnire prædicta extrema, vt patet in hac propositione, Homo est currens, cùm & ipsum propriè sit extremum. Verba autem adiectiua, vt dum dicitur in propositione, Homo currit; & etiam substantiua de secundo adiacente, vt dum dicitur, homo est, licèt expresè extremorum nota, & copula non appareant, sed potiùs extrema videantur, scilicet prędicata, tamen re vera, saltem implicitè includunt notam, & copulam cum prædicato, vt patet si resoluantur istæ propositiones, nempe Homo currit, in Homo est currens; & Homo est, in Homo est ens, &c.

Philosophi omnes licèt prædictam particulam eodem modo non explicent, tamen communiter recipiunt veluti de essentiali, & intrinseca ratione verbi, ita vt impossibile sit, verbum vniens, & copulans prędicatum cum subiecto, in qualibet propositione non consignificare tempus saltem ex modo significandi, vt dictum est.

Notandum est idcirco primò, quòd verbum non solùm adiectiuum, vt currit; sed etiam substantiuum, siue sit de secundo adiacente, vt homo est, siue de tertio, vt homo est albus, in qualibet propositione habet diuersum conceptum ab extremis, quæ vnit, & copulat, non autem eosdem conceptus, vt arbitrati sunt quidam Recentiores, asserentes verbum in propositione duntaxat explicare conuenientiam suorum extremorum, seu tantùm dicere connexionem non habentem peculiarem, & distinctum conceptum ab extremis: nam verbum substantiuum, de quo præcipuè est difficultas, significat id, quod primùm cadit in intellectu per modum actualitatis absolutè: ly enim *est* simpliciter dictum, significat actu esse, vt patet. Quia verò actualitas, quam principaliter significat verbum *est*, est actualitas omnis formæ, vel substantialis, vel accidentalis; inde est, quòd cùm volumus significare quamcunque formam inesse subiecto, id significamus per verbum est; & sic ex consequenti etiam concedimus significare compositionem, seu conceptum complexum extremorum. Et in hoc sensu tantùm Aristoteles dixit cap. 3. primi Periherm. Verbum *Est* consignificare compositionem, quia non eam principaliter significat, sed ex consequenti, & secundariò.

Notandum secundò, abstrahere, seu absolui à tempore, in præsenti nihil aliud esse, nisi vt verbum ita vniat extrema, quòd non restringat ea, vt stent pro differentia temporis, quam semper importat, vt constat de propositionibus, quas vocant æternæ veritatis, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, vt Homo est animal, &c., in quibus verbum non

A vnit extrema dependenter à tempore, & sic ante omne tempus erat verum dicere, Homo est animal; atque ideò appellantur istæ, & similes propositiones æternę veritatis, non quia positiuam æternitatem, & durationem habeant, sed quia à tempore non dependent, nec fundantur in eo, neque per illud mutantur, si necessariæ sunt. Nihilominùs semper verbum dicitur cum tempore significare, quia per modum actionis, fluxus, seu motus significare debet, etiam in propositionibus æternæ veritatis; nam ea, quæ sunt æterna, & independentia à tempore, per modum temporis intelliguntur à nobis; & sic etiam quando vnio, seu copulatio verbi absoluitur, seu non dependet à tempore ex parte extremorum supra quæ cadit, adhuc intelligitur à nobis ad modum temporis, atque ideò significat cum tempore quantùm ad modum significandi, B licèt absoluatur à tempore quantùm ad vnionem, & habitudinem extremorum.

Dicendum est ergo, quòd de essentia, & quidditate verbi est consignificare tempus, modo tamen suprà explicato. Probatur: nam id, per quod verbum essentialiter, & quidditatiuè distinguitur à nomine, est de essentia, & quidditate ipsius: sed distinguitur essentialiter à nomine per consignificare tempus, modo tamen superiùs explicato: ergo &c. Consequentia benè deducitur. Maior patet exemplo rationalitatis, per quam homo distinguitur essentialiter ab equo. Minor verò probatur ex notatis secũdo loco superiùs disput. 22. quæst. 2. Quoniam verbum in hoc distinguitur essentialiter à nomine, quia significat per modum operationis, fluxus, & motus; nomen verò per C modum formæ permanentis, & per se stantis: sed non potest verbum significare per modum operationis, motus, & fluxus, nisi consignificet tempus, cùm ex Philosopho 4. Phys. Tempus sit mensura, & numerus motus, &c. ergo distinguitur essentialiter à nomine per consignificare tempus, non quidem ex parte rei significatæ, sed ex modo significandi, vt suprà explicatum est.

Obiicitur primò in oppositum, quòd *Creare* est quidem verbum apud Logicos, & tamen non significat cum tempore, quia non significat fluxum, & fieri, sed actionem instantaneam, quæ consistit in indiuisibili: ergo malè assignatur prædicta particula *cum tempore*.

Respondetur, quòd *Creare* non significat quidem D ex parte rei significatæ fluxum realem, qui mensuretur tempore, propter rationem adductam in argumento: sed significat per modum fluxus, & fieri, atque ideò significat sub modo temporis, quod sufficit, ut dictum est.

Obiicitur secundò, quòd prædicta particula, scilicet *consignificare tempus*, non videtur conuenire omni verbo: ergo non bene fuit apposita ab Aristotele. Probatur antec. Quia si verbum consignificat tempus, maximè quia significat actionem, cui conuenit mensurari tempore: sed non omne verbum significat actionem; vt patet de verbo substantiuo *Est*: ergo, &c.

Respondetur distinguendo minorem; quia quædã sunt verba, quæ significant verã actionem, quę- dã verò, quæ significant aliquid per modum actionis, vt substantiua, nempe existentiam rei: ly enim *Est*, simpliciter significat actu esse, seu existere, vt dictum est

suprà notando primo; & cùm existentia significata A per modum actionis, significetur ex consequenti per modum eius, quod mensuratur tempore; etiam verba substantiua dicuntur consignificare tempus.

Obijcitur tandem tertiò ad hominem in oppositum illius, quod dictum est notando secundo de abstractione à tempore, probando nullum verbum, etiam ex parte rei significatæ, vel potiùs rei vnitæ, seu vnionis consecutæ in extremis, posse abstrahere à tempore: nam si verbum, quantùm ad rem significatam abstraheret à tempore, omnes propositiones affirmatiuę erunt falsæ, quoniam omnes erunt de subiecto non supponente: ergo, &c. Consequentia bene deducitur. Antec. autem probatur: nam suppositio debet verificari per ordinem ad copulam in propositione, vt si dicatur, *homo est animal*, debet verificari de homine, B dicendo homo, homo est, seu existit: sed si verbum abstrahat à tempore, non potest verificari, quòd homo, homo sit, seu existat, vt patet antequàm homo crearetur: ergo prædicta propositio affirmatiua erit de subiecto non supponente, & consequenter falsa, & sic de cæteris propositionibus affirmatiuis valebit dicere.

Respondetur ex dictis 1. lib. Instit. log. cap. 4. & 5. negando sequelam, si tamen sermo sit de propositionibus affirmatiuis in materia naturali; ad cuius probationem neganda est etiam maior: quoniam, ut ibidem dictum est, suppositio terminorum propositionum in materia naturali, est suppositio formalis, non utcunque, sed formalis naturalis, quæ est positio termini pro omnibus suis significatis, tam exi- C stentibus, quam non existentibus, & consequenter à tempore independentibus. Vnde illa propositio, & similes, cùm sit in materia naturali, non debet verificari per ordinem ad copulam, seu existentiam hominis, vt probat argumentum.

QVÆSTIO V.

An verbum sit vera pars propositionis.

Dictum est in principio disputationis, tam nomen, quàm verbum esse partes materiales orationis D enunciatiuæ, seu propositionis: sed cùm difficultates, quæ circa hoc fieri possunt, tantum habeant vim contra rationem verbi, ideò, relicto quæsito, ac ibi remisso, vbi de nomine disputatum est, tantùm de verbo videtur in præsenti esse differendum.

Prima opinio circa hoc fuit Magistri Soti in prima editione Summularum, & aliorum dicentium, verbum nullo modo esse partem propositionis, quod de verbo saltem substantiuo idem astruunt Villalpandus, Suessanus cap. 3. 1. Periherm. atque alij.

Secunda verò opinio affirmat verbum esse partem propositionis non tantùm quasi materialem ratione rei significatæ, aut modi significandi; verùm etiam esse partem formalem per proprium officium verbi, quod est vnire extrema. Ita Porph. Ammon. Boet. Albertus Magn. D. Tho. Tolet. Ruu. & alij cap. 3. citato.

Notandum est idcirco primò, Verbum in propositione duo importare, vnum quasi de materiali, alterum verò de formali; primum est rem aliquam significare cum tempore; nempe actionem, vel aliquid per modum actionis, vt multoties dictum est, quod habet non solùm in propositione, verùm etiam extra illam, vt apertè docuit Philosophus in fine citati capitis tertij. Secundum verò, quòd sit nota eorum, quæ de altero prædicantur; idest, quòd non sit aliud, quàm signum compositionis prædicati cum subiecto; ita enim consignificat actionem cum tempore, vt eam applicet subiecto. Quare hoc secundum est quasi propria, & vltima differentia verbi, per quam constituitur in ratione formali, & essentiali verbi; quod non euenit quoad exercitium, nisi in propositione, licèt aptum semper sit exercere talem actum; e. g. in hac propositione *Homo currit*, sic actionem currendi significat cum tempore, vt eam applicet homini: & cùm hæc applicatio sit formalis compositio prædicati cum subiecto; verum est, quòd verbum continet, atque significat formalem compositionem prædicati cum subiecto. Itaque Cursus, in eadem propositione est qui componitur cum homine, & prædicatur de illo; sed verbum Curro, est quod illud cum homine componit, quod de homine prædicat. Cursus etiam est prædicatum *quod*, sed verbum Curro, est quasi prædicatum *quo*, cùm sit ratio, & quasi forma enunciandi. Et tandem Cursus est quasi materiale prædicatum, verbum autem Curro quasi formale in propositione.

Notandum secundò duobus modis contingere verbum applicare subiecto rem à se significatam: vno modo, nudam quidem, aut solam, dum propositio non habet aliud prædicatum præter verbum, quod patet in propositionibus de secundo adiacente, idest quandò prædicatum adiacet subiecto secundo loco, vt Homo currit, in quibus solam actionem significatam verbum componit cum subiecto, vel eam de illo prędicat. Altero verò modo, non nudam aut solam, sed coniunctam alteri prædicato, & modificatam per illud, vt in propositionibus de tertio adiacente, scilicet in quibus prædicatum, tertio loco adiacet subiecto, vt Homo est albus; in quibus non solùm esse, quod significatur, per verbum enunciatur, sed coniunctum cum albedine; & ita sensus eiusdem propositionis est, Homo est ens affectum albedine. Primo igitur modo significatum verbi est totale prædicatum in propositione, secundo verò modo, quasi partiale, cùm coniungatur cum alio prædicato; sed vtroque modo est prædicatum materiale; verbum tamen semper formale; quia semper significat, & facit compositionem prædicati cum subiecto.

Dicendum est ergo primò, quòd verbum ratione rei à se significatæ est prædicatum propositionis materiale, & vt *quod*; & consequenter vera pars materialis illius.

Probatur: quoniam verbum significat actionem, vel aliquid per modum actionis; sed hoc est quod prędicatur de subiecto, nudum quidem in propositionibus de secundo adiacente, vel coniunctum cum alio prædicato, vt in propositionibus de tertio adiacente: ergo verbum per rem à se significatam semper est prędicatum totale, vel partiale propositionis, & proinde semper est pars materialis illius, vt patet ex fundamentis.

Dicen-

Dicendum est secundò, quòd verbum, vt verbum, A idest inquantùm vnit extrema in propositione, est semper prædicatum formale illius; & consequenter pars formalis eiusdem, & vt *quo*.

Probatur: nam propositio formaliter est compositio prædicati cum subiecto; sed verbum est signum formale huius compositionis, eam faciens: ergo est ratio formalis eius, atque ideò formalis pars: sicut anima est pars formalis viuetis, quod componit, tribuens ei esse tanquàm vera eius forma. Verbum autem vnit cum subiecto rem à se significatam, & simul est signũ formale efficiens eandem vnionem; atque ideò est quasi forma tribuens propositioni vitam, ea similitudine, qua anima tribuit corpori esse, & viuere per informationem.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, B quòd prædicatum est id, quod actuat, & determinat subiectum in propositione: ergo nequit esse pars materialis illius; cùm actuare, & determinare sit proprium formæ.

Respondetur, quòd prædicatum comparatione subiecti, se habet quidem tanquàm forma, quia illud actuat. & determinat, vt dicit argumentum: sed in ordine ad totam propositionem, tam subiectum, quàm prædicatum sunt partes materiales; & forma totius propositionis, atque earundem partium materialium est verbum.

Obijcitur secundò in oppositum vtriusque conclusionis, quòd in compositione domus, ligna, & lapides concurrunt tanquàm partes; claui verò quibus vniũtur ligna, & ligamentum quo vniuntur lapides, non sunt partes, sed partium nexus: sed ita se habet ver- C bum in propositione, cùm sit copula per quam vniuntur partes: ergo non est pars propositionis.

Respondetur, esse falsum, quòd verbum ita se habeat in propositione, sicut se habet ligamentum partium domus: non enim vnit prædicatum, & subiectũ materialiter, sed per modum totius compositionis, ut dictum est.

Obijcitur tandem tertiò, similiter in oppositum vtriusque conclusionis, quòd ex eisdem partibus componitur res quælibet, in quas resoluitur: sed propositio tantùm resoluitur in extrema, quæ sunt subiectum, & prædicatum: ergo tantùm componitur ex subiecto, & prædicato tanquàm ex partibus; quare uerbum non erit pars, cùm nec sit subiectum, nec prædicatum. Minor probatur ex Aristotele lib. 1. D Prior. cap. 1. dum definiuit terminum, dicens Esse extremum propositionis, in quod propositio resoluitur tanquàm in subiectum, & prædicatum.

Respondetur negando minorem; nam propositio non resoluitur in subiectum, & prædicatum tanquàm in partes utcunque, sed tanquàm in partes extremas, quas idcirco vocat Aristoteles terminos eius; quia terminus non quamlibet partem rei significat, sed extremam; & aliquando non partem, sed indiuisibile extremum, quod non est uera pars, ut liquet in termino lineæ. Verbum igitur uera pars formalis propositionis est, licèt non sit pars extrema; quod tamen duntaxat intelligendum est in ratione formali uerbi; nam per rem à se significatam, quam applicat subiecto, ac de ipso prædicat, etiam est extrema pars propositionis, cùm sit illius prædicatum.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm verbum intra propositionem infinitari possit.

CVM verba infinita, ut non currit, &c. ob eandē rationem excludantur à definitione uerbi allata à Philosopho, ac nomina infinita; videlicet quia nullam habent determinatam significationem, necessariò requisitam apud Logicos pro indaganda ueritate, aut falsitate: meritò dubitatur in præsenti, an sicut nomina tam extra, quàm intra propositionem, in qua tantùm ueritas, aut falsitas formalis elucet, ut dictum est suprà, infinitari possunt; ita & uerba eodem modo infinitatem habere queant.

Idcirco præsens quæstio unum supponit, & aliud quærit: supponit enim extra propositionem uerè dari uerbum infinitum; nam rem aliquam, aut actionem significat, quæ de ipso negari potest; ac negata, indefinitum, & indeterminatum manet, ita ut tam de entibus, quàm de non entibus dici possit. Quærit autem, an dum in propositione officium uerbi exercet possit esse infinitum.

Sensus tamen difficultatis non procedit de uerbo, quando tenetur in ui nominis: sic enim manifestum est, quòd potest infinitari etiam intra propositionem, sicut alia nomina; ut cùm dicitur, Currere est non quiescere; sed procedit de ipso uerbo, quando actualiter exercet rationem uerbi, seu copulæ, ut cùm dicitur, Homo non currit. Quare sensus est, an sicut negatio addita uerbo extra propositionem afficit tantùm significatum eius, nempe actionem per ipsum significatam, ita intra propositionem eodem modo tantùm afficiat talem significationem, non afficiendo copulam, cuius officio ibi fungitur; atque ideò tantùm sit negatio infinitans, non negans.

Radix autem istius difficultatis est, quia dictum est suprà, uerbum duo importare, & significationem per modum actionis, siue fluxus; & unionem prædicati cum subiecto, seu rationem copulæ. Qua de causa dubitare quis potest, an in propositione, negatio illi addita, tantùm afficiat actionem per ipsum uerbum significatam, non afficiendo vnionem, & consequenter reddat illud infinitum; an potiùs ita afficiat significatum, seu actionē per ipsum significatam, ut etiam transfundatur in unionem, & rationem copulæ, quam importat, & consequenter reddat propositionem negatiuam.

Prima sententia est Neotericorum ferè omnium docentium negationem appositam significato uerbi, ita leniter, ac subtiliter illud afficere, ut non transeat ad unionem; & consequenter eodem modo uerbum posse infinitari ex parte sui significati, tam extra, quàm intra propositionem. Ita Tolet. 1. Periher. cap. 3. & Ruu. ibidem q. 3. etiam logicæ Mexicanæ, qui pro se quoque citant D. Tho. locis infra nominandis, sed immeritò quidem, ut consideranti patere potest. Conimb. ibidem cap. 4. q. 2. art. 4. Masttius, & Bellut. p. p. Instit. logic. tract. 2. cap. 1. §. *Deinde additur finita, &c.* qui pro se citant Scot. 2. Periher. q. 1. & Tatare-

Tataretum ibidem cap. 1. q. 2. §. *Dubitatur primò, &c.* licèt inter hos Scotistas, & contrariam sententiam statim apponendam, Quæsitum non parùm habeat de nomine.

Secunda uerò sententia est ferè omnium antiquorum, atque nonnullorum ex modernis, docentium negationem appositam significato uerbi, ita illud afficere, ut transeat etiam in copulationem, atque ideò non se habere infinitanter, sed neganter reddereque uerba (saltem in propositione) negatiua; minimè uerò infinita. Ita B. Albertus Magnus tract. de nomine cap. 5. & tract. de uerbo cap. 2. Aphrodiseus, & Boet. 1. Periherm. cap. 3. D. Tho. 2. Periherm. lect. 2. & alibi. Ioann. à S. Tho. 1. Periherm. q. 2. art. 2. Hurtad. lib. Summul. disput. 3. sect. 2. §. 12. Casilius lib. 2. cap. 2. & alij.

Notandum est idcirco pro resolutione, duas illas rationes, quarum primam importat uerbum de formali in propositione, seu ut formam ipsius propositionis, non distingui à secundà, quam de materiali significat in ratione excludentis, & exclusi, sed tantùm per modum includentis, & inclusi. Ratio est; nam cùm verbum ex supradictis disput. 22. q. 2. ad 2. sit concretum quoddam accidentale ex significatione, & uoce; licèt significatio respectu propositionis sit materia, attamen respectu uerbi est forma, & abstractum sui concreti: concreta namque distinguuntur ab abstractis in ratione includentis, & inclusi, ut dictum est suprà disput. 2. q. 4. in probatione conclusionis. Ex quo autem fit, quòd sicut impossibile est, aliquid affirmari, aut negari de forma, & de abstracto, quod non affirmetur, aut negetur de suo concreto, ut considerանti patere poterit; ita etiam repugnat aliquid affirmari, aut negari de significatione uerbi, quod non affirmetur, aut negetur de ipso uerbo, ut est forma propositionis, seu ut connectit prædicatum cum subiecto; cùm uerbum simul sit prædicatum *quod*, & *quo* in propositione, idest simul significet actionem, & eam applicet subiecto, ut dictum est suprà q. 5. huius disput. notando primo.

Dicendum est ergo, quòd uerbum in propositione infinitari nequit. Probatur primò ex Aristotele in principio 2. Periherm. dum dixit, omnem enunciationem constare ex nomine, & uerbo; aut nomine infinito, & uerbo, nulla facta mentione uerbi infiniti: ergo signum est ex Aristotele, uerbum in propositione infinitari non posse.

Respondent Conimb. loco suprà citato, dictum Philosophi, hunc habere sensum, uidelicet omnis enunciatio constat nomine, & uerbo; uel nomine infinito, & uerbo scilicet infinito: nec enim opus fuit repetere *infinitum* in uerbo, cùm id facilè intelligeretur.

Contra tamen est, quòd Aristoteles ibidem, se explicando exemplis, adduxit non uerba infinita, quemadmodùm fecerat quando loquebatur de uerbo extra propositionem; sed tantùm nomina infinita, dicendo, Non est non homo: est omnis non homo, &c. ergo pro uerbo, non est intelligendum ibi uerbum infinitum, aliter dictis non responderent exempla.

Probatur secundò ratione: quoniam uerbum fit infinitum sicut nomen, nempe per negationem non neganter, sed infinitanter sumptam, itaut uis eius

A ulteriùs non transeat, sed nomen, aut uerbum, cui adiungitur, solùm neget: sed repugnat negationem adiungi uerbo in propositione, nisi neganter sumptā: ergo repugnat uerbum infinitari in propositione. Maior patet. Minor uerò probatur: quia repugnat negationem adiungi uerbo in propositione, quin propositio negetur: sed non potest esse propositio negatiua, nisi negatio addita uerbo sumatur neganter, ut per se est manifestum; ergo repugnat sumi infinitanter additam uerbo in propositione; & ex consequenti repugnat, uerbum infinitari.

Respondet Ruu. loco citato, negando minorem; ad cuius probationem dicit, quòd negatio potest solùm negare significatum uerbi, non negata eiusdem unione cum subiecto, ut contingit extra propositio-
B nem, quia distincta est utraque ratio in uerbo; atque ideò potest negatio cadere sub una, & non sub alia in ipso uerbo.

Contra tamen manifestè est id, quod suprà notatum est, ad quod remittendum uidetur, ne frustra eadem repetantur.

Obiicitur primò in oppositum quòd Aristoteles cap. 3. primi Periherm. dicit de verbo infinito; scilicet *Non valet autem, & non laborat non verbum dico: consignificat enim tempus, & semper de aliquo est*: quasi dicat, semper de aliquo prædicatur: sed non potest prædicari nisi in propositione: ergo ex Aristotele verbum in propositione infinitari potest. Item ex eodem Philosopho 1. Post. cap. 10. dicente, ac constituente huiusmodi demonstrationem in prima figura, nimirum, Stellæ non micantes sunt prope nos: pla-
C netæ non micant: ergo planetæ sunt prope nos; quæ demonstratio erit quidem vitiosus syllogismus, si negatio in minori sumatur neganter; nam tunc constituet propositionem negatiuam; minore autem negatiua viua, & existente, vitiosus erit syllogismus in prima figura: ergo necesse est infinitanter accipi ab Aristotele; itaut sensus sit, Planetæ sunt non micantes, atque ita efficiet verbum infinitum in propositione.

Respondetur, & primò ad primum locum Philosophi, verbum infinitum de aliquo dici, & prædicari, non applicando, & vniendo; sed indeterminando, & remouendo; & consequenter intra propositionem non vnit positiuè, sed remotiuè, ac neganter: quare dum vnitur subiecto, remouet, & negat de eo prædicatum, propositionemque infinitat, vt dictum est.
D Ad secundum verò locum dicendum est, Philosophum illic parùm curasse de forma syllogistica, cùm sufficerit illi tantùm probauisse demonstrationem *Quia*, & à posteriori demonstrare passionem conuenire subiecto, non ostendendo propter quid conueniat. Si quis tamen prædictam demonstrationem ad formam reducere voluerit, hoc modo erit disponenda: Omne non micans est prope nos: planetæ sunt non micantes: ergo sunt propè nos; vbi in vtraque præmissa *non micare* sumitur quidem infinitanter, sed non in ratione verbi, sed in ratione participij, & nominis, vt manifestum est.

Obijcitur secundò, quòd dato huiusmodi antecedente, nempe *Petrus habet non currere* infinitanter sumpto, saltem in ratione nominis, hæc consequentia uera est, ergo *Petrus non currit*: sed si negatio in tali consequentia sumatur neganter, & non infinitanter, est mala: ergo debet sumi infinitanter. Maior de se patet.

patet. Minor verò probatur: tum quia argueretur à non distributo, cùm antecedens indefinitè se habeat, ad distributum, cùm consequentia neganter sumpta sit determinata. Tum etiam quia, detur casus vt Petrus currat, & disputet; tunc enim antecedens illud est verum, scilicet habere non currere, idest disputare; consequens autem, nempe *ergo non currit*, si sumatur neganter, erit falsum; quia contradictoria eius est vera, nempe Petrus currit: ergo consequentia illa, ad hoc vt sit bona, debet sumi infinitanter.

Respondetur, quòd ad hoc, vt consequentia illa sit bona, non est necesse quòd sumatur infinitanter; sed sufficit, quòd eius antecedens sumatur neganter: quòd si sumatur illud antecedens infinitanter, vt supponit argumentum, saltem in ratione nominis, mala vtique esset consequentia propter rationes adductas; sed tamen non inde sequitur, quòd talis consequentia debeat sumi infinitanter in ratione verbi, cùm optimè possit habere suam bonitatem ex antecedente negatiuo, absque eo, quòd recurratur ad infinitationem, quam in verbo copulante simpliciter negamus, sed adsummùm sequetur, quòd talis consequentia debeat sumi infinitanter in ratione nominis prout facit hunc sensum: *ergo Petrus est non currens*, hoc est in ratione participij, quod nihil facit contra ea, quæ dicta sunt, Præterquàm quòd, haud facilè intelligi potest, quomodò, Petro currente, conuenire possit huiusmodi prædicatum etiam infinitanter sumptum, nempe *habet non currere*; præcipuè cùm negatio infinitans neget determinatam formam, & astruat tantùm indeterminatam.

Obijcitur tandem tertiò ex Ruuio loco citato, quòd verbum extra propositionem est infinitum: ergo negatio ei adiuncta non accipitur neganter, sed Infinitanter: vel ergo negat totum quod habet verbum, nempe significatum eius, & officium copulæ, vel solùm significatum: si dicatur primum, sequitur posse esse infinitum in propositione, licèt totum quod habet negetur, cùm maneat eodem modo: quod etiam sequitur, si dicatur secundum; quia si solùm negetur significatum eius, non efficiet propositionem negatiuam, sed affirmatiuam de prædicato infinito.

Respondetur concedendo antecedens, & primam consequentiam. Ad secundam verò consequentiam dicendum est, argumentum supponere falsum: supponit enim verbum extra propositionem importare actualem connexionem prædicati cum subiecto, seu habere rationem copulæ, quod est falsum. Quare cùm verbum habeat hoc tantùm in propositione, & hoc includat significationem: bene sequitur quòd negatio illi adiuncta non infinitet, sed negatiuam reddat propositionem propter rationem superiùs adductam.

DISPVT. VIGESIMAQVARTA.

De Enunciatione, siue Propositione.

A 

ÆC est principalis disputatio huius instituti, in cuius gratiam, non tantùm præcedentes agitatæ, verùm etiam sequentes agitandæ sunt: at, quia Oratio, genus Enunciationis est (oratio enim enunciatiua, & non enunciatiua, species sunt orationis vt sic, ex dictis superiùs disput. 22. q. 3.) priùs quidditatem, & essentiam orationis in genere, deinde ipsius enunciationis explicare debemus. Enunciatio autem, siue oratio enunciatiua, nomine incomplexo, etiam appellari solet propositio; vnde in titulo indifferenter dictum est de enunciatione, siue de propositione: nam licèt propositio formalissimè sumpta, addat supra enunciationem quòd
B proponatur, vt ex Aristotele 1. Post. lect. 5. & alibi obseruat D. Tho. nihilominùs sic obtinuit usus etiam inter sapientes, vt pro eodem sumantur enunciatio, & propositio, vt constat in disputationibus communibus, in quibus magis vtimur nomine propositionis, quàm enunciationis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm definitio Orationis sit bene tradita à Philosopho.

C 

Vppositis paucis illis, quæ rudi Mineruæ 2. lib. Instit. cap. 2. dicta sunt; ad vberiorem explicationem definitionis Orationis ibi traditæ, hæc insuper videtur addenda, nimirum quòd licèt Oratio in ratione vocis significatiuæ ad placitũ conueniat cum nomine, & verbo, vt ibidem affirmatum est; nihilominus in hoc non parum discriminantur; videlicet, quòd nomen, & verbum significant ad placitum ex impositione sui; & Oratio, ratione suarum partium: nullus enim imposuit totam istam orationem, scilicet Homo est animal, ad significandum; sed partes orationis præcisè sunt impositæ ad significandum ratione sui.

D Deinde supponendum est, Aristotelem 1. Periherm. cap. 4. in calce definitionis orationis dixisse, quòd partes orationis separatæ significant vt dictio, non verò vt affirmatio, aut negatio, quod præmeditato studio, loco citato secundi Instit. relictum est; nam cùm ibidem opportuna non esset occasio statuendi, an oratio composita cuius partes separatæ significant, vt affirmationes, aut negationes, contineatur sub hac definitione, vel non; prædictæ particulæ, earumque explicatio, remissæ sunt ad præsentem quæstionem; vbi Doctores ex professo disputant, an allata definitio sit bona, conueniatque soli, & omni orationi.

Prima itaque sententia, allatam definitionem non recipit; at ipsius Patroni diuersa incedunt via: aliqui enim, quos sine nomine citat Io. à S. Tho. q. 4. de oratione, & modo sciendi, asserunt talem definitionem conuenire aliis à definito, nempe termino complexo. Alii verò docent, prædictam definitionem con-

conuenire tantùm orationi simplici, & perfectæ modi indicatiui. Ita de oratione simplici sentiunt Porphyr. & Aspasius in hoc cap. 4. & de oratione perfecta modi indicatiui B. Albert. Magn. 1. lib. de Interpret. tract. de oratione cap. 1. & Philoponus cap. 4.

Secunda verò sententia est ferè omnium Philosophorum recipientium prædictam orationis definitionem: quia verò non omnino ipsam, eodem explicant modo:

Notandum est idcirco primò, quòd illa particula posita in definitione orationis, nimirum *Cuius partes significant separata*, non potest meliùs explicari, quàm dicendo, quòd oratio subordinatur conceptui composito, vt ex D. Tho. colligitur 1. Periherm. lect. 6. ita quòd etiam intra ipsam orationem habeantur partes eandem componentes, quæ distinctis, & separatis conceptibus correspondeant, vt componentibus vnū totum: Ratione quidem istius primi, nempe quòd partes ipsam componentes correspondeant diuersis conceptibus: dictiones compositę figurę, vt respublica, signifer, &c. non sunt orationes, quia non respondent duplici conceptui, sed vni, licèt voces separatæ ab ipso nomine diuersa significent. Ratione verò secundi, nempe quòd partes ipsum componentes componant vnum totum, distinguitur oratio à termino complexo, quia terminus complexus habet etiam partes significantes, & plures conceptus, sed per modum partis vlteriùs componentis, non verò per modum totius compositi, vt clariùs infrà ad argumenta, dicetur.

Notandum secundò, quòd vltima particula, nempe *vt dictio non vt affirmatio, &c.* quæ huic loco industriè remissa fuit explicanda, ponitur ad denotandum, quòd partes orationis ad minùs esse debeant significatiuæ vt dictio, & non requiritur necessariò, quòd sint affirmatio, aut negatio; itaque Aristoteles non intendit negare, quòd interdum aliquæ partes orationis significent vt affirmatio, aut negatio: nam oratio composita, seu hypothetica habet partes, quæ constant ex affirmatione, & negatione; sed necessarium est, quòd aliquæ eius partes sint dictiones; nam etiam ipsamet affirmatio, & negatio, exquibus constat oratio composita, resoluitur in partes significatiuas per modum simplicis termini, vt de ista patet, videlicet *Petrus currit, & Paulus disputat*. Et consultò id fecit Aristoteles, quia cùm hic intendat definire orationem in communi, debuit in definitione eius ponere id, quod omni orationi commune est, & hoc est habere partes, quæ sint dictiones, nam habere partes, quæ se habeant vt affirmatio, vel negatio, competit tantùm orationi compositæ, seu hypotheticæ, vt patet; non autem simplici.

Dicendum est ergo, quòd definitio Orationis tradita à Philosopho est optima. Probatur: nam loco generis ponitur *Vox*, per quam definitur oratio tanquàm per subiectum, sicut cætera accidentia in concreto vt sæpissime dictum est. Per secundam particulā excluduntur à definitione voces nihil significantes; ac per tertiam subintelligendam, nempe *ad placitum*, excluduntur voces significantes naturaliter, quam nō expressit Aristoteles, quia satis expressa, atque explicata fuerat cap. de nomine. Per particulas verò sequentes, excluduntur nomen, & verbum, quorum partes separatæ, vel nihil significant, vel nón significant iuxta significationem totius; cùm tamen partes orationis, quæ sunt diuersa nomina, aut nomen, & verbum, separatæ significent, vt patet de partibus huius orationis *homo albus, &c.* Addit tandem Aristoteles, partes illius non significare vt affirmationes, vel negationes, sed vt dictiones, quia quælibet pars orationis separata nihil continet de esse, aut non esse, nisi ipsi adiungatur verbum.

Obiicitur primò in oppositum, quòd terminus complexus, vt homo albus, habet partes significatiuas vt dictio, non verò vt affirmatio, aut negatio: ergo conuenit illi tota definitio orationis, & consequenter non est bona, cùm alijs conueniat. Antec. patet ex definitione termini complexi, qui ex dictis 1. lib. Instit. log. cap. 2. nil aliud est, quàm id, cuius partes per se significatiuæ sunt.

Respondetur, terminum complexum, quatenus terminus est (vt enim oratio quædam imperfecta est, aliter dicendum est) propriè, & formaliter non habere partes, sed tantùm materialiter, qua de causa nequit illi conuenire definitio orationis, cuius est habere partes formaliter: pars enim formalis, de qua est sermo, illa est, quæ componit sub formalitate partis; formalitas autem partis est per ordinem ad totum, quod respicit, & quod componit sistendo in ipso, itaut ad aliud vlteriùs non ordinetur, vt caput e. g. respectu totius animalis. Cùm igitur partes termini complexi ita componant ipsum terminum, vt non sistant in ipso, sed vltra ordinentur ad componendum aliud totum, nempe orationem; erunt tantùm partes materiales, hoc est non ordinatæ ad componendum immediatè aliquod totum, sed solùm ad componendas partes formales, & principaliores alicuius totius; vt caro, & nerui respectu animalis, quæ immediatè non ipsum animal, sed caput, vel brachium, ex quibus tanquam ex partibus formalibus, & principalioribus constat, componunt.

Contra: ergo terminus complexus, saltem vt oratio imperfecta quædam est, potest habere partes formaliter: sed oratio imperfecta etiam pars quædam est: ergo si oratio imperfecta habet partes formaliter, etiam terminus complexus, eas habere poterit, cùm non sit minùs pars oratio imperfecta respectu perfectioris, quàm terminus complexus respectu orationis. Cons. patet; nam si ratio partis non obstat, quin oratio imperfecta habeat partes formaliter; quare obstare debet, vt terminus complexus, qui etiam pars est orationis perfectæ, non habeat prædictas partes formaliter.

Respondetur concedendo primam consequentiam. Ad minorem verò subsumptam dicendum est, orationem imperfectam, licèt sit totum imperfectum, & inchoatum in genere oratinis, tamen respectu totius imperfecti, ad quod ordinatur, ita non amittere rationem totius imperfecti, & inchoati, vt omnino induat rationem partis vt contingit in termino complexo, vt terminus est, qui in genere orationis, nunquam habet rationem totius, etiam imperfecti, & inchoati; sed tantùm rationem partis, cùm nunquam sit oratio, sed pars orationis, vt de se patet. Quare oratio imperfecta vt sic, adsummùm potest esse pars largo modo, idest prout totum quoddam imperfectū est, quod respectu totius perfecti, aliquo modo potest

test appellari pars, non autem rigorosè.

Objicitur secundò, quòd talis definitio non conuenit orationi imperfectæ; cùm oratio imperfecta, vt homo albus, saltem materialiter, & entitatiuè sit sub genere termini; cùm terminus, alius incomplexus, alius complexus sit, sub quo continetur oratio imperfecta, vt patet: ergo non potest esse sub genere orationis; & consequenter talis definitio non est bona. Prima consequentia probatur, quia repugnat, vt idem sit sub diuersis generibus, non subalternatim positis.

Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm secundæ intentiones constitutiuæ termini, & orationis sint quædam accidentia rationis, quæ ab intellectu accidentaliter conueniunt vocibus, hoc est termino, & orationi non formaliter, sed materialiter, & entitatiuè sumptis; accidentaliter quoque ipsas ponunt sub genere termini, & sub genere orationis; non autem essentialiter, & quidditatiuè cùm hoc modo tantùm ponantur sub eodem genere vocis. Qua de causa, licèt repugnet ex dictis in anteprædicamentis, idem essentialiter esse sub diuersis generibus non subalternatim positis; non autem accidentaliter: quinimmo persæpe contingit, vt patet in entibus realibus; nam homo, e. g. accidentaliter denominatur extensus à quantitate; & totum coniunctum ex homine, & quantitate, rursus denominatur accidentaliter album ab albedine; ac proinde eadem entitas hominis accidentaliter continetur sub quantitate, & qualitate, quæ sunt diuersa genera inter se non subordinata: sic ergo in præsenti, eadem entitas illarum vocum, tantùm continetur accidentaliter sub termino, & oratione.

Obijcitur tandem tertiò, quòd si aliquod incomplexum imponeretur ad significandam hanc clausolā, e. g. *Homo est albus*, tunc illud incomplexum esset oratio, & tamen non haberet partes significatiuas: ergo hoc non requiritur ad orationem. Item in opinione probabili, vt explicabitur infrà, propositio mentalis est qualitas simplex: ergo tunc oratio non habet partes significatiuas.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd in illo casu, tale incomplexum haberet partes significatiuas virtualiter, aut æquiualenter, licèt non formaliter, quia subordinaretur pluribus conceptibus. Ad secundam verò rationem dicendum est in illa opinione, quòd licèt propositio, aut oratio non haberet partes entitatiuè, haberet tamen illas obiectiuè; quia significaret aliquod complexum. Et etiam haberet illas præsuppositiuè, quia ex pluribus appræhensis conceptibus, tanquàm ex præsuppositis formaretur; Sed circa hoc inferiùs redibit sermo.

QVÆSTIO II.

An definitio enunciationis, siue propositionis tradita ab Aristotele cap. 4. primi Perihermenias sit essentialis.

DVplicem enunciationis tradidit Philosophus definitionem, primam 1. Prior. cap. 1. dicens:

A *Propositio est oratio aliquid affirmans, vel negans:* secundam verò 1. Periherm. cap. 4. dum asseruit: *Propositionem esse orationem, verum, vel falsum significantem.* De prima non est præsens quæsitum, vt ex titulo patet; tum quia certum est apud omnes, eam esse essentialem, quod pluribus probatur rationibus: primò, quia affirmatio, & negatio (quid quid dicat Casilius hoc in loco) sunt essentiales differentiæ propositionis; vnde Impossibile est, eandem propositionem de affirmatiua fieri negatiuam, & è contrà. Secundò, quia esse orationem assertiuam, in quo tota consistit enunciationis ratio, formaliter ei conuenit vel quatenus vnum de alio affirmat, vel negat. Tertiò tandem, quia propositio vera, vel falsa dicitur, quia affirmatiua, vel negatiua est, non autem è contrà: non enim
B affirmatur, vel negatur, quia verum, aut falsum dicitur; sed ex eo falsum, aut verum dicitur, quia negatur quod est, & affirmatur quod non est; vel è contrà.

De secunda igitur tantùm erit præsens difficultas, quæ ex eo oritur, quia suprà disput. 22. q. 3. ad 3. dictum fuit, quòd licèt enunciatio, seu propositio, essentialiter non significet veritatem, aut falsitatem, quatenus veritas, & falsitas important actuale exercitium conformitatis, vel difformitatis intellectus ad rem; attamen essentialiter veritatem, vel falsitatem significat, quatenus essentialiter repræsentat, & significat conceptum complexum obiectiuum intellectus, in quo formaliter veritas, vel falsitas consistit. Quamobrem, cùm aliquo modo videatur concedi, esse essentiale propositioni significare veritatem, aut
C falsitatem; meritò dubitant Doctores, an absolutè dicenda sit illa definitio essentialis, quæ à Philosopho loco citato 1. Periherm. tradita fuit.

Verùm tamen, vt certa ab incertis segregentur, Supponendum est, prædictam enunciationis definitionem esse bonam, vt ferè omnes docent, cùm per ipsā enunciatio distinguatur à cæteris orationibus siue perfectis, siue imperfectis non explicantibus veritatem, aut falsitatem, vt sunt orationes modi imperatiui, aut optatiui aliorumue modorum, quæ propterea orationes, non enunciatiuæ appellantur. Non placet tamen Hurtado talis definitio, ea præcipuè de causa, quia definitio non est tradenda per disiunctionem differentiarum. At in hoc videtur falli, cùm non repugnet aliquid describi per differentias, siue proprie-
D tates oppositas, si describenda, & explicanda sit aliqua ratio superior contrahibilis per differentias, aut proprietates oppositas: sic enim natura definitur per principium motus, & quietis à Philosopho; Accidens à Porphyrio per adesse, & abesse; liberum Arbitrium à Theologis per posse agere, & non posse agere, vbi ly *Et* non accipitur copulatiuè in hoc sensu, quòd simul possint habere vtrunque, sed solùm denotatur capacitas vtriusque: ita à pari propositio definitur hic per veritatem, vel falsitatem disiunctiuè, eò quòd sit vtriusque capax.

Prima igitur sententia docet talem definitionem esse essentialem. Ita Mal. q. 2. huius capitis conclusione 2. & aliqui ex modernis.

Secunda verò sententia ècontrà docet prædictam enunciationis definitionem esse descriptiuam. Ita communiter omnes, paucis illis exceptis Auctoribus.

Notandum ideirco est primò, quòd cùm oratio enunciatiua, sicut & cæteræ voces complexæ, sit signum conceptus obiectiui complexi; in quo tanquàm forma in suo subiecto reperitur veritas, aut falsitas; non potest primò, & immediatè veritatem, aut falsitatem significare, sed tantùm secundariò, & immediatè, hoc est mediante tali conceptu; vt manifestè patet in signo sensibili, e. g. campanæ, quod primò, & immediatè significat lectionem, secundariò verò, & mediante tali lectione, vtilitatê, & delectamentum, quod ex ipsa capiunt Audientes. Qua de causa, licèt essentiale sit conceptui obiectiuo complexo habere, vel non habere in se veritatem, aut falsitatem, cùm per tales differentias essentialiter contrahatur, vt dictum est loco citato ex disput. 22. tamen essentialiter non potest conuenire enunciationi, cùm primò, & immediatè id non significet, sed tantùm secundariò, & immediate prædicto conceptu obiectiuo, quem immediatè significat; quod enim essentialiter conuenit alicui, primò, & immediatè debet illi conuenire, non verò secundariò, & per accidens, seu ratione alterius; cùm esse sit quid primum in vnaquaque re, ex Philosopho 7. Metaphys.

Notandum secundò, significare veritatem, vel falsitatem dupliciter accipi posse; vel scilicet pro toto illo coniuncto veritatis, aut falsitatis; vel pro vno, aut altero disiuncto, nimirum aut pro veritate, aut falsitate tantùm. Si sumatur hoc secundo modo, erit accidens commune, seu quintum prædicabile, cùm veritas, vel falsitas tum conueniat, tum non conueniat propositioni vt sic, nec sequatur ipsius essentiam, nec conuertatur cum illa, vt patet: possibile enim est, quòd eadem propositio, quæ modò vera est, falsa fiat, vt dicetur ex professo infrà, suo loco. Nec valet dicere, Enunciatio est verum, aut falsum; neque verum, aut falsum est enunciatio. Si autem sumatur primo modo, est accidens de quarto prædicabili, seu proprietas siue passio, quæ sequitur essentiam enunciationis, & cùm ipsa enunciatione conuertitur: veritas enim, aut falsitas, immediatè sequitur affirmationem, seu negationem de subiecto, in quo consistit essentia enunciationis, vt dictum est; & quidem valet dicere, esse verum, aut falsum, pro toto coniuncto, est enunciatio; & enunciatio est verum, aut falsum, pro toto item coniuncto: eodem ferè proportionali modo, quo par, vel impar, si sumatur pro vno, vel altero disiuncto, est accidens commune respectu numeri: esse enim tantùm par, aliquando conuenit numero, aliquando non, & similiter esse tantùm impar. Si autem sumatur pro toto coniuncto, impossibile est, quòd non sequatur essentiam numeri, nec cum ipso conuertatur: numerus enim par, aut impar est: & par, aut impar non est nisi numerus.

Dicedum est ergo, quòd prædicta definitio propositionis non est essentialis, sed descriptiua. Probatur prima pars: nam eadem propositio immutata permanet sub veritate, vel falsitate: ergo veritas, & falsitas non sunt de essentia propositionis, & consequenter prædicta definitio, quæ datur per veritatem, aut falsitatem, non est essentialis. Hæc vltima consequentia patet. Prima verò consequentia, etiam est manifesta; quia si essent de eius essentia, non permaneret eadem ipsa propositio, sed alia esset secundùm speciem, & numerum vera, & falsa. Antec. autem

A probatur ex Aristotele cap. de substantia, vbi docet; *eandem enunciationem secundùm speciem suscipere veritatem, & falsitatem, & mutari de vera in falsam ab extrinseco*, nempe ex mutatione rei ad extra; vt hæc propositio *Petrus sedet*, eadem numero permanens, vera nunc est, sedente Petro; stante verò, falsa: & cùm talis mutatio, ab extrinseco ei proueniat, ideò suscipit contrarie sine sui mutatione, vt clariùs videbitur infrà.

Probatur secunda pars: nam veritas, & falsitas pro toto coniuncto veritatis, & falsitatis est proprietas, & passio propositionis, vt notatum est supra: ergo cùm prædicta definitio detur per veritatem, & falsitatem prædicto modo, erit descriptiua. Conf. patet ex dictis lib. 2. Instit. cap. 3.

B Obijcitur primò in oppositum, quòd definitio, quæ datur per differentiam essentialem, est essentialis: sed hæc est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet. Minor verò probatur: quia illa est differentia essentialis alicuius speciei, per quam à cæteris eiusdem generis distinguitur: sed enunciationem distinguit Aristoteles à cæteris orationibus non enunciatiuis per significationem veri, & falsi: ergo veritas, & falsitas sunt differentiæ essentiales eius per, quas separatur à cæteris speciebus orationis.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem distinguenda est maior; nam distingui ab alijs speciebus eiusdem generis, dupliciter contingit: primò, distinctione specifica; & hoc modo non potest vnum distingui ab alio, nisi per differentiam essentialem; Secundò verò, distinctione specifica, sed accidentali, & per modum proprietatis; & ita enunciatio vera, vel falsa distinguitur non essentialiter ab alijs

C orationibus. Voluit igitur Aristoteles enunciationem definire cap. præsenti per verum, & falsum tanquàm per accidentia eius, nobis notioria; ex quibus inde innotesceret essentiam eiusdem enunciationis in eo tantùm consistere, quòd vnum de altero affirmetur, aut negetur.

Obijcitur secundò, nam enunciatio, ex propria, & intrinseca conditione ordinatur, tum ad syllogismum vt sic, tum ad demonstrationem; sed non potest reddi apta, aut inepta ad hoc, nisi per veritatem, vel falsitatem: ergo veritas, vel falsitas pro toto coniuncto accepta, erit de eius essentia, & consequenter, &c.

Respondetur negando minorem; quia enunciatio

D non redditur apta ad syllogismum vt sic, seu ad formam ipsius per veritatem, vel falsitatem; sed per affirmationem, & negationem; cùm ex dictis lib. 2. Instit. cap. 6. Forma syllogismi nil aliud sit, quàm illa vnio prædicati, & subiecti secundùm affirmationem, & negationem. Ad demonstrationem autem vbi etiã attenditur materia, non redditur apta enunciatio nisi per veritatem, vt probat argumentum; hoc tamen non contingit ratione sui, sed ex natura ipsius demonstrationis: nam cùm demonstratio sit syllogismus perfectissimus, non fit ex quibuscunque propositionibus, sed tantùm ex veris, & necessarijs, per se, &c. vt ex professo dicetur suo loco. Vnde non sequitur essentiam propositionis vt sic, esse veritatem, sed propositionis veræ, ac necessariæ, &c. ex qua tantùm conficitur demonstratio: sed hoc nihil ad præsens, cùm tantùm hic loquamur de essentia enunciationis vt sic.

Obijcitur tandem tertiò, quòd iudicio intellectus essentia-

essentialiter conuenit exprimere, aut significare veritatem, & falsitatem: sed iudicium intellectus non distinguitur ab enunciatione: ergo si veritas, & falsitas sunt de essentia iudicii, erunt pariter de essentia enunciationis. Hæc consequentia rectè deducitur. Maior patet ex dictis disput. 21. q. 2. Minor verò probatur; nam si distingueretur, sequeretur quòd ante iudicium, de tali propositione daretur veritas, & falsitas, cùm omnis propositio significet veritatem, & falsitatem: sed hoc non est dicendum, quia per solam apprehensionem enunciationis nullus dicitur errans, vel sciens; aliter qui apprehenderet aliquid falsum, & illi non assentiret, intellectus eiusdem esset falsus, quod est absurdum: Deus enim multa falsa apprehendit, & non fallitur: ergo iudicium non debet distingui, &c.

Respondetur negando minorem (quid quid dicant aliqui Recentiores) quia iudicium est id, quo determinatur intellectus assentiendo, quod ita est, vel non est; hoc enim est iudicare; quod quidem intellectus nequit facere, nisi circa aliquod complexum ab ipso diuersum, quod connectitur cum verbo, vt experientia constat, & hoc est enunciatio: quare ad probationem prædictæ minoris distinguendum est: ante iudicium daretur veritas, vel falsitas, vt asserta, & iudicata, negatur; vt significata, & apprehensa, conceditur; per quam veritatem, aut falsitatem apprehensam, & repræsentatam, non est necesse, quòd intellectus dicatur errans, aut falsus, vt etiam indicat argumentum; sed tantùm per iudicatam. Ex quo etiam non obscurè patet, iudicium non esse idem cum enunciatione, sed quid ab ea diuersum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm enunciatio mentalis sit vna simplex qualitas.

QVæritur tantùm de enunciatione mentali, an sit vna simplex qualitas, vel potiùs composita ex multis simplicibus qualitatibus, seu conceptibus obiectiuis intellectus, non autem de vocali, & scripta; quia de istis certum est, compositas esse ex multis vocibus simplicibus, aut scripturis, vt de se videtur clarum.

Pro maiori tamen intelligentia huius enunciationis mentalis, sciendum est primò, quòd si accipiatur, vt aliqui docent, pro conceptu formali, seu actu intellectus, quo apprehendimus res, aut de rebus apprehensis iudicamus, non est quid compositum, sed simplex: nam iudicium intellectus, quo iudicamus veram esse hanc enunciationem, e. g. homo est albus, vnicus est, atque simplex actus intellectus; quod pariter dicendum est de actu apprehensiuo eiusdem: & ideò omnes, qui docent iudicium non distingui ab enunciatione mentali, de quorum numero sunt Conimbricenses, Poncius, & alij, hoc in loco, tenentur etiam asserere enunciationem mentalem, simplicem esse qualitatem. Si autem accipiatur pro conceptu obiectiuo intellectus, quem format de rebus ipsis, quemadmodum debet accipi, est valdè dubium, an sit, vel

A non sit vna simplex qualitas.

Itaque sciendum est secundò, prædictum conceptum obiectiuum intellectus, seu enunciationem mentalem, duplicem esse; apprehensam scilicet, & iudicatam; sicut veritatem, aut falsitatem in ipsa repertam, apprehensam, & iudicatam in superiori quæstione dictum est esse. Prima est, quando intellectus apprehendendo simplicia per plures, ac simplices conceptus, ex his efficit propositionem ante omne iudicium de conuenientia vnius respectu alterius; vt dum apprehendimus, e. g. astra esse paria, antequam feramus iudicium de veritate, aut falsitate istius propositionis apprehensæ, an scilicet illi assentiendum, vel dissentiendum sit. Secunda verò est, quando intellectus iudicat propositionem apprehensam esse veram, aut falsam, esseque illi assentiendum, vel dissentiendum. De prima nulla est difficultas, cùm certum sit conceptum illum compositum ex pluribus conceptibus simplicibus, non esse simplicem qualitatem.

B Coarctatur ergo tota difficultas ad enunciationem iudicatam.

Radix autem, & origo istius difficultatis est, quia intellectus duobus modis iudicare potest de enunciatione apprehensa, ex quo iudicio deinde appellatur propositio, & enunciatio iudicata. Primo, itaut iudicet vnum conceptum simplicem conuenire alteri, ex quibus prædicta enunciatio coalescit, vt dum iudicat conceptum simplicem albedinis, e. g. conuenire conceptui simplici hominis. Secundo verò, non iudicando conceptum simplicem conuenire alteri, sed formando ex illis quendam alium distinctum concep-

C tum repræsentantem totam illam compositionem, per quem iudicet posteà de veritate, aut falsitate totius compositionis; eo ferè modo, quo Phantasia ex duplici specie, montis scilicet, & auri, format tertiam quandam simplicem speciem, repræsentantem montem aureum; vel alio ferè modo, quo Angelus per vnum simplicem conceptum intelligit integram compositionem à nobis factam. Si itaque intellectus iudicet de propositione apprehensa primo modo, etiam vt iudicata talis propositio debet seruare eandem cōpositionem, vt patet: si verò iudicet secundo modo, tunc enunciatio mentalis procul dubio erit vnicus simplex conceptus, per quam repræsententur simul subiectum, prædicatum, & copula. Qua de causa, cùm dubitari possit, an intellectus de enunciatione mentali

D iudicet vno, vel altero modo, poterit etiam dubitari, vtrùm enunciatio mentalis iudicata, sit, vel non sit vna simplex qualitas.

Prima igitur sententia est eorum, qui putant intellectum iudicare de enunciatione illo secundo modo, quare tenentur asserere, enunciationem mentalem iudicatam esse vnam simplicem qualitatem. Ita Greg. q. 1. prol. art. 3. Gab. ibidem art. 2. & 4. Viguer. in instit. theolog. cap. 2. §. 3. Boet. hic cap. 4. Durand. in 1. dist. 38. q. 2. Sot. 2. lib. summ. cap. 5. Tolet. 3. de Anim. q. 19. & alij.

Secunda verò sententia est eorum, qui putant intellectum iudicare de enunciatione primo illo modo; quare docere tenentur, prædictam enunciationem mentalem iudicatam, non esse vnum simplicem conceptum, seu qualitatem, sed conceptum complexum ex pluribus conceptibus, & qualitatibus simplicibus. Ita Arist. 3. de Anim. cap. 6. D. Tho. p. p. q. 58. art.

4. ad 1. & alibi. Vasquez tom. 2. p. p. disp. 13. cap. 13. Ruu. hic cap. 4. q. 4. & alij.

Notandum idcirco est, quòd cùm Angelus habeat lumen intellectuale perfectum (est enim speculum purum, & clarissimum, vt docet S. Dionysius cap. 4. de Diuinis nominibus) non iudicat prædicatum conuenire subiecto, vnum attribuendo alteri, vel remouendo ab eo; sed intelligendo quidditatem subiecti, simul intelligit, & iudicat quid quid ei attribui potest, vel ab eo remoueri per vnum simplex intellectum, seu per vnicum simplicem conceptum; vnde talis conceptus nequit habere compositionem ex prædicta attributione, vel remotione causatam, vt docent Theologi, & Metaphysici. Hoc autem non ita est in nobis: nam cùm intellectus noster habeat debile lumen intellectuale, & imperfectum, eodem modo iudicat, quo discurrit (idem enim actus entitatiuè dicitur iudicium, & discursus; iudicium quidem, secundùm quod præcisè cognoscit vnionem prædicati cum subiecto: discursùs verò, secundùm quòd assentitur eidem vnioni prædicati cum subiecto, propter vnionem cum medio cognitam in præmissis.) Cùm igitur discurrendo non cognoscat conclusionis virtutem in ipsis statim principijs, seu præmissis, sed per distinctum assensum, & cognitionem, seu conceptum, vt dicetur in libris Posteriorum; hinc etiam sequitur, quòd iudicando non habet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui, vel remoueri à subiecto statim in ipsa apprehensione quidditatis subiecti, vsquequò vnum alteri attribuat, vel ab altero remoueat. Qua de causa, cùm discursus mentalis non sit vna simplex qualitas, sed necessariò includat plures cognitiones, & conceptus, seu plura iudicia, ex quorum vno procedatur ad aliud (discursus enim est progressio intellectus ab vno conceptu, seu cognitione in aliam, inquantùm scilicet ex aliquo priùs noto deuenitur in cognitionem alterius, quod erat ignotum) Enunciatio quoque mentalis, saltem in nobis, non est vnus simplex conceptus, neque una simplex qualitas, sed composita ex alijs conceptibus nempe ex attributione, vel remotione prædicati à subiecto, vt statim probabitur.

Dicendum est ergo, quòd enunciatio mentalis non est vna simplex qualitas, sed composita ex pluribus simplicibus qualitatibus. Probatur primò ex Philosopho loco citato ex 3. de Anim. vbi ait: *In quibus falsitas, iam, & veritas inest; in hisce compositio quadam iam est conceptuum intellectus, quasi sint vnum.* Et infra iterum ait: *Id, quod singulos conceptus distinctos componit, vnumque facit, ipse est intellectus*: ergo cùm veritas, & falsitas sint formaliter in enunciatione mentali, non erit iam qualitas simplex, sed composita, &c.

Probatur secundò ratione: quoniam intellectus efficit enunciationem mentalem, iudicatam per attributionem vnius ad alterum, hoc est affirmando vnum de altero, vel negando illud de eo; sed attribuere vnum alteri, ab eo diuerso, dicit multiplicitatem: ergo, cùm id, quod attribuitur alteri in propositione mentali, sit conceptus attributus alteri conceptui, sicut in propositione vocali est vna vox attributa alteri; sic propositio mentalis non est minùs composita, quàm vocalis.

Obiicitur primò in oppositum, quòd intellectus cùm sit potentia superior phantasia, habet eandem, aut maiorem virtutem componendi, quàm illa: sed

A phantasia ex duplici specie simplici diuersarum rerum elicit vnam similiter simplicem repræsentantem quidquid per duas illas repræsentabatur: ergo pariter & intellectus; atque ita, eodem modo poterit iudicare de apprehensione composita, vel de conuenientia vnius conceptus simplicis cum altero, adeò vt vnum conceptum eliciat repræsentantem quidquid per vtrunque conceptum repræsentatur, vel per totam compositionem apprehensam; & consequenter enunciatio iudicata, & repræsentata per vnum illum conceptum erit vna simplex qualitas.

Respondetur distinguendo minorem; quia phantasiam ex duplici conceptu simplici diuerso elicere tertium, etiam simplicem repræsentantem plura, quæ repræsentabantur per illam, duobus modis intelligi

B potest; primo per modum simplicis expressionis, ita vt vno illo conceptu exprimatur, quidquid per plures repræsentabatur: secundo verò per attributionem, & compositionem vnius cum altero; & quidem primo modo fieri potest à phantasia, & intellectu nostro: at secundo modo fieri repugnat: quia componere vnum cum altero dicit multiplicitatem conceptuum; & cùm sic fieri debeat essentialiter enunciatio mentalis, non poterit per vnum conceptum fieri, sed necessariò per plures, ex quibus enunciatio mentalis componitur; ac propterea non potest esse enunciatio mentalis conceptus simplex, aut simplex qualitas, sed composita ex pluribus conceptibus, & qualitatibus.

Obiicitur secundò, quòd ea, quæ sunt dispersa, & multiplicia in inferioribus, sunt vnita, & simplicia in superioribus: sed enunciationes in potentijs sensitiuis,

C quæ sunt intellectu inferiores, sunt plures qualitates, & species: ergo in intellectu debent esse vna simplex qualitas. Conf. bene deducitur. Maior communiter recipitur. Minor etiam patet: quia huiusmodi propositio, e. g. Homo est albus, in potentiis sensitiuis tantùm importat diuersas species, & qualitates intentionales, cùm sensus ad singularia sit alligatus.

Respondetur talem obiectionem potiùs fauere, quàm officere: nam sufficit, quòd id, quod est multiplex, & dispersum, atque diuisum in inferioribus, sit congregatum, & vnitum vnitate compositionis in superioribus. Sicut quod est vnum vnitate compositionis, & attributionis in intellectu nostro; in intellectu angelico, & superiori sit vnum vnitate simplici non admittente talem compositionem, vt dictum est;

D Quapropter semper erit uerum dicere, enunciationem in intellectu nostro esse qualitatem compositam.

Obiicitur tandem tertiò; quòd tota definitio, totaque enunciatio habet modum vnius obiecti, & percipitur per vnam operationem, quæ vocatur apprehensio: ergo repræsentatur per vnicum conceptum, non subiecti, aut prædicati; quia conceptus subiecti, aut prædicati, non nisi rem simplicem, & distinctam repræsentat: ergo erit vnicus simplex conceptus, & vna simplex qualitas, vt de se manifestum est.

Respondetur huiusmodi argumentum tantùm probare enunciationem in ratione conceptus, & speciei expressæ terminantis intellectus, esse vnam simplicem qualitatem, cùm fiat per modum simplicis expressionis, quod utique concedendum est; non uerò in ratione conceptus enunciatiui, seu enunciationis formaliter, cuius essentia consistit in attributione, seu affirmatione, aut negatione prædicati de subiecto,

to, ut dictum est suprà quæstione antecedenti.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

Quales sint cætera Enunciationis Diuisiones.

CVM statim Philosophus post allatam enunciationis, seu potiùs propositionis descriptionem, ipsam diuidat in simplicem, & compositam, seu categoricam, & hypotheticam; deinde categoricam in affirmatiuam, & negatiuam, vt optimè interpretatur D. Tho. ibidem lect. 8. solent hoc loco etiam inquirere Dialectici, quales sint huiusmodi diuisiones; an scilicet generis in suas species; analogi in sua analogata; an potiùs subiecti in sua accidentia. Quia verò horum resolutio facilè ex dictis disput. 22. haberi potest, vbi ex professo egimus de diuisione vocis significatiuæ ad placitum; non existimamus, formatas circa hoc, esse necessarium, iterum texere quæstiones; sed ad soluenda, nonnulla argumenta, quæ fieri solet, ad superiores iam textas, & agitatas, tantùm hæc pauca addere, & appendere.

Circa igitur primam propositionis diuisionem in simplicem, & complexam; Magister Sotus. 2. lib. Summ. cap. 6. & alij docent esse generis in suas species, his fortasse conuicti rationibus, quia videlicet hæc diuisio directè pertinet ad substantiam, & essentiam propositionis: interroganti enim de substantia propositionis, quæ nam sit ipsa propositio; respondemus, quòd est categorica, vel hypothetica; & etiam quia tam categorica, quàm hypothetica conueniunt vniuocè saltem in hoc, quòd est significare veritatem, aut falsitatem. Cui opinioni etiam fauent Mastr. & Bellut. atque alij Scotistæ, ex ea parte tamen, secundùm quam admittunt cum analogia vniuocationem. circa quod dictum est satis superiùs disput. 9. q. 4. & 5. dum probatum fuit analogiam non posse stare cum uniuocatione; cùm ab analogis nequeat abstrahi ratio communis, sicut ab vniuocis abstrahitur.

Aliqui verò moderni, quos sine nomine refert Ruu. 1. de Interpret. cap. 4. q. 6. docent prædictam diuisionem esse subiecti in sua accidentia, ex eo quia enunciatio simplex differt à composita tanquàm minùs compositum à magis composito, cùm & ipsa componatur ex subiecto, prædicato, & copula: magis autem, & minùs sunt differentiæ accidentales, ut ab omnibus fatetur.

Alii tandem cum Boet. Ammon. Suessano, Tolet. cap. præsenti, D. Tho. opusc. 48. cap. 6. Ruu. loco citato, Complut. lib. 2. Instit. cap. 3. Masio 2. Periherm. cap. 1. q. 5. & cæteris, dicendum putant, prædictam diuisionem esse analogi in sua analogata, quod facilè suadetur; quia enunciare, in quo sita est essentia propositionis, secundùm quid tantùm conuenit hypotheticæ; non enim hypothetica unam propositionem de alia prædicat, sicut categorica affirmat, uel negat prædicatum de subiecto, in quo consistit propria ratio enunciationis; sed tantùm unit inter se propositiones categoricas, quod est umbra quædam, & similitudo propriæ enunciationis: ergo

A dicta diuisio est analogi, &c.

Nec aliquid ualet responsio, quam p. p. Instit. tract. 2. cap. 3. §. *Respondetur*, adducunt Mastr. & Bellut. dicendo, optimè saluari posse rationem enunciationis non tantùm per prædicationem unius de alio, sed etiam per copulationem plurium propositionum; cùm etiam per talem copulationem aliquid asseratur, ut patet dum dicimus. Si Petrus studeret, euaderet doctus: affirmatur enim per ipsam, quòd Petrus euaderet doctus studendo.

Non itaque aliquid ualet; nam prædicta affirmatio non conuenit hypotheticis simpliciter, & absolutè, sed tantùm secundùm quid, idest proportionaliter, ratione scilicet enunciationis categoricæ affirmatiuæ, quam cum altera unit; eodem modo sicut, significationem, dictum est disput. 22. q. 1. in probatio-B ne secundæ partis conclusionis, conuenire vocibus complexis, ratione scilicet uocum simplicium ex quibus constant.

Ad rationes ergo pro prima sententia adductas respondendum est, nos non negare, talem diuisionem conuenire essentialiter enunciationibus simplicibus, & compositis, cùm diuisio analoga sit etiam diuisio essentialis; sed tantùm negare conuenire vniuocè, seu esse diuisionem essentialem generis in suas species; cùm ratio importata per nomen enunciationis, simpliciter conueniat categoricis, & simplicibus propositionibus, hypotheticis autem secundùm quid.

Ad rationem autem pro secunda sententia adductã, dicendum est enunciationem simplicem, & compositam non differre penes magis, & minùs composi-C tum, sed per diuersos modos formales enunciationis; quia simplex habet modum formalem enunciandi, composita verò, per se non habet modum formalem enunciandi; quare nec per se enunciat, sed solùm per participationem simplicis; per se verò tantùm habet modum coniunctionis enunciatiuorum; atque ideò essentialiter sunt diuersæ.

Circa secundam verò diuisionem, seu potiùs subdiuisionem enunciationis categoricæ in affirmatiuam, & negatiuam, Alex. quem citat D. Tho. cap. præsenti. Philopo. 1. Post. cap. 21. Aspasius, & Burana 1. Prior. cap. 1. docent talem diuisionem esse analogi in sua analogata; quod probant ex eo, quòd enunciatio non dicitur æqualiter de illis, sed per priùs de affirmatiua, & per posteriùs de negatiua, cùm Aristot. D cap. præsenti id expressè doceat, ita loquendo: *Est autem vna prima oratio enunciatiua, affirmatio, deinde negatio*; & etiam ratio suadeat: compositio enim, quæ importatur per affirmationem, prior est diuisione, quæ importatur per negationem.

Sotus verò 2. lib. Summ. vocat talem diuisionem subiecti in accidentia, cùm affirmatio, & negatio sint accidentia enunciationis; nam eadem numero permanens (inquit ipse) transire potest de affirmatiua in negatiuam, & è contra: ergo est diuisio accidentalis.

Communior tamen sententia, cum Porphy. Ammo. Boet. Simpl. D. Tho. Louan. Suess. Lemos. Tolet. Ruu. cap. præsenti q. 5. Compl. loco suprà citato, & aliis, probabilius dicendum putat, prædictam diuisionem esse uniuocam, generisque in suas species. Tum quia essentia enunciationis, ut superiùs probatum est, consistit in eo, quod est attribuere unum alteri,

teri, aut enunciare de illo: sed hoc fit per affirmationem, & negationem: ergo istæ sunt differentiæ essentiales diuidentes enunciationem in suas species. Tum etiam quia enunciatio affirmatiua, & negatiua conueniunt in vna ratione communi enunciationis abstracta, quæ de vtraque prædicatur: nam vera est hæc, enunciatio affirmatiua est enunciatio; & enunciatio negatiua est enunciatio: ergo enunciatio est genus uniuocum ad vtranque.

Ad rationem idcirco primæ sententiæ, dicendum est, dici per priùs de uno, & per posteriùs de altero duobus modis contingere posse; vel ratione prædicati superioris, in quo conueniunt; vel ratione differentiarum, per quas distinguuntur: primò modo tollit vtique uniuocationem, & efficit analogiam: secundo uerò modo nequaquam, cùm in omnibus generibus reperiatur, in quibus semper datur una species prior alijs dignitate, propter maiorem perfectionem suæ differentiæ, quod non impedit, quin natura generica ex sua parte æqualiter, & uniuocè participetur ab omnibus speciebus, & ita contingit in enunciatione, ut consideranti patere potest.

Ad rationem autem pro secunda sententia respondetur, quòd propositio eadem permanens, solùm materialiter, hoc est secundùm materiales terminos transit de affirmatiua in negatiuam, non tamen eadẽ permanens formaliter, & essentialiter, sed diuersæ speciei fit addita negatione propter diuersum modum enunciandi, ut dictum est: quare affirmatio, & negatio, differentiæ essentiales sunt enunciationis, & non qualitates, nisi eo modo, quo differentiæ essentiales dicuntur qualitates generi essentiales, idcirco nullo modo accidentia illius sunt.

Ex quibus tandem liquet, quid etiam dicendum sit de illis, tum categoricæ, tum hypotheticæ propositionis diuisionibus, seu potiùs subdiuisionibus, de quibus lib. 2. Instit. cap. 6. & 7. summariè tractatum est; nam omnes, & singulæ, quarum diuisum consideratur penes formam, aut materiam illarum, dicendæ sunt essentiales, generisque in suas species, cùm tales differentiæ, per quas constituuntur membra diuidentia, sint de essentia formæ, vel de essentia materiæ, atque ratio communis tam formæ, quàm materiæ abstrahi possit ab illis. Illæ verò, quarum diuisum consideratur penes quantitatem, aut qualitatem (accidentalem tamen) earundem, erunt subiecti in sua accidentia, cùm dentur per differentias accidentales, & contingentes, vt patet: accidit enim, quòd propositio vera, aut falsa sit; vel quòd sit vniuersalis, particularis, indefinita, aut singularis.

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA

De oppositione Categoricarum simplicium Propositionum.

A Explicata natura, & quidditate enunciationis, atque eiusdem secundùm se consideratæ, proprietate, quæ est significare veritatem, aut falsitatem, vt dictum est; modò remanent explicandæ illæ proprietates, quæ resultant ex habitudine, & comparatione vnius enunciationis ad aliam. Tres igitur ex communi sententia Dialecticorum assignari solent, nempe oppositio, æquipollentia, & conuersio; de conuersione agit Philosophus 1. lib. Prior. de oppositione verò, & æquipollentia in calce 1. lib. Periherm. quod etiam prosequitur per totum secundum librum. Vt igitur methodum Aristotelicam sequamur, in extrema parte

B istius libri, primo loco debemus agere de oppositione propositionum, non vtcunque, sed categoricarum simplicium; quia de oppositione categoricarum modificatarum, seu modalium cum eodem Philosopho agendum est libro sequenti, cùm specialem habeant difficultatem; & de oppositione hypotheticarum, immediatè, disputatione sequenti, cùm participent rationem propositionis ex quadam similitudine, & proportione ad categoricas, vt suprà dictum est.

QVÆSTIO I.

C *Quid, & quotuplex sit oppositio propositionum.*

Consultò ponitur in titulo particula illa *Propositionum*, quia hic non est sermo de oppositione rerum, qualis est ea, de qua actum est suprà disp. 18. q. 1. quamuis in multis conueniant proportionabiliter; neque consequenter de oppositione, quæ assignari solet inter terminos vocales, dum dicitur, quòd calor, & frigus, e. g. opponuntur contrariè; homo, & non homo, contradictoriè; visus, & cæcitas, priuatiuè: & pater, & filius relatiuè; sed tantùm de oppositione, quæ datur

D inter propositiones, non quidem in specie, quatenus scilicet hypotheticæ, aut categoricæ sunt; & hæ, vt simplices, seu de inesse, aut modales sunt, sed in genere: nam estò proposita disputatio, de oppositione propositionum categoricarũ simplicium inscribatur, & cæteræ propositiones diuerso modo opponantur ab ipsis; nihilominùs, quia & ipsæ sunt oppositæ, atque easdem, vel saltem aliquas species, vel quasi species prædictæ oppositionis habent; quæstio hæc, sub qua omnes generaliter comprehẽduntur, generaliter quoque debet intelligi, & explicari, ipsam posteà coarctando ad categoricas simplices, modales, & hypotheticas, dum regulæ vnicuique illarum assignatæ examinabuntur. Dictum est *Species, seu quasi species*; nam cùm diuisio oppositionis in membra assignanda, non sit vniuoca, generisque in suas species, sed analogi in sua analogata, vt dictum est suprà de diuisione oppositionis rerum; non absolutè, Species; sed quasi species,

species, membra prædictæ diuisionis appellanda sunt.

Suppositis ergo omnibus, quæ lib. 2. Instit. cap. 8. dicta sunt, tantùm explicari debet quomodò intelligenda sit definitio oppositionis propositionum ibi tradita, & quomodò computandus eiusdem quasi specierum numerus eodem loco assignatus: nam licèt Dialectici circa oppositionis definitionem prima facie videantur contrarij; attamen, re intimiùs penetrata, sunt omnino concordes. Circa numerum verò, seu multiplicitatem prædictæ oppositionis, non omnes idem arbitrati sunt.

Prima enim sententia (oppositione subalterna communiter relicta) docet duas tantùm esse species, seu quasi species oppositionis verè, & propriè; nimirum oppositionem contrariam, & contradictoriam. Ita Tatar. 1. Periherm. q. 4. §. *Primò sciendum*. Fons. lib. 3. dialecticarum Institut. cap. 6. Blanc. lib. 6. sect. 23. Conimb. 1. Periherm. cap. 6. q. 1. art. 2. Arriag. disput. 2. num. 22. Mastr. & Bellut. p. p. Instit. tract. 2. cap. 7. §. *Quæres an omnes, &c.* atque alij permulti.

Secunda verò sententia affirmat esse tantùm tres, nimirùm contrariam, contradictoriam, & subcontrariam. Ita Philosophus 1. Periherm. cap. 5. D. Tho. opusc. 48. tract. de enunciat. cap. 8. & alibi. Ioann. à S. Thom. lib. 2. summ. cap. 16. Compl. lib. 2. instit. cap. 5. Casil. lib 2. summ. in append. ad cap. 7. num. 7. atque alij permulti.

Notandum itaque est pro resolutione difficultatis, opppositionem propositionum dupliciter considerari posse, formaliter scilicet, & materialiter; primo modo contingit, quando propositiones opponuntur penes formalia, & essentialia ipsarum, idest secundùm affirmationem, & negationem, quas alij vocant qualitates essentiales: secundo verò modo penes materialia, idest secundùm quantitatem earundem, quæ est accidens sequens materiam. Si consideretur primo modo, vocatur propriè, & absolutè oppositio; nam cùm propositiones propriè, & absolutè constituantur in esse enunciationis, & propositionis per affirmationem, & negationem, vt dictum est suprà; per eandē affirmationem quoque, & negationem, propriè, formaliter, & absolutè debent opponi. Si autem consideretur præcisè, tantùm secundo modo, vocatur oppositio impropria, & secundùm quid: nam cùm quantitas maior, seu vniuersalis, minori seu particulari, propriè, & absolutè non repugnet, nec contrarietur, vt dictum est suprà loquendo de proprietatibus quantitatis realis; oppositio quoque penes quantitatem tantùm, non erit propriè, & absolutè oppositio, sed tantùm impropriè, & secundùm quid, idest per quandam habitudinem, & proportionalem respectum ad qualitatem prædictarum propositionū secundùm quàm verè, & propriè, & absolutè opponuntur. Quare propositiones primo modò oppositæ, alio vocabulo appellari solent oppositæ de lege; secundo verò modo oppositæ tantùm de modo. Qua de causa Aristoteles, & communiter Dialectici excludunt à propria, & vera ratione oppositionis formaliter consideratæ, oppositionem subalternam, vtpote habentem duntaxat repugnantiam penes modùm, nempe quantitatem, vt in Institutionibus loco citato dictum est.

A Dicendum est ergo primò, quòd oppositio propositionum formaliter considerata, est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem. Probatur: nam oppositio propositionum tantùm de lege, & formaliter considerata, est oppositio duntaxat penes formalia, & essentialia ipsarum propositionum, ex dictis in adnotatione: sed formale, & essentiale propositionum, vt dictum est disputatione antecedenti, est affirmatio, & negatio: ergo oppositio propositionum formaliter, & de lege considerata, est affirmatio, & negatio, &c. modo tamen explicato in Institutionibus logicalibus.

Ex quo clarè etiam patet, quòd Dialectici quando definiunt oppositionem per repugnantiam in qualitate, & quantitate, non loquuntur de oppositione propositionum tantùm formaliter, & de lege; sed B formaliter, & materialiter, seu de lege, & de modo simul, quare nobis non videntur contrarij.

Dicendum est secundò, quòd oppositio formalis propositionum est triplex, nempe contradictoria, contraria, & subcontraria. Probatur: quoniam tot debent esse species, seu quasi species oppositionis formalis propositionum, quot modis opponuntur ipsæ propositiones ratione affirmationis, & negationis: sed tantùm hoc modo opponuntur tripliciter: ergo triplex esse debet prædicta oppositio. Maior patet; nam cùm ex dictis oppositio formalis sit penes affirmationem, & negationem, in tot membra debet diuidi, quot modis habent opponi ipsæ propositiones ratione talis affirmationis, & negationis; aliter enim talis diuisio non esset adæquata. Minor autem pro- C batur: quoniam propositiones, ratione affirmationis, & negationis nequeunt opponi, nisi vel in veritate, & falsitate simul, ita vt in nulla materia possint esse simul veræ, aut simul falsæ; & hoc modo se habent propositiones contradictoriæ: vel in veritate tantùm, ita vt in nulla materia possint esse ambæ veræ; & hoc modo se habent propositiones contrariæ: vel tandem in falsitate tantùm, ita vt in nulla materia possint esse ambæ falsæ, & hoc modo se habent propositiones subcontrariæ: Sed præter hos tres modos non est alius assignabilis, vt consideranti patere poterit: ergo tribus tantùm modis opponuntur propositiones ratione affirmationis, & negationis. Quòd autem ratione affirmationis, & negationis nequeant opponi nisi in veritate, & falsitate, patet ex eo, quia ex af- D firmatione, & negatione nihil aliud resultat in ipsis propositionibus, in quo possint formaliter opponi, nisi veritas, & falsitas: quantitas enim, affirmationem, & negationem non sequitur, neque ex ipsis resultat, vt manifestum est.

In oppositum istius rationis posset quis obijcere, propositiones subalternas etiam pugnare in veritate, cùm saltem in materia contingenti nequeant ambæ esse veræ, sed vna possit esse falsa nempe vniuersalis, particularis autem vera, licèt non è contrà, vt dictum est in nostris Institutionibus, loco citato: ergo, vel erunt quatuor propositionum in veritate, & falsitate oppositiones; vel si erunt tres, aliunde petenda est ratio de sufficientia, &c.

Respondetur propositiones subalternas pugnare quidem in veritate propter rationem adductam in argumento; sed non ratione affirmationis, & negationis, cùm vtraque affirmatiua, vel negatiua sit, sed tantùm

tùm

tùm ratione quantitatis, cùm vna vniuersalis, altera particularis sit. Quare prædicta oppositio, impropria, & materialis, seu secundùm quid appellatur; atque ideò à propria, & formali oppositione, nempe ratione affirmationis, & negationis, de qua tantùm est sermo in præsenti, reijcitur.

Ex quibus tandem non erit superfluum colligere, quòd si prædictæ propositionum oppositiones essent definiendæ ex parte tantùm suarum rationum formalium, erit pariter dicendum, quòd oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum in veritate, & falsitate in qualibet materia: Contraria verò in veritate, non tamen in falsitate saltem in materia contingenti: Subcontraria tandem in falsitate, non autem in veritate saltem in materia contingenti.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis, quòd propositiones oppositæ non tantùm pugnare debent in qualitate, verùm etiam in quantitate: ergo prædicta definitio oppositionis erit diminuta, cùm tantùm conueniat propositionibus pugnantibus in qualitate. Cons. patet. Antec. autem probatur: nam propositiones non minùs destruuntur ad inuicem ratione qualitatis, quàm destruantur ratione quantitatis, vt de se constat: ergo non tantùm pugnare debent in qualitate, verùm etiam in quantitate; cùm oppositio propositionum non sit repugnantia vtcunque, sed repugnantia sui oppositi, secundùm magis, & minùs destructiua.

Respondetur negando antec. si intelligatur de oppositione formali propositionum de qua loquimur. Ad cuius probationem dicendum est, diuerso modo se ad inuicem destruere propositiones ratione qualitatis, ac ratione quantitatis; nam hoc secundo modo tantùm se destruunt quoad accidentalia, nempe quoad modum vniuersalem, aut particularem enunciandi; & ideò definitio oppositionis formalis quæ datur per essentialia, illis conuenire nequit. Primo verò modo, tantùm se destruunt quoad essentialia, & secundùm legem prædictæ oppositionis; qua de causa tota definitio pro solis, & singulis earum stat.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis ex Fonseca loco suprà citato, probando oppositionem subcontrariarum non esse propriè, & rigorosè oppositionem: tum quòd altera non verè negat, quod affirmauit altera. Tum etiam, quòd non est propria oppositionis conditio, repugnantia secundùm falsitatem, sed secundùm veritatem; quo fit, vt Arist. 2. Prior. meritò dicat, subcontrarias enunciationes nō esse re vera oppositas, sed voce duntaxat: ergo oppositio formalis propositionum non est triplex, sed tantùm duplex.

Respondetur, & primò ad primam rationem, vnā propositionem oppositam subcontrariè, non verè negare, quod altera affirmauit, intelligi posse dupliciter: nimirum ita vt de eodem secundùm numerum, seu differentiam indiuidualem consideratum, idem neget quod altera affirmauit: vel ita vt de eodem secundùm eandem suppositionem requisitam ad prædictas propositiones oppositas idem neget, quod altera affirmauit. Hoc secundo modo negandum est, vnam subcontrariarum non verè negare quod altera affirmauit propter rationem pro responsione sequentis argumenti adducendam; primo verò modo potest

A concedi; quod etiam docuit D. Tho. hic lect. 11. quando dixit subcontrarias non esse propriè oppositas. Sed tunc nihil ad nos, qui loquimur de affirmatione, & negatione eiusdem de eodem secundùm requisita propria vnicuique oppositioni in particulari.

Ad secundam verò rationem arbitramur responderi posse negando repugnantiam secundùm falsitatem non esse propriam conditionem oppositionis; nam cùm ex affirmatione, & negatione indifferenter tam sequatur veritas, quàm falsitas in propositione; tam erit propria conditio oppositionis secundùm affirmationem, & negationem, de qua tantùm est sermo, repugnantia in falsitate, quàm in veritate, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia: quare ad id, quod additur ex 2. Prior. dicendum est, quòd si attentè
B legatur, non facit contra assertum: nam Philosophus ita loquitur in principio capitis 15. notati in margine apud Fonsec. *Dico autem oppositas esse propositiones secundùm dictionem* (ita enim vertunt Burana, & alij) *quidem quatuor; vt omni, ei quod est nulli* (nempe contrariè) *& omni, ei quod est non omni* (idest contradictoriè) *vno modo: & alicui, ei quod est nulli* (idest contradictoriè) *altero modo; & alicui, ei quod non est alicui* (scilicet subcontrariè) *Secundùm autem veritatem tres: alicui enim, ei quod non est alicui, secundùm dictionem solum opponuntur.* Ex quibus ergo verbis apertè colligitur, quòd illa particula *Secundùm dictionem*, non sonat tantùm secundùm vocem, aut nominaliter, vt fortasse putauit Fonseca; sed secundùm prædicationem, hoc est secundùm affirmationem, aut negatio-
C nem, vt optimè interpretati sunt Ægid. roma. atque alii. Ratio enim est, quia si particula illa *tantùm* significaret secundùm vocem, sine causa Philosophus excluderet à ratione oppositionis propositiones subalternas, quas estò non ignorauerit; nihilominùs ipsarum mentionem non fecit, cùm & ipsæ saltem in nomine cum cæteris conueniant. Præterquamquòd, si dici de omni, dici de nullo, & dici de subiecto, &c. nil aliud est, quàm prædicari secundùm affirmationem, aut negationem, vt communiter docent omnes; quare ergo opponi secundùm dictionem, quæ à verbo *dico* deriuatur, non erit opponi secundùm affirmationem, aut negationem. Quapropter sensus illorum verborum tantùm erit, quòd propositiones subcontrariæ non sunt oppositæ secundùm veritatem saltem
D in materia contingenti, sed secundùm affirmationem, & negationem, vt assertum, & explicatum est suprà.

Obijciunt tandem tertiò Mastr., & Bellut. loco suprà citato; quòd subcontrariæ licèt sint affirmantes, vel negantes, non tamen sunt de vno, & eodem subiecto secundùm rem, sed tantùm secundùm vocem, alioquin non possent esse simul veræ, cùm de eodem subiecto non possit idem affirmari, & negari, ideò non sunt verè oppositæ: vnde quando dicitur, Quidam homo est albus; Quidam homo non est albus, est idem subiectum in vtroque, tantùm secundùm vocem, non autem secundùm rem; quia in prima supponit, e. g. pro Petro, qui est albus; & in alia pro alio, nempe pro Paulo, qui non est albus; quòd si supponerent pro eodem homine, tunc non essent subcontrariæ, sed contradictoriæ propositiones: nam affirmatio, & negatio de subiecto singulari pertinent ad op-

ad oppositionem contradictoriam; & facerent hunc terminum, hic homo est albus; hic homo, non est albus. Ex quo sequitur, tantùm duas esse species, &c.

Respondetur, propositiones subcontrarias esse de eodem subiecto secundùm vocem, dupliciter intelligi posse: primò, ita vt more æquiuocorum, ratio importata per illud nomen, quod stat loco subiecti sit essentialiter, & specificè diuersa; & hoc modo negandum est antec. Secundò, ita ut prædicta ratio importata per illud nomen sit tantùm materialiter, & numeraliter diuersa; & sic concedendum est antec. Sed hoc modo esse de eodem subiecto non est esse tantùm secundùm vocem, sed etiam secundùm rem saltem specificè, si non numeraliter sumptam, quod non dedecet oppositionem præcipuè subcontrariarum, cùm nihilominùs habeant idem obiectum secundùm eandem oppositionem, &c. quod est maximum, & præcipuum requisitum illius, sub quo cætera continentur, vt dictum est suprà loco citato nostrarum Instit. Et ratio est; nam cùm propositiones subcontrariè oppositæ ratione signi particularis tam negatiui, quàm affirmatiui afficientis subiectum proximū, sint ambæ de subiecto supponente determinatè, idest pro omnibus suis significatis, non simul, & collectiuè, sed seorsim, & disiunctiuè sumptis, vt dictum est in Instit. lib. 1. cap. 4. & 5. dum in vtraque propositione subiectum supponit pro suo significato disiunctiuè, non variatur subiectum ratione suppositionis, cùm in vtraque propositione suppositio sit eadem, sed tantùm materialiter, & numeraliter, quod nihil facit ad rem nostram.

QVÆSTIO II.

Vtrùm dari possint aliquæ contradictoriæ, quæ simul sint veræ, aut falsæ.

QVia lib. 2 Instit. cap. 8. dictum est, hanc esse legem pro contradictorijs communiter statutā, vt in nulla materia possint esse simul veræ, aut simul falsæ; modò videndum est an saltem in aliquo casu possit dari oppositum. Quare ante resolutionem huiusmodi difficultatis, illud non erit inutile iterum, sed magis clarè, & apertè repetere, quod compendiaria doctrina loco citato nostræ Institutionis tradidimus, dum notauimus suppositionem, quæ prouenit à signis afficientibus subiectum posse aliquando mutari, atque variari; nam licèt ad hoc, vt duæ propositiones opponantur, & præcipuè contradictoriè, eadem seruanda sit in vtraque suppositio, & acceptio terminorum; non tamen omnis diuersitas suppositionis, acceptionisque terminorum euertit contradictionem: suppositio enim distributiua, cum determinata, aut disiunctiua, nullo modo tollit contradictionem, vt manifestè patet in his propositionibus, e. g. Omnis homo est albus; Quidam homo non est albus: nam subiectum in prima supponit distributiuè, nempe pro hoc, aut illo homine seorsim, & copulatiuè; in secunda verò determinatè, nempe pro hoc, & illo homine seorsim, & disiunctiuè; quod pariter dicendum est, quando vniuersalis est negatiua, & particularis A affirmatiua.

Cùm omnes Philosophi communiter doceant, propositiones contradictorias non posse esse simul veras, neque simul falsas; nostrum tantùm erit faciliorem breuioremque viam ad hoc ostendendum indagare.

Notandum est idcirco primò, quòd quando subiectum propositionum oppositarum est terminus communis, & supponit personaliter, seu realiter, requiritur ad oppositionem contradictoriarum, vt vna propositio sit vniuersalis, & alia particularis, vt patet in tabula propositionum oppositarum loco suprà citato. Quando verò prædictum subiectum est terminus singularis, vel communis, supponens copulatè, simpliciter, aut confusè, tunc debet manere in vtraque inuariatum, nulla mutata quantitate. B Et ideò istæ sunt contradictoriæ, Petrus currit: Petrus non currit. Omnes Apostoli sunt duodecim: Omnes Apostoli non sunt duodecim. Ad equitandum requiritur equus: Ad equitandum non requiritur equus. Homo est species: Homo non est species, &c. Si autem mutetur quantitas, non erunt contradictoriæ; vt si dicatur, Omnes Apostoli Dei sunt duodecim; aliqui Apostoli Dei non sunt duodecim, &c. Et ratio est: nam cùm contradictio sit maxima oppositionum, nec possit habere medium; consequens est, vt sit totalis remotio affirmationis per negationem. Qua de causa, quia vniuersalis affirmatiua totaliter remouetur per negatiuam particularem; sicut negatiua vniuersalis, per particularem affirmatiuam quando subiectum earum est terminus communis, & supponit personaliter; ideò in tali casu C contradictio fit mutata quantitate. Cæterùm, quando subiectum earum est terminus singularis, vel communis supponens copulatè, simpliciter, aut confusè; si tunc mutaretur quantitas propositionum, affirmatio non remoueretur totaliter per negationem, vt exempla adducta consideranti patebit; ideò, vt inter similes propositiones maneat contradictio, debet manere eadem quantitas, vt explicatum est.

Notandùm secundò, securiorem modum contradicendi, ne deceptio contingat, esse si in negatiua propositione, negatio non solùm copulæ præponatur, verùm etiam aduerbio, & cuicunque syncategoremati, quod affirmatiuam afficiebat; ita enim fiet, vt verè opponantur, & quid quid in vna affirmatur, in alia negetur: nam de rigore sermonis, negatio D solùm negat quæ post se inuenit, non autem quæ ante se: hac de causa hæ nōn contradicunt, Petrus semper studet; Petrus semper non studet cùm possint simul esse falsæ ex hypothesi, quòd interdùm studeat, interdum non; quare potius sunt contrariæ. Vt igitur contradicant, sic debent accommodari; Petrus semper studet; Petrus non semper studet: nam cùm *non semper*, æquiualeat aliquando non; sicut non omnis, æquiualet aliquis non; sensus secundæ est, Petrus aliquando non studet, quæ ideò opponitur primæ, quæ faciebat sensum vniuersalem quoad tempus, atque ita nunquàm possunt esse simul veræ, vel falsæ.

Dicendum est ergo, quòd contradictoriæ propositiones nunquàm possunt esse simul veræ, aut simul falsæ. Probatur ex illo generali, & infallibili principio, *Idem de eodem simul affirmari, & negari non posse*: in propositionibus autem contradictorijs idem prædicatum eodem modo comparatur ad idem subiectum

in vna affirmatiuè, in alia negatiuè: ergo impossibile est, vtramque esse veram, aut falsam.

Obiicitur primò in oppositum, quòd hæc propositio vniuersalis affirmatiua vera est, scilicet Omne album aliqua albedine est album, vt de se patet; similiter, & ista particularis negatiua vera est, videlicet Aliquod album, aliqua albedine non est album, cùm possit dari aliquod album, quod sit tale, albedine lactis, v. g. non verò albedine niuis; sed huiusmodi propositiones sunt contradictoriæ; ergo possunt dari aliquæ propositiones contradictoriæ simul veræ.

Respondetur negando minorem, cùm negatio in particulari propositione negatiua, non præferatur copulæ totius prædicati, quod erat *aliqua albedine est album*, sed tantùm parti ipsius prædicati, nempe *album*. Quare prædicta propositio particularis negatiua, ad hoc vt contradictoriè opponeretur affirmatiuæ vniuersali, hoc modo ordinari debebat, nempe *Aliquod album non aliqua, vel nulla albedine est album*: cuius ratio est, quia terminus, qui est prædicatum debet semper distribui in aliqua ex contradictorijs, & nunquàm in vtraque manere indistributus; ita vt si non distribuatur in vniuersali affirmatiua, quia in ipsa, ratione signi vniuersalis confunditur, debet distribui in particulari negatiua, ratione negationis; & si non distribuatur in particulari affirmatiua, cùm ibi, ratione signi particularis, intactus relinquatur, debet distribui in propositione vniuersali negatiua, cùm in ipsa, ratione signi vniuersalis negatiui, distribuantur omnes termini tam proximi, quàm remoti. Cæterùm cùm terminus, seu prædicatum illud, siue pars prædicati, nempe *aliqua albedine*, non distribuatur in propositione vniuersali affirmatiua, neque in particulari negatiua propter rationem adductam, prædictæ propositiones non erunt contradictoriæ, cùm terminus ille indistributus remaneat in vtraque, vsque dum in particulari negatiua, ratione negationis immediatè illi coniunctæ, distribuatur, vt patet.

Obiicitur secundò, quòd istæ duæ propositiones sunt contradictoriæ, nempe Omnis hominis alter oculus est dexter; Alicuius hominis alter oculus non est dexter; & tamen, vt constat, sunt simul veræ: ergo, &c.

Respondetur negando maiorem propter adductam superiorem rationem; quia ly *Alter oculus*, in vtraque propositione manet indistributus, nisi dicatur in secunda propositione, Non alter oculus, aut neuter oculus est dexter; tunc enim verè, & propriè contradictoriè opponerentur. Præterquamquòd, ly *alter oculus*, in vtraque propositione est terminus particularis, vt patet per ly *alter* duplicatum, quod est signum particulare: nam licèt Omnis, signum sit vniuersale, Alicuius, particulare; nihilominùs, quia prædicta signa non afficiunt casus rectos, ex quibus attendi debet quantitas propositionis, sed obliquos, nempe ly *hominis*, non constituunt subiectum vniuersale, & prædicatum particulare, vt intendit argumentum; sed vtrunque reliquunt in sua particularitate.

Obijcitur tandem tertiò, quòd hæ pariter propositiones sunt simul veræ, Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur: Aliquis homo seruans aliquod mandatum Dei, non saluabitur; quibus tamen nihil deficit ad veram contradictionem. Et idem etiam videtur dicendum de illis, Omne animal fuit in arca Noe, Aliquod animal non fuit in arca Noe, & alijs huiusmodi: ergo falsa conclusio.

Respondetur negando illas esse contradictorias; quia ly *Omne mandatum*, supponit copulatim in prima propositione, ac proinde, vt verè opponerentur, retinenda erat eadem suppositio in secunda, dicendo: Aliquis homo seruans omne mandatum, &c. Per quod patet ad alias propositiones ibidem adductas: si enim in vtraque seruetur suppositio completa; hoc est si per ly *Animal* intelligatur, non solum species, sed etiam omnia indiuidua; prima est falsa, secunda vera. Si verò in vtraque seruetur suppositio incompleta, hoc est, si per ly *Animal*, tantùm intelligantur species animalium; prima est vera, secunda falsa. Si tandem vtraque sumatur in sensu vero, quem potest habere; vtique variatur suppositio de incompleta in incompletam; atque ita non manet contradictio.

QVÆSTIO III.

Vtrùm propositiones contrariæ, in nulla materia possint esse simul veræ; bene tamen simul falsæ in materia contingenti. Propositiones verò subcontrariæ ex aduersò in nulla materia possint esse simul falsæ; bene tamen simul veræ in materia pariter contingenti.

Relicta lege pro subalternis (de qua satis lib. 2. Instit. cap. 8.) quæ vera oppositione non gaudent; examinandæ tantùm remanent leges, seu regulæ pro contrarijs, & subcontrarijs, prædicto loco in fine capitis statutæ: sed quia prædictarum propositionum, sicut & contradictoriarum, quædam sunt de modo, quædam verò de lege, vt dictum est suprà q. 1. ne aliquod ex earum confusa intelligentia sequatur absurdum, seorsim, atque distinctè ipsarum structurá ante resolutionem excitatæ difficultatis, quæ indifferenter procedit, de vtrisque debemus supponere.

Sciendum est itaque primò pro structura contrariarum, quòd in oppositione contraria, quæ tantùm versatur circa terminos communes; si est contrarietas de modo, idest secundùm quantitatem debitam tali oppositioni, oportet quòd in vtraque propositione maneat eadem vniuersalitas; & si quis terminus tenetur particulariter, mutetur in vniuersalem; vt Omnis homo est albus; Nullus homo est albus. At verò in propositionibus contrarijs, quæ non sunt de modo, sed de lege idest non secundùm quantitatem debitam illi oppositioni, scilicet secundùm vniuersalitatem, sed secundùm veritatem, aut falsitatem ex affirmatione, aut negatione prouenientem; non requiritur nisi vt inueniatur defectus veritatis in illis, hoc est, quòd non possint esse simul veræ, possint autem esse simul falsæ. Consultò dictum est, *Non secundùm quantitatem debitam tali oppositioni*; quia propositiones oppositæ de lege, etiam possunt habere quantitatem,

sed

sed indebitam tali oppositioni contrariæ; vt si dicatur, *Aliquis homo disputat* restringendo ly *aliquis* pro solis masculis: *Omnis homo non disputat*, non restringendo ly *omnis* ad solos masculos; tunc enim vtraque est falsa, & non potest esse vera, supposito quòd fœmina disputaret, & nullus masculus. Vel si dicatur, *Petrus currit*; *nullus homo currit*, quæ similiter sunt ambæ falsæ, supposito quòd Petrus sit mortuus, & Ioannes currat; in quibus omnibus, vel saltem in aliquibus reperitur modus, scilicet quantitas, sed non debita tali oppositioni, cùm in vtraque propositione non sit vniuersalis.

Sciendum est autem secundò pro recta structura subcontrariarum, quòd in oppositione subcontraria, quæ etiam versatur inter terminos communes, requiritur è contrà, quòd si aliqua vniuersalitas datur in vna propositione subcontraria, in alia mutetur in particularem si est subcontrarietas de modo; vt si dicatur, Quidam homo est albus; Quidam homo non est albus. In oppositione autem subcontraria de lege tantùm, non requiritur nisi quòd inueniatur defectus falsitatis, idest quòd non possint esse simul falsæ, licèt possint esse simul veræ; quidquid sit de quantitate indebita tali oppositioni; vt si dicatur, Homo est albus: Aliquis homo non est albus: vtraque enim vera est; cùm in vtraque propositione subiectum supponat determinatè; in prima scilicet ratione materiæ contingentis; in secunda verò ratione signi particularis negatiui absque eo, quòd habeant quantitatem debitam tali oppositioni subcontrariæ cùm tantùm secunda, non prima habeat quantitatem, &c.

Quibus igitur suppositis, omnes Dialectici partem affirmatiuam tuentur. Conimb. tamen hic cap. 7. q. 1. art. 3. licèt in omnibus aliis cum cæteris conueniant, in hoc tantùm sunt differentes, inquantùm scilicet docent, contrarias propositiones esse simul falsas, non solùm in materia contingenti, verùm etiã in materia necessaria, & naturali.

Nos verò communem peripateticam doctrinam sequentes, tantùm laborabimus id hoc, vt quantùm fas est, tradantur aliquæ certæ, ac determinatæ regulæ ad discernendas à falsis, & impropriis, veras, & proprias contrarias, atque subcontrarias propositiones: nam ex tali cognitione non erit postea difficile ostendere, atque probare veritatem communis affirmatiuæ opinionis, & sophistica contraria argumenta penitus dirimere.

Notandum est idcirco primò, quòd ad cognoscendum propositiones contrarias tam de modo, quam de lege, hæc regula seruanda est, nempe quòd duarum propositionum oppositæ qualitates circa eadem extrema, affirmatiua inferat contradictoriam negatiuæ, sed non inferatur ex illa; vt si dicatur, Omnis homo est albus: Nullus homo est albus: istæ enim propositiones sunt contrariæ de lege, & de modo; quia Omnis homo est albus, infert quòd quidam homo sit albus, quæ est contradictoria huic, scilicet nullus homo est albus. Et Omnis homo est albus, non infertur ex illa particulari affirmatiua; quia à particulari ad vniuersalem non valet consequentia. Item hæ propositiones sunt contrariæ de lege tantùm (si explicentur tamen modo superiùs tradito) scilicet Petrus currit: Nullus homo currit: nam affirmatiua illa, Petrus currit, infert contradictoriam nega-

A tiuæ, nempe nullus homo currit, quæ est quidam homo currit, & non infertur ex illa, cùm non valeat hæc consequentia, scilicet quidam homo currit: ergo Petrus currit, cùm possit etiam currere Paulus. Ratio autem huiusmodi regulæ est; nam cùm propositio contradictoria negatiuæ inferatur ex affirmatiua; si affirmatiua vera est, vera erit etiam prædicta contradictoria; & consequenter propositio negatiua, illi contradictoriè opposita, erit falsa, atque ita vna vera, nempe prima; altera erit falsa. Si verò ex alio capite propositio contradictoriè opposita negatiuæ sit vera, non sequitur tamen veram etiam esse propositionem affirmatiuam, ex qua infertur, cùm possit esse falsa ratione malæ consequentiæ, nempe à particulari ad vniuersalem; & consequenter poterunt ambæ esse B falsæ; & sic non poterunt non opponi, nisi contrariè, cùm ambæ falsæ esse possint, veræ autem nequaquam, quæ est conditio indispensabilis prædictæ oppositionis contrariæ, vt infra probabitur.

Notandum secundò, quòd ad cognoscendum propositiones subcontrarias tam de modo, quàm de lege hæc alia regula vicè versa inuenta est; nempe, quòd duarum propositionum oppositæ qualitates circa eadem extrema, affirmatiua non inferat, sed inferatur ex contradictoria negatiuæ; vt si dicatur, Quidam homo est albus; Quidam homo non est albus: istæ enim propositiones sunt oppositæ subcontrariè de lege, & de modo, quia particularis non infert, sed infertur ex vniuersali opposita negatiuæ particulari; vt patet; quidam enim homo albus est; quia omnis homo est albus. Similiter istæ propositiones, nempe C Homo est albus; Quidam homo non est albus, sunt oppositæ subcontrariè de lege tantùm (modo tamen superiùs explicato) quia *homo est albus* determinatè acceptus infertur ex opposita contradictoriè negatiuæ, nempe vel ex ista Omnis homo est albus; vel ex alia, scilicet Homo est albus distributiuè supponens: Et ratio huiusmodi regulæ est; nam cùm propositio contradictoria negatiuæ non inferatur, sed inferat propositionem affirmatiuam; si prædicta contradictoria vera est, erit pariter vera propositio affirmatiua, quæ ex ea infertur, & consequenter negatiua erit falsa; atque ita, vna vera, prima scilicet; falsa secunda. Si verò ex alio capite affirmatiua vera est; poterit contradictoria negatiuæ esse falsa, cùm non inferatur ex prædicta affirmatiua; & consequenter D negatiua illi contradictoriè opposita poterit esse vera, atque ita erunt ambæ veræ, quare non poterunt non opponi, nisi subcontrariè, cuius oppositionis indispensabilis conditio est, vt probabitur paulò inferiùs, quòd propositiones tali modo oppositæ pugnent in falsitate, non autem in veritate.

Ex quibus tandem possumus sine hæsitatione inferre, quòd prædictæ regulæ adeò veræ sunt, vt si propositiones contrariæ, eas vndecunque non adæquent, nunquam pro contrariis propriè, & in rigore recipiendæ sint.

Dicendum est ergo primò, quòd propositiones contrariæ in nulla materia possunt esse simul veræ, bene tamen simul falsæ in materia contingente. Probatur prima pars: nam si staret oppositum, darentur etiam duæ contradictoriæ simul veræ: hoc non est dicendum: ergo, &c. Minor patet ex dictis quæstione antecedenti. Maior autem probatur: nam si hæ

propositiones, è. g. Omnis homo est albus: Nullus homo est albus, essent ambæ simul veræ; etiam propositiones subcontrariæ, nempe Quidam homo est albus; Quidam homo non est albus, essent ambæ veræ, cùm vtraque particularis sit, & ex sua inferatur vniuersali; sed particularis affirmatiua contradictoriè opponitur vniuersali negatiuæ: & negatiua particularis, vniuersali affirmatiuæ: ergo darentur simul duæ, quinimmo potiùs quatuor contradictoriè opposita veræ: nempe Omnis homo est albus: Quidam homo non est albus: & Nullus homo est albus: Quidam homo est albus.

Probatur secunda pars: nam supposito, quòd istæ duæ propositiones particulares veræ sint, nempe Quidam homo est albus: Quidam homo non est albus, sicut de facto veræ sunt ratione materię contingentis: consequenter propositiones vniuersales illis contradictoriè oppositæ, erunt ambæ falsæ; præcipuè cùm vniuersales ex particularibus non inferantur, vt dictum est: sed prædictæ propositiones vniuersales, quæ illis particularibus opponuntur contradictoriè, sunt inter se contrariæ: ergo in materia contingente possunt dari duæ contrariæ simul falsæ.

Dicendum est secundò, quòd propositiones subcontrariæ in nulla materia possunt esse simul falsæ; bene tamen simul veræ in materia contingente. Probatur prima pars, ex qua probatione, etiam optimè deduci potest probatio secundæ partis, vice versa, & per contraria: Quoniam in nulla materia duæ contradictoriæ possunt esse simul veræ, & simul falsæ, vt dictum est: sed si duæ subcontrariæ in aliqua materia essent simul falsæ, tunc darentur duæ contradictoriæ simul veræ, & simul falsæ: ergo, &c. Minor probatur. Darentur duæ contradictoriæ simul veræ, quia si subcontrariæ sunt simul falsæ, earum contradictoriæ erunt necessariò veræ ex dictis: sed cùm prædictæ contradictoriæ veræ, sint duæ vniuersales inter se contrariè oppositæ, & ex duabus contrarijs veris sequantur non solùm duæ, sed etiam quatuor contradictoriæ veræ, vt dictum est: ergo darentur duæ contradictoriæ simul veræ. Darentur etiam duæ contradictoriæ simul falsæ; nam licèt ex veritate particulari non rectè inferatur veritas vniuersalis; rectè tamen infertur falsitas vniuersalis ex falsitate particulari: eò enim ipso, quòd prædicatum remouetur ab aliquo inferiori contento sub subiecto non ampliùs conuenit illi subiecto vniuersaliter sumpto: ergo ex his duabus subcontrariis, scilicet Aliquis homo est albus: Aliquis homo non est albus, inferrentur istæ contradictoriæ simul falsæ, vel scilicet Omnis homo est albus: Aliquis homo non est albus; vel Nullus homo est albus: Aliquis homo est albus.

Dicet fortasse aliquis, has, & prædictas rationes tantùm habere vim in oppositis de lege, & de modo; non autem de lege tantùm, vbi non datur semper quantitas, seu vniuersalitas, & particularitas propositionum.

Respondetur, quòd licèt in oppositis de lege tantùm, non detur particularitas, & vniuersalitas semper ratione signi, &c. datur tamen semper, ratione suppositionis, restrictionis, ampliationis, &c. quæ proprietates terminorum æquiualent quantitati propositionum, vt consideranti patere poterit. Quod tamen applicandum est duntaxat ad illas suppositiones, ampliationes, &c. de quibus suprà q. 2. quæ non euertunt contradictionem, nec variant subiectum, itaut non sit aliquo modo idem, de quo affirmatur, & negatur.

A

Obiicitur primò in oppositum secundæ partis primæ conclusionis; quòd contradictoriæ in nulla materia queunt esse simul veræ, vel falsæ, quia affirmatiua totaliter remouetur per negatiuam: sed hoc idem accidit in contrarijs; quia hæc propositio, e. g. Omnis homo est animal, totaliter per hanc remouetur, Nullus homo est animal, & inter eas nullum relinquitur medium: ergo in nulla materia queunt esse simul falsæ.

Respondetur, affirmatiuam vniuersalem vt sic non remoueri totaliter per negatiuam vniuersalem; nam inter omne, & nullum mediat aliquis; atque ita vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua, verè habent medium. Interdum tamen ratione materiæ naturalis scilicet, vel impossibilis, medium non admittunt, vt patet in exemplo allato in argumento, eadem enim ratione, qua verum est aliquem hominem esse animal, verum est etiam ratione materię naturalis omnem hominem esse animal; hinc est, quòd diximus non in materia naturali; sed contingenti duas contrarias posse esse simul falsas.

B

Obiiciunt secundò in oppositum eiusdem secundæ partis Conimb. loco suprà citato; quòd quando prædicatum est minùs vniuersale, quam subiectum, vt patet in istis contrarijs, Omne animal est homo: Nullum animal est homo; etiam in materia necessaria, & naturali sunt ambæ propositiones simul falsæ: ergo malè affertur; quòd tantùm in materia contingenti possint esse simul falsæ.

C

Respondetur, quòd quando prædicatum est minùs vniuersale, quàm suum subiectum; hoc est, quando interiùs prædicatur de suo superiori in aliqua propositione, tunc propositio illa dicitur indirecta, & reducitur ad genus materiæ contingentis; quia non minùs accidit tale prædicatum illi subiecto, nempe Homo, Animali, quàm quodlibet aliud prædicatum, quod non est de essentia, vel propria passio subiecti: Qua de causa non est mirum, quòd allatæ propositiones contrariæ, sint ambæ falsæ; quia verè, & propriè non sunt in materia naturali, & necessaria, vt docent Conimbricenses.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum secundæ conclusionis; quòd istæ duæ propositiones sunt subcontrariæ, cùm sint indefinitæ, affirmatiua, & negatiua, nempe Homo albus omnem colorem habet: Homo albus nullum colorem habet; & vtraque est falsa, vt patet: ergo, &c. Nec obstat, quòd non sunt duæ particulares, sed duæ indefinitæ; quoniam idem est iudicium de particularibus, & indefinitis, vt dictum est suprà lib. 2. Instit. cap. 6.

D

Respondetur, quòd illæ duæ propositiones non sunt propriè subcontrariæ, sed potiùs contrariæ ex parte prędicati propter ly *omnem colorem*, & *nullum corolem*. Contrariæ autem in materia contingenti, vt diximus, possunt esse simul falsę. Si autem velimus eas reducere ad subcontrarias, debemus dicere, Homo albus omnem colorem habet: Homo albus non omnem colorem habet; & tunc affirmatiua est falsa, & negatiua est vera: sunt etenim in materia necessaria; quoniam licèt color respectu hominis

minis vt sic, sit accidens; respectu verò hominis albi, esse prædicatum necessarium, & essentiale: albedo enim essentialiter est color, vt patet.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm propositiones de præterito, & de præsenti sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ.

EXplicatis legibus propositionum oppositarum, quando scilicet, & quomodo in vnaquaque materia possint, & debeant esse veræ, vel falsæ; nunc opportunè existimamus quærendum, an quando veræ vel falsæ sunt determinatè tales sint, adeòut determinatam, & existentem rem, seu obiectum significent, nec ne.

Quia verò in materia necessaria, & impossibili nulla est difficultas; cùm in necessaria propter necessariam connexionem prædicati cum subiecto non possint non esse determinatè veræ affirmatiuæ,& negatiuæ falsæ, & in impossibili, vice uersa, propter repugnantiam prędicati cum subiecto non possint non esse determinatè falsę affirmatiuæ, & negatiuę veræ: tantùm remanet dubium non spernendum propter nonnulla argumenta, in materia contingenti, vbi determinatio non datur, sed contingentia: In tali autem materia contingenti propositiones possunt esse in triplici differentia; alię enim sunt de pręterito, alię de pręsenti, & alię de futuro. Illis autem de futuro relictis de quibus infrà q. vltima, cùm maiorē inuoluant difficultatem; modò examinabimus tantùm eas, quę de præterito, & pręsenti dicuntur, an videlicet sint determinatè, vel potiùs indeterminatè, & contingenter verę, aut falsę.

Sciendum tamen est, quòd propositiones tam de pręterito, quàm de præsenti (quod etiam de futuro, suo loco affirmandum est) sunt in duplici differentia; aliæ enim sunt de subiecto communi, & vniuersali, vt homo est, vel erat albus; aliæ verò de subiecto singulari, vt Petrus est, vel erat albus. De vtrisque autem procedit præsens difficultas; in qua omnes Doctores conueniunt partem affirmatiuam sustinendo, licèt diuersa diuersi ad argumenta contraria respondeant; quare nostrum tantùm erit adducere rationem pro tali sententia, atque argumenta opposita, vel secundùm traditam, vel saltem non repugnantem doctrinam euacuare.

Dicendum est ergo, quòd propositiones tam de præterito, quàm de præsenti sunt determinatè veræ, aut determinatè falsę. Probatur: quoniam tunc vna propositio determinatè est uera, si determinatè afferat esse, quod est; falsa uerò si determinatè afferat esse, quod non est, uel neget esse quod est: sed hoc modo semper se habent propositiones tam de præterito, quàm de præsenti: ergo prædictæ propositiones semper sunt uel determinatè ueræ, uel determinatè falsę. Maior patet ex illo communissimo axiomate, Secundùm

A quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa. Minor verò probatur: nam illa propositio determinatè afferit esse, quod est, quando id, quod est, determinatum est quòd sit; idest quando non ampliùs continetur in potentia, & virtute suarum liberarum causarum, in quibus supponimus tantùm indeterminatè, & contingenter posse contineri; sed quando de facto consistit, vel aliquando consisterat extra suas causas. Illa verò propositio èconträ determinatè asserit esse, quod non est, vel negat esse, quod est, quando id, quod afferit esse, adhuc continetur prædicto modo intra suas causas, vel quando id, quod est de facto est, vel fuerat aliquando extra suas causas: sed hoc modo tantùm, & non alio propositiones de præterito; & de præsenti afferunt esse, quod est; vel negant esse, quod non est, vel negant esse, quod est:
B ergo determinatè affirmant, aut negant, &c.

Contra istam firmissimam Aristotelis rationem posset quis tamen insurgere dicendo, non esse semper verum, quòd propositiones sint semper determinatè veræ, aut determinatè falsæ, quando ipsarum significata consistunt, uel non consistunt extra suas causas. Tum quia potest dari casus, quòd quando aer actu illuminatur, & paries actu uidetur, &c. quis formet has propositiones de præterito.aer est illuminatus, & paries est uisus, quæ utique determinatè ueræ sunt, & tamen ipsarum significata, nempe talis illuminatio, & talis uisio, tempore illo præterito, non erant extra suas causas, cùm huiusmodi res sint de numero illarum, quæ tunc primo sunt, quando significantur de præterito, quia incipiunt per primum sui esse, idest
C immediatè anteà non erant.

Tum etiam quia in instanti quo profertur huiusmodi proposit o de præsenti, scilicet Petrus mouetur, non datur motus extra suas causas, cùm motus ne queat fieri in instanti: ergo in tali casu significatum prædictæ propositionis non consistet extra suas causas, & tamen huiusmodi propositio est determinatè uera, ut patet.

Tum denique, quia si proferatur hæc propositio de futuro, uidelicet Petrus lauabit manus, e. g. & de ea quis dicat, hæc propositio est uera; quæritur modò, an hæc secunda propositio debeat esse, uel determinatè uera, uel determinatè falsa. Equidem si allata conclusio est uera, cùm sit prædicta secunda propositio de præsenti, non poterit non esse uel determinatè
D uera, uel determinatè falsa, & nihilominùs significatum ipsius, idest Petrus lauabit manus, non est adhuc extra causam, cum sit futurum contingens: ergo non erit necesse, quòd significatùm propositionis ueræ, affirmatiuæ, aut falsæ negatiuæ sit extra causam.

Respondetur tamen facilè, & primò ad primam rationem, illas propositiones dupliciter accipi posse; uel nominaliter, ita scilicet ut faciant huiusmodi sensum, Aer nunc actuatur à lumine, & paries à uisione; uel per modum participij præteriti temporis, seu uerbaliter, ita ut alium sensum faciant nempe Aer fuit illustratus, & paries uisus. Hoc secundo modo non habent significatum extra causas, ut probat argumentum, & ideò non sunt determinatè ueræ, ut supponit præfatum argumentum, sed determinatè falsæ. Primo uerò modo habent suum significatum extra causas, etque ideò sunt determinatè ueræ, ut dictum est, & de præsenti.

Ad

Ad secundam verò rationem respondetur, non esse necessarium significatum successiuum propositionis de præsenti, quemadmodùm est motus, consistere extra suas causas in illo instanti, in quo ipsa propositio profetur (supposito tamen, quòd proferatur in aliquo instanti) cùm de ratione successiuorum sit incipere per ultimum non esse, idest in tempore immediatè sequenti post illud instans: sed tantùm esse necessarium consistere extra suas causas in tempore, quo significatur per uerbum est, hoc est in tempore præsenti, cùm significata, eo modo debeant uerificari, quo significantur, non quo proferuntur.

Ad tertiam tandem rationem respondetur, falsum esse, quòd significatum illius secundæ propositionis, quod est tantùm ipsa prima propositio, non sit extra suas causas, cùm supponatur prolata: quare prædicta secunda propositio erit determinatè uera si conformetur primæ propositioni, & faciat hunc sensum, nempe hæc propositio est indeterminatè, & contingenter vera: erit autem determinatè falsa, si faciat hunc sensum, scilicet hæc propositio est determinatè uera, cùm illi primæ non conformetur, quæ tantùm est de futuro, & contingenter uera.

Obiicitur primò in oppositum probando propositiones de præterito non esse determinatè ueras, aut determinatè falsas; nam propositiònes de præterito contingenti, de quibus est sermo, enunciant prædicatum contingens de subiecto: ergo nequeunt esse determinatè ueræ, aut determinatè falsæ, nisi quando tale prædicatum de facto coniungitur suo subiecto, licèt aliàs sit extra suas causas. Sed quando prædictæ propositiones enunciant prædicatum contingens de subiecto, licèt iam existat extra suas causas, de facto tamen illi non coniungitur: ergo nunquam possunt esse determinatè uerę, aut determinatè falsę. Hęc vltima consequentia bene deducitur. Antec. & minor subsumpta non indigent probatione, ut de se patet. Prima uerò consequentia probatur; quoniam prędicatum contingens, ad differentiam prędicati necessarii nequit enunciari de subiecto, nisi quando de facto illi coniungitur: ergo nequeunt esse determinatè uerę, aut determinatè falsę, nisi quando de facto tale prędicatum coniungitur suo subiecto.

Respondetur, prędicatum contingens non oportere, ut sit coniunctum subiecto in tempore, quo propositio affertur, ut dictum est suprà; sed in eo, quod per eandem significatur: nam ratione illius temporis significati, tantùm uerificatur propositio. Vnde sufficit, quòd illud prædicatum contingens in tempore præterito copulatum fuerit subiecto.

Obiicitur secundò idem probando, nam propositio de præterito ut sit uera, supponit aliquam de præsenti, ut dictum est lib. 2. Instit. cap. 1. sed huiusmodi propositio nempe, Nestor uixit centum annos, nullã habet de præsenti ueritatem: nunquam enim uerum fuit dicere, Nestor uiuit centum annos: ergo, &c.

Respondetur pariter, quòd prędicatum contingens successiuum de præterito, debet verificari per prędicatum similiter contingens successiuum de pręsenti, cùm per talem propositionem ita significetur. Nestor autem viuit centum annos, non est prędicatum de pręsenti successiuum, sed tantùm simul: quare sufficit ad ueritatem propositionis de pręterito, quòd vna, uel multę de pręsenti sint ueræ: fuerunt autem uerę tot propositiones de præsenti, quot requiruntur ad hoc, vt hæc sit vera, Nestor vixit centum annos, nempe Nestor viuit hoc anno, viuit hoc anno, viuit hoc anno, &c.

Obiicitur tandem tertiò, probando propositiones de præsenti non esse determinatè veras, & proportione seruata, nec determinatè falsas; quoniã vel aliqua propositio de præsenti est determinatè vera ex suppositione quòd res significata per ipsam sit; vel absolutè. Si primum, non est sufficiens ratio, alioqui etiam propositiones de futuro, facta suppositione quòd res sit futura erunt determinatè veræ. Secundum quoque non est affirmandũ; quia res contingens significata per talem propositionem, etiam in instanti, quo est, manet contingens, & consequenter non determinata, sed indifferens vt sit, vel non sit: ergo sicut propositio de futuro non est determinata; sed contingens, quia res per ipsam significata est indifferens ad existendum, & non existendum: ita propter eandem rationem, enunciatio de præsenti, non determinatè, sed tantùm contingenter erit vera.

Respondetur concedendo vtranque partem dilemmatis. Ad probationem autem in contrarium primæ partis dicendum est, diuersas esse suppositiones, & hypotheses propositionis contingentis de præsenti, ac de futuro; nam prima suppositio est quidem rei contingentis, sed iam determinatæ per suam existentiam extra omnes causas; & ideò si propositio de præsenti est vera, aut falsa, est determinatè vera, aut determinatè falsa. Secunda verò suppositio est similiter rei contingentis; sed non iam determinatè per suam existentiam extra proprias causas, cùm adhuc supponatur in virtute, & potentia suæ causæ liberæ, & adhuc posit esse, & non esse atque ideò si propositio de futuro, vera aut falsa est, est semper pariter aut vera, aut falsa indeterminatè, & contingenter. Ad probationem autem in contrarium secundæ partis similiter respondetur, longè diuerso modo esse indifferentem rem contingentem futuram, ac præsentem: hæc enim ita est indifferens, vt iam habeat vnam partem determinatam, ratione cuius, propositionis veritas determinata sit: res verò futuram nullam adhuc partem habet, per quam determinet propositionem.

QVÆSTIO V.

Vtrum propositiones contingentes de præterito, & de præsenti sint ita determinatè veræ, aut determinatè falsæ, vt nunquam possint mutari de veris in falsas, & è contrà.

EXcluduntur meritò propositiones necessariæ, & impossibiles, quoniam necessariæ sunt adeò veræ, & impossibiles sunt adeò falsæ ex sui natura, vt vera nequeat mutari in falsam, & è contrà: & ratio est, quia necessaria veritas in eis prouenit ex ipsa necessitate, & immutabilitate obiecti, quod non potest aliter se ha-

se habere; nam essentiæ rerum sunt inuariabiles, & ideò propositiones de prædicatis spectantibus ad essentiam rei in primo, & secundo modo dicendi per se, nequeunt non conformari obiecto: & è contra, propositiones in materia impossibili propter repugnantiam terminorum, non possunt conformari obiecto. Hac de causa dicuntur æternæ veritatis, vel falsitatis, quatenus scilicet si fuissent etiam ab æterno prolatæ, semper fuissent veræ, aut falsæ, quare copula dicitur absolui ab omni temporis differentia, vt dictum est suprà disput. 23. q. 4. notan. 2.

Coarctatur ergo præsens difficultas ad propositiones contingentes de præterito, & de præsenti tantùm (de futuro nanque, videbimus in sequenti quæstione) quæ sunt in duplici differentia; quædam enim determinatam, & certam partem temporis consignificant, vt Petrus per totam horam studet, aut studuit; quædam verò indeterminatam, & confusam temporis partem consignificant, vt Petrus studet, vel studuit. De primis profectò non procedit quæstio (modo tamen explicando) nam propositiones prædictæ, non tantùm de præterito, verùm etiam de præsenti, sunt adeò veræ, aut adeò falsæ, vt non possint successiuè in falsas, aut veras mutari; quia si in vno instanti illius horæ Petrus non studeret, propositio Petrus studet per totam horam, est absolutè falsa; nam se habet vt propositio copulatiua, copulans omnes partes illius horæ cum studio Petri: ad falsitatem etenim copulatiuæ sufficit, vt vna pars sit falsa; iuxta illam regulam, Ad veritatem disiunctiuæ sufficit, quòd vna sit uera; & ad falsitatem copulatiuæ, quòd vna sit falsa. Quæstio igitur tantùm erit de secundis, quæ scilicet confusam, & indeterminatam partem temporis consignificant.

Quia verò prædictæ propositiones tam de præterito, quàm de præsenti, possunt dupliciter considerari; vel scilicet ab initio, vel successiuè à parte post: certum est non solùm propositiones certam temporis partem significantes, successiuè, & à parte post non posse mutari propter rationem adductam; verùm etiam propositiones de præterito tam certam, quam incertam temporis partem consignificantes, cùm id, quod factum, & præteritum est, mutari, aut variari nequeat. Qua de causa adhuc coarctanda est quæstio ad solas propositiones de præsenti, certam temporis partem consignificantes; nec non de præterito, ab initio tamen vtrasque consideratas; sicut etiam ad propositiones de præsenti, confusam temporis partem consignificantes, successiue tamen, & à parte post consideratas; quærendo scilicet, an possint mutari de veris in falsas, &ècontrà.

Hoc tamen, antequàm ad Doctorum sententias veniamus explicandas, non est ignorandum, quòd licèt præsens quæstio præcipuè excitetur de propositione mentali; non tamen ita restringi debet ad ipsam, vt penitus excludatur propositio vocalis: quoniam intantùm de propositione mentali hic est præcipua cura, inquantùm de ipsa maiores extant difficultates.

Prima ergo sententia affirmat, non solùm propositionem contingentem, successiuè nullo modo fieri posse de vera falsam, sed etiam ab initio, sicut, & è contrà, de falsa fieri veram. Vnde asserunt hanc propositionem veram, e. g. Petrus currit, ita essentialiter repræsentare ex sui natura cursum Petri; vt si Petrus non curreret, & ab intellectu pro eo tempore eliceretur prædicta propositio (quæ propter non existentiam cursus Petri, esset falsa) non esset, inquiũt eadem, sed diuersa ab illa. Ita Hurt. disput. 9. de Anima sect. 3. & 4. Smisinchus de Deo vno tract. 3. disput. 1. n. 33. Ouied. controu. 7. de Ani. puncto 2. & alij.

Secunda verò sententia docet, propositionem contingentem tantùm successiuè non posse fieri de vera falsam, & ècontrà; non autem ab initio. Ita Auersa q. 24. log. sect. 7. & Arriaga disput. 14. log. sect. 1. & 2. quos secutus est Poncius hic disput. 19. q. 3.

Tertia tandem sententia ècontra docet, propositionem contingentem de præsenti, & de præterito, eandem numero ab initio potuisse fieri veram, aut falsam; & illam de præsenti, indeterminatam partẽ temporis consignificantem, etiam successiuè posse de vera in falsam, aut ècontrà, mutari. Ita Philosophus cap. de subst. D. Tho. p. p. q. 14. art. 5. ad 3. Scot. 4. Sent. dist. 8. q. 2. Suar. disp. 8. Metaph. sect. 2. Ruu. hic cap. 4. q. 5. Amic. tract. 21. disput. 4. q. 1. dub. 2. Mastr. & Bellut. disput. 10. q. 2. art. 2. & ferè omnes.

Notandum est idcirco primò, inter propositionem, certam temporis partem consignificantem, & inter propositionem, confusam temporis partem consignificantem, hoc præcipuum intercedere discrimen; nimirum quòd licèt prima explicari nequeat disiunctiuè hoc est in ea non possit fieri descensus disiunctiuus, dicendo, Petrus, vel in hac parte horæ disputat, vel in ista alia, &c. potest tamen optimè explicari copulatiuè, per descensum scilicet copulatiuum, dicendo; Petrus in hac parte horæ disputat, & in ista disputat, & in ista alia disputat, &c. Secunda verò, nec disiunctiuè, nec copulatiuè explicari potest. Ratio enim est; nam in prima tempus per ipsam consignificatum, licèt natura sua sit successiuum, tamen se habet vt quoddam totum determinatum, atque simul acceptum saltem obiectiuè: intellectus enim explicitè tunc aduertit ad omnes horæ partes, illasque simul in vnũ colligit simultate obiectiua; atque ita estò non possit explicari per descensum disiunctiuum, cùm non significet quoddam determinatum disiunctiuè, sed coniunctiuè tantùm; nihilominùs optimè explicari potest per descensum copulatiuum, cùm significet quoddam totum simul, & coniunctiuè, modo tamen explicato, hoc est simultate obiectiua. In secunda verò, intellectus ècontrà non aduertit explicitè, & determinatè partes temporis; sed solùm consignificantur secundùm coexistentiam illam successiuam, quam dicunt ad propositionem in intellectu permanentem, & consequenter vna post aliam consignificatur, & independenter ab altera. Quare non poterit explicari prædicta propositio per descensum disiunctiuum, cùm tempus consignificatum vagè, & indeterminatè in illa, potiùs consignificetur vt copulatum quoddam confusè, quàm vt quoddam disgregatum, & diuisum distinctè. Neque minùs poterit explicari per descensum copulatiuum, cùm partes temporis tunc non sint simul, sed successiuè vna post aliam, & independenter ab altera, vt dictum est. Qua de causa, regula illa, videlicet Quod ad falsitatem potentialem copulatiuæ sufficit, vt vna sola categorica sit falsa: & ad

ad veritatem totalem disiunctiuae sufficit, quòd vna categorica sit vera, non habet locum in propositionibus confusam temporis partem consignificantibus, cùm explicari nequeant per descensum, neque copulatiuum, neque disiunctiuum; sed tantùm in propositionibus certam, & determinatam temporis partem significantibus, cùm saltem explicari possint per descensum copulatiuum.

Notandum secundò, quòd quando propositiones contingentes, confusam, & indeterminatam temporis partem consignificantes, habent pro subiecto terminum communem, remque permanentem significantem, vt e. g. Homo currit, rectè possunt explicari vel copulatiuè, dum praedictus terminus communis afficitur signo vniuersali affirmatiuo, vt Omnis homo currit, dicendo, Petrus currit, Paulus currit, Franciscus currit, &c. vel disiunctiuè, dum praedictus terminus afficitur signo particulari affirmatiuo, vt Aliquis homo currit, dicendo, vel Petrus currit, vel Paulus currit, &c. Ratio enim est; quia tunc non explicantur ratione temporis indeterminatè, & confusè consignificatis, sed ratione suppositionis ipsius termini communis per ordinem ad sua inferiora, cùm suppositio, propriè conueniat termino communi in ordine ad sua inferiora, non autem in ordine ad ea, quae vt concomitantia se habent, quale est tempus per verbum significatum. Ea propter, quando terminus praedictarum propositionum supponit distributiuè, vt Omnis homo currit, poterit optimè explicari copulatiuè, vt dictum est. Quando verò terminus praedictarum supponit determinatè, vt Homo currit; vel Aliquis homo currit, optimè poterit explicari disiunctiuè, vt similiter dictum est. Quamobrem non erit mirum, quòd praedictae propositiones non possint mutari de veris in falsas, & è contrà, cùm explicentur vel coniunctiuè, vel disiunctiuè, saltem ratione termini communis, in ipsis considerati, vt patet.

Dicendum est ergo primò, quòd eadem numero propositio contingens, tam de praeterito, quàm de praesenti, ab initio potuit fieri vera, quae modò est falsa; aut falsa, quae modò est vera. Probatur: nam haec est differentia inter propositionem necessariam, & contingentem, quòd illa est ita vera ex sui natura, vt nullatenus possit fieri falsa; haec verò è contrà non est ita vera, vt non possit fieri falsa, vt hoc nomen *Contingens* manifestat: ergo eadem numero propositio contingens, ab initio potuit fieri vera, &c. Antec. patet ex dictis in Instit. Conf. verò probatur: quoniã si res è contrà se haberet, non esset propositio contingens, cùm de ratione ipsius sit, vt eadem numero permanens ab initio sui indifferenter se habeat, tam ad veritatem, quàm ad falsitatem significandam, vt dictũ est: ergo, &c.

Respondent Aduersarij negando antec. docentque propositionem appellari contingentem, non quia ipsa in se possit esse vera, vel falsa; sed quia significatum praedicati contingenter conuenit subiecto: quare tota contingentia se tenet ab extrinseco, ex parte scilicet conceptus obiectiui significati per praedicatum, non verò ab intrinseco, nempe ex parte ipsius propositionis. Et sic inferunt, quod quando affirmatur, vel negatur praedicatum contingens de aliquo subiecto, & facit propositionem falsam, talis propositio non est eadem, licèt sit de eisdem terminis, sed diuersa

A ab ea quando praedictum praedicatum contingens affirmatur, vel negetur de eodem subiecto, & facit propositionem veram.

Contra tamen est primò, quòd non tantùm ratione materiae, propositiones necessaria, & contingens inter se differunt, & distinguuntur, sed formaliter, & intrinsecè; cùm forma, & actus sint id, quod praecipuè distinguit, & facit differre, cùm sint pariter id, quod constituit. Quo supposito, sic arguitur: Propositio necessaria differt, & distinguitur à contingente, non tantùm quia conceptus obiectiuus significatus per praedicatum, in ipsa necessariò conuenit subiecto; quod est distingui ab extrinseco, ratione materiae, scilicet tantùm obiectiuè consideratae; sed praecipuè quia est aeternae, & immutabilis veritatis, quod

B est distingui ab intrinseco, ac ratione propriae formae secundùm se consideratae: ergo pariter propositio contingens non debet ab ea distingui ratione tantùm conceptus obiectiui, contingenter conuenientis subiecto, significati per praedicatum in ipsa; sed quia est mutabilis veritatis, aut falsitatis. Consequentia patet ex paritate rationis. Antec. autem sic probatur: nam si propositio necessaria non distingueretur à contingente praedicto modo, sed vtraque in hoc conueniret, quòd esset aeternae, & immutabilis veritatis, vt docent Doctores primae sententiae, tunc propositio contingens esset pariter necessaria, & scientifica, vtpote aeternae ueritatis, quod non est admittendum, vt dicetur in libris Poster. ergo non tantùm debent distingui per conceptus obiectiuos, &c. sed quia una est immutabilis ueritatis, altera uerò mutabilis, &

C contingentis. Praeterquamquòd, si propositio contingens est talis, ratione contingentiae rei obiectiuè per praedicatum in ipsa significatae, ut concedunt Aduersarij; non poterit consequenter non habere contingentem, & mutabilem ueritatem; cùm Philosophus 9. Met. 22. ex necessitate, & contingentia rerum significatarum, &c. optimè inferat necessitatem, uel contingentiam ueritatis propositionum.

Contra insuper est secundò, quòd ex illa doctrina (uidelicet, quòd dum una propositio de eisdem terminis esset falsa, quae priùs erat uera, non esset essentialiter eadem cum illa, sed diuersa) sequeretur ut plurimùm, causari actum falsum, & à nullo causari, quod quidem repugnat: ergo, &c. Probatur sequela: nam talis actus falsus, necessariò pro causa respicere

D debet uel intellectum, uel obiectum, uel Deum à sufficienti diuisione: sed non respiceret intellectum, cùm intellectus ex se intendat producere actum uerum essentialiter distinctum per Aduersarios ab actu falso, quem supponit iam produxisse per primam propositionem: neque similiter respiceret obiectum, cùm obiectum non producat aliquid in actu sine concursu intellectus: neque tandem respiceret ipsum Deum, cùm Deus ex communi Theologorum sententia non determinet ad errorem, neque ad peccatum: ergo praedictus actus falsus causaretur, cùm sit quid creatum, & à nullo causaretur. Videantur Mastr. & Bellut. loco citato, qui per extensum Aduersariorum rationes, praefato modo impugnant.

Dicendum est secundò, quòd vna, & eadem propositio de praesenti indeterminatam partem temporis significans, successiuè potest de vera in falsam, & è contrà de falsa in veram mutari.

Proba-

Probatur; nam si quis ex prudenti motiuo, & probabilissimis coniecturis iudicet, Petrum e. g. currere; cursu Petri existente, iudicium illud est verum; si autem cesset Petrus currere, & idem permaneat iudicium; euadit falsum propter carentiam conformitatis cum obiecto in se: ergo poterit eadem propositio successiuè de vera in falsam mutari, & è contrà.

Respondent primò Aduersarii, quòd in tali casu deberet iudicium mutari quoad entitatem, quia mutatur circunstantia obiecti, scilicet tempus, quod sufficit; vt patet de actu consignificante certam temporis differentiam, qui nequit aliam repræsentare.

Contra tamen hoc est, quòd substantia actus solùm pendet ab obiecto, non vt in se est, sed vt repræsentatur in specie, & per apprehensionẽ; species autem non repræsentat obiectum cum circunstantia temporis, præcipuè quando indeterminatè, & confusè apprehenditur: ergo si non mutatur obiectum formale actus, scilicet motiuum inducens intellectum ad ferendum illud iudicium, à quo essentialiter dependet; parum refert temporis variatio. Nec exemplum de actu consignificante certam temporis partem valet; quia actus ille pendet ab obiecto repræsentato cum tali differentia; & ideò ad variationem istius temporis differentiæ sequitur variatio actus: non ita tamen se habet actus abstrahens à determinata temporis differentia, de quo nunc loquimur.

Respondent secundò Aduersarii, dicendo, quamlibet propositionem de præsenti, necessariò consignificare certum, ac determinatum tempus, in quo aliqua actio de præsenti debet fieri, non de præterito, aut futuro: ergo si pro illo tempore præsenti, Petrus e. g. currit, semper propositio erit vera, etiam si post illud tempus permaneret, quia non repræsentat Petrũ semper currere, sed tantùm pro illo tempore præsenti, quod est verum, cùm tantùm dicat cursum Petri, & tempus illud coexistere.

Contra tamen hoc est quòd in productione illius propositionis, intellectus explicitè solùm attendit ad inhærentiam prædicati cum subiecto, non cogitando actu de differentia tẽporis: ergo propositio de præsenti non debet necessariò consignificare certum, & determinatum tempus: nam licèt tempus semper detur intelligi tanquam connotatum à verbo, & idcirco dicatur implicitè consignificari in illa propositione; non tamen sequitur consignificari distinctè, & determinatè, sed confusè, & vagè; nam partes illæ confunduntur ab intellectu. Vnde quia tempus latitudinem habet multarum partium sibi inuicem succedentium poterit in vna parte propositio esse vera, in altera falsa secundùm diuersas coexistentias ad illas partes, ad variationem quarum, actus quoad entitatem non variatur; quia implicitè tantùm, & non explicitè illas consignificat.

Obiicitur primò in oppositum, probando propositionem mentalem transeuntem de vera in falsam, & èconträ, non esse eandem, sed essentialiter diuersam quod etiam probabitur per sequentia argumenta, cùm in hoc consistat punctum difficultatis. Quòd scilicet vbi variatur obiectum, variatur etiam propositio mentalis, seu cognitio complexa: sed dum intellectus iudicat, & cognoscit Petrum currere, e. g. & A posteà Petrus desinat currere, iam variatur obiectum cognitionis complexæ, seu propositionis mentalis: ergo variatur, & ipsa propositio; & consequenter non erit eadem, sed diuersa.

Respondetur, duplicem esse cognitionem complexam, intuitiuam scilicet, & abstractiuam: prima est, qua intellectus cognoscit, & iudicat suum obiectum, vt existens à parte rei; secunda verò, qua cognoscit, & iudicat suum obiectum præscindendo ab existentia illius. De prima tantùm procedit præfatum argumentum; quare totum conceditur, cùm certum sit cognitionem intuitiuam, qua videtur Petrus currere, successiuè non posse mutari de vera in falsam, & èconträ, & remanere eandem, cùm varietur eius obiectum formale, scilicet cursus Petri existens, actualiter inspectus. B Negatur tamen prædictum argumentum de secunda cognitione complexa vt patet.

Contra tamen est, quòd cognitio illa abstractiua, e. g. Petrus currit, essentialiter habet repræsentare cursum Petri, non vt sic, sed vt verum, & realem: ergo vt existentem: ergo non existente cursu Petri, variatur etiam cognitio illa abstractiua, cùm pariter sit obiectum formale illius.

Respondetur, cognitionem illam repræsentare quidem cursum Petri essentialiter vt verum, & realem, hoc est, vt verum ens reale, sed tantùm nominaliter consideratum, nempe secundùm essentiam; non autẽ verbaliter, & secundùm existentiam exercitam à parte rei. Quare neganda est prima consequentia. C Deinde distinguendum est consequens: Ergo non existente cursu Petri variatur cognitio illa abstractiua in esse cognitionis, negatur: in esse cognitionis veræ, conceditur; nam existentia cursus Petri non est obiectum formale cognitionis abstractiuæ in esse cognitionis, scilicet vt tantùm dicit attingentiam, & repræsentationem obiecti; sed vt veræ, nempe inquantùm dicit conformitatem intellectus ad rem in se existentẽ, in qua conformitate consistit veritas formalis, vt dictum est superiùs. Qua de causa dictum est, semper manere eandem numero cognitionem abstractiuam, licèt varietur quoad veritatem.

Obiicitur secũdò, quòd omnis propositio affirmans cursum Petri, e. g. respicit illum ex suppositione quòd sit; quo supposito necessaria est; quia omne quod est, quando est, necesse est esse; ergo propositio illa neces- D sariò respicit cursum Petri, vt existentem: ergo, non existente tali cursu, variatur prædicta propositio.

Respondetur propositionem illam, nimirum Omnẽ propositionem affirmantem cursum Petri respicere illum ex suppositione quòd sit, habere duplicem sensum; vel quòd sit secundùm existentiam exercitam à parte rei, vel secundùm existentiam apprehensam, & obiectiuam. Primo modo falsum est, vt patet in qualibet propositione falsa, sed concepta vt vera: secundo verò modo verum est; sed nihil ad nos, cùm semper tamen maneat existentia apprehensa, & obiectiua; & consequenter cognitio, seu propositio mentalis, ipsam supponens.

Obiicitur tandem tertiò, quòd hæc propositio, nempe Christus est in Hostia, est contingens de præsenti, consignificans tempus confusè; & potest permanere vsque ad corruptionem specierum Hostiæ, quo tempore desinit Christus esse in Hostia. Quo

supposito, sic arguitur, si talis propositio ad desitionem specierum, & præsentiæ corporis Christi adhuc permaneret, & euaderet falsa, sequeretur fidem supernaturalem posse concurrere ad actum falsum, quod repugnat. Sequela probatur; quia priùs actus ille, quo fidelis affirmabat Christi præsentiã in Hostia, erat supernaturalis ob concursum habitus fidei infusę, & verus, quia exprimebat rem sicuti erat à parte rei: ergo si post desitionem præsentiæ Christi, adhuc idem permanet, & euadit falsus, fides infusa concurreret ad illum actum falsum; ergo dicendum est actum desinere, etiam quoad substantiam ad desitionem obiecti à parte rei.

Respondetur, supposita essentiali differentia actus supernaturalis à naturali, de qua alibi, fidem infusam inclinare ad istam propositionem in vniuersali, scilicet Christus est in omni Hostia verè consecrata; non verò ad propositionem de aliqua Hostia in particulari, quia hoc solùm pendet à fide humana, & naturali: potest enim ei subesse falsum, si scilicet Sacerdos non sit verus Sacerdos, aut non habuerit intentionem consecrandi; quare cùm illa propositio sit circa Hostiam in particulari, potest esse vera, & falsa.

Contra tamen hoc est, quòd saltem illa vniuersalis posset reddi falsa, si omnes Hostię in mundo deficerēt. Præter quamquòd, si Iudæus ante Christi natiuitatem eli cuisset hunc actum, dicendo, Christus nascetur, & ipsum continuasset vsque ad Christi natiuitatem; si esset omnino idem ante, & post natiuitatem, iam de vero fieret falsus, & priùs erat actus fidei supernaturalis: si autem diuersus: ergo ex mutatione obiecti secundùm se, variatur actus quoad entitatem.

Respondetur ad primam rationem, sensum illius propositionis esse, quòd Christus sit sub omni Hostia ritè consecrata; quare præsupponit conditionatè existentiam alicuius Hostiæ in mundo adhoc vt actus supernaturalis fidei infusæ dicatur, cui scilicet nequit subesse falsum; quamobrèm si nulla daretur Hostia, adhuc propositio esset vera, ex tali suppositione. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd propositio illa, Christus nascetur, vt à fide proueniret, debebat inspicere tempus natiuitatis Domini à Deo præstitutum, vt abstractum à respectibus ad partes temporis præteritas, & futuras; quia huiusmodi respectus non includuntur in tempore natiuitatis Domini: quo sensu etiam possumus admittere propositionem de præterito non differre à propositione de futuro, quando est de eisdem extremis; & consequenter illa propositio *Christus nascetur* hoc modo intellecta erit semper vera, etiam post natiuitatem dominicam, quia solùm enunciat coexistentiam natiuitatis Christi, & temporis à Deo determinati, cui accedunt respectus præteriti, & futuri, qui conueniunt illi, non in se considerato, sed quatenus dicit ordinem ad partes temporaneas præcedentes, & subsequentes.

A

QVÆSTIO VI.

Vtrùm propositiones de futuro contingenti etiã habeant determinatam veritatem, aut falsitatem, sicut propositiones de præterito, & de præsenti.

B QVoniam ignorata natura futuri, ac multiplicitate eiusdem, circa hanc quæstionem nihil ad rem dici potest; Supponendum est primo loco, *Futurum, vt sic esse id, quod habet determinationem in suis causis ad hoc vt sit in aliquo determinato tempore; aut duratione subsequente illud instans pro quo dicitur esse futurum.* Dicitur, *quod habet determinationem in suis causis ad hoc vt sit, &c.* non autem quòd erit in aliquo determinato tempore; quia ad rationem futuri vt sic, satis est quòd ordinetur in suis causis ad hoc vt sit, licèt aliàs posset impediri; quemadmodùm mors Ezechiæ prædicta fuit Isaiæ 38. vt futura, quia attendendo ad causas secundas, in quibus determinata, & ordinata fuerat, nempe ad morbum, quo laborabat, erat necessariò futura; estò aliàs, hoc est, vt à causa prima impedita, in qua aliter erat ordinatum, futura non fuerat; vt C ingeniosè docet D. Tho. 2. 2. q. 171. art. 2. ad 2. In quo sensu locutus est etiam Arist. 2. de gen. text. 64. dum dixit *Quod futurus quis incedere, non incedet*.

Secundò verò supponendum est, futurum vt sic duplex esse, necessarium scilicet, & contingens: primum est, quod ita determinatum est in suis causis, ad hoc vt sit in aliquo determinato tempore, vt impossibile sit non fore; vt Antichristus erit homo. Secundum verò est, quod ita determinatum est in suis causis, ad hoc vt sit in aliquo determinato tempore, vt possit tamen esse, & non esse, attenta lege ordinaria; vt Petrus cras leget, &c. Consulto additur hæc ultima particula; quia rectè stat aliquid esse simpliciter necessarium, cuiusmodi est motus Solis, e. g. & nihilominus eius oppositum à Deo, de potentia absoluta, D aliquando fieri posse. De primo non intelligitur titulus; nam certum est esse determinatè verum; & consequenter, propositiones de ipso factas, esse vel determinatè veras, vel determinatè falsas; cùm in talibus propositionibus, copula absoluatur ab omni differentia temporis, & sit æternæ veritatis, aut falsitatis. Quapropter erit tantùm difficultas de secundo.

Huiusmodi autem futurum contingens, vt notant Iacobus Naldus q. de origine contingentium, Iulius Siren. lib. 3. de Fato cap. 5. & alii, adhuc potest sumi dupliciter, vno modo pro eo, quod potest esse, & non esse respectu solius potentiæ Dei; & hoc modo Cæli, & Angeli, ac cætera huiusmodi habuerunt esse futura contingentia: alio verò modo pro eo, quod potest esse, & non esse respectu causæ secundæ. De primo non procedit quæstio principaliter licèt de eo possint hæc eadem, ferè affirmari; sed tantùm de secun-

secundo, quod adhuc duplicitér considerari potest; vel ut procedens à causa ab intrinseco determinata ad productionem effectus, impedibili tamen ab alia causa secunda, vt fructus arboris, ad quem virtus ipsius est determinata, potest tamen impediri à grandine, aut gelu, &c. vel vt procedens a causa libera, & indifferenti, cuiusmodi sunt actus liberi arbitrij. De primo similiter non est valdè curandum in præsenti quæstione cùm propter determinationem causarum necessariarum, in quibus præordinatur tale futurum, pauca sit difficultas circa illius intelligentiam. Erit consequenter de secundo tantùm, præsens quæstum.

Quod etiam adhuc duplex est, absolutum scilicet, & conditionatum; absolutum dicitur, quod de facto erit, vel non erit in aliqua differentia temporis, vt lectio crastina: conditionatum verò quod quam quàm nunquam extiturum sit, esset tamen, si aliqua conditio nunquam ponenda, poneretur, vt conuersio Tyri, & Sidonis, si Christus Dominus fecisset in eis virtutes, quas in Bethsaida, & Corozaim fecerat. Hoc secundum excluditur à præsenti quæstione, cùm secum afferat plures, ac grauissimas difficultates Theologicas: quamobrem adhuc coarctari debet huiusmodi quæstio tantùm ad primum.

Tertio tandem supponendum est, huiusmodi futurum posse dupliciter attendi; vel post decretum liberum, & efficax Diuinæ voluntatis determinantis rem liberè, & contingenter esse futurum in determinato tempore, vt docent Theologi; vel ante prædictum decretum. Si consideretur primo modo, certum est habere determinatam veritatem, aut falsitatem, & consequenter propositiones de ipso factas, esse determinatè veras, aut determinatè falsas, non solùm vt vniuersales, aut particulares sunt, verùm etiam vt singulares, de quibus maior extat difficultas; nam cùm Deus, certò futura illa sciat, & cognoscat, vt habetur Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti.* Danielis 13. *Domine, qui nosti omnia antequam fierent*, atque aliis sacræ Scripturæ locis; necesse est esse determinatè vera, aut falsa, & similiter propositiones, quæ de ipsis fiunt. aliter enim Deus potuisset mentiri, & nos decipere, quod est impium; eò vel maximè, quòd multa sub iuramento per Prophetas suos, tanquam vera promulgauit. Quinimmo aliqui ferunt, oppositam sententiam fuisse à Sixto 4. damnatam, vt testatur quædam censura manuscripta, quæ asseruatur in Academia Louaniensi.

Consultò autem dictum est, propositiones vniuersales, ac particulares de prædicto futuro contingente, minorem inuoluere difficultatem, quàm singulares: nam particulares sunt determinatè veræ, vniuersales determinatè falsæ: non quidem simpliciter, & absolutè; sed tantùm moraliter loquendo, hoc est more humano, vel vt res humanæ solent euenire; vt omnes homines fore, vel non fore ambulaturos: quosdam homines currere; quosdam verò non: nam cùm ad falsitatem propositionis vniuersalis affirmatiuæ sufficiat, vt prædicatum non conueniat vni contento sub subiecto, vel conueniat, si est negatiua; videtur impossibile, quòd prædicatum contingens ab omnibus indiuiduis remoueatur, vel omnibus conueniat;

A idcirco propositiones vniuersales, & particulares dicuntur inuoluere minorem difficultatem ad determinationem suæ veritatis, aut falsitatis, quam singulares, de quibus non est tam certa regula.

His igitur prænotatis, tantùm coarctatur præsens difficultas ad futura, seu ad propositiones de futuro contingenti libero, & absoluto, secundo modo considerato, hoc est in se ipso vt futurum antecedenter ad decretum liberum, & efficax Diuinæ voluntatis.

Circa quod est prima sententia affirmans, talia futura, talesque propositiones, quæcunque illæ sint, nempe siue vniuersales, siue particulares, aut singulares, habere determinatam veritatem, aut falsitatem. Ita Suarez tom. 1. de grat. prologom. 2. cap. 7. &

B opusc. de Scien. Dei futur. conting. lib. 2. cap. 2. num. 3. & sequen. & cap. 7. num. 15. & 16. Vasqu. p. p. disput. 66. cap. 2. Henrice p. p. tract. 1. disp. 6. cap. 7. referens pro tali sententia Conimb. & alios. Hurt. disput 9. de Anim. §. 43. & alii ex Societate, sentientes Aristotelem sibi esse contrarium, quare reprehendunt illius doctrinam asserentes eam esse erroneam, & fidei repugnantem, vt his philosophicis fundamentis semel conuulsis, quandam scientiam mediam futurorum contingentium, quam in Deo ponunt ante omne decretum liberum suæ voluntatis, meliùs statuant, & defendant.

Secunda verò sententia docet, futura contingentia, ante decretum liberum, & efficax diuinæ voluntatis hoc est, dum non intelliguntur extra suas causas, & vt præsentia in æternitate, sed in se ipsis, & sub ra-

C tione futuri; non habere determinatam veritatem, aut falsitatem, neque esse certò, & determinatè scibilia: ac proinde propositiones de futuro contingenti quæque illæ sint, siue vniuersales, siue particulares, aut singulares, de se, seu formaliter prout sic, non esse determinatè veras, neque determinatè falsas. Ita Arist. hic cap. 8. D. Tho. ibidem lect. 13. lib. 1. sent. dist. 38. q. 1. art. 5. ad 2. q. 16. de malo art. 7. p. p. q. 14. art. 13. & alibi. Alu. lib. 2. de Aux. disp. 7. & lib. 1. respons. cap. 5. n. 15. Ledes. tract. de Aux. p. 2. Nauarrete p. p. contr. 56. §. 2. Nazar. art. 13. controu. 1. Gonzal. disput. 43. sect. 2. n. 29. & disput. 45. sect. 6. atque alii ex Thomistis. Et idem etiam videntur sentire Ruu. hic cap. 6. q. vnica, atque Mastr. & Bellut. disput. 10. q. 2. art. 5. licèt defen-

D dant oppositum, cùm ibi tantùm id astruant, loquendo de futuris prædictis, post ipsum decretum diuinæ voluntatis; qui pro se citant etiam Scotum, & alios.

Notandum est idcirco primò, quòd ad hoc vt aliqua sit determinata veritas, duo habere debet: primum, quòd sit distincta, & non confusa, sicut confusa est illa, quæ reperitur in propositionibus æquiuocis, vt in hac, *Canis mouetur*, in qua non verificatur prædicatum de aliquo subiecto distinctè, sed confusa, & quasi suspensa manet veritas eius. Secundum verò; quòd sit actualis, quæ scilicet in ordine ad actuale significatum accipiatur; nam si solùm sit in potentia indifferenti, suspensa dicetur enunciatio à veritate. Actuale quippe significatum enunciationis illud dicitur, quod actu est in rerum natura, tempore significato per copulam eius; adeò vt si enunciatio sit de præsenti, actualem habeat veritatem, ac determina-

tam, si res significata existat tempore præsenti; & si sit de præterito, erit determinatè vera, si eius significatum aliquando fuit in rerum natura; si verò sit enunciatio de futuro, erit determinatè vera, si eius significatum aliquando futurum sit in rerum natura; vt hæc enunciatio, *Sol orietur cras*, determinatè uera est hodie, quia significatum eius crastina die erit in rerum natura.

Notandum est secundò ex ijs, quæ docent Theologi de Scientia Dei; nempe quòd nulla res creata habet ex natura sua, & ex proprijs terminis existere in aliqua differentia temporis, nam existere hoc modo, tantùm proprium est Diuinæ Essentiæ, de cuius conceptu est, quòd sit ipsum existere. Nec deinde potest aliqua res creata, se ipsam ad statum futuritionis transferre: siquidem quandiu est sub statu possibilitatis, nihil est in se, atque ita nequit aliquam causalitatem erga se ipsam exercere; ac tandem licèt habeat aliquam quoque causam secundam suæ futuritionis; nihilominùs, vt re ipsa, & completè sit futura, debet effectus iste in causam reduci primam, quæ cùm non intelligatur causare ante actum liberum suæ voluntatis, fit inde, vt nulla res futura, & consequenter nullum futurum contingens habeat suam futuritionem ante prædictum actum, seu decretum liberum diuinæ voluntatis: nam sicut antecedenter ad Diuinam potentiam, nihil potest repræsentari vt possibile, quia cuncta possibilia habent esse talia ab illa, vt à primo fonte, ac radice possibilitatis eorum; ita quia omnia futura contingentia habent rationem futurorum à decreto Diuinæ voluntatis, vt à primo fonte, & radice suæ futuritionis; quare non poterunt repræsentari, & consequenter cognosci vt futura antecedenter ad predictum decretum.

Dicendum est ergo, quòd propositiones de futuro contingenti non sunt determinatè veræ, nec determinatè falsæ. Probatur primò: quoniam ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, ex dictis q. 4. huius disput. Sed res significata per propositionem de futuro contingenti, quandiu futura est, & vt talis enunciatur, nullam habet determinationem vt sit, quia adhuc continetur in potentia suarum liberarum causarum; ergo nec propositio, ipsam vt futuram enuncians, determinatam habet veritatem aut falsitatem, sed indeterminata, atque indifferens semper erit ad veritatem, & falsitatem.

Respondent Aduersarij, quòd licèt res futura nullam habeat determinationem præsentem, seu in actu exercito ad hoc vt sit; habet tamen determinationem futuram, seu secundùm esse obiectiuũ reale, vt statuto tempore debeat determinari vt sit, vel non sit in actu exercito, eo modo, quo essentiæ reales per modum essentiæ dicuntur habere esse obiectiuum reale, quia dicunt ordinem ad realem existentiam.

Contra tamen hoc est, quòd etiam si daretur prædictum esse reale obiectiuum futurum ante decretum; nihilominùs res futura nullam haberet determinationem; nam prædictum suppositum esse obiectiuum reale rei futuræ, non est tale per essentiam, cùm sit quid creatum, sed tantùm per participationem à sua causa libera, in qua continetur, & habet esse, cùm non supponatur in suo actuali exercitio; sed ante decretum diuinæ voluntatis, nulla res futura habet esse obiectiuum determinatum in sua causa, ad hoc vt

A statuto tempore sit, vel non sit in actuali exercitio: ergo res futura, etiam secundùm suum esse reale obiectiuum si detur, nullam potest habere determinationem antecedenter ad prædictum decretum.

Probatur secundò conclusio: nam quod determinatè verum est, ante decretum, necessarium existimatur: ergo si propositio de futuro contingenti determinatè vera est, erit necessaria; & consequenter tolletur de medio futurum contingens cum Luthero; & aliis Hæreticis.

Respondent Aduersarij negando antecedens; quia non omne quod determinatè verum est necessarium est, nisi habeat causam necessariam; vt patet de propositionibus contingentibus de præterito, & præsenti, quæ licèt determinatè veræ, aut falsæ sint; tamen B quia habent causam liberam, & contingentem, contingentes idcirco, non autem necessariæ vocantur.

Contra tamen est, quia repugnat aliquid ante decretum diuinæ voluntatis esse determinatè verum, & procedere à causa libera, atque contingenti, cùm prima, & vniuersalissima radix totius libertatis, & contingentiæ sit ipsum diuinum decretum vt docent Theologi; ergo nulla responsio. Probatur antecedens; quia tunc procederet, & non procederet à causa libera: procederet quidem, vt supponunt Aduersarij; non procederet verò, quia nulla datur libertas, & contingentia in causis antecedenter ad diuinum decretum, cùm in illo signo omne quod tale est, non contingenter, & liberè, sed ab intrinseco ex natura sua, & consequenter necessariò sit tale.

C Obijcitur primò in oppositum: quoniam huiusmodi propositio de præterito, e. g. *Adamus fuit*, est determinatè vera, licèt de facto Adamus non existat: ergo hæc alia propositio de futuro, e. g. *Antichristus erit*, determinatè pariter erit vera licèt antecedenter ad diuinum decretum non habeat existentiam. Probatur consequentia à paritate rationis: nam si non existentia de præterito non tollit veritatem; quare non existentia de futuro debet ipsam auferre?

Respondetur negando paritatem; quoniam non existentia rei præteritæ fuit aliquando extra suas causas; quare determinatam importat veritatem; cùm impossibile sit, id quod fuit iam non extitisse: non existentia verò de futuro, nunquam fuit existentia antecedenter ad diuinum decretum, cùm semper sup-D ponatur in veritate, & potestate suæ causæ, & nunquam extiterit, nec etiam in æternitate, atque indifferenter se habeat ad existendum, & non existendum; quare determinatam veritatem in se nequit habere.

Contra tamen est, quòd adueniente tempore, in quo Antichristus habebit existentiam, tunc non erit indeterminata ad essendum, & non essendum; sed determinata ad essendum: ergo similiter in quouis signo antecedenti ad diuinum decretum non erit suspensa, & indeterminata ad essendum, & non essendum pro tali tempore; sed determinata ad essendum tempore statuto. Probatur consequentia: nam quòd statuto tempore est præsens, prius in quolibet signo habet esse futurum; siquidem in quolibet verum est, quòd statuto tempore erit: ergo in quouis signo antecedenti ad diuinum decretum non erit suspensa talis existentia, sed determinatè futura, tempore determinato.

Respon-

Respondetur negando consequentiam; quoniam arguitur a sensu composito ad sensum diuisum: etenim in antecedenti, illi duo actus oppositi, esse scilicet, & non esse, sumuntur in sensu composito, cùm non supponatur Antichristus in potentia suæ causæ, & indifferenter ad vtrumlibet, sed in actu exercito; quare determinatè vnus debet esse, & non alius, cùm vterque esse non possit. In consequentia verò sumuntur in sensu diuiso, seu disiunctiuè, cùm in ea non supponatur Antichristus in actu exercito, sed in potentia, & virtute suæ causæ liberæ, vnde indifferenter se habet vel ad vnum, vel ad alium. Ad probationem autẽ antecedentis dicendum est, tantùm habere veritatem post diuinum decretum.

Obijcitur secundò; tum quia huiusmodi propositiones, nempe Antichristus erit, & Antichristus non erit, contradictoriè opponuntur: ergo altera earum est determinatè vera, & altera determinatè falsa. Tum etiam quia hæc propositio disiunctiua, Antichristus erit, vel non erit, est pro omni signo vera, & necessaria, vt ex terminis ipsis constat: ergo altera pars illius erit determinatè vera: siquidem ad veritatem disiunctiuæ desideratur, quòd altera pars sit vera, vt dictum est.

Respondetur, & primò ad primam rationem, in eo signo antecedenter ad diuinum decretum, illas non esse formaliter propositiones, sed tantùm materialiter; quatenus scilicet termini earum, alias sunt impositi ad significandum ea, quæ de facto non significantur. Et ratio est; nam termini, seu voces, quæ sunt formaliter significatiuæ, debent esse signa conceptuum, qui sunt in intellectu, vt suprà iam probatum est; alioquin voces Psitaci essent formaliter significatiuæ, & non tantùm materialiter. Cum ergo à nullo intellectu etiam diuino antecedenter ad decreta libera Dei possit aliquid determinatè concipi circa futuritionem, vel non futuritionem Antichristi, vel alicuius rei futuræ; ideò propositiones illæ non possunt esse signa conceptuum, & consequenter nec formaliter significatiuæ, neque propositiones. Qua de causa, neque minùs erunt contradictoriæ; cùm vera contradictio non nisi in propositionibus formaliter talibus inueniatur, vt patet. Quamobrem non mirum si neutra earum in illo signo erit determinatè vera, aut determinatè falsa; falsitate tamen, & veritate saltem infallibili; nam de fallibili, & mutabili potest concedi.

Ad secundam verò rationem respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. nam sicut tota disiunctiua est necessaria ratione incompossibilitatis suarum partium, estò neutra earum sit necessaria; ita licèt tota illa propositio disiunctiua sit determinatè vera veritate infallibili, quia ambæ partes illius sunt incompossibiles in falsitate, vt patet; neutra tamen earum partium, est determinatè vera veritate infallibili, & certa, sed tantùm variabili, & mutabili; cùm neutra formaliter sit propositio, sed tantùm materialiter, ob rationem adductam.

Obiicitur tandem tertiò: nam si ante decretum diuinæ voluntatis nihil habet rationem futuri, fiet inde, vt propositio negatiua, quæ id significat, e. g. Antichristus non erit, sit determinatè vera, & affirmatiua, determinatè falsa: siquidem eius obiectum est futuritio rei contingentis, à Deo actu decreta, quæ

A tamen in illo signo non est.

Respondetur negando sequelam; nam obiectum illius propositionis de futuro, nempe Antichristus erit, non est futuritio rei contingentis à Deo actu decreta, seu decretum præsens diuinæ voluntatis, vt sibi fingit argumentum, cùm per prædictam propositionem non enuncietur, quod decretum illud sit præsens; aliter enim talis propositio erit de præsenti, & non de futuro; sed illius obiectum est tantùm existentia rei futuræ, quæ solùm enunciatur de subiecto, nempe de Antichristo, per illam propositionem de futuro, ut patet. Vnde cùm prædicta propositio non significet tale decretum præsens ut suum propriũ obiectum, sed tantùm vt primum requisitum est, primaque formalis ratio conformitatis cum obiecto,

B atque ipsius obiecti, nec non & illius prædicati, quod de subiecto per eam enunciatur, videlicet existentiæ pro tempore futuro, non erit determinatè uera, si prædictum decretum non existat; nec determinatè falsa, si existat.

Nec refert, si aliquis obiiciat, quòd si efficax decretum diuinæ uoluntatis desideraretur ad ueritatem propositionis affirmatiuæ de futuro contingenti; tunc hoc ipso, quòd decretum desit, propositio affirmatiua de prædicto futuro, erit falsa, siquidem deest illi primum requisitum, primaque radix suæ conformitatis, & ueritatis.

Respondetur, inde ad summum colligi, prædictam propositionem esse non ueram, & non conformem, ex eo, quòd deest illi primum requisitum conformitatis, & ueritatis: non tamen esse propositionem difformem, seu falsam; nam uerum, & falsum respectu

C cuius uis propositionis non sunt contraria, immediatè opposita; atque ita potest dari medium, scilicet non uerum, & non falsum.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

De Oppositione Hypotheticarum.

D



Ectus postulabat ordo, ut statim post oppositionem categoricarum simplicium absolutarum, seu de inesse, ageretur de oppositione categoricarum modificatarum, seu modalium, ne diuideretur tractatus ipsius propositionis categoricæ; nihilominùs, quia hypothetica, seu coniuncta propositio, non solùm habet rationem propositionis ex quadam similitudine, & proportione participata a categorica, uerùm etiam oppositionem, ac cæteras passiones, ut inferiùs dicetur; necessarium duximus, inter oppositionem categoricarum simplicium, & categoricarum modalium oppositionem interponere hypotheticarum, ut ex nimia earundem distantia, quæ illis communia sunt, obliuioni

uioni non mandentur; uel saltem iterum, atque iterũ inutiliter repetantur.

QVÆSTIO VNICA.

An tot modis opponantur hypotheticæ, quot categoricæ.



NON pauca huc congerunt Dialectici; quæ magis obscuritatis caliginem, quàm utilitatis commodum uidentur afferre; nos verò, more solito, utiliora, & magis necessaria tradentes; supponendum duximus in primis omnia ea, quæ tradidimus suprà lib. 2. Instit. cap. 7. Deinde supponendum etiam est, hic esse sermonem tantùm de oppositione formali, quæ fit secundùm affirmationem, & negationem, vt dictum est disput. antecedenti q. 1. nam de oppositione materiali, & secundùm quantitatem, certum est propositiones hypotheticas, per se, & ratione sui, nullo modo opponi: cùm enim quantitas in propositionibus sumatur ex subiecto, vt dictum est lib. 2. Instit. cap. 6. & 7. & hypotheticæ non componantur per se ex subiecto, & prædicato, vt patet; inde fit, ipsas propriè, & per se non esse uniuersales, aut particulares; sed tantùm per accidens, hoc est ratione categoricarum, ex quibus componuntur.

Nec aliquid facit, quod ex Casilio lib. 2. tract. 2. cap. 2. in contrarium adducunt Mastr. & Bellut. p. p. Instit. tract. 2. cap. 9. §. *De hypotheticis verò, &c.* videlicet saltem copulatiuas, & disiunctiuas, quodammodo propriam habere quantitatem, quia *Et*, est nota vniuersalitatis; & *Vel*, est nota particularitatis: nam quando dicimus, & Petrus studet, & Paulus studet, talis propositio reddit hunc sensum, nimirum vterque studet; hoc enim signum mistum redolet vniuersitatem, vt dictum est lib. 1. Instit. cap. 5. Dum verò dicimus vel Petrus studet, vel Paulus studet, huiusmodi propositio reddit hunc sensum, scilicet alter eorum studet, hoc enim signum notat particularitatem, vt dictum est ibidem.

Non quidem hoc vrget; nam semper erit verum, quòd tales hypotheticæ, non ratione sui, & per se, sed per accidens, & ratione categoricarum, in quibus propriè, & per se reperitur subiectum vniuersale aut particulare, ex quibus constant, habent particularitatem, aut vniuersalitatem nam licèt *Et*, sit nota vniuersalitatis, & *Vel*, particularitatis; non tamen id habent ratione sui, & per se; sed per accidens, ratione scilicet categoricarum, quas vniunt, vt patet.

Difficultas igitur tantùm manet de oppositione formali, in qua difficultate Dialectici communiter conueniunt asserendo propositiones hypotheticas non opponi inter se, per se, & ratione sui tot modis, quibus opponuntur categoricæ; sed tantùm oppositione contradictoria.

A Notandum est idcirco primò, hanc esse differentiam inter hypotheticas conditionales, & cæteras propositiones, quæ ad ipsas reducuntur, ex vna parte, & inter copulatiuas, & disiunctiuas, ex alia; quòd negatio, quæ negat conditionalem, &c. non negat categoricas, ex quibus constat: nam cùm conditionalis ex communi proloquio nihil ponat in esse, idest, non ponat in rerum natura consequens, & antecedens, seu categoricas, ex quibus constat, negatio præposita conditioni, causalitati, &c. non afficit ipsum antecedens, & consequens, seu ipsas propositiones categoricas, sed tantùm vnionem illarum, nempe conditionem, causalitatem, &c. Exempli gratia, qui dicit, *Non quia fumus est, ignis est*; non negat quòd sit ignis, & fumus: sed quòd sit ista unio, & copula, B quòd fumus sit causa, vt ignis sit, & sic de cæteris. Copulatiua verò, & disiunctiua cùm non tantùm vniant aliqua coniunctione, vel disiunctione separent prædictas categoricas, verùm etiam eas ponant in esse, & in rerum natura; ipsarum negatio nequit afficere prædictam vnionem, quin etiam afficiat ipsas categoricas vnitas.

Notandum est secundò, quòd in conditionalibus, categorica, quæ appellatur consequens, aliquando sequitur ex vi puræ illationis, nulla scilicet habita consideratione de veritate, falsitate, possibilitate, aut impossibilitate antecedentis, vt cùm dicitur *Si homo est asinus, habet quatuor pedes*; aliquando verò sequitur ex aliqua promissione, & pacto, aut causa concomitante ipsum antecedens, ratione cuius, posito C in esse antecedente illo, ponetur etiam consequens vt dum dicitur, *Si pro me apud Regem interueneris, dabo tibi equum*. Primo modo, ad veritatem eius sufficit, quòd consequens sequatur ad positionem antecedentis, hoc est, ex natura, & vi illationis. Secundo verò modo, ad eius veritatem requiritur, vt verè existat à parte rei fundamentum illius concomitantiæ antecedentis, & consequentis, vt patet in exemplo adducto: ad hoc enim, vt verè quis dicat, Si pro me apud Regem intercesseris dabo tibi equum, necessarium est tunc adesse propositum dandi equum, etiam si postea mutato consilio, non impleatur promissum. Quòd si promittens non habuit tale propositum, propositio fuit falsa, etiam si posteà, facta apud Regem intercessione, donetur equus. Quod etiam conuincitur in iuramentis promissorijs sub conditione, de quibus D videri potest D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 7. ad primum.

Dicendum est ergo, quòd Hypotheticæ propositiones, per se, & ratione sui tantùm opponuntur contradictoriè. Probatur: nam illæ propositiones, quarum altera est affirmatiua, altera negatiua, tantùm opponuntur contradictoriè, quæ in nulla materia possunt esse simul veræ, aut simul falsæ: sed hoc modo se habent ratione sui, & per se propositiones hypotheticæ, quarum altera est affirmatiua, negatiua altera: ergo, &c. Maior patet ex dictis in antecedenti disput. q. 2. Minor autem probatur singulis propositionibus in qualibet materia: nam si hæc coniunctiua affirmatiua in materia necessaria, secundùm regulas lib. 2. Instit. cap. 7. assignatas est vera, nempe *Homo est rationalis, & risibilis*; ista negatiua erit falsa, videlicet, *Non homo est rationalis, & risibilis*, & è contrà. Item si hæc coniunctiua affirmatiua secundùm prædictas

dictas regulas in materia contingenti est vera, nempe, *Homo studet, & Leo currit*, ista negatiua erit falsa, scilicet, *Non Homo studet, & Leo currit*, & è contra. Tandem, si hæc coniunctiua affirmatiua secundùm prædictas regulas in materia impossibili est falsa, nempe, *Sortes est Asinus, & est rudibilis*; ista negatiua erit vera, scilicet, *Non Sortes est Asinus, & est rudibilis*; & è contrà; & sic de disiunctiuis, & conditionalibus in qualibet materia, vt consideranti patebit, cùm idem de eodem simul affirmari, & negari non possit: ergo, &c.

Obijcitur primò in oppositum: Quoniam hæc copulatiua affirmatiua in materia necessaria iuxta prædicta cap. 7. Instit. est falsa, nimirum, *Terra est grauis, & Aqua leuis*; altera enim pars est falsa, cùm ad destruendum sufficiat vnum: sed eius oppositum, scilicet, *Non terra est grauis, & aqua leuis*, propter eandem rationem similiter est falsum: ergo non opponuntur contradictoriè, ad quòd requiritur, vt propositiones in nulla materia possint esse simul falsæ.

Respondetur negando minorem; nam, vt obseruat Iauellus tract. 3. de propositione cap. 3. ad veritatem copulatiuæ negatiuæ, sufficit quòd vna saltem pars sit vera: quare, cùm verum sit, quòd aqua non sit leuis (negatio enim afficit vtranque partem vt notatum est primo loco) propositio illa negatiua pariter erit vera. Cur autem ad veritatem copulatiuæ affirmatiuæ, vtraque pars vera debeat esse; ad veritatem autem negatiuæ sufficiat veritas vnius, talis ratio disparitatis assignari solet; nimirum, quia cùm copulatiua affirmatiua simul ponat ambas partes, se habet ad veritatem sicut totum integrale ad existentiam; cùm igitur totum integrale non existat, si aliqua pars principalis illi desit; ita & copulatiua affirmatiua veritatem non habebit, si aliqua illius pars principalis vera non fuerit. Cæterùm copulatiua negatiua, cùm non ponat, sed tantùm destruat ambas partes, se habet ad veritatem negationis sicut totum integrale ad non existendum. Cùm igitur totum integrale non existat, etiam si aliqua pars principalis illius adsit; ita copulatiua negatiua, vera erit, etiam si aliqua illius pars principalis falsa fuerit.

Obiicitur secundò; nam detur casus, quòd Petrus à parte rei loquatur, & sedeat; tunc ista disiunctiua affirmatiua in materia contingenti, scilicet *Petrus loquitur, vel sedet*, erit falsa; cùm non vna tantùm, sed vtraque categorica à parte rei vera sit. Vnde D. Tho. opusc. 48. tract. de enunciatione cap. 14. & communiter Dialectici docent, propositionem hypotheticam disiunctiuam esse falsam, cùm vtraque illius pars est vera; Sed etiam est falsum oppositum illius; nempe *Non Petrus loquitur, vel sedet*, cùm vtraque categorica sit falsa: ergo disiunctiuæ non opponuntur contradictoriè, cùm possint in aliqua materia esse simul falsæ, vt ostensum est; sed tantùm contrariè, cùm in materia saltem contingenti sint simul falsæ.

Respondetur, particulam illam disiunctiuam *Vel, &c.* in hypotheticis disiunctiuis non accipi in toto suo rigore, adeòut virtualiter contineat propositionem exclusiuam, & faciat hunc sensum, nempe alterum tantùm istorum est verum; vel quòd Petrus loquatur, vel studeat; in quo sensu D. Tho. & communiter Dialectici asserunt in tali casu propositionem disiunctiuam esse falsam: Sed accipi largè, & iuxta generalem loquendi modum, siue vsum, vt valet idem ac *saltem*; vel ad *minùs*, & reddit hunc sensum, videlicet vnum saltem istorum est verum, vel scilicet quòd Petrus loquatur, vel studeat: quo disiunctiuo loquendi modo etiam vsus est Christus Math. 18. dicens: *Vbi duo, vel tres congregati fuerint, &c.* Ex quo patet, talem propositionem esse veram, non autem falsam, vt supponit argumentum; nam si ad veritatem disiunctiuæ sufficit veritas vnius partis, vt dictum est lib. 2. Instit. cap. 7. citato; meliùs sufficiet veritas vtriusque, cùm duæ ueritates se impedire nequeant.

Obijcitur tandem tertiò. Hæc hypothetica conditionalis affirmatiua, in materia contingenti est uera, nempe *Si tu es Petrus, es iustus*: sed etiam eius opposita negatiua, uariata suppositione indiuidui potest esse uera: ergo non opponuntur contradictoriè, &c. sed subcontrariè, in qua oppositione ambæ propositiones possunt esse simul ueræ saltem in materia contingenti, ut dictum est disput. antec. q. 3. conclusione 2.

Respondetur negando maiorem; quoniam cùm conditionales simul sint propositiones, & argumentationes; ad ueritatem illarum requiritur, quòd consequentia secundùm se sit bona; hoc est, quòd ex ipsa natura antecedentis, circunscriptis aliis sequatur consequens; siue ipsum antecedens, & consequens sint in se uera, uel falsa; siue possibilia, aut impossibilia; siue necessaria, aut contingentia: ad falsitatem verò è contrà. Atque ideò omnis conditionalis illatiua uera, est necessaria; omnis autem falsa, impossibilis; ac proinde nulla datur conditionalis illatiua contingens, vt supponit argumentum. Qua de causa, cùm prædicta conditionalis nempe *Si tu es Petrus, es iustus*, non habeat antecedens, & consequens bona illatiuè; hoc est, cùm ibi consequens non sequatur ex ipsa natura antecedentis (iustitia enim non sequitur, ex positione Petri, sed ex rectitudine) hinc est, quòd est falsa; & opposita negatiua illius uera: quare opponuntur tantùm contradictoriè, ut luce clarius est.

Si denique quæratur, quomodò eadem oratio possit esse simul argumentatio, & propositio; cùm hæc essentialiter sit oratio enunciatiua, cui proinde conuenit esse ueram, uel falsam; illa uerò contineatur sub oratione non enunciatiua, cui consequenter solùm potest conuenire esse bonam, uel malam, ut alibi, dictum est.

Respondetur, quòd licèt Hypothetica secundùm se, hoc est ratione sui, & non per accidens, seu ratione alterius sit propositio; non tamen est talis simpliciter, & absolutè, sed secundùm quid, & per comparationem, ac respectiuè ad categoricam. Quapropter, sicut Hypothetica secundùm quid, & respectiuè tantùm participat rationem propositionis; ita secundùm quid tantùm est enunciatio; & secundùm quid tantùm dicitur affirmatiua, uel negatiua; uera uel falsa, &c. Cui enim secundùm quid conuenit aliquod esse, secundùm quid etiam conueniunt, quæ tale esse comitantur. Non est autem inconueniens, ut id, quod simpliciter est in uno genere, secundùm quid ad aliud pertineat, cuius aliqualem rationem participat: quod ita contingit in præsenti; quia enim particulæ conditionales, causales, & rationales, simpliciter sunt notæ illationis, simpliciter constituunt argumentationes, quæ sunt orationes non enunciatiuæ; & prout sic

sic dicuntur bonæ, uel malæ: quia uerò ibi etiam interuenit quidam modus enunciationis saltem uirtualiter; ideò tales orationes secundùm quid participant rationem propositionis, & prout sic dicuntur ueræ, uel falsæ.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA


De Æquipollentia Categoricarum simplicium.



VM regulæ æquipollentiarum ex dictis 2. lib. Instit. cap. 9. supponant oppositionem, ac per respectum ad ipsam tradantur; postquàm egimus de categoricarum, & hypotheticarum oppositionibus, ordo postulat materiæ, vt de æquipollentia earundem, disputatio instituatur, non quidem indifferenter, ac confusè, disputando scilicet tam de categoricis simplicibus, & hypotheticis, quàm de modalibus: sed tantùm de categoricis simplicibus; reseruando tamen ad calcem disputationis quid quid proportionabiliter dicendum sit de æquipollentia hypotheticarum; omnino tamen remittendo ad sequentem librum æquipollentiam modalium, de qua speciales difficultates excitari solent.

QVÆSTIO I.

Vtrùm omnes propositiones oppositæ possint fieri æquipollentes.



Viusmodi quæstio præcipuè excitatur propter propositiones oppositas subcontrariè, de quibus in nostris Institutionibus loco citato diximus, nullum posse dari præceptum ad æquipollendum inter se; nam de cæteris parua, aut nulla est difficultas; quare suppositis his, quæ ibidem adnotata sunt, uidendum est quid de hac re sentiant Auctores.

De omnibus alijs propositionibus oppositis, communis est sententia affirmatiua: de oppositis autem subcontrariè, triplex est sententia: Prima enim est Ant. Casil. cap. 8. nonnullorumque Modernorum asserentium propositiones oppositas subcontrariè, per secundam regulam assignatam pro contrariis, hoc est postponendo negationem, ad inuicem æquipollere posse.

A Secunda est Mastr. & Bellut. p. p. Instit. tract. 2. cap. 8. §. *Sed cum æquipollentia, &c.* qui etiam pro se citant Fons. in Instit. cap. 7. & Blanc. sect. 18. docentium, quòd si negatio accipiatur aduerbialiter, vt tantùm dicit *Non*; subcontrariæ per nullam regulam possunt fieri æquipollentes: si autem accipiatur nominaliter, ut idem ualet ac *Nullum*, per secundam regulam, optimè possunt ad inuicem fieri æquipollentes.

Tertia uerò sententia communissima est, quare superfluum est pro ea Auctores referre, quæ absolutè docet prædictas subcontrarias, nullo modo posse fieri æquipollentes, æquipollentia propriè, & rigorosè accepta, de qua in præsenti tantùm debet esse sermo.

B Notandum est idcirco primò, quòd vera, & rigorosa æquipollentia propositionum debet esse tantùm inter illas propositiones, quæ habent idem prædicatum, & subiectum, tam in significato, quàm in nomine, in integritate, in tempore, loco, &c. nam sicut vera, & rigorosa oppositio, non est nisi inter illas propositiones, quæ habent idem subiectum, & prædicatum, prædicto modo; vt dictum est in nostris Institutionibus lib. 2. cap. 8. ita vera, & rigorosa æquipollentia, cùm talem oppositionem indispensabiliter supponat: propositiones enim ex oppositis æquipollentes fiunt: Qua de causa non potest esse ista vera, & rigorosa æquipollentia inter illas propositiones oppositas, in quarum vna recipitur negatio nominaliter, vt idem valet ac *nullum*; in alia verò aduerbialiter, ut idem sonat ac *non*; cùm non sit inter eas rigorosa

C oppositio, ob defectum saltem integritatis prædicati, & subiecti: nam ille modus, uidelicet *Nullum*, afficiens, & modificans non tantùm propositionem, sed subiectum, aut prædicatum; non est idem, saltem in integritate propositionis in utraque, ut patet in istis subcontrariis de quibus est tota difficultas, nempe *Quidam homo, nullum est album: Quidam homo non est albus*: afficit enim, & modificat prædicatum primæ, quando prædicatum secundæ non est ita modificatum. Propositiones autem illæ, ex communi Dialecticorum sententia, defectu integritatis non opponuntur, in quarum altera deficit aliqua pars, uel modus prædicati, aut subiecti, quæ tamen erunt in alia; ut *Omnis homo est omne animal; Aliquis homo non est animal*.

D Notandum secundò, quòd licèt duæ negationes æquipolleant uni affirmationi; non tamen duæ affirmationes æquipollere possunt vni negationi: ratio autem disparitatis est, quia negatio, vt negatio, est adeò malignantis naturæ, vt quidquid post se inuenit, destruat, & oppositum inducat; quare cùm prima negatio neget, & destruat secundam, quam post se inuenit, & oppositum inducat, non potest non affirmare, cùm oppositum negationis sit affirmatio; quare duæ negatiuæ faciunt vnam affirmatiuam. Cæterùm, cùm vna affirmatiua non destruat aliam, sed magis affirmet secundam (affirmatio enim non est instrumentum intellectus ad destruendum illud, quod priùs dictum est, vel quod reperit post se, quemadmodum est negatio (hinc est, quòd non ponit negationem per destructionem affirmationis, unde duæ affirmatiuæ non faciunt unam negationem: & licèt affirmatio ex consequenti destruat negationem ratione oppo-

oppositionis; non tamen primò, & per se destruit, sicut negatio, sed tantùm ex consequenti, per hoc scilicet, quòd primò ponit suum significatum proprium, cum quo non potest stare eius negatio.

Dicendum est ergo primò, quòd propositiones oppositæ subcontrariè nequeunt fieri æquipollentes. Probatur: quoniam æquipollentia, de qua est sermo fit tantùm per aduentum negationis præpositæ subiecto, aut postpositæ, aut præpositæ, & postpositæ simul: sed nullo ex his modis negatio adueniens, potest causare in propositionibus subcontrariè oppositis æquipollentiam: ergo prædictæ propositiones nequeunt fieri æquipollentes. Consequentia de se patet: quia si in ipsis nequit causari æquipollentia, neque erunt æquipollentes. Maior etiam patet, cùm non possit dari alius modus applicandi negationem subiecto. Minor verò probatur: non per aduentum negationis præpositæ; quia tunc ex subcontrariis fierent subalternæ, cùm tantùm mutetur quantitas, minimè verò æquipollentes, vt patet ex æquipollentia signorum per versus tradita in nostris Institutionibus loco suprà citato. Non per aduentum negationis præpositæ, & postpositæ simul, quia tunc ex subcontrariis, non æquipollentes sed contradictoriæ fierent, cùm simul mutetur quantitas, & qualitas, vt patet ex iisdem versibus. Nec tandem per aduentum negationis postpositæ; quia vel hoc accideret in affirmatiua, vel negatiua propositione, si in prima, non erunt æquipollentes, sed eædem; si autem in secunda, erit inutilis nugatio, vt si dicatur, Quidam homo non, non est albus, quæ vitanda est tam à Logico, quàm à Philosopho: ergo in talibus propositionibus, nullo modo causari potest æquipollentia.

Dicendum est secundò, quòd propositiones oppositæ tam contradictoriè, quàm contrariè, & subalternè, possunt omnes fieri æquipollentes iuxta regulas assignatas æquipollentiæ. Probatur: nam præponatur negatio negans subiecto vniuersali affirmato, fit particulare negatum, & è contrà: ergo æquiualet suo contradictorio. Postponatur autem subiecto vniuersali affirmato, fit vniuersale negatum, & è contrà; cùm tantùm destruat qualitatem post se inuentam: ergo æquiualet suo contrario. Tandem præponatur, & postponatur subiecto vniuersali affirmatiuo, fit particulare affirmatiuum, & è contrà, ex regulis duorum negatiuorum, vt notatum est suprà: ergo æquiualet suo subalterno: ergo omnes prædictæ propositiones oppositæ, fieri possunt æquipollentes.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, ex Mastrio, & Bellut. loco suprà citato. Quoniam æquipollentia communiter inter proprietates propositionis enumeratur: ergo omnibus propositionibus conuenire debet, & consequenter etiam propositionibus oppositis subcontrariè. Antec. patet. Cons. verò probatur ex conditionibus proprietatis, quarum præcipua est, semper sequi ad essentiam rei, cuius est proprietas; quod vtique non verificaretur, si etiam ad subcontrarias propositiones non sequeretur.

Respondetur distinguendo antec. nam aliæ sunt proprietates, quæ sequuntur propositiones absolutè, & vt sic; vt significare veritatem, aut falsitatem: aliæ verò, quæ sequuntur propositiones, respectiuè, & secundùm quid consideratas; hoc est, quæ resultant

A ex determinata habitudine, & comparatione vnius propositionis ad aliam, vt oppositio, æquipollentia, &c. Primæ debent conuenire omnibus indifferenter, cùm omnes indifferenter propositiones sint: secundæ verò, tantùm illis, quæ habent sufficientem, & determinatum illum respectum ad inuicem, ex quo possint resultare tales proprietates, vt diximus superiùs de oppositione, disput. 25. quæ non conuenit propriè, & in rigore omnibus propositionibus (subalternæ enim propriè, & in rigore non sunt oppositæ) quare mirum non est, æquipollentiam propriè, & in rigore sumptam non conuenire subcontrarijs, cùm ad inuicem non habeant sufficientem respectum, ex quo resultare valeant tales proprietates.

B Obijcitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, probando saltem propositiones oppositas subcontrariè non posse fieri æquipollentes: quoniam vna negatio non potest destruere aliam, vt supponitur: ergo per hoc quòd negatio præposita, & postposita destruant, non fit æquipollentia subcontrariarum; & consequenter non erunt æquipollentes. Hæc vltima consequentia patet ex eo, quòd prædictæ propositiones non possunt ex dictis fieri æquipollentes, nisi prædicto modo. Prima consequentia benè deducitur; quia ex hypothesi falsa sequi nequit nisi falsum; quamobrem, si falsum est, vnam negationem posse destruere aliam; falsum etiam erit per talem regulam in subalternis fieri æquipollentiam. Antec. autem probatur: quoniam omne quod corrumpitur, & destruitur, à suo contrario destruitur; sed duæ negationes non opponuntur, quinimmo sunt eiusdem ra-
C tionis: ergo, &c.

Respondetur negando antec. ad cuius probationē dicendum est, quòd si duæ negationes considerentur secundùm suam rationem, sic consideratæ non opponuntur; at si vna consideretur inquantùm est instrumentum intellectus ad negandum aliquid, & alia quatenus est obiectum, quod negatur, supra quod cadit actus negandi, tali modo benè opponuntur secundùm rationem agentis, & patientis; & sic vna destruit aliam quantùm ad suos actus, non verò secundùm substantiam ipsius.

Obijcitur tandem tertiò, probando saltem contradictorias, non posse fieri æquipollentes; nam tales propositiones repugnant in quantitate, & qualitate, vt patet: ergo nequeunt ad inuicem æquipollere,
D cùm in nullo possint conuenire.

Respondetur, contradictorias formaliter consideratas, & vt sic, non posse fieri æquipollentes propter rationem adductam in argumento; benè tamen materialiter consideratas: nam per aduentum negationis, quæ formaliter erant contradictoriæ, possunt fieri æquipollentes, vt patet.

QVÆSTIO II.

An propositio affirmatiua de prædicato infinito, æquipolleat negatiua de prædicato finitio, & viceuersa.

VT ab incertis certa segregentur, primò supponendum est, in prædicatis compositis, propositionem affirmatiuam de prędicato infinito non æquipollere negatiuæ de prædicato finito, & è contrà: non enim in idem redeunt huiusmodi propositiones, nempe Lapis est non lignum album, & Lapis non est lignum album; nam ita docuit Pilosophus 1. Prior. cap. vlt. afferendo rationem; quia si lapis est non lignum album, non tamen negatur quòd sit lignum, sed tantùm illud compositum, scilicet lignum album, quod in propositione negatiua absolutè negatur, cùm negetur vtrunque, vt de se constare videtur.

Secundò supponendum est, in prædicatis simplicibus essentialibus in materia necessaria, vel remota, tales propositiones, nempe affirmatiuas de prædicato infinito, & negatiuas de prædicato finito, inter se esse æquipollentes: idem enim est dicere Homo est non animal, ac Homo non est animal; sicut idem est dicere, Homo est non lapis, ac homo non est lapis: nam si negatio infinitans negat formam determinatã, relinquendo subiectum indeterminatum ad quancunque aliam, non potest non æquipollere negationi neganti eandem determinatam formam in subiecto, siue sit illi naturalis, siue repugnans.

Quod autem vertitur in dubium, est; an prædictæ propositiones etiam æquipollere possint inter se in prædicatis simplicibus accidentalibus, seu in materia contingenti, vt sunt istæ duæ, nempe Antichristus est non crudelis, & Antichristus non est crudelis.

Prima sententia est negatiua, quam defendunt Sotus lib. 2. summ. cap. 1. Casil. lib. 2. cap. 8. & omnes, qui docent nomen infinitum æqualiter, & vniocè non verificari tam de entibus, quàm de non entibus; de qua re dictum est satis superiùs disput. 23. q. 2. in append. dubio. 2. Quare afferunt, quòd ad hoc, vt illæ propositiones, scilicet Antichristus est nõ crudelis, &c. inter se sint æquipollentes, necessariò addend a est existentia subiecti, dicendo Antichristus est non crudelis, & Antichristus est; ergo Antichristus non est crudelis.

Secunda verò sententia est affirmatiua, quam defendunt Arist. 1. Prior. cap. vlt. D. Tho. 1. de Interpre. cap. 1. Scot. in 1. dist. 28. q. 2. §. *Ad argumenta huius quæstionis*. & 2. Periher. q. 5. in fine. Boet. Ammon. 1. Periher. cap. 1. vbi Tolet. Ruu. Amic. Mastr. & Bellut. tract. 2. summ. cap. 8. §. *Quæres an propositio affirmatiua, &c.* & omnes, qui docent nomen infinitum vniuocè prędicari tam de ente, quàm de non ente de quod loco superiùs citato disput. 23.

Notandum est idcirco primò, quo licèt non sit formalissimè idem æquipollere, ac inferre: ex eo enim
A quòd inferatur, Dies est, ergo sol est, non sequitur esse idem, & inter se æquipollere has propositiones: tamen signum manifestum, & verum bonæ æquipollentiæ non est, nisi quòd vna sequatur ad aliam, atque ex alia inferatur. Huiusmodi enim propositiones sunt æquipollentes; Non omnis homo est albus; Quidam homo non est albus; quia ex prima bene inferri potest secunda: valet enim dicere, Non omnis homo est albus; ergo Quidam homo non est albus, & è contrà, vt patet; quare aliqui rectè definiunt æquipollentiam, dicendo esse æquiualentiam duarum propositionum per aduentum negationis factam, ita quod ab vna ad alteram est bona consequentia.

Notandum secundò, quòd ad veram, & rigorosam æquipollentiam, de qua tantùm loquimur in præsenti, B requiritur, vt totus terminus negatus cum modo eiusdem, si illum habeat, infinitetur; ex cuius defectu nõ valet, Petrus non est de se albus; ergo est de se non albus, sed dici debet; Petrus non est de se albus; ergo Petrus est non de se albus; vbi ly *de se*, etiam infinitatur. Quæ doctrina valdè aduertenda est etiam in propositionibus theologicis: non enim valet Mysterium Trinitatis non est euidenter possibile; ergo est euidenter non possibile, sed dici debet, ergo est non euidenter possibile.

Dicendum est ergo, quòd propositio affirmatiua de prædicato infinito simplici, & accidentali, seu in materia contingenti, æquiualet negatiuæ de prædicato finito simplici, & accidentali, ac viceuersa.

Probatur: quoniam ab vna istarum propositionum ad aliam verè, & propriè tenet consequentia; quia C licet album e. g. aut nigrum supponat existentiam subiecti; non tamen illam necessariò supponit, non album, aut non nigrum, immo sunt negationes extra genus, conuenientes indifferenter tam enti, quam non enti, vt dictum est loco citato disput. 23. Quare dum dicimus, Chimæra est non alba, & Chimæra non est alba; sensus est, quòd Chimæra est non ens, aut ens quod est non album: ergo, &c.

Obijcitur primò in oppositum: etenim à propositione affirmatiua de prædicato infinito simplici, & accidentali, ad negatiuam de prædicato finito simplici pariter, & accidentali, non valet consequentia, nisi subiectum illius prædicati existat: ergo inter se nequeũt æquipollere, nisi supposita existentia subiecti. Cons. patet ex notatis primo loco. Antec. autem probatur D ex Arist. 1. Prior. cap. vlt. vbi docet à propositione de tertio adiacente ad propositionem de secũdo valere consequentiam, si subiectum, cui adiacet prædicatũ, existat: ergo nisi subiectum propositionum de prædicato simplici accidentali existat, non valet inter ipsas consequentia: hæc enim propositio, Antichristus non est crudelis, est propositio de tertio adiacente, vt manifestum est.

Respondetur negando antec. ad cuius probationẽ dicendum est, quòd dum Aristot. loco citato dixit à propositionibus de tertio adiacente, ad propositiones de secundo non valere consequentiam nisi subiectum existat; intelligitur tantùm de illis propositionibus accidentalibus, in quibus accidens non potest conuenire subiecto; nisi existenti, vt Antichristus est, vel non est crudelis; cùm autem negatio infinitans, seu prædicatum infinitum accidentale possit conuenire subiecto etiam non existenti; non est cur à propositionibus de tertio

tertio adiacente, ad proppositiones de secundo non valeat consequentia, nisi subiectum existat dummodò altera sit de prædicato infinito.

Obiicitur secundò: quoniam ad hoc, vt duæ propositiones inter se æquipolleant oportet quòd vtraque vera, aut falsa sit, secus enim manerent in sua oppositione: sed propositiones, quarum vna est affirmatiua de prædicato infinito simplici, & accidentali; & alia negatiua de prædicato finito, &c. non se habent hoc modo, nisi affirmatiua supponat existentiam subiecti: ergo nequeunt fieri inter se æquipollentes, nisi supposita tali existentia. Minor probatur: nam hæc propositio, Antichristus non est crudelis, est vera, cùm iuxta regulam Dialecticorum, propositio negatiua de subiecto non supponente, seu non existente, sit vera (si enim Antichristus non est, nec crudelis erit, cùm accidens sine subiecto naturaliter stare non possit) hæc autem affirmatiua, videlicet Antichristus est non crudelis, falsa; cùm iuxta prædictam Dialecticorum regulam, propositio affirmatiua de subiecto non supponente, seu non existente, sit falsa: ergo prædictæ propositiones nequeunt esse ambæ veræ, neque ambæ falsæ, nisi supponatur existentia subiecti, saltem in affirmatiua.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, regulam illam Dialecticorum, valere tantùm in propositionibus accidentalibus, in quibus copula vnit subiecto formam aliquam positiuá secundùm actualem existentiam extremorum; non autem in propositionibus necessarijs, aut illis, quæ simplicem enunciant negationem, & nihil positiuum ponunt in subiecto; vt est propositio constituta ex nomine infinito, quemadmodùm est illa, Antichristus est non crudelis; quapropter non altera, sed vtraque erit vera.

Objicitur tandem tertiò: quoniam licèt de chimæra possit dici, quòd non est homo; non tamen dici potest, quòd est non homo: quia id significat esse aliquid, quod non sit homo: hæc enim negatio, confusè dicit omnia alia ab homine: chimæra autem, neque est homo, neque aliquid ab homine distinctum: ergo ad hoc vt prædicta propositio affirmatiua, nempe chimæra est non homo, æquipolleat negatiuæ scilicet, chimæra non est homo, oportet quòd supponat subiectum existens denominabile ab omni alia forma præterquàm ab humanitate.

Respondetur negando, quòd dici non possit, chimæra est non homo, nisi subiectum, nempe chimæra existat; nam licèt talis negatio de formali importet, & dicat tantùm omne id, quod non est homo, quia tamen ex modo significandi id importat, & dicit non determinatè, sed confusè, indeterminatè, & indefinitè; non est necesse, quòd subiectum existat: existentia enim, non indeterminatam, sed determinatam, & definitam formam supponit.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

An etiam hypotheticæ inter se æquipollere possint.

QVIA ex nuper dictis tale dubium facilè resolui potest, ad agitatam quæstionem meritò appendimus, breuiter dicendo, quòd cùm per se nullam aliam habeant oppositionem formalem præter contradictoriam; licèt per accidens, nempe ratione categoricarum, omnes inter se æquipollere possint, seruatis regulis æquipollentiæ; per se verò, & ratione sui, tantùm contradictoriæ aliquo modo inter se possunt fieri æquipollentes. Diximus *aliquo modo*; quia cùm æquipollentia inuenta sit ad declarandam obscuritatem alicuius propositionis; & hypotheticæ propositiones per æquipollentiam fiant obscuriores, vt patet; essent vtique æquipollentes aliquo modo, inquantùm scilicet, illis applicari possunt regulæ æquipollentiæ contradictoriarum: sed absolutè, non essent dicendæ æquipollentes, cùm obscuritatem, ad quam declarandam, & illustrandam inuenta est æquipollentia non remouerent. Et hæc satis circa primum librum Perihermenias.

LIBER SECVNDVS

PERIHERMENIAS, EIVSQVE SYNOPSIS.



AGIT Philosophus in hoc secundo libro de varijs modis enunciationis, vt iam dictum est suprà in generali proæmio istorum librorum; hoc est de illis propositionibus, quæ ex aliqua variatione propositionis categoricæ simplicis causantur: quando enim subiecto, vel prædicato alicuius simplicis propositionis iungitur aliqua negatio, fit propositio infinita; si verò addatur aliud prædicatum, e.g. si huic propositioni *Homo est albus*, addatur, *& musicus*; propositio, quæ anteà erat vna, fit multiplex: tandem quando simplici propositioni additur modus, fit propositio modalis. Continet igitur liber iste secundùm communem opinionem latinorum Interpretum tria capita. In primo disputat Aristoteles de propositionibus infinitis. In 2. de propositione vna, & multiplici; & in 3. de propositionibus modalibus.

DISPVTATIO VIGESIMAOCTAVA

De Oppositione, & Æquipollentia modalium.

EXplicata in nostris Institutionibus natura propositionis categoricæ tam simplicis, quàm modalis, nunc manet videndum de passionibus ipsarũ, nempe de oppositione, & æquipollentia; cùm de conuersione in libris Priorum tractandum iam promisimus; non quidem de oppositione, & æquipollentia categoricæ simplicis vt sic (de talibus enim in superioribus dictum est satis) sed vt infinita, aut multiplex est. Quia verò de æquipollentia categoricarum infinitarum, & consequenter de ipsarum oppositione, quæ supponitur in æquipollentia, dictum est satis disputatione præcedenti, & ampliùs dicetur in libris Priorum, quando disputabitur de consequentijs, vbi etiam videbitur quid sit dicendum de æquipollentia categoricarum multiplicium, disputationem hanc ad solam oppositionem, & æquipollentiam modalium limitandam putauimus.

QVÆSTIO I.

An tot modis opponantur modales, quot categoricæ simplices.

SVppositis omnibus, ac diligenter adnotatis, quæ diximus lib. 2. Instit. cap. 10. & 11. recolenda quoque sunt ea, quæ de oppositione formali, seu de lege, ac de oppositione materiali, siue de modo disput. 25. q. 1. primo loco adnotauimus: nam præsens quæstio procedet similiter de oppositione modalium in vtroque sensu.

Insuper ad remouendum omne dubium, quod circa graphicam modalium figuram, in nostris Instit. loco citato expositam, oriri possit, non erit inutile prænotare; Aristotelem hoc 2. lib. Periherm. easdem modales diuerso ordine distribuisse: primo enim loco, in quolibet rotulo, eam, quæ de necessariò est constituit; secundo, eam, quæ de possibili; tertio, de contingenti; quarto, de impossibili; non quidem, vt communem modum, quem hactenus secuti sumus, reprobet; sed vt proprium, potioremque astruat; cuius ratio optima est: id enim in anteriori loco ponendum est, quod vt antecedens se habet ad alterum; cùm igitur necessarium antecedat possibile (quod enim ne-
A cessarium est, possibile est, non verò è contrà) meritò à necessario priùs, quàm à possibili incæpit. Quare, & alia vocabula inuenit; nimirum loco *Purpurea*, Argutule; loco *Amabimus*, Mutabitis; loco *Iliace*, Vestigia; & loco *Edentuli*, Sine metu. Quomodocunque tamen sit, vnam, vel alteram pro libito sumentibus, semper hoc, quod ad rectam positionem, & collocationem oppositionis modalium necessarium videtur, inuariatum manebit; nimirum quòd in quolibet rotulo sunt inter se æquipollentes, & quæ loco *Purpurea*, & *Iliace* ponuntur, vt sunt *Argutuli*, & *Vestigia*, opponuntur contrariè: quæ loco *Amabimus*, & *Edentuli*, vt sunt *Mutabitis*, & *Sine metu*; subcontrariè: quæ loco *Purpurea*, & *Amabitis*, *Iliace*, & *Edentuli*, vt sunt *Argutule*, & *Mutabitis*, *Vestigia*, & *Sine metu*; subalternè. & tandem, quæ loco *Purpurea*,
B & *Edentuli*, *Iliace*, & *Amabimus*, vt sunt *Argutule*, & *Sine metu*, *Vestigia*, & *Mutabitis*; contradictoriè.

Quibus igitur suppositis; tot modis opponi, tam oppositione formali, quam materiali, modales inter se, quot categoricæ opponuntur simplices; omnes communiter docent Dialectici: quamobrem erit inutile nomina quoruncunque referre.

Notandum tamen est primò, propositiones modales esse vniuersales, vel particulares; affirmatiuas, aut negatiuas ex parte modi contingere dupliciter; formaliter, quando scilicet secundùm se tales sunt; æquipollenter, idest quatenus æquiualent illis, quæ formaliter, & secundùm se vniuersales, aut particulares, affirmatiuæ, vel negatiuæ ex parte modi sunt. Qua de causa omnes modales de primo ordine, quæ
C significantur per *Purpurea*, erunt vniuersales affirmatiuæ, quia æquipollent propositioni vniuersali affirmatiuæ secundum se, vt Necesse est Petrum currere. Similiter omnes modales de secundo ordine, quæ significantur per *Iliace*, erunt vniuersales negatiuæ, ex parte modi, quia æquipollent isti vniuersali negatiuæ secundùm se, vt Impossibile est Petrum currere. Item modales omnes de tertio ordine, quæ significantur per *Edentuli*, erunt particulares negatiuæ, ex parte modi, quia æquipollent isti particulari negatiuæ secundùm se sumptæ, vt Possibile non est Petrum currere; vel quod idem est, Non necesse est Petrum currere. Tandem omnes modales de quarto ordine, quæ significantur per *Amabimus*, erunt particulares affirmatiuæ ex parte modi, quia æquipollent
D isti particulari affirmatiuæ secundùm se, vt Possibile est Petrum currere.

Notandum secundò, quòd sicut ad hoc, vt duo modales de necesse (quando tamen sunt de dicto, seu subiecto communi) sint oppositæ contrariè, vel subcontrariè, requiritur vt habeant vtrunque dictum, vel saltem alterutrum vniuersale, vt dictum est secundo lib. Instit. cap. 11. ita ad hoc vt cæteræ modales aliorum modorum, nempe de possibili, & contingenti opponantur pariter contrariè, vel subcontrariè, debent habere vtrunque, vel alterum dictum particulare: ratio enim est, quia si in *Amabimus* e. g. dictum sit vniuersale, vt Omne animal esse hominem est possibile; propositio est manifestè falsa, cùm leo e. g. non possit esse homo. Et si in *Edentuli* pariter sit vniuersale, vt Omne animal non esse hominem non est possibile; hæc quoque erit falsa; nam ly *Omne* cùm supponat distributiue, sensus esset, quòd nullum animal

esset

esset homo, atque ita duæ subcontrariæ essent falsæ contra regulas superiùs traditas; quod absurdum vtique non sequitur, si vtraque vel altera fuerit de dicto particulari, vt patet; & sic de oppositis contrariè valet philosophari: quæ vtique oppositio appellatur de dicto, & de modo, quæ est maxima modalium.

Dicendum est ergo, quòd tot modis opponuntur modales, quot categoricæ simplices. Probatur: nam prædictæ propositiones opponuntur tripliciter oppositione formali; materialiter verò, & secundùm quantitatem, quadrupliciter: ergo tot modis opponuntur, quot categoricæ simplices. Cons. patet ex dictis in superioribus. Antec. verò probatur; nam omnes in *Purpurea* sunt vniuersales affirmatiuæ, vel formaliter, vel æquipollenter, omnes autem in *Iliace* sunt vniuersales negatiuæ eodem modo. Similiter omnes in *Amabimus* sunt particulares affirmatiuæ formaliter, vel æquipollenter: omnes autem in *Edentuli* sunt particulares negatiuæ eodem modo: ergo oppositione formali, nempe secundùm affirmationem, & negationem opponuntur tripliciter, hoc est, contrariè, subcontrariè, & contradictoriè; secundùm verò oppositionem materialem, & quantitatiuam, quadrupliciter, contrariè scilicet subcontrariè, contradictoriè, & subalternè.

Obijcitur primò in oppositum, probando modales non posse opponi contradictoriè: nam quæ sequuntur ex positione alterius non opponuntur contradictoriè vt patet: sed modales in *Edentuli* sequuntur ex positione modalium in *Purpurea*; & modales in *Amabimus* sequuntur ex positione modalium in *Iliace*: ergo non opponuntur contradictoriè. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur: nam bene sequitur ex ista in *Amabimus*, nempe contingens est Petrum currere, alia in *Edentuli*, nimirum ergo contingens est Petrum non currere, per conuersionem in oppositam qualitatem, cùm id, quod est contingens, se habeat ad vtrunlibet: contingit enim Petro tam currere, quàm non currere: sed illa in *Amabimus* non contradicit isti de *Purpurea*, nimirum necesse est Petrum currere, cùm illis subalternetur, vt patet: ergo nec ista in *Edentuli*, cùm per conuersionem in oppositam qualitatem sequatur, & sit idem cum illa in *Amabimus*; & sic proportione seruata dicendum est de modalibus, quæ ponuntur in *Amabimus*, & *Iliace*.

Respondetur, huiusmodi argumentum esse valdè fallax, cùm faciat transitum à contingenti secundùm se, & absolutè sumpto, ad contingens vniuersale, & commune tam ad necesse, quàm ad non necesse prout idem valet ac id, quod est possibile; quare neganda est minor; ad cuius probationem dicendum est, quòd si accipiatur illa negatiua in *Edentuli* in ratione contingentis secundùm se, prout scilicet se habet ad vtrunlibet, hoc est indifferenter vel ad cursum, vel ad non cursum, potest quidem conuerti in oppositam qualitatem illius affirmatiuæ in *Amabimus*, vt probat argumentum: at verò si accipiatur in ratione contingentis vniuersalis, & communis tam ad necessarium, quàm ad non necessarium, quemadmodùm hic accipienda est, non potest conuerti in oppositam qualitatem, cùm non importet indifferentiam, sed tantùm possibilitatem, vt patet per suam æquipollentem in eodem rotulo, primo loco positam. Qua de causa non sequitur ad suam vniuersalem affirmatiuam in A *Purpurea*, sed ad suam vniuersalem in *Iliace*; quare illi opponitur contradictoriè; isti verò subalternatur: valet enim dicere, Necesse est Petrum non currere: ergo contingens, seu, quod idem est, Possibile est Petrum non currere, cùm a specie ad genus teneat consequentia.

Obijcitur secundò probando non posse opponi contrariè. Tum quia omnes contrariæ sunt vniuersales: sed nullæ modales sunt vniuersales, cùm omnes, in assignata figura sint particulares: ergo nullæ modales contrariantur. Tum quia omnes contrarię repugnant in qualitate: sed modales de *Purpurea*, & de *Iliace* non repugnant in qualitate: nam illæ sunt ambæ affirmatiuæ, videlicet Necesse est Petrum currere; Necesse est Petrum non currere, cùm *Necesse* in vtraque sit signum vniuersale affirmatiuum: ergo non contrariantur. B

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt ex parte dicti omnes illæ modales sint particulares, ex parte verò modi, ratione cuius præcipuè in modalibus attenditur quantitas, & qualitas, aliæ sunt vniuersales formaliter, vt sunt illæ de necesse, & de impossibile; aliæ verò æquiualenter, vt sunt illæ de possibili, & contingenti, cùm æquipolleant illis de necessi, & impossibile; vt dictum est supra. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd licèt prædictæ modales in *Purpurea*, & *Iliace* non pugnent ex parte modi in qualitate formaliter; repugnant tamen æquipollenter, cùm *Necesse est Petrum non currere*, æquipolleat primæ de eodem rotulo, nempe *Non est possibile Petrum currere*.

C Obijcitur tandem tertiò probando saltem non opponi subalternè; quoniam particulare non sequitur ad suum vniuersale; non enim valet dicere, Animal est; ergo homo: sed *Necessarium* est vniuersale respectu *Possibile*, quod est signum particulare: ergo ad necessarium esse, non sequitur possibile esse; atque ita, modales in *Amabimus* non subalternantur illis de *Purpurea*.

Respondetur, quòd licèt ad vniuersale in prædicando non supponatur suum particulare, vt probat argumentum, tamen ad vniuersale in distribuendo, vel ampliando, sicut est *Necesse* respectu *Possibilis*, bene sequitur: valet enim dicere, Homo est: ergo Petrus, Franciscus, &c.

D

QVÆSTIO II.

Vtrum omnes modales oppositæ possint fieri æquipollentes.

QVæstio hæc ex superius dictis disput. 27. q. 1. facilè potest resolui, cùm ferè eadem sit ratio de æquipollentia modalium, ac simplicium propositionum apud nos, qui regulam illam de anteponenda, & postponenda, siue anteponenda, & postponenda simul negatione, etiam ad modales intendimus applicare. Quare relictis multis, ac varijs regulis, quæ ab Auctoribus pro præsenti traduntur negocio (non quidem quia malæ, aut inutiles sint; sed quia vel non parum confusionis propter multiplicitatem possunt afferre,

afferre, vel quia illam iam dictam de anteponenda, & postponenda negatione ferè concernunt) tantùm intendimus prædictam regulam de negatione explicare, atque ipsa explicata, quæsito respondere.

Stante igitur tali regula de negatione, &c. Auctores, qui loco citato disput. 27. docuerunt omnes categoricas oppositas fieri posse æquipollentes, tenentur idem docere de modalibus. Illi verò, qui ibidem subcontrarias excluserunt, tenentur etiam in præsenti illas excludere.

Notandum tamen est, quòd ad hoc vt talis regula de negatione, etiam verificetur in modalibus, consideranda est priùs earundem oppositio, non quidem vtcunque, prout scilicet prouenit ex propositionibus vniuersalibus, & particularibus, affirmatiuis, & negatiuis, tam formaliter, & secundùm se, quàm æquipollenter; sed tantùm vt prouenit ex prædictis, vt formaliter, & secundùm se tales sunt: aliter enim, non sine maxima intellectus defatigatione, ac mentis confusione talis regula vt uera perciperetur; cùm non omnia signa, ex quibus attenditur quantitas, & qualitas modalium, in proprio rotulo sint formaliter vniuersalia, & particularia; affirmatiua, & negatiua; sed quædam fotmaliter, quædam verò æquiualenter, vt patet. Vnde si duæ contradictoriæ e.g. per regulam negationis oppositæ, debeant fieri æquipollentes; sumendæ sunt primo loco, quæ sunt contradictoriæ formaliter; vt in *Purpurea*, & *Edentuli*, Necesse est Petrum currere; & possibile est Petrum non currere; quarum cuilibet si anteponatur negatio, ad inuicem æquipollebunt, vt patet. Deinde ratione istarum, etiam omnes modales, quæ istis in eodem rotulo æquipollentes sunt, inter se pariter æquipollentes erunt. Et ita philosophandum est de cæteris oppositionibus, proportione tamen seruata. Eodem quoque modo dicendum est de æquipollentia inter se omnium illarum propositionum, quæ sunt in quolibet rotulo; nam intantùm ista propositio, e.g. in *Iliace* posita tertio loco, nempe, Impossibile est Petrum currere, æquipollet primæ eiusdem rotuli, scilicet Non est possibile Petrum currere; quia eius contradictoria erat, Possibile est Petrum currere, vt patet ex primo loco in *Amabimus*; quare anteposita negatione fit æquipollens: possibile enim, & impossibile contradictoriè opponuntur; sicut possibile, & necessariò, affirmatiua de dicto, & modo opponuntur subalternè; & impossibile, & necessariò, affirmatiua similiter de dicto, & modo, opponuntur contrariè.

Dicendum est ergo, quòd omnes modales oppositæ, possunt fieri æquipollentes, exceptis subcontrarijs. Probatur: nam omnes modales oppositæ præter subcontrarias, ratione negationis antepositæ, vel postpositæ, &c. possunt amittere contrarietatem, & retinere diuersitatem: ergo omnes præter, illas fieri possunt æquipollentes. Consequentia patet, cùm æquipollentia sit eadem significatio, & vis diuersarum propositionum. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis tum disput. 27. citata, tum in superiori adnotatione. Quoad secundam verò sic probatur: nam si huic propositioni in *Amabimus*, nempe possibile est Petrum currere, anteponatur negatio, respectu istius de *Edentuli*, nimirum Possibile est Petrum non currere, erit æquipollenter subalternans, cum sit eadem, ac prima propositio in *Iliace*: ergo ratione negationis non amittit oppositionem. Item, A si illi negatio postponatur, erit eadem cum sua subcontraria: ergo non retinebit diuersitatem. Tandem, si anteponatur, & postponatur, & dicatur, Non possibile est Petrum non currere, iam erit contradictoria saltem æquipollenter ad illam particularem negatiuam de *Edentuli*, cùm sit eadem cum prima in *Purpurea*: ergo non amittet similiter contrarietatem, quod vtique contingere nequit in alijs oppositionibus, vt consideranti patere poterit: ergo modales oppositæ subcontrariè, ratione negasionis antepositæ, vel postpositæ, &c. nequeunt amittere contrarietatem, & retinere diuersitatem, quemadmodùm queunt cæteræ modales oppositę.

Obijcitur primò in oppositum, probando modales subalternè oppositas, non posse æquipollere: nam intantùm hæ duæ modales subcontrariæ, nempe Possibile est Petrum currere, & Possibile est Petrum non B currere; per negationem postpositam nequeunt æquipollere, quia duplicatio negationis ex parte negatiuæ esset inutilis nugatio, vt dictum est suprà de categoricis simplicibus loco citato: sed etiam in modalibus subalternis daretur hæc inutilis nugatio: ergo si subcontrariæ ob talem rationem non æquipollent, subalternę pariter non debent æquipollere. Consequentia patet, cùm non sit diuersa ratio. Maior etiam patet ex dictis loco citato. Minor verò probatur; nam si ad æquipollentiam subalternarum, negatio non tantùm debet anteponi, sed etiam postponi, non potest non reduplicari relatio ex parte negatiuæ particularis, dicendo, Non est possibile Petrum non, non currere; ergo etiam in subalternis reduplicaretur C negatio.

Respondetur totum concedendo argumentum, cùm nihil faciat contra nos: nam licèt conuincat ex parte propositionis negatiuæ particularis in modalibus subalternis non posse fieri ęquipollentiam; non tamen conuincit ex parte propositionis vniuersalis negatiuę, quod sufficit ad hoc, vt prædicta regula de pręponenda, & postponenda negatione in subalternis sit vera: quod tamen non est dicendum de subcontrarijs; nam licèt postponatur negatio in particulari affirmatiua, non tamen sequitur æquipollentia, sed tantùm identitas, vt patet.

Obijcitur secundò probando modales contradictorias, & contrarias, quandoque non posse æquipollere: contradictorias quidem; nam si isti propositioni in D *Edentuli*, nempe Possibile est Petrum non currere, pręponatur negatio, iam fiet eadem cum prima in *Purpurea*, vt patet. Contrarias verò; nam si isti in *Iliace* scilicet, Non est possibile Petrum currere, postponatur negatio, similiter fiet eadem cum prima in *Purpurea*: ergo quandoque prędictę modales nequeũt ęquipollere.

Respondetur, quòd cùm prędictæ propositiones nõ sint contradictorię, & contrarię formaliter, sed tantùm ęquipollenter ad suas contradictorias, & contrarias, formaliter; nequibunt inter se ęquipollere ratione negationis sibi adhibitę; sed tantùm ratione negationis adhibitæ suis contradictorijs formaliter, quibus ęquipollent. Quare mirum non est, si regula illa de negatione, in ipsis non habeat locum.

Quia cętera argumenta, quę in contrarium possent adduci, facilè solui queunt ex dictis in nostris Institutionibus lib. 2. cap. 11. idcirco omittuntur. Et hæc de secundo libro Perihermenias dicta sufficiant.

TER-

TERTIA PARS
LOGICAE
DE SECVNDIS INTENTIONIBVS,
quibus dirigitur tertia operatio nostri intellectus.

COMPLECTENS EXPLICATIONES, ET DVBIA CIRCA DVOS LIBROS PRIORVM, TOTIDEM POSTERIORVM, OCTO TOPICORVM, ATQVE DVOS ELENCHORVM.





ERTIA intellectus operatio cùm tam penes formam, quàm penes materiam possit deficere, non tantùm indiget secundis Intentionibus eam dirigentibus, ex parte primæ, vt sunt præmissæ, medium, Syllogismus, Figura, &c. verùm etiam ex parte secundæ, vt sunt Demonstratio, fallacia, & his similia. Qua de causa in hac tertia parte, in qua agendum est de tali intellectus operatione, Priorum, Posteriorum, Topicorum, Elenchorumque libros, qui talia complectuntur, suscepimus examinandos. Hoc tamen ordine, & dispositione seruata, vt priùs qui inscribuntur Priorum, quàm reliqui ponantur; non tantùm vt methodus Aristotelica seruetur, sed insuper, vt rectæ rationi nil dissonum opponatur. Recta enim ratio postulat, vt id, quod formam concernit, vtpote nobiliorem, quemadmodùm sunt libri Priorum, ei quod materiam sequitur, vt cæteri sunt, præferatur. Deinde cùm materia necessaria potior sit, quàm Probabilis, & apparens; immediatè post prædictos libros, duo posteriorum, qui ad necessariam, deinceps octo Topicorum, qui ad probabilem, tandem duo Elenchorum, qui ad apparentem materiam spectant, subsequi debent.

Appellauit igitur Philosophus huiusmodi libros de Ratiocinatione, teste Galeno apud Conimbr. & alios;

A quæ inscriptio significat argumentationem ex parte formæ videlicet quatenus ratiocinationis, & argumentationis structura, secundùm debitam figuram, & modum ita disponenda est, vt rectè aliquid de altero concludatur. Vnde interpretes Græci *analyticon proteron*, idest de priori resolutione, interpretati sunt; Qua de causa Dialectici, duo genera Analysis, seu resolutionis tradunt; vnum consequentiæ, quod Eustatius Syllogisticum vocat, alterum consequentis. Analysis consequentiæ, est consequentiæ ad sua principia reductio: sunt autem consequentiæ principia, termini, ac propositiones aptè, congruenterque secundùm formam ad aliquid inferendum collocatæ. Itaque tunc dicimur consequentiam resoluere, cùm eius bonitatem ostendimus propterea quòd constet
B terminis, & propositionibus ad concludendum ex artis regula secundum modos, & figuras accomodatè dispositio. Analysis autem consequentis, est consequentis ad sua principia reductio: sunt verò principia consequentis, termini, propositiones cum conclusione, quæ infertur, aptè connexæ; & cohærentes secundùm materiam. Is ergo dicetur consequens resoluere, qui e. g. ostendit conclusionem illarum deduci ex principijs, quæ in se continent causam veritatis conclusionis. Cùm igitur Analysis, seu resolutio consequentiæ prior sit Analysi consequentis (vt enim veritas, & illatio consequentiæ rectè appareat constare priùs conuenit de consequentiæ bonitate) hinc est,

est, quod isti duo libri *Analyticon proteron*, idest priorum, reliqui verò subsequentes, ad quos resolutio consequentis spectat, *Analyticon histeron*, idest posteriorum meritò nuncupantur.

De subiecto autem horum librorum, sunt qui docent cum Clitoueo, & Marsilio esse argumentationem, eò quòd, de omnibus eius partibus in ijs disseratur; videlicet de Syllogismo, Enthymemate, Inductione, & Exemplo. Alij verò cum Auerroe, & Alexandro arbitrati sunt, esse demonstrationem, propterea Aristoteles initio huius primi libri promittit se acturum de Demonstratione. Amplectenda tamen est communis sententia illorum, qui cum B. Alberto Magno, Ægidio, Philopono, & Louaniensibus tradunt subiectum attributionis Priorum analyticorum esse syllogismum simplicem secundùm formam spectatum, idest nulla habita ratione alicuius particularis materiæ in qua fiat; forma enim in his ex precipuo instituto tractatur; nec de Enthymemate, alijsque partibus argumentationis, nisi illius causa differitur. Neque huic sententiæ aliquid obstat, quòd Aristo- A teles in ingressu huius operis, de demonstratione se acturum dicat. Id enim propterea facit, vt ostendat principale subiectum ad quod vtriusque Analyseos doctrina, idest Priorum, ac Posteriorum tanquam ad scopum refertur, esse demonstrationem quod non impedit, quo minus præcipuum, sed peculiare tamen subiectum horum duorum librorum sit prædicta ratiocinatio, seu simplex syllogismus superiori modo explicato, vt ipse Philosophus non obscurè indicauit cap. 4. libri primi, vbi se de ratiocinatione acturum B profitetur. Quanta verò sit huius syllogismi, & ratiocinationis necessitas in scientijs, testatur idem Philosophus lib. 4 Met. c. 4. tex. 9. vbi eius ignorantiam quasi per excellentiam vocat ruditatem, seu ineruditionem.

In duas partes, seu libros diuiditur presens; opus; in quorum primo de Syllogismo, & partibus eius agit Aristoteles. In secundo verò de eius proprietatibus, seu passionibus, quas potestates, siue potentias, siue impotentias vocat.

LIBER PRIMVS

PRIORVM, EIVSQVE SYNOPSIS.



Rimus autem hic liber secundùm C Grecos diuiditur in tres partes. In prima, quæ prooemij rationem A habet, proponit Philosophus materiã totius operis: syllogismumque, & partes eius (quæ sunt propositio, & termini) definit. In secunda agit de conuersionibus propositionum. In 3. de figuris, & modis Syllogismorum, & de his, quæ ad easdem figuras pertinent. Continet autem secundùm Boetium aliosque latinos interpretes quadraginta duò capita; in quorum primo agit de Propositione, Termino, & Syllogismo; in 2. de conuersione propositionum absolutarum in 3. de conuersione propositionum modalium in 4. verò vsque ad 27. inclusiue tractat de constructione sillogismorum secundùm triplicem figuram. A 28. vsque ad 32. de arte inueniendi medium. A 33. tandem vsque ad 42. de resolutionem syllogismorum, vsque ad sua principia.

DISPVTATIO VIGESIMANONA.

De Termino syllogistico, eiusque Passionibus.



VIA res habet cognosci per sua principia; ideò antequàm definiatur syllogismus, de quo in præsenti est præcipua cura, priùs videndum est de aliquibus eius principijs, scilicet de propositione, & termino; & licèt via compositionis terminus debeat præcedere propositionem, cùm in tali ordine pars præcedat totum; tamen via resolutionis, quæ maximè in his libris attendi debet, necesse est vt terminus, propositionem sequatur: cùm in tali ordine solùm, præcedat partes. Vnde iure optimo post disputationem de propositione, debemus de termino disputare, in quem resoluitur propositio. Et quamuis etiam syllogismus resoluatur per propositionem, proptereà videatur definiendus ante propositionem, & terminum; quia tamen propositio non definitur hic per syllogismum, nec in quantùm est terminus resolutio- D nis illius; ideò non oportuit priùs definire syllogismum, quàm propositionem. Cùm autem ex passionibus; non parum innotescat essentia; simul etiam cum explicatione quidditatis, & naturæ termini, eiusdem proprietates, & passiones examinandæ sunt.

✠

QVÆSTIO I.

Vtrùm definitio, & ratio termini syllogistici conueniat vocibus significatiuis, tam intra quàm extra propositionem.



D excludendum terminum enunciatiuum, qui est pars enunciationis, ex quo simplex conficitur propositio, non solùm vt prædicatum, & subiectum, sed secundùm rationem magis communem comprehendentem verbum, & alias partes, vt pronomina, aduerbia, propositiones, & similia; meritò specificatur in titulo de termino syllogistico, qui ab Aristotele ita fuit definitus; nimirum quòd sit *Ille, in quem resoluitur propositio, vt in prædicatum, & subiectum*.

Procedit etiam huiusmodi quęstio de vocibus significatiuis tantùm; nam si definitio termini accipiatur in toto rigore, atque in sensu proprio, sicut accipi debet; voces non significatiuæ nequibunt esse termini; quoniam terminus in propria, & rigorosa acceptione non est extremum vtcunque, sed extremum propositionis, quæ apud Logicos est tantùm oratio significatiua.

In hac quæstione est duplex sententia; prima docet voces significatiuas, etiam extra propositionem habere rationem formalem termini, & consequenter talem definitionem illis conuenire tam intra, quàm extra propositionem. Ita Sotus l. 1. Summ. c. 2. sect. 2. Io. à S. Tho. q. 1. de termino a. 3. Casilius, l. 1. c. 1. n. 49. Mastr. & Bellut. p. p. Instit. tract. 1. c. 1. §. *sed ad huc dubium est*; & alij.

Secunda verò sententia è contrà docet voces significatiuas tantùm intra propositionem habere rationem formalem termini; & consequenter allatam definitionem illis tantùm conuenire vt sunt intra propositionem. Ita Philosophus 1. Prio. c. 1. Complut. l. 1. de terminis c. 2. quam sententiam dicunt esse veram, atque communiorem.

Notandum propterea est, quòd licèt hæc tria, nempe Vox, Nomen, & Terminus; inter se coincidere v[illegible] attamen si attentè considerentur, ab inui[illegible]minantur. Etenim *Vox* significat illo[illegible] soni, qui in ore animalis cau[illegible]ndam partium eius; & prop[illegible]efinitione vocis. *Nomen* autem [illegible]oni realem, addit significatio[illegible]ati aduenit ex Impositione huma[illegible]men definitur, quòd sit Vox significa[illegible]placitum, &c. Quare sola entitas realis illius soni, si ab ea præscindamus significationem, dicitur quidem, & est vera vox, non tamen potest appellari nomen; quia nomen importat vtrunque. Terminus verò, vltra entitatem vocis, & significationem nominis, addit esse extremum, finemque propositionum: & ideò hæc est optima illius definitio: *Terminus est nomen extremum propositionis*. Quare entitas realis vocis, si ab ea præscindatur esse extremum propositionis,

A siue illam componere, quamquàm sumatur simul cum significatione; dicitur quidem, & est verè nomen, non tamen propriè potest appellari terminus quia vtrunque est de ratione illius. Ex quo tandem fit, quòd sicut in entitate reali vocis, sola aptitudo, quam habet vt imponatur ad significandum, non sufficit ad veram rationem nominis, sed debet actu habere significationem; ita etiam sola aptitudo nominum, vt collocentur in propositione, non sufficit ad veram rationem termini; sed necesse est; vt actu sint extrema eius.

Dicendum est ergo, quòd formalis ratio, & definitio termini nõ conuenit vocibus significatiuis extra propositionem positis.

Probatur primò; quoniam voces extra propositionem,

B non possunt verè, & propriè appellari extrema, vt à simili cernitur in puncto respectu lineæ, in lapide limitaneo respectu fundi, & similibus: ergo neque verè, & propriè appellari termini.

Respondet Sotus loco citato, quòd licèt prædictæ voces nequeant appellari extrema, nec habeant rationem termini componentis, & terminantis actu; habent tamen hoc totum in potentia, & aptitudine; quod sufficit ad hoc vt illis conueniat ratio, & definitio termini.

Contra tamen est, quòd sola illa potentia, seu aptitudo vocum ad componendam propositionem, non sufficit vt ipsa dicatur resolui in illas (siquidem totum non potest resolui nisi in partes, ex quibus actu componitur; vt de se notum est) ergo nec sufficit ad hoc vt habeant rationem termini.

C Respondet primò Ioannes à S. Tho. loco suprà citato, non esse de ratione partis, quòd actu componant totum, vt patet manifestissimo exemplo de anima separata à corpore, quæ tamen est, & dicitur vera pars compositi humani, licèt actu ipsum non componat.

Contra tamen est, quòd intantùm anima separata habet rationem partis etiam extra totum, quia est forma spiritualis per se existens: sed terminus in ratione termini, & partis non est aliquid per se existens: ergo non potest habere rationem partis, & termini separatus à propositione, quæ est suum totum.

Respondet nihilominùs idem Ioannes, quòd sicut anima rationalis existit realiter per se extra totum; ita terminus potest cognosci separatim à toto. Et quia ens rationis non habet aliud esse quàm cognosci; ideò

D potest terminus existere per rationem, & intellectum extra totum, retinendo ipsam rationem, & formalitatem partis.

Contra tamen est, quòd cùm terminus in ratione entis rationis, nihil aliud sit, quàm quoddam relatiuum rationis, non poterit cognosci in esse tali, nisi simul cognoscatur suum correlatiuum, nempe propositio, ad quam refertur vt pars ad totum, cùm relatiua sint simul cognitione: ergo terminus in ratione termini nequit cognosci separatim à suo toto, idest à propositione, quæ simul cognoscenda est cum illo, & non minùs habet existentiam per cognitionem, quàm ille, cùm ambę sint entia rationis. Nec obstat, quòd prædicta proprietas, nempe esse simul cognitione, sit proprietas relatiuorum realium, & prædicamentalium, non verò rationis; nam de istis proportione tamen seruata, eodem modo philosophandum est ac de illis.

Secundò denique respondet ad id, quod dictum est suprà contra responsionem Soti, idem Io. à S. Tho. dicendo, quòd etiam si aliqua pars non possit existere de facto extra totum propter dependentiam, quam habet in existendo à toto; nihilominus officium partis non consistit in actuali compositione, vt patet in ipsa materia prima, quæ potest esse modò sub vna forma, & sub vno composito, modò sub alio. Et ita licèt non possit esse extra totum saltem naturaliter; tamen non consistit in ipso actuali exercitio componendi hoc totum, vel illud, sed in potentia ad quodlibet.

Contra tamen est, quòd licèt materia prima habeat prædictam indifferentiam, &c. attamen dum concipitur vt pars formaliter, non potest non existere in aliquo toto. Dum autem habet tantùm rationem partis potentialis, seu in potentia ad aliquod particulare totum non dum existens, non est pars, neque terminus illius formaliter, & propriè sed solùm materialiter; idest, tantùm est id, quod non repugnat vt sit pars illius, licèt non habeat rationem formalem partis: ergo à pari, ita dicendum est de termino propositionum.

Probatur secundò conclusio. Quia suppositio, ampliatio, & aliæ proprietates terminorum non conueniunt vocibus extra propositionem, vt est per se manifestum: ergo neque ipsa actualis ratio termini, à qua illæ dimanant.

Confirmatur. Nam si voces extra propositionem essent termini, iam vna, & eadem vox e. g. *Homo*, simpliciter, & simul esset prædicatum, & subiectum, siquidem extra propositionem indifferens est ad vtrunque; Quod tamen esse falsum, satis conuincitur ex eo, quòd subiectum, & prædicatum sunt verè species termini; ac proinde idem simul, & simpliciter esset sub diuersis speciebus eiusdem generis, quod omnino repugnat; Restat ergo voces extra propositionem propriè, & formaliter loquendo non esse terminos.

Obijcitur primò in oppositum. Quia iuxta commune Dialecticorum axioma, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo ad hoc quòd voces sint termini, non est necesse, vt actu finiant propositionem, sed sufficit posse illam terminare: cùm autem talem aptitudinem habeant extra propositionem, vt patet, planè videtur sequi verè esse terminos extra illam.

Respondetur ex iam dictis disput. 15. q. 1. ad 3. quæ vt clariùs, & manifestiùs pateant, iterum dicendum est, axioma illud procedere, quando ipse actus non est de essentia definiti; tunc enim verba in definitione eius dicunt aptitudinem, & non actum: vt patet in homine, de cuius essentia non est actu ratiocinari; ideò quando definitur per animal rationale; solùm est sensus, esse animal aptum ratiocinari; Si verò de essentia definiti sit aliquis actus, tunc verba in eius definitione non solùm dicunt aptitudinem, sed etiam actum; & hoc contingit, vel ob infinitam perfectionem, vt in Deo, de cuius essentia est esse actum purissimum, ac proinde si posset definiri, verba talis definitionis re vera significarent actum: vel ob summam imperfectionem, sicut in entibus rationis; & huiusmodi sunt Terminus, Nomen, & similia.

Obijcitur secũdò in oppositũ ex Io. à S. Tho. Quòd essẽtia actualis termini est vsse partẽ propositionis: sed A ratio, & essentia partis consistit in hoc, quòd sit compositiua, & constitutiua totius, non verò quòd actu componat, & constituat: ergo voces significatiuæ, non tantùm habebunt rationem, & formalitatem termini intra propositionem, dum actu eam componunt, sed etiam extra. Consequentia patet. Maior quoque liquet; quia si terminus est id, in quod resoluitur propositio, eius essentia in hoc consistet, quòd scilicet sit pars propositionis, cùm totum duntaxat in suas partes resoluatur. Minor verò probatur exemplo potentiæ visiuæ quæ licèt aliquandò non habeat exercitium videndi, tamen habet actu essentiam, & rationem potentiæ visiuæ: ergo à pari, licèt pars actu, & in exercitio non constituat, tamen actu habebit essentiam, & rationem partis, idest erit constitutiua, & B compositiua, estò in exercitio non componat, neque constituat.

Respondetur, concedendo maiorem; si tamen intelligatur de esse partis in actu; cùm essentia actualis termini non sit pars propositionis vtcunque, sed actualis pars ipsius. Deinde neganda est minor; ad cuius probationem, negatur paritas: nam potentia visiua etiam si non sit in actuali exercitio videndi, tamen formaliter, & actualiter est potentia, quia ad rationem formalis, & actualis potentiæ, nihil illi deest. At verò terminus, & pars, quando actu non constituit, & terminat, non habet omne id, quod requiritur ad rationem formalem termini, & partis, cùm pars dum non componit, ampliùs non sit pars, sed quoddam totum, vt patet; vnde ad summum in C tali casu habebit rationem partis materialiter, vt dictum est suprà, non verò formaliter.

Obijcitur tandem 3. quòd ex communi vsu loquendi, voces simplices indifferenter appellamus terminos, siue sint intra, siue extra propositionem: ergo vtroque modo conuenit illis ratio, & definitio termini.

Respondetur; quòd quamuis ex communi vsu loquendi, sæpe has confundamus voces, non tamen ideò confundenda sunt eorum significata; quia vt dicitur 2. Topicorum, Cum pluribus loquendum est, sentiendum verò cum paucioribus.

QVÆSTIO II.

D

Vtrùm Suppositio sit proprietas consequens terminum tantùm formaliter, & in ratione termini acceptum, idest tantùm intra propositionem: vel etiam materialiter, & in ratione vocis significatum, nimirum extra propositionem.

TAnquàm per se manifestum dictum est in secunda probatione conclusionis antecedentis quæsiti, suppositionem esse proprietatem consequentem terminum, tantùm formaliter sumptum, hoc est intra propositionem; nihilominùs, quia res non est ita certa, vt

ta, vt in omni opinione, & apud omnes aliquam non patiatur obscuritatem; ideò diligenter etiam hoc loco examinanda videtur. Et licèt præsens quæstio videatur solummodò excitari de suppositione, cùm de ea sit maior difficultas; tamen implicitè etiam subintelligitur de cæteris terminorum proprietatibus.

Dialectici quippe inter se pugnant; nam quidam docent suppositionem esse proprietatem consequentem terminum etiam extra propositionem, & in ratione vocis. Ita Versor in Petrum Hispanum tract. 7. §. *Secundò sciendum est*. Fons. l. 8. c. 20. & alij.

Quidam autem è contrà defendunt suppositionem esse proprietatem tantùm consequentem terminum intra propositionem. Ita Villalpandus l. 1. summularum 3. p. c. 1. Bannes lib. 2. summul. tract. vnico, c. 1. Io. à S. Tho. l. 2. summul. c. 10. Hurt. disp. 2. summul. sect. 1. Casilius l. 1. summul. c. 8. n. 21. Mastrius, & Bellutus p. 1. Institutionum tract. 1. c. 10. & alij non pauci.

Notandum est idcircò primò, supponere, & significare formaliter non esse idem; nam significare, est facere venire in cognitionem; quemadmodùm fumus significat ignem. Supponere autem, seu potiùs supponi est loco alterius substitui; vt calculi supponuntur loco pecuniæ. Significatio fit per impositionem vocis ad significandam rem, suppositio autem est acceptio termini iam significantis rem, pro aliquo; vnde significatio prior est suppositione, & significare latiùs patet, quàm supponere; nam omne id, pro quo aliqua vox supponit etiam significat, non è contra; vt si dicamus *Homo currit*, terminus *Homo*, indifferenter secundùm se significat tam naturam humanam, quàm eius indiuidua; sed in hac propositione supponit tantùm pro prædicato mediato, nempe pro indiuiduo aliquo humanæ naturæ; & terminus connotatiuus, vt *album*, significat formale scilicet albedinem, & supponit pro materiali, scilicet pro habente albedinem. Vnde significatio potest vtique termino conuenire, etiam extra propositionem; sed suppositio illi non conuenit nisi in propositione; quia ex variatione prædicati, quod ei adiungitur, dicitur vario modo supponere, & eius indeterminata significatio, vario modo determinari, modo iam explicato.

Notandum 2. supponere dupliciter accipi posse; rigorosè scilicet, & minùs rigorosè; primo modo est, quando accipitur non solùm pro aliquo, quod substituitur loco alterius, sed insuper pro eo, quod de formali, & per se importat rationem suppositi, & substinentis. Secundo vero modo, quando sumitur pro eo tantùm, quod substituitur loco alterius, estò non importet suppositum de formali, sed solùm identicè, & de materiali. Primo modo supponere, tantùm competit termino substantiuo, non verò adiectiuo, vt patet; cùm terminus adiectiuus non importet suum significatum formale, seu formam per ipsum significatam, vt per se subsistentem; sed eam tantùm copulet, & adiaceat alteri supposito. Secundo verò modo, etiam adiectiuo conuenit; quia cùm connotet saltem de materiali suppositum, seu naturam subsistentem, verè substituitur pro aliquo alio, de quo verificatur, & cui conuenit iuxta exigentiam copulæ. Vnde in ista propositione, e.g. Petrus est albus, ly *Petrus* supponit rigorosè, quia importat naturam suppositatam, & subsistentem, pro qua substituitur. *Albus* verò, cùm de formali non importet naturam subsistentem, & suppositatam, sed tantùm adiacentem, scilicet Petro habenti albedinem (albedo enim est forma adiacens subiecto) dicitur supponere minùs rigorosè: nam substituitur saltem pro eo, quod importatur ab ipso de materiali, & identicè, scilicet pro re habente albedinem secundùm exigentiam copulæ, nimirum pro supposito Petri. Similiter in ista propositione de verbo adiacente, videlicet, Essentia generat; prædicatum non supponit rigorosè pro actione, seu actu generandi; nam hoc modo negatur à Theologis; sed minùs rigorosè, scilicet pro re generante facitque hunc sensum: Essentia est res generans; & hoc modo admittitur à Theologis.

Dicendum est ergo, quòd suppositio, est passio tantùm sequens terminum intra propositionem. Probatur: quoniam suppositio non est substitutio secundùm solam rationem significationis (sic enim nullum esset dubium, quòd inueniretur extra propositionem) sed supposita tali significatione, est substitutio vnius termini pro alio siue loco alterius; sed terminus non potest hoc modo substitui pro alio, nisi in propositione: ergo, &c. Maior patet ex dictis in primo notando. Minor verò probatur; nam terminus non potest substitui pro alio prædicto modo, nisi secundùm exigentiam copulæ; idest nisi exprimatur per copulam aliquod prædicatum de subiecto; sed hoc non potest fieri nisi in propositione: ergo terminus non potest substitui pro alio, modo prædicto, nisi in propositione, quæ constat prædicato, subiecto, & copula. Minor, & consequentia liquent. Maior etiam patet ex dictis in primo notando, cùm suppositio varietur tantùm ratione copulæ, vt dum dicitur, Homo est nomen, & dum dicitur, Homo est species. In prima enim est suppositio materialis; in secunda verò simplex, vt dictum est lib. 1. nostræ Institutionis c. 4. quod vtique non eueniret, nisi supponeret tantùm secundùm exigentiam copulæ: ergo non potest substitui pro alio, nisi secundùm quamdam exigentiam copulæ.

Obijcitur primò in oppositum. Quia in orationibus imperfectis, e.g. Petrus albus. Homo iustus, &c. vnus terminus respicit alium, & quilibet eorum potest substitui loco alterius, vt patet; sed oratio imperfecta non est propositio, cùm desit illi copula: ergo suppositio est passio sequens terminum etiam extra propositionem.

Respondetur, quòd cùm orationes imperfectæ sint tantùm materialiter propositiones; partes earum quoque erunt termini materialiter. Qua de causa non supponent nisi materialiter, & non formaliter, & propriè, cùm non adsit copula, quæ orationem prædictam conuertit in propositionem, ac facit vt prædictæ voces fiant termini, & substituantur formaliter, & propriè loco alterius.

Obijcitur 2. quia orationes perfectæ non enunciatiuæ pariter non sunt propositiones; cùm propositio sit oratio enunciatiua; sed in istis reperitur verbum copulans, licèt non enunciando, sed imperando, seu optando, &c. ergo termini earum saltem, poterunt substitui loco alterius: ergo in ipsis erit formaliter, & propriè suppositio, & non tantùm intra propositionem.

Respondetur, quòd quando dicimus terminos, & eorum proprietates non reperiri formaliter, & pro-

priè extra propositionem; nomine propositionis non debet intelligi sola, & rigorosa illa oratio quæ est enunciatiua; sed etiam omnis oratio constans prædicato, subiecto, & copula siue enunciatiua, siue non enunciatiua fuerit; cùm in orationibus optatiuis, imperatiuis, &c, subiectum, & prædicatum supponant etiam secundùm exigentiam copulæ; vt in optatiuis, si sint de futuro, verificatur terminus ex parte subiecti pro eo, qui est, vel erit; vt Vtinam Petrus fiat iustus ly *Petrus* supponit pro Petro, qui est, vel erit; si sit de præterito; vt Vtinam fuisset iustus, supponit pro eo qui erat, vel fuit, & sic de alijs. In imperatiuis supponit pro præsenti; vt si dicas, Petre fac hoc. Petrus debet supponere pro præsenti, cui imperatur, & similiter in vocatiuis.

B Obijcitur tandem 3. nam si terminus solùm supponit intra propositionem, quia substituitur secundùm exigentiam verbi, sequitur, quòd omnes propositiones affirmatiuæ veræ, sint essentiales, vt patet in hac propositione, Petrus currit, quæ ideò est vera, quia iuxta exigentiam copulæ supponit pro Petro currente; sed de Petro currente est essentiale dicere, quòd currit: ergo est propositio essentialis.

Respondetur, quòd licèt in illa propositione, ly *Petrus* supponat identicè pro Petro currente, illa tamen propositio non est essentialis, quia ad essentialem propositionem non sufficit identitas prædicati cum subiecto, ex parte suppositi, & ex parte suppositionis eius, sed requiritur necessaria connexio, & habitudo terminorum, quæ est identitas quasi formalis: vnde in prædictis propositionibus accidentalibus, est quidem vera coniunctio, & vnio inter prædicatum, & subiectum, non tamen est necessaria, quare licèt supponat pro eodem, non tamen sub ea formalitate necessariæ connexionis, quæ requiritur ad essentialem propositionem, sicuti si formaliter ex parte subiecti significaret, dicendo, Petrus currens currit tunc enim est propositio essentialis, quia habitudo terminorum non solum veritatem fundat, sed intrinsecam necessitatem significat.

COROLLARIVM.

EX superioribus tamen deducendum non est, quòd quando dicitur ex communi modo loquendi, Propositio de subiecto non supponente falsa est; pro non supponente, debeat intelligi terminus non substitutus pro alio: nam impossibile est, quòd in propositione vnus terminus non supponat pro alio, cùm suppositio sit proprietas sequens essentiam termini, licèt aliquando vnus terminus falsò supponat; vnde, & propositiones dicuntur falsæ: sed pro subiecto non supponente intelligendum est subiectum illud non importare existentiam illius, pro quo substituitur, quam indispensabiliter debet habere, ratione prædicati accidentalis, & affirmatæ copulæ in illa propositione.

Quare hæc propositio, Antichristus est crudelis, est falsa, & de subiecto non supponente, quia Antichristus non existit pro differentia temporis importata per copulam. Hæc autem est vera, Antichristus non est crudelis, quia sensus est, nunc non inest crudelitas

A Antichristo. Item hæc alia propositio, videlicet, Spiritus Sanctus à solo Patre procedens gubernat, Ecclesiam, est falsa; non quia gubernatio Ecclesiæ Spiritui Sancto nõ conueniat, sed quia non datur talis Spiritus Sanctus, quia à solo Patre procedat.

DISPVTATIO TRIGESIMA.

De Conuersione Propositionum.

IMmediatè post æquipollentiam agendum erat de Conuersione propositionum, cùm, & ipsa pariter sit inter earum passiones enumerata: nihilominùs quia eius notitia maximè conducit ad perfectam syllogismi cognitionem (media enim illa syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur) ritè factum putatur, si translato eiusdem loco, ne distantia obliuionem præbeat, propè syllogismum in præsenti collocetur. Et quamuis titulus huius disputationis communis sit ad omnes propositiones, tamen in hypotheticis, conditionalibus, per se, & absolutè non habet locum, cùm in conditionatum, conditio conuerti nequeat; neque pariter C in copulatiuis, & disiunctiuis, cùm in ipsis identitas terminorum, ad conuersionem necessariò requisita, seruari non possit (semper enim erunt diuersæ propositiones, vt de se patet) hinc est, quòd tantùm ad Categoricas tam de in esse, quàm modales, applicandus videtur.

QVÆSTIO I.

An regulæ conuersionis Categoricarum de inesse sint bene assignatæ.

D



CVM nullum de hac re inter Dialecticos litigium existat; suppositis omnibus, quæ l. 2. Institutionum c. 9. tradita sunt, facilè resoluetur quæstio; non nihil tamen ampliùs adnotando, vt meliùs conclusiones probare, atque argumenta in contrarium diluere valeamus.

Notandum est idcirco primò, quòd Philosophus non fecit mentionem in hoc loco conuersionis per contrapositionem extremorum, quia non est propriè, & rigorosè conuersio; nam cùm extremis addantur negationes, non videntur eadem remanere, sed variari, quod tamen ad veram conuersionem necessarium esse, dictum est loco suprà citato. Præterquamquòd, ad constitutionẽ syllogismorũ inutilis est, propter

ter illas negationes, quibus forma syllogistica redditur valdè obscura. Vnde aliqui addunt hanc conuersionem solùm posse fieri, vbi est constantia terminorum, idest solùm posse fieri in terminis existentibus: quia si non existant, dabitur antecedens verum, & consequens falsum; vt patet in hac conuersione, Omnis homo est ens: ergo omne non ens est non homo; in qua antecedens est verum, & consequens falsum, cùm sit propositio affirmatiua de subiecto non supponente. Nobis tamen videtur, etiam in terminis non existentibus, suo modo, idest latè, & impropriè fieri posse, neque vnquam dari antecedens verum, & consequens falsum; quare nec datur in eodem exemplo. Quapropter negandum est, quòd consequens sit propositio affirmatiua de subiecto non supponente; nam terminus infinitus, etiam de non entibus, & de quibuscunque non existentibus dicitur; vt l. 1. Periher. disp. 23. in appendice ad 2. quæstionem iam probatum est.

Notandum secundò, ideò propositionem particularem negatiuam propria, & rigorosa conuersione non conuerti, quia posset dari aliquando in eius conuersione antecedens verum, & consequens falsum, quod sufficit vt conuersio non sit legitima; cùm de ratione conuersionis sit argumentatio; & hæc euidenter probetur vitiosa, ex eo quòd tantùm simul probetur, quòd dari possit antecedens verum, & consequens falsum. Ratio autem fundamentalis propter quam in tali conuersione datur antecedens verum, & consequens falsum est; quia sit argumentum à termino non distributo in antecedente, ad distributum in consequente: vt sit manifestum, si dicamus; Aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal. *Animal* enim non distribuitur in antecedenti, cùm sit subiectum propositionis particularis; & distribuitur in consequente, cùm sit prædicatum propositionis negatiuæ, vt colligi potest ex dictis l. 1. Institut. c. 5. Et ideò non est bona consequentia à conuersa ad conuertentem; nec proinde legitima conuersio, & hoc insinuare vult Philosophus, dum particularem negatiuam non conuerti docet, quia mala conuersio, non est conuersio, sicut mala consequentia, non est consequentia.

Dicendum est ergo primò, quòd Prima regula pro conuersione vniuersalis negatiuæ; quòd scilicet tantùm possit conuerti simpliciter, & per accidens, est benè assignata.

Probatur primò, quòd possit conuerti simpliciter. Nam si staret oppositum, quòd videlicet non posset dici, e. g. nullus lapis est homo: ergo nullus homo est lapis; consequenter posset admitti contradictorium consequentis, scilicet aliquis homo est lapis: sed si admitteretur tale contradictorium posset etiam admitti per simplicem conuersionem, Aliquis lapis est homo, quod est contradictorium illius primæ, scilicet Nullus lapis est homo: ergo dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ, quod est contra regulam contradictoriarum: ergo vniuersalis negatiua potest conuerti simpliciter. Hæc autem ratio vnà cum sequentibus, est desumpta ab Arist. hic cap. 2. licèt sub alijs verbis; nam quod ille sub paucis elementis græcis, more Mathematicorum, abstrahendo ab omni materia concluserat, dicendo, nullum A. est B. ergo nullum B. est A, &c. nos applicando alicui materiæ,

A propter maiorem facilitatem, & intelligentiam, dictum est Nullus Lapis est Homo, &c.

Probatur, quòd etiam prædicta vniuersalis negatiua possit conuerti per accidens: quoniam si non posset dici, Nullus lapis est homo: ergo quidam homo non est lapis; posset pariter affirmari contradictorium consequentis nimirum: ergo omnis homo est lapis, quod est contrarium antecedentis; & sic darentur duæ contrariæ simul veræ, quod est contra regulam contrariorum: ergo vniuersalis negatiua poterit etiam conuerti per accidens.

Dicendum est 2. quòd regula secunda pro conuersione vniuersalis affirmatiuæ; quòd scilicet tantùm possit conuerti per accidens, & per contrapositionem terminorum, est bene assignata.

B Probatur primò, quòd possit conuerti per accidens; Nam bene valet Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo; alioquin si non sequitur, contradictorium, erit concludendum, scilicet, Nullum animal est homo; sed hæc ex prima regula conuertitur simpliciter, scilicet, Nullus homo est animal, quæ est contraria illius affirmatiuæ, Omnis homo est animal: ergo dabuntur duæ contrariæ simul veræ, quod repugnat: ergo vniuersalis affirmatiua poterit conuerti per accidens.

Probatur, quòd etiam conuerti possit, prædicta vniuersalis affirmatiua, per contrapositionem; quia bene valet, Omnis homo est albus: ergo omnis homo non est non albus, cùm ex Arist. 2. Perh. & ex dicendis inferiùs, disputatione de consequentiis, ab affirmatiua ad negatiuam, variato prædicato penes finitum,

C & infinitum, bona sit consequentia; sed hæc propositio, scilicet, Homo non est non album, per conuersionem vniuersalis negatiuæ potest cõuerti in istam: ergo Omne non album, non est homo: ergo cùm ex eodem Philosopho loco citato, & ex dicendis de consequentijs, à negatiua ad affirmatiuam, variato prædicato penes finitum, & infinitum, teneat consequentia; valebit dicere: ergo Omne non album est non homo, quæ est conuertens per contrapositionem terminorum, illius prioris antecedentis, Omnis homo est albus, vt patet; & consequenter vniuersalis affirmatiua etiam conuerti poterit per contrapositionem.

Dicendum est 3. quòd tertia regula prò conuersione particularis affirmatiuæ, quòd scilicet tantùm conuertatur simpliciter, est bene assignata.

D Probatur: quia benè concluditur, Aliquis homo est albus: ergo aliquod album, est homo; nam si ista consequentia, non esset bona: ergo eius contradictorium esset verum, scilicet, Nullum album est homo sed hæc per regulam vniuersalis negatiuæ conuertitur simpliciter: ergo possemus dicere, Nullus homo est albus; quæ est contradictoria illius primæ, scilicet, Aliquis homo est albus; & sic duæ contradictoriæ essent simul veræ, quod repugnat: ergo particularis affirmatiua tantùm conuertitur simpliciter.

Dicendum est tandem 4. Quartam regulam pro conuersione particularis negatiuæ, scilicet quòd tantùm conuertatur per contrapositionem terminorum; esse optimè assignatam.

Probatur: nam ex supradictis, variato prædicato penes finitum, & infinitum, à negatiua ad affirmatiuam tenet consequentia; etenim bene valet, Aliquis homo non est albus: ergo aliquis homo est non album.

Deinde,

Deinde, cùm particularis affirmatiua conuertatur simpliciter, optimè poterit inferri ex illa affirmatiua, scilicet, Aliquis homo est non album, huiusmodi consequens, nempe, ergo aliquod non album est homo. Tandem cùm ex prædictis, variato prædicato penes finitum, & infinitum, ab affirmatiua ad negatiuam teneat consequentia, bene valet dicere; ergo aliquod non album non est non homo, quæ est conuertens per contrapositionem illius prioris antecedentis, nimirū, Aliquis homo non est albus, vt patet. Et consequenter talis particularis negatiua conuertitur tantùm per contrapositionem; ergo, &c.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, probando vniuersales negatiuas non posse conuerti simpliciter. Quoniam ista consequentia non valet, Nulla essentia diuina est generans: ergo nullum generans *est essentia diuina*, vt docent Theologi tractatu de Trinitate. Item nec valet, Nulla nauis requiritur ad nauigandum: ergo nullum requisitum ad nauigandum est nauis. Tandem nec valet, Nullus senex erit puer: ergo nullus puer erit senex: sed omnia ista antecedentia, sunt propositiones vniuersales negatiuæ: ergo &c.

Respondetur, & primò ad primam rationem, illud antecedens non esse propositionem vniuersalem, sed particularem, cùm constet termino singulari, scilicet, *Essentia diuina*; sicut ista propositio, Nullus Petrus est albus, est singularis; vnde cùm sit particularis negatiua, debet conuerti per contrapositionem, dicendo: ergo aliquod non generans, est non essentia diuina, quod verificatur in Filio, & Spiritu Sancto. Ad secundam verò rationem, dicendum est, quòd cùm illud antecedens sit propositio affecta signo vniuersali negatiuo, ly *Nauis* debet supponere distributiuè, idest non pro aliqua naui determinata, sed pro ista, & ista, &c. seorsim, sed copulatiuè sub eodem prædicato; itaut sit sensus, *Nulla nauis requiritur determinatè ad nauigandum*, sed ista, ista, &c. vt patet ex dictis l. 1. nostrarum Institutionum c. 4. & 5. Qua de causa propositio conuertens debet sumi in eodem sensu, & cum eadem suppositione, vt dictum est l. 2. Institutionum c. 9. Vnde faciet huiusmodi sensum, Nullum requisitum ad nauigandum determinatè est ista, vel ista nauis, sed ista, ista, & ista, &c. & consequenter erit optima conuersio. Per hoc etiam patet ad 3. & vltimam rationem, quia ibi non seruatur eadem proprietas terminorum tam in conuersa, quàm in conuertente; nam ly *Puer* in conuersa restringitur per ly *erit* pro puero futuro tantùm; in conuertente verò, cùm ibi non opponatur illa particula *erit*, ampliatur puer ad præsentem, & ad futurum; vnde non valet illa consequentia; valet quidem, si seruando eandem restrictionem dicatur, Nullus senex erit puer, ergo nullus, qui erit puer, est senex, cùm in vtraque propositione *puer* supponat pro futuro, & senex etiam pro præsenti, quin potiùs tantùm pro præsenti.

Obijcitur 2. contra secundam conclusionem, probando vniuersalem affirmatiuam non posse conuerti per accidens. Tum quia non valet hæc consequentia, Omnis homo albus, est homo; ergo aliquis homo, est homo albus; nam antecedens est necessarium, consequens autem potest esse falsum, casu quo nullus homo albus sit in mundo. Tum quia similiter non valet, Omne grammaticum est homo: ergo aliquis homo est grammaticus. Omne album est corpus: ergo aliquod corpus est album; dato similiter casu, quòd nullum corpus album, & nullus grammaticus esset in Mundo. Tum denique, quia optimè valet dicere, Omnis homo est rationalis: ergo omne rationale est homo, per simplicem conuersionem: ergo non conuertitur tantùm per accidens, & per contrapositionē terminorum.

Respondetur, & primò ad omnes illas rationes, quibus probatur, vniuersalem affirmatiuam non conuerti per accidens; negando in illis esse malas consequentias, si rectè intelligantur, nam data illa hypothesi ex parte conuertentis, nimirum de non existentia hominis, & corporis albi, atque grammatici, debet pariter dari ex parte propositionis conuersæ, cùm ex dictis, in vtraque, terminorum identitas seruanda sit. Qua de causa cùm propositio illa conuersa, scilicet *Omnis homo albus est homo*, non debeat verificari secundùm existentiam, sed secundùm possibilitatem, faciet huiusmodi sensum, videlicet, Omnis homo possibiliter albus est homo, sicut sua conuertens facit eundem sensum, nimirum: ergo aliquis homo est homo qui possibiliter est albus. Item, data non existentia hominis grammatici, & corporis albi, illæ propositiones faciunt tantùm huiusmodi sensum, videlicet quòd homo sit subiectum grammaticæ, & corpus albedinis, vnde erit optima consequentia in tali sensu, si dicatur, Omne subiectum grammaticæ est homo, & omne subiectum albedinis est corpus: ergo aliquis homo est subiectum grammaticæ, & aliquod corpus est subiectum albedinis.

Ad vltimam tandem illam rationem, quæ probabat, propositionem vniuersalem affirmatiuam conuerti etiam simpliciter; dicendum est regulam illam non habere locum, quando termini sunt de se conuertibiles, & vnus de alio prædicatur in primo, vel secundo modo dicendi per se, sicuti sunt, homo, & rationale; vnde in tali casu, patitur exceptionem, vt probat argumentum.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem, probando particularem affirmatiuam etiam conuerti per contrapositionem terminorum: Nam bene valet huiusmodi consequentia, Aliquis homo est animal: ergo aliquod non animal, est non homo; cùm intantùm aliquod non animal sit non homo, inquantùm aliquis homo est animal.

Respondetur negando prædictam consequentiam esse bonam, cùm falsa sit illa ratio quòd scilicet intantùm aliquod non animal sit non homo, in quantùm aliquis homo est animal; nam potiùs in tantùm aliquod non animal est non homo, inquantùm omnis homo est animal, vt patere potest ex resolutione prædicti consequentis. Nam cùm ex dictis, disp. 27. q. 2. propositio affirmatiua de prædicato infinito æquipolleat negatiuæ de prædicato finito; idem erit dicere, Aliquod non animal, est non homo, ac aliquod, quod non est animal non est homo. Qua de causa cùm id, quod non est animal, in tantùm non sit homo, non in quantùm aliquis homo est animal, sed in quantùm omnis homo est animal (nam dato per impossibile, quod tantùm aliquis homo esset animal, non tamen sequeretur, quòd id quod non est animal, non esset homo; sicut dato quòd aliquis homo tantùm sit albus, non tamen sequeretur, quod id quod non est album,

album, non esset homo); illa particularis affirmatiua, nempe Aliquis homo est animal, non poterit conuerti nisi simpliciter, aliter posset antecedens esse verum, & consequens falsum, vt patet. Vnde penitus ignoratur, qua ratione inductus fuit doctissimus Ruuius vt c. 2. istius lib. not. 2. singulariter asseruerit, propositionem particularem affirmatiuam, etiam per contrapositionem terminorum conuerti posse.

QVÆSTIO II.

An regulæ conuersionis Categoricarum modalium de necesse, sint bene assignatæ.

DIctum est l. 2. Instit. c. 11. Conuersionem reperiri in modalibus tam compositis quàm diuisis generaliter loquendo ratione dicti, & non ratione modi secundùm regulas generales conuersionis. Qua de re licèt explicitè prædictæ regulæ, nec ibidem, nec alibi sint assignatæ; tamen eædem implicitè intelliguntur iuxta variationem dicti vniuersalis, vel particularis affirmatiui, vel negatiui, quæ pro vniuersalibus, aut particularibus tam affirmatiuis, quàm negatiuis, categoricis de inesse, traditæ sunt. Inchoatur autem à modalibus de necesse; nam explicatis his, quæ circa regulas conuersionis prædictarum propositionum necessaria sunt, faciliùs deinde resoluentur ea, quæ circa conuersionem modalium de contingenti, possibile, & impossibile, in sequentibus sunt dicenda.

Hoc tamen supponendum est, quòd licèt modales conuerti etiam possint per contrapositionem, iuxta regulas superiùs traditas de conuersione simplicium propositionum; quia tamen conuersio illa esset obscura, & non vtilis, penitus relinquitur, coarctando quæsitum ad illas duas tantùm proprias, & rigorosas conuersiones, simpliciter scilicet, & per accidens.

In hac quæstione, cùm omnes Dialectici conueniant, non erit valdè immorandum. Quapropter sedulò adnotatis his, quæ in Institutionibus loco citato tradita sunt, satis erit conclusiones probare, & argumentis in contrarium satisfacere.

Dicendum est ergo primò, quòd Regula pro conuersione modalis negatiuæ de necesse, quòd scilicet debeat conuerti simpliciter, est benè assignata.

Probatur ex ratione ducente ad impossibile, qua etiam vtitur Philosophus in terminis illis non significatiuis, puta A. B. C. &c. more Mathematicorum, quæ vt meliùs intelligatur in terminis significantibus, hoc modo explicatur. Nam si hæc vniuersalis negatiua, nimirum, Necesse est nullum hominem esse equum, non conuertitur simpliciter; huiusmodi consequens; ergo necesse est nullum equum esse hominem, poterit esse falsum: sed hoc non est dicendum: ergo prædicta vniuersalis negatiua, &c. debet conuerti simpliciter. Maior patet ex eo, quòd mala conuersio tunc fit, quando ex vero antecedenti fit consequens falsum. Minor verò probatur; nam si falsum est prædictum consequens, erit verum suum contradictoriū,

A nimirum: ergo contingit aliquem equum esse hominem; & sic per conuersionem simplicem, quia est particularis affirmatiua, valebit dicere: ergo contingit aliquem hominem esse equum, quod est contradictorium illius prioris antecedentis, nimirum Necesse est Nullum hominem esse equum; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, scilicet quòd primum illud consequens, videlicet, ergo necesse est nullum equum esse hominem, sit falsum.

Dicet fortasse aliquis, quòd non bene probatur res aliqua per medium minùs notum, quàm ipsa sit: ergo cùm Aristoteles probauerit huiusmodi conuersionem vniuersalis negatiuæ de necesse per conuersionem particularis affirmatiuæ de contingenti, de qua nihil adhuc dixerat, & quæ non dum erat nota, non bene probauit allatam conclusionem.

B Respondetur, nullum esse inconueniens probare aliquid per medium minùs notum, dummodò tale medium statim notificandum sit; vt adamussim contingit in præsenti; nam licèt nondum de conuersione modalis particularis affirmatiuæ contingentis Aristoteles fuerit locutus, attamen quia statim in eodem capite locuturus erat, medium prædictum tantam habuit notitiam, & cognitionem, quantam sufficiebat ad probandam conuersionem modalis vniuersalis negatiuæ de necesse. Hoc enim, & passim fecit Porphyrius, dum in suo libello de quinque vniuersalibus probauit naturam genericam per prædicari de speciebus, & naturam specificam per prædicari de indiuiduis, licèt pro tunc; nec de speciebus, nec de indiuiduis quidquam fuerit locutus.

C Dicendum est secundò, quòd regula pro conuersione vniuersalis affirmatiuæ de necesse; quòd scilicet debeat conuerti per accidens; & regula pro conuersione particularis affirmatiuæ de necesse, quòd scilicet debeat conuerti simpliciter, sunt bene assignatæ.

Probatur conclusio quoad vtranque partem supradicto argumento ducente ad impossibile; nam cùm ex falsitate consequentium talium conuersionum semper esset concedendum contradictorium illorum, fieret tandem contradictorium, vel saltem contrarium prioris antecedentis, vt dictum est; quod repugnat; cùm in nulla materia possint dari duæ contradictoriæ, vel contrariæ simul veræ.

Dicendum est tertiò, quòd particularis negatiua de D necesse propria, & rigorosa conuersione non conuertitur.

Probatur: nam si aliqua conuersione propria posset conuerti, maximè conuersione simplici, cùm non possit mutari in ea quantitas particularis in vniuersalem, & rectè concludere (nam ex particulari non benè infertur vniuersale) neque vniuersalis in particularem, cùm ipsa sit particularis; quod indispensabiliter requiritur ad alteram conuersionem propriam, scilicet ad conuersionem per accidens; sed nec etiam potest conuerti prædicta conuersione simplici: ergo nullo modo. Maior de se est manifesta. Minor verò probatur: nam sicut in conuersione particularis negatiuæ de inesse, hæc est mala consequentia, videlicet aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal, quia daretur antecedens verum, & consequens falsum; ita in particulari negatiua de necesse, vt Aliquod animal non esse hominem est necesse: ergo aliquem

aliquem hominem non esse animal est necesse, cùm vtrobique valeat eadem ratio malæ consequentiæ: ergo &c.

Obijcitur primò in oppositum secundæ conclusionis, nam in oppositum ceterarum non datur specialis instantia, probando scilicet, quòd nec vniuersalis affirmatiua de necesse conuertatur per accidens; nec similiter particularis affirmatiua conuertatur simpliciter: quoniam non valet dicere, Omnem grammaticum esse hominem necesse est: ergo necesse est aliquem hominem esse grammaticum; neque minùs valet, Necesse est aliquem grammaticum esse hominem: ergo necesse est aliquem hominem esse grammaticum; ergo, &c.

Respondent varia aliqui, ac multis se implicant difficultatibus, vt videre est apud Ruuium primo priorum cap. 3. dubio primo. Nos verò ex dictis 2. lib. Instit. cap. 11. tenemur respondere, quòd quando in propositione de necesse, subiectum dicti est aliquod concretum accidentale, tunc modus de necesse debet mutari in possibile; sic enim erit bona consequentia, si dicatur; ergo possibile est aliquem hominem esse grammaticum. Rationem autem huius ibi non assignauimus, quam modo ex D. Tho. opusc. 48. tract. de syllogismo debemus adducere; quia scilicet sæpe vna res ex natura sua postulat vniri alteri, cùm tamen hæc non necessariò petat cum priori coniungi, vt contingit in præsenti: nam licèt necessarium sit grammaticum esse hominem, non tamen necesse est hominem esse grammaticum.

Obijcitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, probando saltem particularem affirmatiuam non conuerti simpliciter: quoniam non valet, Necesse est aliquem hominem esse animal: ergo necesse est aliquod animal esse hominem; nam hæc secunda æquipollet huic, Impossibile est nullum animal esse hominem, quæ cùm sit falsa, ostendit suam æquipollentiam, etiam esse falsam. Illam verò esse falsam patet; quia hoc dictum vniuersale, nempe *Animal* exponendum est copulatiuè hoc modo; & hoc animal non esse hominem est impossibile, & illud animal non esse hominem est impossibile, & sic de cæteris, inter quæ tamen est brutum, quod possibile est non esse hominem.

Respondetur negando conuertentem esse falsam. Ad probationem pariter negandum est illam propositionem, nempe Impossibile est nullum animal esse hominem, esse falsam; non enim exponenda est copulatiuè in sensu diuiso, vt supponit argumentum; sed disiunctiuè ratione modi, & dicti, quæ ambo negatiua sunt: nam cùm talis propositio sit affecta illis duobus signis negatiuis, & consequenter æquipolleat huic, scilicet Necesse est aliquem hominem esse animal; ex regulis traditis in calce capitis quinti de suppositionibus lib. 1. nostræ Instit. debet eodem modo supponere, ac sua æquipollens. Talis autem æquipollens cùm sit affecta signo vniuersali affirmatiuo, debet supponere in terminis proximis, hoc est ratione subiecti, distributiuè; in terminis verò remotis, scilicet ratione prædicati, confusè. Cùm igitur prædicatum prædictæ propositionis, nempe *Animal* non supponat distributiuè, seu copulatiuè, sed confusè, seu disiunctiuè, scilicet pro isto, vel pro illo animali: in propositione ergo illa, nempe, Impossibile est nullum animal esse hominem, *Animal* non debet exponi

A copulatiuè in sensu diuiso, hoc est distributiuè pro isto, & pro isto, &c. sed tantùm confusè, seu disiunctiuè, vel scilicet pro illo, vel pro isto animali, &c. Vnde propositio illa si attentè consideretur, non erit falsa.

Cætera verò argumenta; quæ fieri solent contra allatas conclusiones, cùm facilè ex dictis resolui possint omnino relinquuntur; Hoc tamen penitus non ignorato, quòd dum in conclusione prima asseruimus, Modalem vniuersalem negatiuam de necesse debere conuerti simpliciter; non ita limitauimus dictum, vt more vniuersalis negatiuæ de inesse, non possit ipsa etiam conuerti per accidens: nam in contrarium, & ipsa ratio dictat, & huiusmodi exemplum, nimirum, Necesse est nullum hominem esse lapidem: ergo necesse est aliquem lapidem non esse hominem, manifestè B conuincit.

QVÆSTIO III.

An regulæ conuersionis Categoricarum modalium de contingenti assignari solitæ, sint bonæ.

Recolendum est hic ex professo, quod obiter suprà tetigimus disp. 28 quæst. 1. ad primum; nimirum, duobus modis posse sumi contingens; vno modo C impropriè, alio verò modo propriè. Tunc contingens sumitur impropriè, nempe quando sumitur pro possibili, quatenus scilicet commune quid est, necessario, & contingenti specialiter dicto; quomodò dici solet, Hominem esse animal est possibile; Petrum currere est possibile; cùm tam id, quod est necessarium, quàm id quod est contingens, cadant sub possibilitate. Tunc verò sumitur contingens propriè, & rigorosè, quando sumitur pro eo, quod est indifferens ad vtrumlibet, videlicet pro eo, quod potest esse, & non esse; vt cùm dicitur, Socratem currere est contingens. Quo fit, quod si sumatur contingens primo modo, procul dubio, omnes propositiones eius conuertentur eisdem modis, ac conuertuntur propositiones de necesse; nam eædem sunt ac de possibili pro quibus D aliæ regulæ conuersionis non assignantur à Dialecticis, quàm pro illis de necesse, superiùs assignauerint. Si autem sumatur secundo modo, non omnino conueniunt propositiones illius, ac propositiones de necesse; nam licèt affirmatiuæ eodem modo conuertantur, negatiuæ verò non parum diuersificantur. Vnde à Dialecticis cum Philosopho, pro ipsis, non eædem vndequaque assignantur regulæ, quoniam pro vniuersalibus (quidquid dicat Casilius lib. 2. Summul. cap. 13. n. 16.) tantùm assignantur regulæ conuersionis per accidens; pro particularibus verò, regulæ conuersionis simpliciter.

Notandum idcirco est, omnes propositiones de contingenti sumpto 2. modo, idest rigorosè, & propriè, efficere sensum copulatiuum; vt hæc propositio, Contingit hominem esse album, efficit hunc sensum, scilicet possibile est hominem esse album, & hominem non esse album; & sic de cæteris. Cuius ratio est; nam

nam cùm significatio illius modi, *Contingentis*, sit esse indifferens ad vtrumlibet, vtranque partem possibilem significat; vnde sequitur ex affirmatiua inferri negatiuam, & è contrà; bene enim sequitur, Contingit hominem esse album: ergo contingit hominem non esse album, & è contrà. Et ideò talibus propositionibus de modo contingenti, opponuntur propositiones, & de modo necesse, & de modo impossibili; quia ex duobus potest prouenire, quòd aliquid non sit contingens, nempe ex eo quòd sit necessariũ, & ex eo, quòd sit impossibile; vnde vtraque hæc est falsa, Contingit hominem esse animal, atque etiam contingit hominem esse equum; secunda, quia impossibilis; prima, quia necessaria. Et ex hoc procedit tam diuersum modum conuersionis habere propositiones de contingenti ab alijs omnibus aliorum modorum.

Dicendum est ergo primò, quòd Regula illa pro conuersione vniuersalis affirmatiuæ, quòd scilicet conuertatur per accidens; atque alia regula pro conuersione particularis affirmatiuæ de necesse; videlicet quòd conuertatur simpliciter; bene assignantur, etiàm pro conuersione affirmatiuarum de contingenti.

Probatur vtraque pars conclusionis supradicto argumento ducente ad impossibile: Quoniam si hæc duo consequentia non valerent, nimirum Contingens est omnem hominem esse album: ergo contingens est aliquod album non esse hominem. Et contingens aliquem hominem esse album; ergo cõtingens est aliquod album non esse hominem; valerent eorundem contradictoria; & sic admittendum esset contradictorium, vel contrarium priorum antecedentium, vt ex dictis in superioribus patet, quod non est affirmandum, cùm duo contradictoria, aut contraria simul verà esse nequeant: ergo, &c.

Dicendum est secundò, Regulam pro conuersione Modalis vniuersalis negatiuæ de contingenti assignatam; quòd scilicet non conuertatur simpliciter, sed tantùm per accidens, esse optimam.

Probatur quoad vtranque partem: nam adhoc vt aliqua propositio dicatur aliquo modo conuerti, necesse est, vt secundùm omnia quæ includit, conuertatur, aliter enim non fiet conuersio secundùm integrum sensum eius, nec dicetur ipsa conuerti, sed aliquid eius: sed si modalis vniuersalis negatiua de contingenti conuerteretur simpliciter, & non tantùm per accidens, non conuerteretur secundùm omnia, quæ includit: ergo non debet conuerti simpliciter, sed tantùm per accidens. Maior de se est manifesta. Minor verò probatur; nam cùm huiusmodi propositio, e. g. Contingit nullum hominem esse album, sit de contingenti ad vtrumlibet, vt supponitur, ac proinde sub ipsa contineatur, tam Possibile est nullum hominem esse album, quàm possibile est omnem hominem esse album; si conuertatur simpliciter hoc modo, scilicet; ergo contingens est nullum album esse hominem, conuertetur quidem secundùm priorem sensum, non verò secundùm posteriorem, cùm illa propositio Possibile, seu contingens est omnem hominem esse album, conuertatur per accidens, quia est vniuersalis affirmatiua. Secùs autem, si conuertatur per accidens, eueniret; nam cùm prædicta secunda propositio vniuersalis affirmatiua, quam continet in se illa vniuersalis negatiua, ratione modi contingentis, scilicet, contingens seu possibile est omnem hominem esse album, petat conuerti per accidens, dicendo: ergo contingens est quoddam album esse hominem; iam erit conuersa; Et quia hæc particularis affirmatiua, ratione modi contingentis potest ex se inferre particularem negatiuam, scilicet, ergo contingit quoddam album, non esse hominem, manebit pariter conuersa illa prior vniuersalis negatiua, nimirum, Contingit nullum hominem esse album: ergo si conuerteretur simpliciter, non diceretur conuersa secundùm omnia, quæ includit, neq secundùm integrum sensum eius, sicut dicitur, dum conuertitur per accidens.

Dicet fortassè aliquis; Si huiusmodi vniuersalis negatiua, tantùm posset conuerti per accidens, Aristoteles vtique id exprimeret; quod tamen non fecit, vt patet in textu; neque diceretur absolutè, prædictam propositionem non conuerti: ergo si non conuertitur simpliciter, neque minùs conuertitur per accidens.

Respondetur, intentum Philosophi non fuisse absolutè negare prædictam vniuersalem negatiuam non conuerti per accidens, sed tantùm non conuerti simpliciter, quæ est propria, & principalis conuersio vniuersalis negatiuæ vt sic; & licèt in textu explicitè non dixerit eam conuerti per accidens, tamen implicitè hoc non negauit, vt consideranti diligenter patere poterit.

Dicendum est 3. Regulam illam assignatam pro conuersione modalis particularis negatiuæ de contingenti, videlicet quòd tantùm possit conuerti simpliciter, esse optimam.

Probatur; quia cùm huiusmodi modalis particularis negatiua, scilicet contingit aliquem hominem non esse album, pariter sit de contingenti ad vtrumlibet, infert hanc, nimirum, contingit aliquem hominem esse album, quæ cùm postulet conuerti simpliciter, manebit conuersa, si dicatur: ergo contingit aliquod album esse hominem. Ac tandem, cùm hæc particularis affirmatiua ratione modi inferat particularem negatiuam, scilicet, ergo contingit aliquod album non esse hominem; etiam conuertetur simpliciter per ipsam illa prior negatiua particularis; scilicet, contingit aliquem hominem non esse album, & consequenter per talem simplicem conuersionem manebit conuersa secundùm integrum sensum sui ipsius, vt patet: ergo rectè, & optimè assignatur, quòd tantùm possit conuerti simpliciter.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; quoniam sequeretur ex prædictis cõuersionibus quandoque mala argumentatio, cùm in earum propositionibus posset dari antecedens verum, & consequens falsum: ergo regulæ illæ malæ, & ineptæ sunt. Probatur antecedens; nam valeret dicere, contingit omne corpus esse album, quod est verum: ergo contingit quoddam album esse corpus, quod est falsum; ergo ex supradictis conuersionibus sequeretur quandoque mala argumentatio.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, nullam conuersionem habere locum in modalibus, quando subiectum dicti est superius prædicato, vt notauimus libro secundo nostrarum Institut. logical. capite 11. Tunc enim propositio conuertens non est ampliùs de contingenti, sed de necesse, atque ideò falsa, cùm modificetur per contingens. Quapropter cùm in allatis exemplis,

tam *Corpus*, quàm *animal* sint quid superius ad *album*, & *hominem*; hinc est quòd consequentia illa falsa sunt, & antecedentia vera,

Obiicitur 2. in oppositum secundæ conclusionis ex Casilio loco supracitato, probando vniuersalem negatiuam non posse conuerti per accidens sic. Quoniam licèt in aliqua materia huiusmodi conuersio pro negatiuis modalibus de contingenti, teneat; non tamen in omni, vt patet si dicatur; Contingit nullam Creaturam esse peccantē: ergo Contingit aliquod peccans non esse creaturam; nam antecedens est verum, consequens autem falsum, cùm peccata non posint conuenire nisi creaturis, quæ non sunt simpliciter bonæ, sed tantùm secundùm quid: ergo prædicta regula, vt scilicet conuertatur tantùm per accidens, non est bona, cùm aliquando non teneat.

Respondetur negando antecedens propter eandem rationem, pro superiori argumento adductam; quia cùm peccata non posint conuenire nisi creaturis, & consequenter, creata sint quid superius ad peccatum, malè explicatur illud consequens per prædictum modum de contingenti rigorosè accepto: debebat enim explicari per modum de Imposibili, dicendo: ergo ali quod peccans non esse creaturam, est imposibile. Quapropter tale argumentum non erit ad rem, cùm propositiones illius non sint de eodem modo, sed de diuerso, vt patet.

Obijcitur 3. in oppositum tertiæ conclusionis: Quoniam si particularis negatiua de contingenti conuerteretur simpliciter, fieret argumentatio a termino non distributo, ad terminum distributum; sed hæc est mala argumentatio, vt communiter docent Dialectici: ergo particularis negatiua non debet conuerti simpliciter. Maior probatur; nam dum sic proceditur, Contingit aliquem hominem non esse album: ergo contingit aliquod album non esse hominem. Homo, qui est subiectum in antecedenti, cùm afficiatur signo particulari, non distribuitur; in consequenti verò, ratione negationis cadentis supra ipsum, distribuitur, vt patet: ergo fieret argumentatio à non distributo ad distributum.

Respondetur distinguendo maiorem; daretur argumentatio à non distributo ad distributum, ex parte totius, atque integri extremi, negatur: Ex parte extremi partialis, conceditur; nam cùm propositio de contingenti rigorosè accepto, vtrunque sensum includat, negatiuum, scilicet, & affirmatiuum, vt suprà notatum est; extremum illius, quod est illius dictum, duas etiam habebit partes; vnam negatiuam, & alteram affirmatiuam; atque ideò vnam distributam, aliam verò non distributam Qua de causa, si in vna propositione, siue sit antecedens, siue consequens, quoad vnum sensum sit distributum, quoad alium erit indistributum; vnde nunquam erit totum distributum, aut non distributum in eodem sensu; sed partim distributum, & partim non distributum; & consequenter nunquam per ipsum poterit fieri argumentatio à toto non distributo ad totum distributum; sed tantùm à parte eius non distributa ad distributam, quod non implicat in modalibus de prædicto contingenti; cùm earum dicta, quæ non distribuuntur in vno sensu, distribuantur in alio, & è contrà. Itaque si in illis propositionibus, scilicet, Contingit aliquem hominem non esse album: ergo contingit

A aliquod album non esse hominem, sit prædicta argumentatio a non distributo ad distributum, ratione negationis repertæ prope dictum, nempe prope *hominem* in consequenti, quoad sensum negatiuum; minimè verò fit talis argumentatio quoad sensum affirmatiuum; dum etiam inferri liceat: ergo contingit aliquod album esse hominem; nam vterque sensus ratione prædicti modi, sub tali consequenti continetur.

Contra tamen est; quoniam sequeretur ex hoc, etiam vniuersalem negatiuam de tali modo posse conuerti simpliciter, contra id, quod statutum est in secunda conclusione: ergo nulla responsio. Probatur sequela; nam ideò non conuertitur simpliciter, quia vniuersalis affirmatiua, quam includit etiam in sensu affirmatiuo, non potest conuerti simpliciter, ne detur argumentatio saltem ex parte prædicati, à termino non

B distributo ad distributum; sed in modalibus de contingenti rigorosè accepto, non est absurdum quòd detur talis argumentatio, modo tamen explicato de particularibus: ergo etiam prædicta propositio negatiua poterit conuerti simpliciter.

Respondetur esse diuersam rationem in vniuersali negatiua includente vniuersalem affirmatiuam, ac in particulari negatiua includente particularem affirmatiuam. Quoniam in ista idem terminus, qui non est distributus in subiecto antecedentis non distribuitur in vtraque parte consequentis, sed tantùm in altera; cùm propositio illata ex illa negatiua, sit particularis affirmatiua; in illa verò, idem terminus, qui non est distributus in prædicato antecedentis, distribuitur quoad vtranque partem in prædicato conse-

C quentis, cùm illud consequens sit etiam vniuersale affirmatiuum, & vniuersale negatiuum; vnde fieret argumentatio à non distributo ad distributum, ex parte totius, & integri extremi, quæ nullo pacto est admittenda: huiusmodi enim prædicatum, nempe *Animal*, tum distribuitur in hac vniuersali negatiua: ergo contingit nullum album esse hominem; tum in ista affirmatiua: ergo contingit omne album esse hominem; vt patet; quæ erunt propositiones conuertentes simpliciter illam vniuersalem negatiuam, nempe, contingit nullum hominem esse album, supposito tamen quòd tali modo posit conuerti, quod propriè est id quod negamus.

D
QVÆSTIONIS APPENDIX.

Quomodò categoricæ modales de Imposibili conuertendæ sint.

PAtet ergo ex dictis, cùm in hac, tum in superiori quæstione, quomodò modales tam de necesse, & posibili, quàm de contingenti propriè accepto, posint conuerti; manebit nunc tantùm discutere quomodò illæ de Imposibili sunt conuertendæ. Quia verò nulla est difficultas circa id, quod Dialectici communiter adstruunt, videlicet ipsas eodem modo conuerti, ac modales de necesse; superfluum duximus in specie hoc explicare: idcirco veluti Auctuarium

quod,

quoddam ad quæstionem appendimus. Breuiter autem, ac facilè id intelligitur, si consideremus propositiones de impossibili affirmato æquipollere propositionibus de necesse habentibus oppositum dictum; vt hæc propositio: Impossibile est aliquem hominem esse equum æquipollet huic, Necesse est nullum hominem esse equum; quare eodem modo sicut illa, ista conuertenda est; & sic de cæteris de impossibili affirmato, nam de his tantùm loquitur Philosophus.

A

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

B

De consequentia, seu Argumentatione.



Abita notitia terminorum, ac propositionum, tum quoad essentiam, tum quoad proprietates; iam tempus erit, & occasio differendi de syllogismo in cuius gratia prædicta, vsque modò examinata sunt; verùm enimuerò, quia syllogismus est quędam species consequentiæ, seu argumentationis, vt videbitur infrà; commodè quam par est, eiusdem natura non poterat explicari, si de prædicta consequentia seu argumentatione, aliquid priùs non esset discussum; Quamobrem præsentem instituimus disputationem; quæ indifferenter inscribitur nominibus consequentiæ, & argumentationis, quia licèt secundùm Conimbr. hic quæst. 2. art. 3. & Fons. lib. 6. summ. cap. 1. Consequentia latiùs pateat, quàm Argumentatio, & sit quid superius ad ipsam, cùm apud eos, non omnis consequentia sit argumentatio, attamen vnum, & idem esse cum Io. à S. Tho. hic quæst. 8. art. 2. Mastrio, & Belluto parte 1. Institut. tract. 3. cap. 2. atque alijs, nobis placet affirmare. Neque huic opinioni deficit suum fundamentum; nam cùm, *Consequentia sit connexio consequentis cum antecedenti ratione medij, vel alicuius loco ipsius*, nempe locorum, & regularum omnium dialecticarum, in quarum virtute tenent similes consequentiæ, vt sunt subalternationes, æquipollentiæ, conuersiones, &c. *Et cùm Argumentatio sit oratio, in qua vnum ex alio infertur*, ita inter se implicantur, vt non sit possibile dari vnam sine alia; impossibile enim est, quòd detur prædictus nexus in consequentia, quin denotetur talis illatio consequentis ex antecedenti; & vicecersa, impossibile est, vt denotetur talis illatio in argumentatione, quin detur prædictus nexus, vt de se patet. Quo fit, vt ad summùm distinguatur ab inuicem, sicut includens, & inclusum.

✠

QVÆSTIO I.

Quales nam sint diuisiones consequentiæ, seu Argumentationis in bonam, & malam, & consequentiæ bonæ in formalem, & materialem.



Iuidi solet consequentia, & argumentatio prima sui diuisione in bonam, & malam. *Bona consequentia illa dicitur, in qua antecedens infert consequens*; vt animal est; ergo viuens, est. *Mala verò seu vitiosa illa dicitur, in qua non infertur consequens ex antecedenti, licet significetur inferri*; vt Socrates est animal; ergo Philosophus. Consequentia autem bona, etiam diuidi solet in materialem, & formalem, vt diximus in nostris Instit. lib. 3. cap. p. vbi etiam quid vtraque sit, explicauimus; Quæritur ergo de istis diuisionibus quales sint; idest an accidentales, vel essentiales; & si essentiales, an generis in suas species, an potiùs analogi in sua analogata.

C Circa primam diuisionem est duplex opinio; prima est aliquorum, quos sine nomine citat Casilius lib. 3. Summul. cap. 1. num. 22. qui asserunt talem diuisionem esse subiecti in sua accidentia; putabant enim bonam, & malam consequentiam, ita differre inter se, sicut homo albus, & homo niger.

Secunda verò sententia docet talem diuisionem esse essentialem, sed non generis in suas species, sed tantùm analogi, analogia attributionis, in sua analogata. Ita Io. à S. Tho. quæst. 8. art. 1. Casilius loco suprà citato, & ferè omnes.

Circa secundam autem diuisionem duplex pariter est sententia; prima est aliquorum, quos sine nomine referunt Complut. lib. 3. summul. cap. primo; qui arbitrantes consequentiam, seu argumentationem formalem esse illam, in qua consequens rectè sequitur ex antecedenti, vt dictum est suprà de consequentia

D bona; & consequentiam, seu argumentationem materialem esse illam, in qua consequens non infertur ex antecedenti, vt dictum est de consequentia vitiosa; docent prædictam diuisionem esse pariter essentialem, analogi tamen, in sua analogata.

Secunda verò sententia est eorum, qui formalem consequentiam eam dicunt, in qua infertur consequens ex vi artificij, seu dispositionis terminorum in antecedenti inuentæ; Materialem verò è contrà, in qua non infertur consequens ex prædicta vi dispositionis terminorum in antecedenti, vt dictum est suprà 3. lib. nostrarum Instit. cap. 1. Quare tenentur docere huiusmodi diuisionem esse accidentalem, penes scilicet perfectum, & imperfectum modum inferendi consequens ex antecedenti, intrà eandem speciem bonę argumentationis.

Notandum est idcirco primò; quòd tunc optimè cognoscitur consequens rectè inferri ex antecedenti, si

bona consequentia, quando illius oppositum ita repugnat tali antecedenti, vt ex ipsis nequeat fieri vna copulatiua, cuius vtraque pars sit possibilis. Hæc enim, e. g. est bona consequentia; Socrates est homo: ergo animal, quoniam oppositum illius consequentis, scilicet ergo non est animal, non potest stare cum antecedenti, nec cum ipso potest facere vnam copulatiuam possibilem; cùm non possit stare, Socrates est homo, & non est animal. Tunc autem è contrà apertè cognoscitur consequens, non rectè inferri ex antecedenti in mala consequentia, quando illius oppositum ita potest stare cum ipso antecedenti, vt ex ipsis non repugnet fieri vnam copulatiuam, cuius vtraque pars sit possibilis: Hæc enim mala, & vitiosa est consequentia; Tu es homo, e. g. ergo tu vigilas; nam in ea oppositum consequentis, scilicet: ergo tu non vigilas, ita concordat cum suo antecedenti, vt ex ipsis fiat hæc copulatiua, nempe, Tu es homo, & tu non vigilas; cuius vtraque pars est possibilis.

Notandum secundò; quòd regula generalis pro dignoscendis consequentijs formalibus à materialibus ea est, vt dum seruata eadem forma argumentationis, puta syllogismi, enthymematis, &c. in omni materia, idest in omnibus terminis quomodocunque sint, non habetur vera consequentia, (termini enim, & propositiones sunt materia consequentiæ, & argumentationis) talis argumentatio, seu consequentia non est formalis, sed materialis; Hæc enim consequentia, e.g. Omnis homo est animal rationale: ergo omne animal rationale est homo, non est consequentia formalis, sed materialis: nam licèt in illis terminis conuertibilibus rectè inferatur conclusio, non tamen in omnibus terminis, vt patet si dicatur, Omnis homo est viuens sentiens: ergo omne viuens sentiens est homo. E contrà verò hæc est consequentia formalis, nimirum, Omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia; nam etiam si applicetur eadem forma, & dispositio, terminis incompossibilibus, concludit, vt patet si dicatur, Omne animal est lapis: Omnis homo est animal: ergo omnis homo est lapis. Vnde (quidquid dicant Sotus lib. 5. cap. 1. de syllogismo lect. 2. Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 2. cap. 1. atque alij) volunt quamplures, & rectè quidem, tantùm syllogismum esse argumentationem formalem, quia in eo ratione formæ syllogisticæ, nunquàm negari potest consequentia; cæteras vero argumentationes esse materiales. Et hinc etiam est, quòd ferè communiter dici solet, Nullam consequentiam præcisè tenentem per locum dialecticum, vt puta per conuersionem, æquipollentiam, subalternationem, &c. esse formalem consequentiam. Et sic argumentatio ista e. g. Omnis homo est animal: ergo quidam homo est animal, tenet etiam per consequentiam tantùm materialem; quoniam licèt in illis terminis subalternis rectè concludat, non autem in omnibus, vt puta si seruata eadem forma, & dispositione enthymematis dicatur, Omnis homo est animal: ergo omne animal est homo: cùm vniuersalis affirmatiua non possit conuerti simpliciter, vt dictum est suprà disp. 30. quæst. 1.

Dicendum est ergo primò; quòd diuisio Consequentiæ, seu Argumentationis in bonam, & malam, est diuisio analogi, analogia attributionis, in sua analogata.

A Probatur; quia ratio, & essentia consequentiæ, seu argumentationis consistit in hoc, quòd scilicet consequens ita connectatur cũ antecedenti, vt ex eo rectè inferatur: sed hæc ratio simpliciter, & intrinsecè conuenit consequentiæ bonæ; malæ, verò atque vitiosæ, tantùm extrinsecè, & secundùm quid, scilicet secundùm aliquam proportionem, & attributionem: ergo prædictæ consequentiæ tantùm conuenit analogicè analogia attributionis, & consequenter hæc diuisio est analogi, prædicta analogia in sua analogata. Maior patet ex definitionibus essentialibus illarum iam assignatis. Hæc vltima consequentia bene deducitur. Prima clara est ex dictis disp. 9. quæst. 3. Minor verò sic probatur, quia mala consequentia cùm sit illa, in qua non infertur consequens ex antecedenti, sed tantùm significatur inferri propter notam illationis; non

B poterit conuenire illi prædicta ratio, & essentia, nisi extrinsecè, per quandam scilicet denominationem extrinsecam, vt patet; secùs verò consequentiæ bonæ, cùm in ipsa rectè consequens inferatur ex antecedenti: ergo, &c.

Dicendum est secundò, quod Diuisio consequentiæ in materialem, & formalem, est accidentalis; penes perfectum, & imperfectum modum inferendi intra eandem speciem.

Probatur; nam inferri consequens ex vi medij, aut ex vi conuersionis, æquipollentiæ, aut alterius loci dialectici, est accidens respectu consequentiæ, & se habent ad inuicem vt perfectum, & imperfectum intra eandem speciem, cùm de ratione intrinseca, & essentiali illius tantùm sit, quod ex antecedenti infe-

C ratur consequens ratione connexionis, quam habent ad inuicem, quomodocunque talis connexio oriatur, vt patet ex dictis; sed talis diuisio est huiusmodi: ergo &c. Probatur minor, quoniam formalis consequentia attenditur penes modum inferendi ex vi medij; materialis verò penes modum inferendi ex vi materiæ, seu loci dialectici, vt dictum est, quod est quid imperfectum respectu primi modi: ergo prædicta diuisio datur penes perfectum, & imperfectum modum inferendi, &c.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; nam syllogismus topicus, seu probabilis est vna species consequentiæ, seu argumentationis: sed in syllogismo topico, aliquando consequens non sequitur ex antecedenti, nec connectitur cum eo: ergo vel talis con-

D nexio, & illatio non est de essentia consequentiæ, vel si est, æqualiter conuenit tam bonæ, quàm malæ consequentiæ, & per consequens, vel erit accidentalis prædicta diuisio; vel si erit essentialis, non erit analogi in sua analogata, sed vniuoci in sua vniuocata idest generis in suas species. Vtraque consequentia patet simul cum antecedenti. Minor verò probatur; nam in hoc syllogismo e.g. Omnis mater diligit filios, sed Magdalena est mater: ergo Magdalena diligit filios; consequens non infertur ex antecedenti, seu, præmissis, nec habet connexionem cum eis, cùm oppositum illius possit stare cum antecedenti; nam valet hæc copulatiua, Mater est, & non diligit filios: ergo, &c.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem, dicendum est, quòd, & si ratione materiæ probabilis, tale consequens aliquando non sequatur ex antecedenti, & eius oppositum possit stare cum

præ-

prædicto antecedenti; non autem ratione formæ, seu artificii connexionis medii cum extremitatibus in præmissis; ratione cuius postea prædicta extrema vniuntur inter se in conclusione; non enim valet dicere, Omnis mater diligit filios; Magdalena est mater: ergo Magdalena non diligit filios; quod manifestum est.

Contra tamen: ergo saltem respectu consequentiæ materialis, valet, & tenet argumentum, cùm in ea non sit tale artificium, saltem medij propriè dicti, & consequenter, vel talis consequentia, non erit in eadem specie cum consequentia formali, quod est contra nostram secundam conclusionem; vel prædicta diuisio erit accidentalis, aut generis in suas species.

Respondetur distinguendo consequens: ergo saltem respectu consequentiæ materialis tenet, & valet argumentum in omni materia, negatur; in materia probabili, conceditur: Quoniam nullum absurdum est, in tali materia, vtpote connotante tantùm probabilitatem, ex antecedenti aliquando, de facto, & in rei veritate, non sequi consequens, nec cum ipso connecti; dummodò probabiliter ita connectatur, & sequatur, vt oppositum eius etiam probabiliter prædicto antecedenti repugnet, nec possit cum eodem vllam constituere copulatiuam. Quod satis est ad hoc, vt in prædicta materia probabili, habeat essentiam, & quidditatem consequentiæ, & argumentationis.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis. Nam veritas, & falsitas sunt accidentia propositionis ex dictis sæpe sæpius primo Perihermenias: sed consequentia bona, & mala differunt per veritatem, & falsitatem, quia bona significat veram connexionem, mala vero falsam: ergo differunt tantùm accidentaliter, atque earum diuisio erit accidentalis.

Respondetur negando minorem, quoniam bonitas consequentiæ non sumitur à veritate propositionum; cùm possit stare bonitas consequentiæ cum falsitate propositionum. Vnde ex hoc colligi potest discrimen inter consequens, & consequentiam. Nam consequentia est illa, quæ sequitur ex vi illius artificij medij propriè dicti, in præmissis. Consequens verò est vltima propositio affecta nota illationis, ratione cuius etiam aliquando denominatur consequentia. Ex quibus obiter haberi potest, cur non distinguatur consequentia, sed tantùm consequens, vt dictum est 3. lib. nostrarum Instit. cap. 10. Ratio enim est, quia consequentia cùm sit solùm illa vis connectens propositiones, quæ consistit in indiuisibili; absolutè vel erit bona, vel mala; & si bona, erit simpliciter consequentia, si verò mala, nequaquam sed tantùm secundùm quid, vt iam dictum est, ex Arist. p. Priorum cap. 5. & 1. Elench. cap. 1. atque ita non erit capax distinctionis. Consequens verò cùm sit propositio, est capax distinctionis, eò quòd possit habere dubios sensus. Posita autem distinctione consequentis; dicitur absolutè concedo, vel nego consequentiam; & sensus est quòd posito tali sensu illius propositionis, concedimus, vel negamus eam connexionem cum antecedenti. Vndè vlteriùs habetur, non posse distingui consequens, si argumentum sit in forma, & præmissæ sint absolutè concessæ; eò quòd, ea ratione connectuntur extrema in conclusione, qua fuerunt in præmissis cum medio connexa: ergo si absolutè conceduntur vt connexa cum medio in præmissis extrema; absolutè concedenda est connexio eorundem inter se in conclusione.

Tertiò tandem obijcitur in oppositum secundæ conclusionis. Quia diuisio penes materiam, & formam non est accidentalis, sed essentialis, vt patet, cùm sit diuisio totius essentialis; sed diuisio consequentiæ in materialem, & formalem est huiusmodi: ergo non est accidentalis, sed essentialis.

Respondetur negando minorem, & ratio negationis est, quia nec consequentia formalis, est forma consequentiæ, neque materialis est materia eiusdem, vt patet ex dictis (materia enim sunt propositiones, & termini; forma verò illud artificium medij connectentis, &c.) sed tantùm sunt quid consequens formam, & quid consequens materiam. Vnde sicut quantitas prædicamentalis e. g. quæ consequitur materiam, & qualitas itidem prædicamentalis, quæ consequitur formam in composito non distinguuntur essentialiter ab inuicem, sed tantùm accidentaliter, ita nec consequentia materialis, quæ consequitur materiam, scilicet propositiones, neque consequentia formalis, quæ consequitur formam, idest artificium illud, consequentiæ, & argumentationis, distinguuntur essentialiter, sed tantùm accidentaliter penes perfectum, & imperfectum modum inferendi, vt dictum est.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuisio bonæ consequentiæ in syllogismum, Indutionem, enthimema, & exemplum, sit essentialis, & generis in suas species.

Singillatim, nominatimque ea assignantur in titulo, vel quæ sunt, vel saltem possunt esse species argumentationis, & consequentiæ ad excludendam sententiam illorum, quos sine nomine refert Casilius lib. 3. cap. 3. num. 2. qui probant propositiones hypotheticas omnes esse species prædictæ consequentiæ, & argumentationis, quod falsum omnino esse putamus; nam cùm Argumentatio, seu consequentia non sit vnica propositio, sed multiplex, & assensus consequentis pendeat in ipsa ab assensu antecedentis; proculdubio nulla hypothetica propositio poterit esse argumentatio, cùm aggregatione saltem vna sit; & vnicum assensum requirat, vt de se patet; dum enim dicitur, si sol est, dies est; aut quia sol est, dies est; huic integræ propositioni ita assentitur immediatè, vt assensus indiuisibiliter in vtraque parte fundetur. Quod tamen intelligendum est de ipsa propositione hypothetica secundùm quid considerata, idest in ratione propositionis; nam secundùm se, & simpliciter accepta, vera argumentatio est (sermo est de conditionali, aut causali, vt exemplificatur) sicut dictum est supra disp. 26. quæst. vnica in calce; cùm sit Inductio quædam, aut Enthymema. Relicta ergo illorum sententia;

tantia; tantùm dubitatur in præsenti, an omnes, & singulæ illæ argumentationes distinguantur specificè, adeò vt diuisio bonæ argumentationis in ipsas, sit generis in suas species.

Prima opinio circa hoc est Tatareti 2. Priorum. Lemos. lib. 1. paradoxorum dialecticorum, errore 23. Mastrij t. Priorum quæst. 5. atque aliorum, qui docent omnia prædicta esse propriè species argumentationis, & talem diuisionem esse generis in suas species.

Secunda verò opinio est Fabri, theoremate 6. philosophiæ cap. 3. Auersæ, quæst. 25. sect. 5. quos referunt, & sequuntur Mastrius, & Bellutus p. p. Institut. logic. tract. 3. cap. 2. §. *Quæres*, qui omnes docent syllogismum, Inductionem, enthymema, & exemplum distingui inter se accidentaliter, tanquàm perfectum, & imperfectum.

Tertia tandem opinio docet propriè, & in rigore loquendo, duas tantùm esse species bonæ consequentiæ, seu argumentationis, syllogismum, scilicet, & inductionem: enthymema verò reducitur ad syllogismum; & exemplum ad inductionem, à quibus distinguuntur tanquàm perfectum, & imperfectum accidentaliter intra eandem speciem. Ita Arist. 1. priorum cap. 23. & 1. poster. cap. 1. vbi etiam D. Tho. quos secuti sunt Numnesius lib. 1. de constitutione artis dialecticæ. Io. à. S. Tho. lib. 2. cap. 5. & alii non pauci, inter quos sunt Complut. lib. 3. Instit. cap. 1.

Notandum idcirco est primò, essentialem differentiam, qua Inductio differt, & distinguitur à syllogismo, non esse, vt aliqui putant, quia iste descendit ab vniuersali ad particulare; illa verò è contrà, à particulari ad vniuersale; nam vt diximus disp. 1. quæst. 3. tam ascensus, quàm descensus pertinent ad Inductionem, cùm in vtrumque diuidatur; sed adæquatam, & essentialem eorum differentiam esse propriam, & peculiarem formam, seu dispositionem vtriusque. Nec aliter sentit Philosophus 2. Priorum cap. 23. & cum eo communiter omnes Dialectici, quando docent in syllogismo procedi à toto ad partes, seu ab vniuersalioribus, ad minùs vniuersalia, quod est descendere; in inductione verò è contrà, quod est ascendere; nam hoc ex eo asserunt, non quod prædictus ascensus, & descensus sint essentiales eorum differentiæ, sed quia frequentiùs accidit, vt in syllogismo vtamur medio superiori, vel saltem æquali, & raro inferiori, è contra verò in inductione, sæpius ascendimus à singulari ad vniuersale, quàm descendamus, vt patet.

Notandum est secundò, particularem dispositionem, seu formam syllogismi, per quam essentialiter distinguitur ab inductione, eam esse; quia in eo, extremitates vniuntur cum medio in præmissis, ex vi cuius postea vniuntur inter se in conclusione; ac proindè ibi propriè datur medium vniens extrema, quod significauit Aristoteles loco citato, dicens syllogismum per medium probare extremum de tertio, idest de alio extremo. Inductionis autem dispositio, seu forma per quam distinguitur à syllogismo, aliter se habet, cùm in eo consistat, quod tantùm substituatur in consequenti propositio æquiualens antecedenti absque speciali illo, & proprio artificio, quod cernitur in syllogismo: neque enim ibi dantur propriè extrema per se vnita, quæ priùs coniungatur cum ali-

A quo medio; sed loco plurium terminorum singularium, qui sunt in antecedenti ponitur in consequenti terminus communis æquiualens; quod est ascendere; vel è contrà loco termini communis, qui est in antecedenti, ponuntur in consequenti termini inferiores æquiualentes, quod est descendere.

Dicendum est ergo primò quòd Diuisio consequentiæ in illa quatuor, nòn est diuisio generis in quatuor species; sed tantùm in duas, videlicet in syllogismum, & inductionem.

Probatur; quoniam tantùm syllogismus, & inductio distinguuntur essentialiter, & specificè inter se: ergo tantùm diuisio in ipsa, est generis in suas species. Consequentia patet, antecedens, verò probatur; nam tantum syllogismus, & inductio habent diuersas

B formas, seu dispositiones, vt patet ex notatis; enthymema verò habet eandem dispositionem, & formam cum syllogismo, & exemplum cum Inductione: ergo, &c. Quod autem enthymema habeat eandem dispositionem, & formam cum syllogismo probatur; quoniam dispositio, & forma syllogismi in hoc consistit, quòd extrema priusquam vniantur inter se in conclusione, vniuntur cum medio in præmissis, ad quod necessariæ sunt duæ propositiones ex parte antecedentis: ergo quando altera propositio breuitatis gratia in enthymemate non exprimitur, non est quòd non sit eadem dispositio, & forma enthymematis, ac syllogismi, cùm talis propositio saltem subintelligatur licèt non apertè proferatur: Quod tandem exemplũ habeat eandem dispositionem, seu formam cum inductione etiam probatur; quia inductio ex pluribus

C particularibus procedit ad vniuersale, à qua perfectione deficit exemplum; siquidem ex debilitate antecedentis singularis solùm colligit aliud singulare, cùm tamen, si adderentur alia, iam colligeretur vniuersale, fieretque perfecta inductio: ergo ipsa, & exemplum re vera sortiuntur eandem formam, seu dispositionem argumentationis secundùm speciem.

Respondent Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, negando antecedens, ad cuius probationem dicunt, quod non minùs subintelligitur prædictum artificium connexionis extremorum cum medio in inductione, quàm subintelligatur in enthymemate, & Exemplo, cùm omnis discursus innitatur illi principio, *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Quapropter si, ex eo, quòd prædictum artificium sub-

D intelligatur in enthymemate, & exemplo, prædicta non habent diuersas formas à syllogismo, & inductione; non est cur inductio diuersam dispositionem, seu formam à syllogismo debeat habere.

Contra tamen; Quoniam inductio non est discursus probatiuus, sed tantùm inductiuus, seu illatiuus, atque ideò fit vel per ascensum à particularibus ad vniuersalia, vel per descensum ab vniuersalibus ad singularia: ergo nec explicitè nec implicitè est necesse quòd innitatur illi principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.* Et consequenter non prædictum artificium, sed tantùm, quòd substituatur in consequenti propositio æquiualens antecedenti, erit illius dispositio, & forma. Maior, patet ex dictis. Secunda consequentia bene deducitur. Prima verò sic probatur; Non explicitè, vt de se patet; Non implicitè quia ad inferendum vniuersale ex particularibus, & è contrà, superfluum ac superuacaneum est quodlibet medium, ratione cuius,

vniuer-

vniuersalia, & particularia inter se connectantur: cùm ista contineantur in illis, & è contrà, vel tanquam inferiora in suis superioribus; vel tanquam superiora in suis inferioribus: ergo neque explicitè, neque implicitè necesse est quòd Inductio innitatur tali principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*; idest alicui medio, &c. Ex quo etiam colligi potest falsum esse, Omne m discursum inniti illi principio.

Dicendum est secundò, quòd Diuisio consequentiæ in Enthymema, & Exemplum, est accidentalis, penes perfectum, & imperfectum intra eandem speciem, respectu ipsius syllogismi, & Inductionis, quibus subordinantur.

Probatur; quoniam Enthymema deficit à syllogismo, quia illi deest altera propositio; Exemplum verò deficit ab Inductione, quia tantùm colligere potest singulare ob debilitatem antecedentis: Syllogismo verò, atque Inductioni nihil deest in suo genere: ergo diuisio in illa est accidentalis penes perfectum, & imperfectum; cum perfectum, ex Aristotele 5. Metaphis. cap. 16. sit id, cui nihil deest; imperfectum verò, cui aliqua pars desideratur.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis ex Mastrio, & Belluto loco supracitato, probando diuisionem Argumentationis in syllogismum, & Inductionem, esse quoque accidentalem penes perfectum, & imperfectum. Quoniam non minùs Inductio, quàm Enthymema, & Exemplum reducuntur ad syllogismum, tanquam argumentationes imperfectæ ad perfectam, ex Aristotele 2. Priorum cap. 22. ergo sicut ista non distinguuntur specie à syllogismo, & Inductione, vt dictum est, ita neque Inductio pariter distingui debet, cùm sit eadem ratio; & consequenter prædicta diuisio, tantùm erit accidentalis penes perfectum, & imperfectum intra eandem speciem. Vtraque consequentia bene deducitur. Antecedens verò iam concessum est de Enthymemate. De Inductione, & consequenter de Exemplo, ita ratione probatur; Nam si accipiantur singularia pro medio, & prædicatum conclusionis pro maiori extremitate, & subiectum pro minori extremitate, vt Socrates currit, Plato currit, &c. ergo omnis homo currit; sic optimè reducitur: Omne quod est Socrates, vel Plato, &c. currit; Omnis homo est Socrates, vel Plato, &c. ergo omnis homo currit; & hoc idem de Exemplo affirmari potest: ergo Inductio, & Exemplum etiam reducuntur ad syllogismum.

Respondetur distinguendo antecedens; quia reduci dupliciter intelligi potest; vel ita vt quod reducitur, resoluatur in id, quod implicitè continet in se; vel ita vt probetur per aliud magis perfectum. Primo modo tantùm reducitur Enthymema ad syllogismum, & Exemplum ad Inductionem, vt dictum est. Secundo autem modò omnia prædicta reducuntur, hoc est probantur per syllogismum, tanquam in genere Argumentationis quid perfectius, cum sit argumentatio formalis; & in hoc sensu intelligendus est Philosophus loco citato. Cæterum per hoc non conuincitur Inductionem non distingui specie à syllogismo, cùm habeat diuersam formam.

Contrà tamen instant prædicti Auctores dicendo, id esse minùs rectè dictum; quia re, vera talis reductio demonstrat Inductionem, Exemplum, & Enthymema esse imperfectos syllogismos; quare sicut homo, cui

A manus, vel brachium deficit, specie non dicitur differre ab homine integro; sic neque argumentationes istæ à syllogismo.

Respondetur falsum esse, ex hac responsione, quæ est Tatareti, demonstrari prædicta esse imperfectos syllogismos; nam tantùm demonstratur esse imperfectas argumentationes, vtpote materiales; quod libenter conceditur ex dictis.

Contrà tamen quis instare posset hoc modo; Nam argumentatio formalis, & materialis differunt accidentaliter penes perfectum, & imperfectum, vt dictum est quæst. antecedenti; sed Inductio est argumentatio materialis, & syllogismus formalis: ergo tantùm distinguuntur accidentaliter penes perfectum, & imperfectum, &c.

B Respondetur prædictum argumentum non parum esse sophisticum, atque committere fallaciam à secundùm quid ad simpliciter, cùm faciat transitum ab Inductione, & syllogismo in esse consequentiæ materialis, & formalis; ad formaliter secundùm se considerata. Vnde nil aliud concludere videtur argumentum, quàm Inductionem, & syllogismum in ratione tantùm consequentiæ materialis, & formalis distingui accidentaliter, non autem secundum se; Veluti si diceretur; Album, & nigrum distinguuntur accidentaliter, sed Olor est albus, Coruus est niger: ergo Olor, & Coruus distinguuntur accidentaliter. Tantùm enim concluderet prædictum argumentum Olorem, & Coruum, in ratione albi, & nigri distingui accidentaliter; minimè verò secundum se, scilicet vt duo animalia diuersæ speciei sunt.

C Obijcitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, probando Enthymema à syllogismo, & Exemplum ab inductione, etiam distingui essentialiter, & consequenter diuisionem in ipsa esse essentialem, generisque in suas species. Nam si non essent quatuor species argumentationis illa omnia, & specificè inter se differentia; communis vsus loquendi omnium Dialecticorum enumeraret tantùm duo, non verò quatuor; sed hoc è contra se habet: ergo, &c.

Respondetur, quòd ad hoc vt Dialectici distinguant argumentationes sibi familiares, & proprias, quæ sunt syllogismus, & Inductio, ab his, quæ magis Rhetoricæ accomodantur, vt sunt Enthymema, & Exemplum, ex Aristotele 1. Post. cap. 1. simulque explicent tum illarum perfectionem, & vim inferendi; tum

D etiam istarum defectum, & imperfectionem; ideò illas seorsim enumerant, etiamsi non omnino distinguátur, vt explicatum est. Vnde non sequitur debere inter se distingui specie, vt manifestum est.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Regulæ bonæ Argumentationis sint rectè assignatæ.

MVltæ, ac fortè plures quàm sit opus, solent afferri regulæ a Dialecticis pro bonitate consequentiæ;

cantia; tantùm dubitatur in præsenti, an omnes, & singulæ illæ argumentationes distinguantur specificè, adeò vt diuisio bonæ argumentationis in ipsas, sit generis in suas species.

1 Prima opinio circa hoc est Tatareti 2. Priorum. Lemos. lib. 1. paradoxorum dialecticorum, errore 23. Mastrij 1. Priorum quæst. 5. atque aliorum, qui docent omnia prædicta esse propriè species argumentationis, & talem diuisionem esse generis in suas species.

Secunda verò opinio est Fabri, theoremate 6. philosophiæ cap. 3. Auersæ, quæst. 25. sect. 5. quos referunt, & sequuntur Mastrius, & Bellutus p. p. Institut. logic. tract. 3. cap. 2. §. *Quares*, qui omnes docent syllogismum, Inductionem, enthymema, & exemplum distingui inter se accidentaliter, tanquàm perfectum, & imperfectum.

3 Tertia tandem opinio docet propriè, & in rigore loquendo, duas tantùm esse species bonæ consequentiæ, seu argumentationis, syllogismum, scilicet, & inductionem: enthymema verò reducitur ad syllogismum; & exemplum ad inductionem, à quibus distinguuntur tanquàm perfectum, & imperfectum accidentaliter intra eandem speciem. Ita Arist. 1. priorum cap. 23. & 1. poster. cap. 1. vbi etiam D. Tho. quos secuti sunt Numnesius lib. 1. de constitutione artis dialecticæ. Io. à. S. Tho. lib. 2. cap. 5. & alii non pauci, inter quos sunt Complut. lib. 3. Instit. cap. 1.

Notandum idcirco est primò, essentialem differentiam, qua Inductio differt, & distinguitur à syllogismo, non esse, vt aliqui putant, quia iste descendit ab vniuersali ad particulare; illa verò è contra, à particulari ad vniuersale; nam vt diximus disp. 1. quæst. 3. tam ascensus, quàm descensus pertinent ad Inductionem, cùm in vtrumque diuidatur; sed adæquatam, & essentialem eorum differentiam esse propriam, & peculiarem formam, seu dispositionem vtriusque. Nec aliter sentit Philosophus 2. Priorum cap. 23. & cum eo communiter omnes Dialectici, quando docent in syllogismo procedi à toto ad partes, seu ab vniuersalioribus, ad minus vniuersalia, quod est descendere; in inductione verò è contrà, quod est ascendere; nam hoc ex eo afferunt, non quod prædictus ascensus, & descensus sint essentiales eorum differentiæ, sed quia frequentiùs accidit, vt in syllogismo vtamur medio superiori, vel saltem æquali, & rarò inferiori, è contrà verò in inductione, sæpius ascendimus à singulari ad vniuersale, quàm descendamus, vt patet.

Notandum est secundò, particularem dispositionem, seu formam syllogismi, per quam essentialiter distinguitur ab inductione, eam esse; quia in eo, extremitates vniuntur cum medio in præmissis, ex vi cuius postea vniuntur inter se in conclusione; ac proindè ibi propriè datur medium vniens extrema, quod significauit Aristoteles loco citato, dicens syllogismum per medium probare extremum de tertio, idest de alio extremo. Inductionis autem dispositio, seu forma per quam distinguitur à syllogismo, aliter se habet, cùm in eo consistat, quod tantùm substituatur in consequenti propositio æquiualens antecedenti absque speciali illo, & proprio artificio, quod cernitur in syllogismo: neque enim ibi dantur propriè extrema per se vnita, quæ priùs coniungatur cum ali-

A quo medio; sed loco plurium terminorum singularium, qui sunt in antecedenti ponitur in consequenti terminus communis æquiualens, quod est ascendere; vel è contrà loco termini communis, qui est in antecedenti, ponuntur in consequenti termini inferiores æquiualentes, quod est descendere.

Dicendum est ergo primò quòd Diuisio consequentiæ in illa quatuor, nòn est diuisio generis in quatuor species; sed tantùm in duas, videlicet in syllogismum, & inductionem.

Probatur; quoniam tantùm syllogismus, & inductio distinguuntur essentialiter, & specificè inter se: ergo tantùm diuisio in ipsa, est generis in suas species. Consequentia patet, antecedens, verò probatur; nam tantum syllogismus, & inductio habent diuersas

B formas, seu dispositiones, vt patet ex notatis; enthymema verò habet eandem dispositionem, & formam cum syllogismo, & exemplum cum Inductione: ergo, &c. Quod autem enthymema habeat eandem dispositionem, & formam cum syllogismo probatur; quoniam dispositio, & forma syllogismi in hoc consistit, quòd extrema priusquàm vniantur inter se in conclusione, vniuntur cum medio in præmissis, ad quod necessariæ sunt duæ propositiones ex parte antecedentis: ergo quando altera propositio breuitatis gratia in enthymemate non exprimitur, non est quòd non sit eadem dispositio, & forma enthymematis, ac syllogismi, cùm talis propositio saltem subintelligatur licèt non apertè proferatur: Quod tandem exemplũ habeat eandem dispositionem, seu formam cum Inductione etiam probatur; quia inductio ex pluribus

C particularibus procedit ad vniuersale, à qua perfectione deficit exemplum; siquidem ex debilitate antecedentis singularis solùm colligit aliud singulare, cùm tamen, si adderentur alia, iam colligeretur vniuersale, fieretque perfecta inductio: ergo ipsa, & exemplum re vera sortiuntur eandem formam, seu dispositionem argumentationis secundùm speciem.

Respondent Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, negando antecedens, ad cuius probationem dicunt, quod non minùs subintelligitur prædictum artificium connexionis extremorum cum medio in inductione, quàm subintelligatur in enthymemate, & Exemplo, cùm omnis discursus innitatur illi principio, *Quacunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Quapropter si, ex eo, quòd prædictum artificium sub-

D intelligatur in enthymemate, & exemplo, prædicta non habent diuersas formas à syllogismo, & inductione; non est cur inductio diuersam dispositionem, seu formam à syllogismo debeat habere.

Contra tamen; Quoniam inductio non est discursus probatiuus, sed tantùm inductiuus, seu illatiuus, atque ideò fit vel per ascensum à particularibus ad vniuersalia, vel per descensum ab vniuersalibus ad singularia: ergo nec explicitè nec implicitè est necesse quòd innitatur illi principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.* Et consequenter non prædictum artificium, sed tantùm, quòd substituatur in consequenti propositio æquiualens antecedenti, erit illius dispositio, & forma. Maior, patet ex dictis. Secunda consequentia bene deducitur. Prima verò sic probatur; Non explicitè, vt de se patet; Non implicitè quia ad inferendum vniuersale ex particularibus, & è contrà, superfluum ac superuacaneum est quodlibet medium, ratione cuius,

vniuer-

vniuersalia, & particularia inter se connectantur: cùm ista contineantur in illis, & è contrà, vel tanquam inferiora in suis superioribus; vel tanquam superiora in suis inferioribus: ergo neque explicitè, neque implicitè necesse est quòd Inductio innitatur tali principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*; idest alicui medio, &c. Ex quo etiam colligi potest falsum esse, Omnem discursum inniti illi principio.

Dicendum est secundò, quòd Diuisio consequentiæ in Enthymema, & Exemplum, est accidentalis, penes perfectum, & imperfectum intra eandem speciem, respectu ipsius syllogismi, & Inductionis, quibus subordinantur.

Probatur; quoniam Enthymema deficit à syllogismo, quia illi deest altera propositio; Exemplum verò deficit ab Inductione, quia tantùm colligere potest singulare ob debilitatem antecedentis: Syllogismo verò, atque Inductioni nihil deest in suo genere: ergo diuisio in illa est accidentalis penes perfectum, & imperfectum; cum perfectum, ex Aristotele 5. Metaphis. cap. 16. sit id, cui nihil deest; imperfectum verò, cui aliqua pars desideratur.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis ex Mastrio, & Belluto loco supracitato, probando diuisionem Argumentationis in syllogismum, & Inductionem, esse quoque accidentalem penes perfectum, & imperfectum. Quoniam non minùs Inductio; quàm Enthymema, & Exemplum reducuntur ad syllogismum, tanquam argumentationes imperfectæ ad perfectam, ex Aristotele 2. Priorum cap. 22. ergo sicut ista non distinguuntur specie à syllogismo, & Inductione, vt dictum est, ita neque Inductio pariter distingui debet, cùm sit eadem ratio; & consequenter prædicta diuisio, tantùm erit accidentalis penes perfectum, & imperfectum intra eandem speciem. Vtraque consequentia bene deducitur. Antecedens verò iam concessum est de Enthymemate. De Inductione, & consequenter de Exemplo, ita ratione probatur; Nam si accipiantur singularia pro medio, & prædicatum conclusionis pro maiori extremitate, & subiectum pro minori extremitate, vt Socrates currit, Plato currit, &c. ergo omnis homo currit; sic optimè reducitur: Omne quod est Socrates, vel Plato, &c. currit; Omnis homo est Socrates, vel Plato, &c. ergo omnis homo currit; & hoc idem de Exemplo affirmari potest: ergo Inductio, & Exemplum etiam reducuntur ad syllogismum.

Respondetur distinguendo antecedens; quia reduci dupliciter intelligi potest; vel ita vt quod reducitur, resoluatur in id, quod implicitè continet in se; vel ità vt probetur per aliud magis perfectum. Primo modo tantùm reducitur Enthymema ad syllogismum, & Exemplum ad Inductionem, vt dictum est. Secundo autem modò omnia prædicta reducuntur, hoc est probantur per syllogismum, tanquam in genere Argumentationis quid perfectius, cùm sit argumentatio formalis; & in hoc sensu intelligendus est Philosophus loco citato. Cæterum per hoc non conuincitur Inductionem non distingui specie à syllogismo, cùm habeat diuersam formam.

Contrà tamen instant prædicti Auctores dicendo, id esse minùs rectè dictum; quia re vera talis reductio demonstrat Inductionem, Exemplum, & Enthymema esse imperfectos syllogismos; quare sicut homo, cui

A manus, vel brachium deficit, specie non dicitur differe ab homine integro; sic neque argumentationes istæ à syllogismo.

Respondetur falsum esse, ex hac responsione, quæ est Tatareti, demonstrari prædicta esse imperfectos syllogismos; nam tantùm demonstratur esse imperfectas argumentationes, vtpote materiales; quod libenter conceditur ex dictis.

Contrà tamen quis instare posset hoc modo; Nam argumentatio formalis, & materialis differunt accidentaliter penes perfectum, & imperfectum, vt dictum est quæst. antecedenti; sed Inductio est argumentatio materialis, & syllogismus formalis: ergo tantùm distinguuntur accidentaliter penes perfectum, & imperfectum, &c.

B Respondetur prædictum argumentum non parum esse sophisticum, atque committere fallaciam à secundùm quid ad simpliciter, cùm faciat transitum ab Inductione, & syllogismo in esse consequentiæ materialis, & formalis; ad formaliter secundùm se considerata. Vnde nil aliud concludere videtur argumentum, quàm Inductionem, & syllogismum in ratione tantùm consequentiæ materialis, & formalis distingui accidentaliter, non autem secundùm se; Velutì si diceretur; Album, & nigrum distinguuntur accidentaliter, sed Olor est albus, Coruus est niger: ergo Olor, & Coruus distinguuntur accidentaliter. Tantùm enim concluderet prædictum argumentum Olorem, & Coruum, in ratione albi, & nigri distingui accidentaliter; minime verò secundùm se, scilicet vt duo animalia diuersæ speciei sunt.

C Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, probando Enthymema à syllogismo, & Exemplum ab inductione, etiam distingui essentialiter, & consequenter diuisionem in ipsa esse essentialem, generisque in suas species. Nam si non essent quatuor species argumentationis illa omnia, & specificè inter se differentia; communis vsus loquendi omnium Dialecticorum enumeraret tantùm duo, non verò quatuor; sed hoc è contra se habet: ergo, &c.

Respondetur, quòd ad hoc vt Dialectici distinguant argumentationes sibi familiares, & proprias, quæ sunt syllogismus, & Inductio, ab his, quæ magis Rhetoricæ accomodantur, vt sunt Enthymema, & Exemplum, ex Aristotele 1. Post. cap. 1. simulque explicent tum illarum perfectionem, & vim inferendi; tum

D etiam istarum defectum, & imperfectionem; ideò illas seorsim enumerant, etiamsi non omnino distinguãtur, vt explicatum est. Vnde non sequitur debere inter se distingui specie, vt manifestum est.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Regulæ bonæ Argumentationis sint rectè assignatæ.

MVltæ, ac fortè plures quàm sit opus, solent afferri regulæ a Dialecticis pro bonitate consequentiæ;

quentiæ; nam Sotus lib. 3. cap. 8. sect. 1. notabili 3. decem tradit. Iauellus tract. 9. à cap. 3. vsquè ad finem tradit penè infinitas. Pauciores Toletus lib. 4. cap. 2. Non multò plures Fonseca lib. 6. cap. 5. & sic deinceps cæteri Auctores; at quia hæ omnes si diligenter attendantur, reducuntur ad tres illas vniuersales, de quibus lib. 3. Instit. cap. 1. egimus, cùm ex eis oriantur; de illis tribus tantùm principaliter erit præsens quæstio; de cæteris verò secundariò, & ex consequenti; nam si vniuersaliores illæ rectè assignatæ sunt, rectè quoque assignatæ erunt quæ ex ipsis ortum habent, atque ad illas reducibiles sunt, & è contrà; scilicet si malè illæ assignatæ sunt, reliquæ etiam malè assignatæ erunt; Tamen quæ assignari solent, ne penitus ignorentur; cùm non omnes necessariæ sint; vtiliores, potioresque duntaxat, ante resolutionem quæsiti exponemus.

Ex prima igitur generali illa regula bonæ consequentiæ; videlicet quòd, ex antecedenti vero in bona argumentatione semper sequatur consequens verum; & similiter ex antecedenti possibili, contingenti, vel necessario semper sequatur consequens possibile, contingens, vel necessarium; hæ particulares oriuntur regulæ; quarum prima est, quòd bene valet in bona argumentatione, *antecedens est verum: ergo consequens est verum*; Et similiter, *Consequens est falsum: ergo antecedens est falsum*; nam cùm ex vero semper sequatur verum; nunquam falsum sequetur ex vero, atque ita semper sequetur ex falso. Quæ regula etiam valet de antecedente contingenti, possibili, & necessario, ex quo semper sequitur contingens, possibile, & necessarium, vt optimè obseruat Io. à S. Tho. lib. 3. summul. cap. 11.

Secunda regula particularis est, *quòd in bona consequentia contradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis*; non verò è contrà. Valet enim, homo currit: ergo mouetur: non mouetur: ergo non currit; non tamen valet à contradictorio antecedentis: non valet enim, Non currit, ergo non mouetur; nam si oppositum consequentis non inferret oppositum antecedentis, posset stare cum ipso antecedenti, vt dictum est suprà quæst. prima, not. 1. & sic, supposito quòd prædictum consequens esset verum, vtpote illatum ex antecedenti vero, eius oppositum erit falsum, vnde falsum sequeretur ex vero; quod est contra prædictam regulam generalem. Ad istam regulã particularem aliæ quoque particulariores reduci solent, quemadmodum sunt illæ quæ sequuntur ex æquipollentia, vt *ab affirmatiua ad negatiuam, & è contrà variato prædicato de finito in infinitum valet consequentia*, & cæteræ huismodi, nam etiam in istis contradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis: valet enim, Homo est albus: ergo homo non est non album; sed homo est non album: ergo homo non est albus.

Tertia tandẽ regula particularis est, *quòd quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur ad antecedens illius*; quod alijs verbis dici solet; quòd *valet consequentia de primo ad vltimum*, quæ est argumentatio illa acerualis, de qua suprà disp. 11. quæst. prima, vt si dicatur, Homo est: ergo animal: Si autem animal: ergo viuens; si viuens, corpus; si corpus, substantia; ergo si homo est, substantia est; nam si homo non esset substantia, sicuti est substantia animal; tunc etiam A daretur antecedens verum (supposito quòd tale esset) & consequens falsum, quod est contra præfatam regulam generalem.

Ex secunda verò generali regula bonæ consequentiæ, videlicet quòd ex antecedenti falso in bona consequentia, aliquando sequatur verum, aliquando falsum, hæ particulares regulæ oriuntur, quarum prima est, *Quòd non valet; consequens est verum: ergo antecedens est verum: neque similiter, Antecedens est falsum: ergo consequens est falsum*; vt si dicatur, Petrus est equus: ergo animal; cùm consequens sit verum, & antecedens falsum; nam si valeret, esset contra talem generalem regulam, quòd scilicet ex falso aliquando sequatur verum, modo tamen ibidem assignato.

B Secunda verò regula particularis est, quòd consequens necessarium, aliquandò potest inferri ex antecedenti impossibili, aliquando ex necessario, aliquando ex contingenti; vt patet in his consequentijs, Homo est Leo: ergo homo est animal: Homo est corpus: ergo est substantia. Equus est albus: ergo equus est corpus. Nam si esset è contrà, non esset vera hæc secunda generalis regula, quòd scilicet ex falso, aliquando sequatur verum.

Tertia tandem particularis regula est, *quòd consequens aliquando impossibile, aliquando contingens, aliquando necessarium potest inferri ex antecedenti impossibili*; vt patet in his consequentijs; Homo est equus: ergo est animal: hic enim ex impossibili infertur necessarium. Similiter homo volat: ergo mouetur: ex impossibili sequitur contingens. Item homo est leo: ergo est rugibilis: vtrunque enim est impossibile; Nam hæc C etiam vera sunt, in quantum secunda illa generalis regula, quòd scilicet ex falso aliquando verum, aliquando falsum sequatur, vera est.

Ex tertia tandem generali regula, quòd scilicet conclusio in bona argumentatione semper sequatur debiliorem partem; istæ quoque particulares oriuntur regulæ; nimirum, *quòd si ex duabus præmissis altera sit probabilis, altera euidens, conclusio regulariter debet esse probabilis*; vt Omnis Homo diligit iustitiam; sed Petrus est homo: ergo Petrus diligit iustitiam. *Item si ex duabus præmissis altera sit necessaria, & altera contingẽs, regulariter conclusio debet esse contingens*; vt Omne currens mouetur; Petrus est currens: ergo Petrus mouetur. *Insuper si ex duabus præmissis altera sit naturalis, altera de fide, conclusio regulariter debet esse naturalis*; vt D omnis homo saluatur per Christum; Petrus est homo: ergo saluatur per Christum, & cæteræ huiusmodi, de quibus præ alijs agit ex professo Albertinus tom. p. Corollariorum 3. principio philosophico.

His ergo suppositis; & explicatis; cùm nemo sit qui audeat affirmare prædictas tres generales regulas esse malè assignatas, nonnulla tantùm adnotanda sunt vt nostras conclusiones probare, & argumenta diluere valeamus.

Notandùm idcirco est primò, idem esse ponere antecedens verum, & consequens falsum, ac ponere antecedens verum, & ex parte falsum; quia consequens est veluti pars quædam, & aliquid antecedentis; siquidem est aliquod connexum cum illo; & consequentia ipsa, connexio quædam est; Quod autem absolutè est falsum, ex parte non est verum, & è contrà; vndè si daretur antecedens verum, & consequens falsum, daretur antecedens verum, & non verum

quæ

quæ sunt contradictoria. Quapropter optimè dixit Philosophus 1. Post. *Quod præmissa debent esse magis vera, quàm conclusio;* idest magis certa, nam plus debet requiri ad veritatem antecedentis, quàm consequentis; cùm non illud ex isto, sed istud ex illo inferatur.

Notandum est secundò, quòd extrema in conclusione nequeunt habere maiorem connexionem, quam habuerint in præmissis cũ medio: nam cùm intellectus connectere debeat extrema conclusionis, ex eo, quòd coniunxerit eadem in præmissis cum medio; non potest meliùs, nec clariùs, nec imperturbabiliùs eadem extrema in conclusione connectere, quàm connexerit in præmissis cum ipso medio, cùm tantùm ratione medij connectantur inter se in conclusione. Qua de causa, si extrema in præmissis ratione medij connectantur negatiuè, vel in ratione partis, vel alicuius particularis, in conclusione quoque ita connecti debent, licèt vnum eorum connectatur cum medio affirmatiuè, aut, vt quid vniuersale; nam cum medio, & ratione ipsius medij cum alio extremo, semper alterum connectitur negatiuè, vel particulariter, vt patet in exemplis pro tertia generali regula allatis, loco citato ex 3. Institutionis. Quod pariter dicendum est, quando in præmissis, ratione alicuius medij connectuntur extrema probabiliter, contingenter, naturaliter, &c. nam semper valet dicere, quòd extremum probabile, contingens, naturale, &c. cum medio, & ratione ipsius medij, cum altero extremo connectatur probabiliter, contingenter, naturaliter, &c. vt considerãti ex adductis exemplis pro regulis particularibus tertiæ generalis, patere potest.

Dicendum est ergo primò; Quòd regula illa prima generalis bonæ consequentiæ, videlicet quòd ex antecedenti vero in bona argumentatione semper sequatur consequens verum; & similiter ex antecedenti possibili, contingenti, vel necessario, semper sequatur consequens possibile, contingens, vel necessarium; est optimè assignata.

Probatur quoniam antecedens habet rationem causæ respectu consequentis; causa autem non impedita producit effectum sibi similem: ergo in bona argumentatione, quæ assimilatur causæ non impeditæ producentis effectum, ex vero semper sequitur verum, ex possibili possibile, ex contingenti contingens, & ex necessario necessarium. Minor, & consequentia patent, & ampliùs patebunt in libris posteriorum. Maior autem probatur, quoniam consequens habet dependentiam, & connexionem cum antecedenti, & recipit influxum ab eo, cùm ex ipso inferatur: ergo antecedens habet rationem causæ respectu ipsius; causa enim est, quæ influit in aliud tanquam in dependens ab ipsa.

Dicendum est secundò, Regulam illam generalem secundam bonæ consequentiæ, quòd scilicet ex antecedenti falso in bona consequentia, aliquando sequatur consequens verũ, aliquando falsum, esse optimam.

Probatur prima pars, scilicet quòd aliquando sequatur verum ex falso: Nam bonitas consequentiæ ex superiùs dictis non attendit veritatem, vel falsitatẽ propositionum, sed tantùm debitam dispositionem terminorum cum medio in præmissis: sed talis dispositio optimè potest stare cum antecedenti falso (accepto tamen, & supposito vt vero), & consequenti vero: ergo in bona consequentia aliquando ex antecedenti

A falso potest inferri consequens verum. Cõsequentia bene deducitur; quia si dispositio terminorum cum medio, quæ præcipuè attenditur in bona, & formali consequentia, potest stare cum antecedenti falso, & consequenti vero, proculdubio, ex falso colligetur verum. Minor verò probatur, nam in ista argumentatione, e. g. Homo est equus: ergo animal; terminus *Equus*, qui ponitur in antecedenti, & est medium saltem implicitè huius consequentiæ, falso quidem connectitur cum homine; sed quia verè connectitur cum animali est ratio, vt verè etiam connectatur animal cum homine: ergo talis dispositio terminorum, optimè potest stare cum antecedenti falso in bona consequentia, sed supposito vt vero, ex quo consequens alias verum, ratione prædictæ connexionis cum medio inferri possit.

B Probatur 2. Pars, quòd scilicet aliquando ex falso sequatur consequens falsum: nam falsum habet connexionem per se cum falso, cum vero autem tantùm per accidens; quia scilicet, quod alias verum erat, sequitur ex dispositione extremorum cum medio in præmissis: sed verum aliquando sequ tur ex fa lso, vt dictum est: ergo multò magis falsum ex falso; consequentia patet ex maiori illa connexione, quam habet falsum cum falso, quàm falsum cum vero. Maior verò probatur. Nam si falsum non haberet prædictam connexionem cum falso, aliquando in bona consequentia sequi posset ex vero; atque ita etiam dari posset in bona consequentia antecedens verum, & consequens falsum, quod repugnat, vt notatum est primo loco: ergo falsum, tantùm habet connexionem per se cum falso.

C Dicendum est 3. Tertiam illam generalem regulam bonæ consequentiæ, nimirum, quòd in bona argumentatione, semper conclusio sequatur debiliorem partem, esse optimam.

Probatur; nam duæ præmissæ sunt quasi duæ causæ subordinatæ respectu conclusionis; in causis autem subordinatis, effectus sequitur debiliorem; vt patet in sole, & alijs causis vniuersalibus, quæ cum causis particularibus debilibus, debiliter operantur; cum fortibus verò fortiter: ergo conclusio, quæ est veluti effectus præmissarum, sequi debet præmissam, seu partem debiliorem, cui in operatione accommodatur altera pars, seu nobilior, & fortior præmissa.

Sed dicet fortasse aliquis; quòd cùm plures causæ D concurrunt ad eundem effectum, & vna est perfectior altera, potiùs effectus assimilatur perfectiori, & nobiliori; vt patet de duobus idem pondus trahentibus, quorum vnus est perfectior altero, nam tractio ponderis sequitur virtutem potentioris; ergo falsa ratio assignata.

Respondetur negando assumptum; & paritas de duobus trahentibus idem pondus nihil valet; nam istæ sunt causæ per accidens subordinatæ, cùm quilibet illorum possit aliquod illius ponderis trahere; at verò præmissæ sunt causæ per se subordinatæ, quarum vna nequit sine altera, etiam minimam conclusionis particulam causare.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis probando saltem ex antecedenti necessario, non semper sequi consequens necessarium, sed aliquando contingens; Valet enim dicere, Omne currens mouetur; omne currens est corpus: ergo aliquod corpus mouetur.

tur. Item omne album est coloratum, omne album est corpus: ergo aliquod corpus est coloratum. Tandem, scit Deus, Petrum peccaturum: ergo peccabit. Patet enim istis argumentationibus antecedens, vel præmissas esse necessarias, consequens verò, aut consequentia esse quid contingens: ergo, &c.

Respondetur, & primò ad duas priores rationes, propositionem de 3. adiacente in materia contingenti supponere existentiam subiecti ex Arist. 1. Priorum cap. vltimo vt iam dictum est suprà disput. 27. quæst. 2. ad primum, quæ existentia explicari debet per aliam propositionem de 2. adiacente, v. g. *Petrus est albus*, sensus est, & Petrus est, seu existit, & est albus; Vnde qualibet talis propositio in materia contingenti est virtualiter copulatiua. Ad veritatem autem, & necessitatem copulatiuæ, requiritur quòd vtraque pars sit vera, & necessaria, ex dictis superiùs disp. 26. quæst. vnica ad primum; quòd si vna pars sit falsa, vel contingens, talis etiam euadit tota propositio. Cùm igitur illæ præmissæ sint in materia contingenti, vt patet de illa, *Omne currens mouetur*; dicendum est esse virtualiter copulatiuas, & illam æquiualere huic, & Omne currens est, seu existit, & omne tale mouetur; & cùm prima pars talis copulatiuæ sit contingens, (contingit enim quod currens detur in rerum natura) tota copulatiua erit contingens; & sic de aliis præmissis discurrendum est, ac negandum quòd sint necessariæ.

Ad illud verò quod affertur de præscientia Dei respectu Petri peccaturi; dicendum est, quòd ad hoc, vt ex antecedenti inferatur consequens necessarium, non requiritur vt omnibus modis prædictum consequens necessarium sit; sed sufficit, quòd sub eo respectu, & ratione, qua antecedenti subest, infallibile, & necessarium sit, in quantùm ex illo antecedenti infertur; non tamen sub alia ratione, Vnde licèt in illa consequentia, Deus scit Petrum peccaturum: ergo peccabit; tale consequens secundùm se, & per ordinem ad causam proximam, scilicet Petrum, sit contingens; tamen vt infertur ex antecedenti scilicet ex præuidentia, necessarium, & infallibile est: quoniam Deus, non solum scit Petrum peccaturum, sed peccaturum liberè, & contingenter; quapropter ex illo antecedenti, etiam infertur quòd contingenter peccabit, & quòd est infallibile, & necessarium totum hoc, quòd scilicet peccabit contingenter.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, probando non semper falsum sequi ex falso, sed aliquando ex vero; nam licèt verum non sequatur ex falso per se, tamen ratione alterius, idest ratione materiæ sic, & sic dispositæ, ex vi connexionis extremorum cum medio in præmisis, optimè potest sequi in bona consequentia, vt dictum est suprà: sed hoc etiam affirmari potest de falso respectu antecedentis veri: ergo aliquando ex vero potest prædicto modo sequi falsum. Minor probatur; nam in hoc syllogismo secundæ figuræ directè concludente; scilicet Omne animal est substantia, Aliquis lapis est substantia: ergo aliquis lapis est animal; præmissæ veræ sunt, consequentia verò falsa: ergo saltem ratione materiæ ex vi dispositionis extremorum cum medio, etiam falsum ex vero inferri potest.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum est, regulam illam non habere locum in modis inutilibus, & inconsistentibus, seu malæ consequentiæ, qui tantùm oriuntur ex quibusdam combinationibus possibilibus præmissarum, quantùm ad affirmationem, vel negationem, vniuersalitatem, aut particularitatem, de quibus in sequentibus; sed tantùm in modis vtilibus, & consistentibus, idest bonæ consequentiæ; atque adeò non casu, sed ex matura deliberatione in prædictis regulis semper repetita fuit illa particula, scilicet, *in bona consequentia*. Cùm igitur modus ille prædicti syllogismi sit inutilis (non enim est in aliquo modo ex quatuor assignatis secundæ figuræ, cùm nullus habeat vtramque præmissam affirmatiuam) non facit ad rem; nam ex ambabus præmissis affirmatiuis in secunda figura, nihil sequitur, vt dictum est, lib. 3. nostræ Instit. cap. 4. regula secunda particulari pro secunda figura.

Tertiò tandem obiicitur in oppositum tertiæ conclusionis; Tum quia hic syllogismus est Arist. 2. Cæli cap. 4. scilicet, Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt prope nos; planetæ non scintillant: ergo planetæ sunt prope nos; in quo minor est negatiua, & consequentia affirmatiua; Tum etiam quia ex regulis bonæ consequentiæ, ex falso sequitur aliquando verum; ex contingenti necessarium, &c. ergo conclusio non semper sequitur debiliorem partem, cùm debiliùs sit falsum, quàm verum; contingens, quàm necessarium; Tum denique, quia hic syllogismus bene concludit affirmatiuè, & tamen habet maiorem negatiuam, scilicet, si nullus homo esset sensitiuus, nullus homo esset animal; sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.

Respondetur, & primò ad primam rationem ex superiùs dictis disp. 23. quæst. 6. ad primum, nimirum minorem illam esse affirmatiuam de prædicato infinito, alioquin nihil concluderet; Ad secundam verò respondetur, quòd dum ex præmissis falsis sequitur vera consequentia, & ex contingentibus necessaria, &c. licèt prædicta consequentia materialiter sit vera, aut necessaria, &c. tamen formaliter est semper falsa, & contingens, &c. Ratio enim est; nam consequentia illa formaliter considerata, idest quatenus sequitur ex connexione extremorum cum medio in premisis, licèt habeat extrema materialiter sumpta connexa inter se vere, & necessariò, quia materialiter vera, & necessaria sunt; tamen quia vnum connectitur cum alio ratione medii, cum quo medio, falsò, vel contingenter connectitur; non potest ex vi talis artificii syllogistici non connecti falsò, & contingenter, cum altero extremo; estò aliàs, idest ratione materiæ prædicta extrema in conclusione, veram, & necessariam habeant connexionem, vt dictum est suprà notando secundo. Qua de causa suprà in tradendis regulis particularibus ad talem regulam vniuersalem spectantibus, valdè cautè dictum est, *Regulariter*, idest secundùm regulam formalis structuræ syllogisticæ: nam irregulariter loquendo, scilicet secundùm id, quod tantùm sequitur ex præmissarum materia, tales regulæ non semper habent locum; sed de hoc alibi; nam pro nunc sufficiet secundùm communiorem Dialecticorum placitum, respondere.

Ad 3. denique rationem dicendum est, conclusionem prædictam in tantùm sequi ex illa maiori propositione hypothetica conditionali; in quantùm talis propositio conditionalis continet in se virtualiter hanc

hanc categoricam vniuersalem affirmatiuam, scilicet, Omne animal est sentitiuum; nam ex eo verum est, quòd si nullus homo esset sensitiuus, nullus homo esset animal, quia Omne animal est sensitiuum.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

Quomodò argumentandum sit ex hypothesi impossibili.

Contingit vt plurimum errare, dum ex hypothesi impossibili aliquid argumentando concludimus; qui error potissima causa est, vt formalia cum materialibus, & essentialia cum accidentalibus, quandoque confundantur; vt ergo sua regula non careat etiam huiusmodi argumentatio; examinatæ, & explicatæ quæstioni, cùm alibi commodiùs, aut conuenientiùs explicari nequeat, tale quæsitum erit addendum.

Sciendum itaque est, quòd ex hypothesi, seu suppositione impossibili, semper aliquo modo contradictoria sequuntur. Duobus autem modis contingit, vt prædicta contradictoria sequantur; vel adeò vt vtraque pars contradictionis sequatur per locum intrinsecum, & essentialem; vel adeò vt vna pars contradictionis sequatur per prædictum locum intrinsecum, altera verò pars per locum extrinsecum, seu per consequentiam accidentalem dumtaxat. Declaratur hoc totum his duobus exemplis: quando e. g. dicitur, Si Petrus non esset animal, esset homo. Et si Petrus non esset risibilis, esset homo; Nam ex prima Hypothesi sequitur ista contradictio, nempe Petrum non esse animal, & esse hominem, quæ cùm etiam ex parte hominis includat intrinsecè, & essentialiter esse animal, (de essentia enim hominis est quòd sit animal) erit, quoad vtranque partem per locum intrinsecum, & essentialem. Ex secunda verò sequitur hæc contradictio, nimirum Petrum non esse risibilem, & esse hominem, quæ cùm ex parte hominis non includat formaliter, & essentialiter risibilitatem (est enim risibilitas pasio hominis, non essentia) saltem ex hac parte erit per locum intrinsecum, seu per consequentiam accidentalem; valet enim per talem consequentiam, est homo: ergo risibilis, cùm essentia optimè posit intelligi absque pasione, & proprietate.

Duas propterea regulas argumentandi ex hac hypothesi impossibili tradunt Scotus in p. dist. 11. quæst. 2. Vasq. 1. p. disp. 147. cap. 1. Hurt. disp. 15. Met. sect. q. §. 114. atque alij, quos referunt, & sequuntur Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. logic. tract. 3. cap. 3. §. *Patet quando liceat, &c.* Quarum prima est; *Quod dum ex hypothesi impossibili sequuntur contradictoria in vtraque parte per locum intrinsecum, non est bona argumentatio: secus verò, quando saltem ex vna parte sequuntur per locum extrinsecum seu per consequentiam accidentalem.* Ratio enim est; quia vt talis forma argumentandi sit bona, requiritur constantia, seu consistentia ipsiusmet hypothesis impossilis; quæ consistentia vtique non daretur, si contradictio, quæ sequitur, esset quoad vtranque partem per locum intrinsecum, & essentialem; nam tunc formaliter, & intrinsecè destrueretur talis hypothesis; vt patet, quando dicitur, si Petrus non esset animal, esset homo; nam cùm homo etiam intrinsecè includat animal, erit idem ac dicere, Si Petrus non esset animal, & sic nihil sequeretur, cùm ratione contradictionis se ipsa destrueretur hypothesis, & suppositio. Hoc autem minimè sequitur, si ex vna parte tantùm sequatur contradictio per prædictum locum intrinsecum; ex alia verò per locum extrinsecum, vt patet quando dicitur, si Petrus non esset risibilis, esset homo; nam cùm homo intrinsecè, & formaliter non includat talem pasionem, scilicet risibilitatem; ea circumscripta, atque præclusa; hypothesis illa non facit hunc sensum, videlicet, Non esset risibilis, & esset risibilis, nisi tantùm per consequentiam accidentalem, vt dictum est, inquantùm scilicet, homo habet istud accidens proprium: sed tantùm facit hunc sensum, nimirum, Non esset risibilis, & non esset homo; qui non repugnat, neque hypothesim destruit, vt patet.

Secunda verò regula est, *Quod etiam ex remotione impossibili vnius prædicati essentialis, dummodò non sit ratio inhærentiæ alterius prædicati, possumus optimè argumentari.* Valet enim dicere si per impossibile homo non esset animal, & esset rationalis, adhuc discurreret, & distingueretur ab equo; quoniam adhuc non sequerentur contradictoria per locum intrinsecum; Et ratio est, quia estò animalitas sit prædicatum essentiale hominis; tamen quia non est principium formale discurrendi, nec distinctiuum à brutis; ideò etiam supposita animalitatis carentia bene adhuc infertur per locum intrinsecum, quòd homo discurreret, & ab equo distingueretur; altera autem pars contradictionis, scilicet quòd non discurreret, nec ab equo distingueretur, non infertur nisi materialiter, & per locum extrinsecum, ex identitate scilicet animalitatis cum rationalitate, ex qua per concomitantiam sequitur, quòd si homo non est animal, nec etiam est rationalis, & per consequens, quòd non discurreret, nec ab equo distingueretur.

DISPVT. TRIGESIMASECVNDA.

De syllogismo vt sic, & absolutè sumpto.



Postquam cum Philosopho egimus de principijs materialibus syllogismi, tam remotis, quam proximis, nec non de Argumentatione, seu Consequentia, cuius præcipua species est ipse syllogismus; iure optimo nunc agendum est de eodē; disputando scilicet de eius natura, multiplicitate, & pasionibus. Sed quia natura, & quidditas semper præcedunt; relictis eius diuisioni-

 bus,

bus, & proprietatibus, de quibus in sequentibus; de quidditate, & essentia in præsenti intendimus tractare; non quidem ad aliquam descendendo materiam, cùm hoc ad Posteriorum, Topicorum, Elenchorumque libros videatur spectare, sed tantùm vt sic, & absolutè, considerando scilicet ipsum syllogismum penes suas formalitates.

QVÆSTIO I.

Vtrùm definitio syllogismi sit bona, & essentialis.



ARistoteles p. Priorum cap. 1. prope finem; & 1. Topic. cap. 1. atque alibi, definit syllogismum sic. *Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, alterum quid à positis, necesse est contingere, eò quòd hæc sint.* Dicitur *Oratio* non argumentatio; non quòd argumentatio non sit verum, & proximum genus ad syllogismum, & Inductionem, vt putant Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 3. cap. 5. nam contrarium statutum est suprà: sed quia, cùm qualibet bona definitio debeat, quantùm fieri potest, tradi per notiora, & syllogismum saltem esse orationem, notissimum sit; hinc est, quòd relicto genere proximo, nempe argumentatione, de qua poterat esse aliqua dubitatio, an contineret syllogismum sub se; assumit Philosophus remotum, scilicet Orationem. *In qua quibusdam*, idest maiori, & minori propositione, *Positis*, hoc est concessis, & admissis; non tamen ex eo, quia veræ, aut probabiles, aut contingentes, &c. sunt; nam hoc modo non definiretur syllogismus formalis, de quo tantùm est sermo in præsenti, sed potiùs materialis, vt optimè obseruat Sotus lib. 5. cap. 1. lect. 2. sed quia, quæcunque illæ sint, dummodò ex recta dispositione cum medio sint admissæ, vt subtiliter ex ipso Philosopho lib. 1. Reth. ad Theodecten cap. 2. docet Fonseca lib. 6. cap. 12. Instit. sequitur deinde, *Alterum quid à positis necesse est contingere*; idest ipsam conclusionem, ita tamen diuersam ab ipsis præmissis, vt careat argumento, seu consequentia, qua neutra illarum caret. Tandem additur, *Eò quod hæc sint*, scilicet ex vi formæ, seu dispositionis ipsarum præmissarum, vt iam dictum est. Quod totum, paraphrasi, egregiè vertit Petrus Hispanus, dicendo *syllogismus est ratio, in qua quibusdam positis, & concessis, necessè est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, & concessa*; vt notatum est supra lib. 3. nostrarum Instit. cap. 2.

Quo supposito, cùm omnes Dialectici inter se conueniant, talem recipiendo definitionem, vt descriptiuam; tantùm, super est nonnulla breuiter adnotare, pro maiori quæstionis dilucidatione.

Notandum idcirco est primò; quod licèt in syllogismo tres reperiantur propositiones, & consequenter tres orationes; nihilominus ipse appellatur oratio in numero singulari, non quia sit vnica propositio

A hypothetica, vt docent Versorius in tractatum quintum Petri hispani; Iauellus tract. 6. cap. 2. & alii; nam ad syllogismum tres requiruntur assensus, ad propositionem verò hypotheticam sufficit vnus, vt notauimus suprà disputatione antecedenti quæst. 2. sed dicitur vna oratio primò ratione vnius medii, quo vniuntur extrema in præmissis, quod habet rationem causæ efficientis respectu conclusionis (conclusio etenim præmissarum effectus quidem est) secundò ratione vnitatis formæ, scilicet dispositionis terminorum (est enim vnica dispositio) Tertiò ratione vnius finis; nam ambæ præmissæ ad vnicam ordinantur conclusionem.

Notandum est secundò, quòd in argumentatione duplex reperitur necessitas, consequentiæ scilicet, &

B consequentis. Prima est necessitas illationis, quæ prouenit necessariò ex necessaria habitudine antecedentis ad consequens, per hoc, quòd consequens in antecedenti includatur; & ideò posito antecedente, necesse est ponere consequens, siue antecedens sit vnum, siue non, idest siue sit vna, siue duplex propositio. Necessitas verò consequentis est necessitas propositionis proueniens ex necessaria habitudine suorum extremorum; seu quod idem est, est necessaria connexio illorum terminorum, quibus constat propositio, quæ est consequens; vt homo est albus: ergo sensibilis. Ex quo patet, quòd illa particula, *Necesse est* in definitione syllogismi apposita, debet intelligi tantùm in primo sensu, non verò in secundo.

Dicendum est ergo, quòd syllogismi definitio est bona, sed descriptiua, non essentialis. Probatur prima pars, ex regulis bonæ definitionis; nam per ly

C *Oratio*, conuenit cum cæteris orationibus; per sequentes verò particulas ab omnibus illis quæ formaliter non sunt argumentationes, distinguitur, vt patet.

Probatur secunda pars, nimirum quòd non sit essentialis, sed descriptiua; Nam prædicta definitio datur per causam extrinsecam, scilicet efficientem; cùm in ea dicatur *In qua quibusdam positis, & concessis*, scilicet ab intellectu syllogizantis: ergo est descriptiua, vt patet ex dictis lib. 2. nostrorum Instit. cap. 3. de definitione causali per causas extrinsecas.

Obijcitur primò in oppositum primæ partis conclusionis. Tum quia nullus motus rationis, vel discursus intellectus est oratio, cùm non sit vox; sed syllogismus est discursus intellectus: ergo malè dicitur

D quòd syllogismus sit oratio. Tum etiam quia sub hac definitione non comprehenditur syllogismus hypotheticus, & expositorius, cum alio modo definiantur, vt vidimus suprà lib. 3. nostrarum Instit. cap. 2. & ampliùs explicabitur in subsequentibus: ergo non est bona definitio, cùm non conueniat omnibus definitis.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd syllogismus quandoque sumitur pro eo, quod non est discursus interior intellectus, sed solùm vox complexa significans illum interiorem discursum, qui fit, intellectu, vt contingit in præsenti; & hoc modo rectè dicitur quòd sit *Oratio*. Ad secundam verò rationem dicendum est, mentem Aristotelis fuisse quidem hoc in loco definire syllogismum categoricum, & hunc, ad differentiam syllogismi singularis, seu expositorij, termino communi constantem; adhuc tamen potest hypotheticus hanc definitionem participare, quatenus

scilicet

scilicet etiam ipse per principia categorici habet regulari, & potest in categoricum resolui; Potest etiam syllogismo expositorio, siue singulari applicari, & omnibus alijs, quatenus omnes, vt necessariam, & formalem inferant consequentiam, indigent dispositione terminorum, & propositionum syllogistica iam declarata, & ampliùs declaranda, & omnes eisdem communibus rationibus regulari debent, quæ omnia ex dicendis, magis magisque patebunt.

Obijcitur secundò in oppositum eiusdem primæ partis conclusionis. Nam conclusio in materia conuenit cum præmissis, quia includit ambas extremitates; & etiam conuenit in forma cum ipsis scilicet in copula verbali: ergo non est aliud à præmissis: ergo malè ponitur, quòd in syllogismo, de necessitate *sequitur aliud*.

Respondetur, quòd licèt conclusio secundùm partem conueniat materialiter cum præmissis; differt tamen formaliter ab his, cùm ibi sit alia habitudo prædicati ad subiectum, & consequenter alia compositio eorundem, quàm in præmissis; nam maior, vel minor extremitas non componunt præmissas, nisi assumantur cum medio, & disponantur in debito modo, & figura; conclusionem autem componunt relicto medio; vnde licèt copula verbalis secundùm se maneat eadem tamen compositio ista variatur per variationẽ prædictæ habitudinis extremorũ, atquè ideò conclusio est tertia propositio distincta à duabus præmissis. Quoniam autem Aristoteles in hac definitione considerauit conclusionem quoad formam, ideò dixit eam esse quid aliud.

Obiicitur 3. in oppositum secundæ partis conclusionis; probando talem definitionem esse essentialem: quoniam ex dictis definitur hic syllogismus vt sic, tantùm scilicet quoad suum formale; ergo nequit esse definitio descriptiua, quæ est accidentalis; Patet consequentia; nam quia per animal rationale definitur homo quoad suum formale, talis definitio nequit esse accidentalis, & descriptiua, sed essentialis; ergo neque prædicta definitio syllogismi.

Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem negatur paritas; nam quando definitur homo per animal rationale, est definitio essentialis, & non descriptiua, quia ibi non exprimuntur genus, & differentia per aliquam causam extrinsecam, sed immediatè per se ipsam: at verò dum definitur syllogismus per orationem argumentatiuam factam, atque constructam per intellectum syllogizantis (hoc enim tantùm sonant allata verba definitionis) ibi non exprimuntur genus, & differentia, seu potiùs quæ stant loco generis, & differentiæ (est enim syllogismus concretum, & artefactum quoddam rationis) immediatè per se ipsa, sed per causam extrinsecam, nempe per intellectum syllogizantis, vnde definitio est descriptiua. Sicuti si diceretur, homo est animal rationale creatum à Deo, non esset definitio essentialis, licet in ea formale exprimeretur; sed descriptiua, vtpote per causam extrinsecam.

QVÆSTIO II.

Vtrùm conclusio sit de essentia syllogismi, vel potius eiusdem effectus.

IN hac quæstione, quæ non parum habet de nomine, vt omnis auferatur æquiuocatio, supponendum est, syllogismum duobus modis accipi posse. Primò pro tota, & integra tertia operatione nostri intellectus, idest pro toto actu, quo vnum ex alio colligimus discurrendo. Secundò verò tantùm pro motu, & illatione seu artificio, & instrumento illo ex virtute medij producto, quo, quo dirigitur tota prædicta tertia operatio nostri intellectus in acquirenda conclusionis scientia. Si sumatur primo modo, procul dubio conclusio erit de essentia illius, cùm includatur in tota, & integra tertia operatione nostri intellectus, vt quid ex alio collectum; Si autem sumatur secundo modo, non est ita certum, vnde Doctores valdè litigant inter se.

Prima igitur sententia est B. Alberti Magni tract. 1. Prior. cap. 5. Achillini quæst. de potestate syllogismi. Niphi 2. Pri. cap. 2. commento 2. dub. 2. Marsilii ibidem, quæst. prima; Versorii Parisiensis in Petrum hispanum tract. 4. de syllogismo. Bald-Gher. disp. 4. de syllogismo quæst. vnica, dificultate 2. & aliorum, asserentium conclusionem non esse de essentia syllogismi, sed tantùm illius effectum, & terminum extrinsecum.

Secunda verò sententia est Iauelli tract. 6. de syllogismo formali cap. 1. prope finem. Io. à S. Tho. quæst. 8. de consequentijs art. 3. Conimbr. 1. Pri. cap. 1. quæst. 2. art. 2. ad 4. Arriag. disp. 15. Logicæ sect. 2. Orbelli super libros Pri. cap. 1. atque aliorum, qui docent conclusionem esse de essentia, & integritate syllogismi.

Notandum idcirco est, quòd motus ille, seu illatio ex virtute medij producta, de qua tantùm est sermo in præsenti, potest dupliciter considerari; actiuè scilicet, & passiuè. Primo modo est id quod infert aliud. 2. verò modo est id, quod infertur, & sequitur ex alio. Vnde primo modo residet, & viget in præmissis inferentibus; secundò verò modo in consequente illato; & sic illatio passiua, seu consequens ipsum est effectus, & terminus extrinsecus illationis actiuæ, idest præmissarum. Non tamen per hoc dicendum est, quòd sit effectus ipsius illationis vt sic, prout vtranque considerationem illationis comprehendit, seu prout est totum illud artefactum rationis, seu instrumentum dirigens tertiam operationem intellectus. Et ratio est; quia tale artefactum est instrumentum quoddam quasi organicum, quod constat ex parte mouente, idest illatione illa actiua, & ex parte mota, scilicet illatione, passiua, sicuti in viuentibus vna pars dicitur mouens, & alia mota. Vnde sicut in viuentibus neque pars mouens, nec pars mota possunt appellari effectus ipsius viuentis, licèt pars mota sit effectus partis mouentis; ita in tali artefacto rationis, & instrumento orga-

organico, licèt illatio passiua sit effectus, & terminus extrinsecus illationis actiuæ, cùm hæc habeat rationem illuminati, & manifestati, illa verò illuminantis, & manifesta̲ntis; tamen neque vna, neque altera potest appellari effectus totius artefacti rationis, cùm vtramque intrinsecè, & essentialiter includat.

Dicendum est ergo, quòd Consequentia sit de intrinseca, & essentiali ratione syllogismi; non autem eiusdem effectus, siue terminus extrinsecus.

Probatur primò. Nam syllogismus pro motu, & artificio illo rationis acceptus, est consequentia formalis: ergo conclusio debet esse de essentia illius, non autem effectus, &c. Antecedens patet ex dictis disp. antecedenti q. 2. Consequentia verò probatur; nam cùm consequentia, seu argumentatio formalis sit illa, in qua consequens, seu conclusio sequitur, ex vi artificii, & dispositionis in antecedenti inuentæ, vt diximus suprà 3. lib. nostrarum Instit. cap. 1. non potest conclusio non esse de illius essentia, atque integritate, cùm sit in ipso, vt in consequentia, & argumentatione formali: ergo, &c.

Probatur secundò. Quoniam syllogismus prædicto modo consideratus, est cognitio instrumentalis ipsiusmet intellectus, cùm tali vtatur artefacto, veluti instrumento in ipsa cognitione conclusionis; ergo conclusio non potest esse effectus illius, sed essentialis, & formalis pars. Antecedens potest ex dictis. Consequentia verò probatur; quoniam cognitio non respicit suum obiectum in ratione termini extrinseci, & effectus, sed intrinsecè, & formaliter, cùm nil aliud sit cognitio, quàm obiectum cognitum, siuè formaliter in cognoscente: ergo, &c.

Obiicitur primò in oppositum; quia remota conclusione adhuc remaneret syllogismus perfectus in sua specie: remanet enim in debito modo, & debita figura, cùm ibi sit debita dispositio trium terminorũ, & duarum propositionum, vt disponuntur in *Barbara, Celarent, &c.* ergo conclusio non est de essentia syllogismi, sed potiùs sequens necessariò ad illum Qua de causa Philosophus dixit, *Necesse est aliud euenire, &c.*

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicitur, quòd ibi probatur tantùm seruari omnia, quæ requiruntur ad verum antecedens debitum in syllogismo, inquantùm syllogismus est consequẽtia formalis; nõ tamen ibi probatur seruari omnia, quæ ad totum syllogismum requiruntur, nisi ex præmissis, aut ex antecedente inferatur conclusio, aut consequens requisitum ad perfectam consequentiam seu argumentationem. Nec obstat quod dixit Philosophus, nempe necesse est aliud, &c. idest conclusionem sequi; non enim intendit conclusionem esse quid aliud à syllogismo, sed quid aliud à præmissis.

Obiicitur 2. ex Baldio-Gherardesca loco citato; Tum quia conclusio proponitur intellectui ante syllogismum, & est extra, & ab ea fit resolutio ad syllogismi medium; sed quod est essentiale non est extra id cuius est essentia: ergo conclusio non est de essentia syllogismi. Tum etiam quia estò conclusio non proponatur ante, semper tamen colligitur ex syllogismo, & ex illatione, vt probat Philosophus 1. Pri. cap. 25. ergo est effectus syllogismi.

Respondetur ad primam rationem; conclusionem vt propositam intellectui ante syllogismum, non habere rationem conclusionis, cùm non deducatur, sed tantùm propositionis. Ex quo etiam patet ad secundam; quoniam non colligitur ex integro syllogismo, sed ex illatione actiua, siue ex præmissis. Vnde illarum, non autem totius syllogismi, effectus, est dicenda conclusio deducta, atque collecta.

Obiicitur 3. ex eodem Baldio loco citato. Quia eadem numero conclusio potest deduci ex pluribus syllogismis, e. g. negatiua vniuersalis in prima figura in secundo modo, & in secunda figura duobus modis; sed eadem res non potest esse essentia rerum sic disparatarum: ergo conclusio non potest esse de essentia syllogismi.

Respondetur negando antecedens: nam sicut non potest vocari idem numero effectus, qui procedit diuerso modo à diuersis, & disparatis causis, vt patet de calore vt procedente ab igne, & vt procedente à Sole (non enim est idem numero calor, estò vtroque modo calefaciat) ita à pari, non potest vocari eadem numero conclusio negatiua, quæ procedit diuerso modo à diuersis, & disparatis præmissis (non verò à diuersis syllogismis, vt minus propriè videtur loqui Baldius) quæ sunt causæ conclusionis. Nam cùm prædictæ causæ habeant diuersam dispositionem, & connexionem cum eodem, vel diuerso medio, non possunt esse nisi formaliter diuersæ, cùm diuersam sortiantur dispositionem, & formam. Vnde prædicta negatiua conclusio licèt accepta vno, vel altero modo seu prout procedit à tali vel tali dispositione præmissarum, & terminorum, semper neget prædicatum de subiecto; non tamen censenda est eadem numero conclusio, cùm non procedat ex eadem dispositione, & forma terminorum in præmissis: Formæ enim sunt sicut numeri, cùm cõsistant in indiuisibili, nam ex quacunque variatione diuersificantur.

QVÆSTIO III.

An syllogismus formaliter differat à discursu.

MAterialiter, atque entitatiuè syllogismum esse discursum nemo est qui ambigat; eadem enim entitas, quæ est discursus, adhibita regulata forma, & dispositione extremorum in præmissis, fit syllogismus. Vnde ad formalia syllogismi, & discursus tantùm restringitur præsens quæstio; an scilicet vterque habeat eandem formalitatem, an potiùs formaliter inter se differant; sed quia ponens differentiam inter duo, teste Arist. 2. de anima, text. 146. vtrumque oportet vt cognoscat; cùm iam explicata sit syllogismi essentia; antequàm de conuenientia, aut disconuenientia eiusdem cum discursu, aliquid statuamus; quid propriè, & formaliter discursus sit, debemus declarare.

Discursus igitur *est tertia operatio nostri intellectus, qua ex vno noto aliud ignotum deducit, & infert.* Vnde dicitur *Discursus* quasi quidam cursus, motus, & progressio, qua ex noto, tanquàm à termino à quo intellectus pergit ad ignotum, tanquàm ad terminum ad quem

quem. Ex qua definitione tres colliguntur conditiones necessariæ ad discursum. Prima, quòd intellectus intelligat hoc post hoc. 2. quòd intelligat hoc per hoc. 3. quòd diuersis actibus concipiat antecedens, & consequens. Prima deducitur ex eo, quòd discursus est quędam via à termino à quo, ad terminū ad quem: prior enim est terminus à quo, quàm terminus ad quem. 2. prouenit, quia obiecta habent dependentiam ab inuicem in cognosci. 3. tandem est necessaria, quia non sufficit tantùm ordo inter prædicta obiecta, sed exigitur quoque inter ipsos assensus. Quare discursus fit cùm ex noto progredimur ad ignotum, siue notum fit causa, siue effectus ignoti.

Valdè litigant Dialectici circa propositum quæsitum, & multis verborum plagis ad inuicem sauciantur: at re vera ignoratur causa, nam vocibus discrepando, re vndequaque conueniunt. Quare relictis eorum nominibus, atque placitis, ad explicationem dubij immediatè accedimus.

Notandum tamen est, quòd si illatio, seu motus ille ex virtute medij productus, &c. in quo consistit formalitas syllogismi, accipiatur tantùm passiuè, pro consequentia illata ex præmissis, vtique syllogismus non distinguetur à tertia operatione nostri intellectus, nempe discursu; nam cùm discursus, seu notitia discursiua sit cognitio conclusionis ex præmissis, per illud axioma Aristotelicum 1. Post. cap. 1. nempe, *Omnis doctrina discursiua ex præexistenti fit cognitione*; non potest esse illatio passiua, seu conclusio illata ex præmissis, vt de se patet; & in hoc sensu loquuntur Auctores, qui syllogismū à discursu formaliter non distinguunt. At verò si prædicta illatio, seu motus accipiatur tam pro illatione actiua, quàm passiua, quatenus scilicet vt quoddam organicum instrumentum sciendi, directiuum tertiæ operationis intellectus, ex ipsis illationibus conflatum, & constitutum; non poterit non distingui formaliter ab ipsa tertia operatione, seu discursu, vt docent illi, qui affirmatiuam sectantur sententiam. Nam cùm in hoc sensu non sit tantùm conclusio illata, sed simul inferens, & illata, & habeat dirigere, ratione sui artificij, hoc est, ratione connexionis extremorum cum medio in præmissis, ipsam consequentiam ex eis illatam, scilicet ipsum discursum; cùm illum respiciat tanquàm obiectum, seu materiam circa quam; non poterit non esse ab ipso quid formaliter distinctum.

Dicendum est ergo, quòd, syllogismus, vt quoddam instrumentum organicum intellectus, distinguitur formaliter ab ipso discursu.

Probatur primò. Nam Arist. 1. Elench. cap. 1. negauit syllogismum peccantem in forma esse verum syllogismum; sed tamen in tali casu intellectus discurreret: ergo discursus non potest esse formaliter syllogismus, nec è contrà.

Probatur 2. quia directio, seu directiuum distinguitur saltem formaliter à directo, sicut actio distinguitur formaliter à passione, & mouens a moto, cùm directio sit quædam actio, & motus; directum verò quædam passio, seu motus passiuus; sed syllogismus prædicto modo acceptus, est directio, seu directiuus tertiæ operationis intellectus, seu discursus, vt dictum est suprà: ergo formaliter ab eo distinguitur.

Obijcitur in oppositum primò, quia syllogismus formaliter consideratus tantùm significat conclusionem ex præmissis illatam: ergo non distinguitur formaliter à discursu. Consequentia patet, cùm ex notatis, discursus formaliter acceptus, nil aliud sit, quàm consequentia ex præmissis illata. Antecedens verò probatur, nam syllogismus debet concipi, vt quid vnum per se incomplexum, & in ratione vnius simplicis qualitatis, cùm sit definibile: ergo non potest significare præmissas, & conclusionem, quia esset quid aggregatum; neque præmissas tantùm, quia syllogismus est quid pertinens ad tertiam operationem, præmisse verò sunt aliquid secundæ operationis, & solùm præsuppositiuè spectant ad 3. sicut secunda operatio præsupponitur tertiæ; sed tantùm conclusionem ex præmissis illatam, cùm nihil aliud in syllogismo prętei prædicta considerari possit.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt syllogismus obiectiuè, & in ratione speciei expressæ terminantis intellectum concipiatur vt quid vnum per se incomplexum & in ratione vnius simplicis qualitatis; non tamen formaliter, vt quoddam artefactum rationis est, ad dirigendam tertiam intellectus operationem ordinatum; & hoc modo etiam optimè definiri potest, ad modum scilicet concreti accidentalis, sicut de facto definitus fuit à Philosopho 1. Prior. vt, paritate seruata, dictum est suprà de Enunciatione disp. 24. quæst. 3. ad 3. vnde patet, non tantùm significare consequentiam illatam, sed etiam præmissas eam inferentes, cùm vtramque includat illationem.

Secundò; nam syllogismus, formaliter est notitia discursiua; sed hæc notitia est tantùm cognitio conclusionis ex præmissis, ex supradicto axiomate 1. Post. ergo syllogismus, est formaliter discursus. Consequentia patet. nam si discursus formaliter est tantùm cognitio conclusionis, seu conclusio illata ex præmissis; dum syllogismus formaliter est eadem cognitio discursiua, non poterit non esse formaliter discursus. Minor etiam patet ex dictis; Maior verò probatur; Nam syllogismus est oratio vocalis manifestatiua ignoti per notum; ergo est notitia discursiua.

Respondetur negando maiorem, ad cuius probationem dicendum est, quòd vtique syllogismus est oratio vocalis, manifestatiua ignoti per notum sed diuerso modo ac sit ipsemet discursus: nam cùm syllogismus de formali sit instrumentum organicum intellectus simul illuminans, & illuminatum, manifestans, & manifestatum includens, vt iam dictum est suprà; non tantùm importat de formali consequentiam illatam, seu manifestatam per præmissas, sicut eam importat notitia discursiua in ipso discursu, sed præterea etiam importat ipsas præmissas eam inferentes, & dirigentes simul. Preterquamquòd, licèt importaret ipsam consequentiam vt illatam, non tamen importaret vt directam, seu potius vt dirigibilem, sicuti eam importat discursus, sed tantùm vt dirigentem, quod sufficit ad hoc, vt syllogismus formaliter distinguatur à discursu.

Obijcitur tandem 3. quoniam forma, & essentia syllogismi optimè saluatur, & explicatur per illas particulas in eius definitione appositas, nempe per ly *necesse est aliud euenire*: Sed huiusmodi particulæ tantùm significant conclusionem illatam ex præmissis, in quo pariter consistit ratio essentialis discursus: ergo non debet à discursu formaliter distingui. Minor, & con-

consequentia patent; Maior verò probatur; nam præmissæ, quæ explicantur per ly *positis, & concessis*, ponuntur tanquàm termini habitudinis, & relationis ipsius conclusionis, cùm ad ipsas referatur, vt effectus ad causam: ergo ipsius essentia optimè potest saluari, & explicari per prædictas particulas; *Necesse est, &c.* A

Respondetur negando maiorem, ad cuius probationem dicendum est, quòd quando definitur aliquid per modum comprehendentis illuminans, & illuminatum, manifestans, & manifestatum, seu causam, & causatum; tam particulæ explicantes vnum, quàm particulare explicantes alterum sunt de essentia, & ratione illius, licèt alias vnum habeat rationem termini habitudinis respectu alterius; vt patet in motu respectu actionis, & passionis considerato, ac definito: nam licèt passiuè solùm sit in passo, tamen inquantùm actio, dimanat ab agente, & respicit illud, & sic completè respicit agens, & passum; sed tamen deficit exemplum in hoc, quòd syllogismus non est propriè ipse motus, sed instrumentum logicum, seu rationis, quo intellectus mouetur de vno ad aliud cognoscendum; vnde debet includere partem mouentem, quæ sunt præmissæ, & partem motam, quæ est conclusio illata, vt dictum est, quæstione antecedenti.

DISPVT. TRIGESIMATERTIA.

De syllogismi diuisionibus.



VM diuisio, teste Philosopho 2. Post. cap. 5. text. 4. ad explicandam atque illustrandam rem maximè valeat; post syllogismi vt sic explicationem quidditatis, idest non ad aliquam contracti materiam, sed formaliter tantùm considerati, vt clariorem eiusdem habeamus notitiam, de illius diuisionibus modò agere debemus. Quia verò syllogismus est quoddam compositum rationis habens suam quasi materiam, & formam; de diuisionibus tam ratione formæ, quàm ratione materiæ erit disputandum. Hoc tamen ordine, & dispositione seruata, vt ad subsequentes Posteriorum, Topicorum, atque Elenchorum libros, membra illa, ipsum syllogismum ratione materiæ diuidentia relinquantur; & ea quæ tantùm ratione formæ eundemmet diuidunt, solummodò pertractentur.



QVÆSTIO I.

Quales sint syllogismi diuisiones, essentiales ne, vel accidentales.



Vltas, & varias syllogismi diuisiones, tam ratione materiæ proximæ, quàm remotæ tradidimus suprà lib. 3. nostrarum Instit. cap 2. nullas verò ratione formæ saltem explicitè: nam cùm ibi non esset opportunitas eas examinandi, congruentiùs iudicauimus ab ipsis abstinere, quàm Tyronum ingenia confundere. At verò in præsenti, cùm adsit proprius locus, & occasio, tam de illis, quàm de istis indifferenter disserendi; prioribus suppositis, posteriores debemus, prænotando tradere, ne obiectum, ac materia propositæ difficultatis, aliqua ex parte ignoretur. B

Supponendum est igitur, formam syllogismi esse duplicem, sicut duplicem iam diximus esse materiam, vnam correspondentem materiæ remotæ, scilicet terminis, quæ dicitur *Figura*; alteram correspondentem materiæ proximæ, scilicet propositionibus, quæ appellatur *Modus*, vt iam ex nostris Institutionibus, loco citato suprà dictum est. Prima idest *Figura* diuiditur in primam, secundam, & tertiam. Secunda verò nempe *Modus*, in vtiles, & non vtiles diuiditur: Priores sunt decem, & nouem illi ex 3. Instit. cap. 3. enumerari; qui etiam dicuntur consistentes, aut bonæ consequentiæ; posteriores verò, qui etiam inconsistentes, aut malæ consequentiæ appellantur, sunt omnes illi, qui ex varia combinatione præmissarum, quantùm ad negationem, & affirmationem vniuersalitatem, vel particularitatem (in quo consistit Modus syllogismi) contra regulas figurarum, cap. 4. libri citati iam assignatas, aliquo modo resultant. Decem, & nouem illi priores modi, etiam diuidi solent in modos directè, & indirectè concludentes, quorum primi sunt quatuor priores primæ figuræ, & reliqui cæterarum figurarum; secundi verò, tantùm quinque primæ figuræ, vt in nostris Institutionibus dictum est. De his ergo omnibus diuisionibus quæritur in præsenti, an essentiales, seu potiùs accidentales sint. C

Supponendum etiam est, diuisionem syllogismi in modos vtiles, & nó vtiles esse analogi in sua analogata; nam si ex dictis disp. 31. quæst. 1. diuisio consequentiæ in bonam, & malam, est diuisio analogi, analogia attributionis in sua analogata; cùm modi vtiles sint consistentes, seu bonæ consequentiæ; inutiles autem inconsistentes, seu malæ consequentiæ; non poterit talis diuisio non esse analoga, eadem analogia, vt patet. D

Supponendum tandem est; quòd si fiat comparatio modorum indirectè concludentium vnius figuræ cum aliis eiusdem rationis aliarum figurarum (cæteræ enim figuræ modos indirectè concludentes habere, queunt, sicuti prima, vt posteà explicabitur) cùm non

non minùs habeant diuersas combinationes præmissarum, ac habeant modi directè concludentes, ex quibus oriuntur; eadem pariter distinctione distinguentur, ac diuisione diuidentur illi, quam distinguantur, ac diuidantur isti. Si autem fiat comparatio prædictorum modorum cùm modis directè concludentibus vniuscuiusque figuræ diuisim, & seorsim sumptæ; cùm habeant inter se eandem combinationem præmissarum, distinguentur tantùm accidentaliter, tanquàm perfectum, & imperfectum intrà eandem speciem, vt per se, & inferiùs magis patebit.

Vt autem incipiamus à diuisionibus syllogismi secundùm formam: Omnes Dialectici, qui ad manus nostras venerunt, concedunt diuisionem syllogismi in tres figuras, atque vniuscuiusque in suos modos directè concludentes, esse essentialem, generisque in suas species; itaut figuræ sint eius species subalternæ, modi verò prædicti species infimæ.

Circa diuisiones verò syllogismi penes materiam, tam proximam quàm remotam, multi sunt dicendi modi: Nam quidam asserunt diuisiones in categoricum, & hypotheticum, affirmatiuum, & negatiuum, esse essentiales, generisque in suas species. Ità Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 3. cap. 11. §. *Diuisiones syllogismi ratione materiæ, &c.* Diuisiones verò in topicum, demonstratiuum, atque sophisticum: esse pariter essentiales. Ita Tatar. 1. Pri. quæst. 1 §. *Dubitatur primò*. Bald-Gher. disput. 4. Logicæ quæst. vnica, diffic. 4. atque alij. Diuisiones tandem penes materiam remotam esse omnes accidentales. Ita Mastrius, & Bellutus, loco citato.

Communior tamen, & vniuersalior sententia docet omnes diuisiones penes materiam tam proximam, quàm remotam, esse accidentales, seu accidentium in sua subiecta. Ità præ cæteris, Complut. disp. 2. de Ente rationis quæst. 5. n. 47.

Notandum idcirco est primò, quòd ex illis tribus figuris, quæ assignari communiter solent, prima est nobilior, atque perfectior, quia ibi medium habet propriam sedem, & situm, seu positionem medij; nam verè mediat, quando in vna præmissarum subijcitur, & in alia prædicatur. Secunda verò, dignior, & perfectior est tertia, quia in illa medium habet digniorem locum in præmissis, cùm sit prædicatum. Tertia verò est omnium infima, quia ibi medium sortitur infimum locum propositionis, cùm sit subiectum. Quod apertè explicauit Arist. in hoc libro cap. 1. dicens: Medium in prima figura esse, positione medium; in secunda, positione primum; in tertia verò, positione vltimum. Hoc tamen non ita intelligendum est, vt vnaquæque figura se debeat habere vt perfectum, & imperfectum, perfectione numerica, & accidentali intra eandem speciem, cùm quælibet earum habeat diuersam combinationem medii cum extremitatibus, in qua consistit essentialis ratio figuræ: sed perfectione specifica, & essentiali intra idem genus; vt substantia corporea e. g. & spiritualis intrà idem genus substantiæ.

Notandum est secundò, quòd ex prædictis perfectionibus, & imperfectionibus, seu differentiis essentialibus diuidentibus idem genus, & constituentibus prædictas tres figuras, duæ aliæ perfectiones, & imperfectiones, seu differentiæ accidentales intra eandem speciem oriuntur. Prima enim est, quæ attenditur penes maiorem, vel minorem euidentiam illationis, ratione cuius, aliqui syllogismi appellãtur perfecti, vt sũt quatuor priores primæ figuræ; alii verò imperfecti, vt cæteri omnes, quemadmodùm explicabitur inferius. Secũda verò est, quæ attenditur penes maiorem, & minorem naturalitatem subiicibilitatis, ac prædicabilitatis extremorum in conclusione, ratione cuius, aliqui syllogismi directè, alii verò indirectè concludentes appellantur. Quæ omnes differentiæ vtique dicuntur accidentales, quia salua eadem combinatione medii cum extremitatibus, in qua consistit ratio, & essentia figuræ, atque salua eadem debita dispositione propositionum secundùm qualitatem, & quantitatem, in qua consistit ratio, & essentia modi, possunt aliqui syllogismi habere, maiorem, vel minorem euidentiam illationis, atque maiorem, vel minorem naturalitatem subiicibilitatis, & prædicabilitatis extremorum, vt euidentissimè patet præ cæteris in nouem modis primæ figuræ.

Dicendum est ergo primò. Quòd Diuisio syllogismi tam in tres figuras, quàm in modos vtiles directè concludentes vniuscuiusque figuræ, est essentialis, generisque in suas species.

Probatur prima pars, de diuisione scilicet in tres figuras; nam prædicta diuisio datur per diuersam combinationem medii cum extremitatibus, in qua consistit essentialis ratio figurarum: ergo datur per diuersas differentias essentiales: sed diuisio, quæ datur per tales differentias est essentialis, generisque in suas species: ergo prædicta diuisio syllogismi, etiam talis debet esse.

Probatur secunda pars; nimirum quòd diuisio syllogismi in modos vtiles directè concludentes cuiuscunque figuræ sit pariter essentialis, generisque in suas species. Quoniam omnes illi modi in qualibet figura sunt differentes inter se, ratione diuersæ dispositionis præmissarum secundùm affirmationem, & negationem, vniuersalitatem, & particularitatem, in quo consistit ratio, & essentia modi syllogistici: ergo differunt per differentias essentiales: sed diuisio, quæ datur per tales differentias, est essentialis generisque in suas species: ergo, &c.

Dicendum est secundò, quòd Diuisio syllogismi tam ratione materiæ proximæ, quàm remotæ, est accidentalis. Qua de causa omnes diuisiones eiusdem, quæ fieri solent penes propositiones, & terminos, sunt accidentium in sua subiecta.

Probatur; quoniam omnis diuisio concreti accidentalis penes materiam est diuisio accidentis in sua subiecta: sed omnes prædictæ diuisiones sunt huiusmodi: ergo, &c. consequentia patet. Maior etiam liquet; nam licèt diuisio colorati, e. g. in album, & nigrum sit essentialis, quia fit ratione formæ; diuisio verò albi in tale, & tale album, & nigri in tale, & tale nigrum, quæ sunt portiones materiæ albi, & nigri, est accidentium; nimirùm albedinis, & nigredinis in sua subiecta. Minor verò probatur; quoniam non minùs propositiones, & termini subiecta sunt, & materiæ combinationis medii cum extremis, quæ est forma illa concreti accidentalis rationis, nimirum syllogismi, quàm sint tale, & tale album, &c. respectu concreti accidentalis realis: ergo si diuisio concreti accidentalis realis est diuisio accidentis in sua subiecta, erit etiam talis diuisio syllogismi allata, ratione materiæ.

Respondent ex Tatareto Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, quòd syllogismus plures potest habere species, quasdam quæ constituuntur per differentias formales, idest consequentes formam syllogismi, seu dispositionem propositionum; & quasdam, quæ constituuntur per differentias materiales, idest consequentes propositiones ipsas, quæ tantùm dici debent, & possunt, differentiæ essentiales; solet quidem essentialis differentia actuum intellectus, qualis est discursus syllogisticus præsertim peti ab obiectis ex secundo de anima.

Contrà tamen: quoniam syllogismus formalis, nempe consideratus in ratione secundæ intentionis, seu vt quoddam instrumentum organicum intellectus est, quemadmodùm considerari debet in præsenti; non est formaliter discursus, seu actus formalis intellectus ex supradictis disp. 32. quæst. 3. sed tantùm actus obiectiuus: ergo non debet specificari ab obiectis, siue à propositionibus, & terminis, sed aliunde petere debet suam specificationem, nimirum à propria forma, quæ ponit ipsum in specie sui. Quapropter licèt prædicta responsio, in doctrina atque fundamentis suorum Auctorum aliquid faciat; contra nos tamen, nostramque doctrinam nihil vrget.

Obiicitur primò in oppositum secundæ conclusionis, nam contra primam, parua, aut nulla est difficultas, probando diuisionem syllogismi, ratione materiæ proximæ in affirmatiuum, & negatiuum, esse essentialem, generisque in suas species, sic; Quoniam propositio affirmatiua distinguitur specie, & essentialiter à negatiua, vt dictum est in appendice disp. 24. quæst. 3. ergo diuisio syllogismi in affirmatiuum, & negatiuum erit huiusmodi. Probatur consequentia; nam cùm hæc diuisio fit ratione materiæ proximæ, scilicet propositionum; & propositiones prædictæ sint specie diuersæ; non poterit prædicta diuisio non esse essentialis, &c.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem autem dicendum est quòd licèt ex eo, quòd propositiones, quæ sunt materia proxima syllogismi, distinguantur specificè, & essentialiter, tantùm conuincitur, quòd earum diuisio propriè, & simpliciter sit diuisio essentialis, generisque in suas species; non verò quòd diuisio syllogismi, ex quibus materialiter componitur, sit huiusmodi; cùm modo intendamus agere tantùm de diuisionibus syllogismi simpliciter. Vnde adsummùm colligi potest, quòd diuisio syllogismi penes propositiones sit essentialis, tantùm secundùm quid, & per accidens, idest per tales propositiones; non autem simpliciter.

Secundò contra eandem, probando saltem diuisionem syllogismi in categoricum, & hypotheticum non esse accidentis, in sua subiecta, sed analogi, in sua analogata. Quoniam non minùs syllogismus categoricus est syllogismus simpliciter, & syllogismus hypotheticus tantùm secundùm quid; quàm propositio categorica sit simpliciter propositio, & hypothetica secundùm quid: sed diuisio propositionis in categoricam, & hypotheticam est diuisio essentialis, analogi in sua analogata, vt dictum est suprà, in appendice citata: ergo etiam talis diuisio syllogismi in categoricum, & hypotheticum debet esse analogi in sua analogata, non verò accidentis in sua subiecta.

Respondetur, quòd dato, & non concesso, quòd syllogismus categoricus sit syllogismus simpliciter (nam syllogismus vtsic, simpliciter, & secundùm se, neque categoricus, neque hypotheticus est; sed tantùm ratione propositionum, ex quibus constat) adhuc tamen negatur paritas; nam propositiones categoricæ, & hypotetheticæ tales sunt, non ratione alterius, hoc est, non quia illæ ex terminis categoricis, istæ verò ex hypotheticis constent; sed ratione sui, & secundùm se, nimirum quia categoricæ constant subiecto prædicato, & copula; hypotheticæ verò ex pluribus categoricis, vnde distinguuntur ab inuicem per se, & essentialiter, licèt inæqualiter, & secundùm quandam analogiam, vt dictum est. At verò syllogismus categoricus, & hypotheticus; non sunt tales secundùm se simpliciter, sed tantùm ratione propositionum, siue ratione propriæ materiæ. Vnde talis diuisio non conuenit syllogismo per se, sed per accidens, ratione scilicet prædictæ materiæ. Quapropter erit tantùm diuisio ipsius accidentis rationis, nempe syllogismi in sua subiecta, scilicet in prædictas propositiones categoricas, & hypotheticas, quæ aliàs distinguuntur analogicè inter se.

Obiicitur tandem 3. contrà eandem probando saltem diuisionem illam syllogismi in demonstratiuum, topicum, & sophisticum, esse generis in suas species. Quoniam istæ logicæ partes sumunt ab arte communi, seu ab ipsa facultate logicæ commune aliquod, idest communem syllogismi formam, & docent cui materiæ illud sit appropriandum, vt proprio cuiusque fine potiamur: ergo differunt specie inter se sub vnico genere. Antecedens probatur, nam demonstrandi ars docere volens, quando syllogismus ad scientiam pariendam vtilis est, ostendit materiam necessariam esse assumendam. Dialecticus verò ad alium finem se dirigens, vt ad disputandum, vel opinionem generandam in animo, materiæ probabili, formam syllogismi aptat: volens sophista syllogismo vti ad disputandum, sumit materiam falsam: ergo istæ logicæ partes, commune aliquod genus, &c.

Respondetur negando antecedens; nam falsum est prædictas partes logicas, seu materias syllogismorum sumere a tali facultate logicæ syllogismi formam in ratione generis, cùm recta collocatio medii cum extremis, quæ est forma syllogismi, non sit ratio abstrahibilis à prædictis partibus, sed tantùm à figuris, vt dictum est, ratio enim abstrahibilis à prædictis partibus, est tantùm materia syllogistica vt sic, quæ vniuocè prædicatur de prædictis partibus, vt patet ex dictis in citata appendice. Ad probationem autem dicendum est, quòd diuersitas finis ad quem ordinantur partes materiales, non facit distinctionem specificam, cùm non sit quid essentiale, & intrinsecum sed tantùm connotet extrinsecam ordinationem; absurdum enim esset affirmare, quòd ex eo, quòd in homine, e. g. ossa, perui, caro, humores, &c. ordinata sunt ad diuersos specie fines, diuisio hominis in prædictas partes materiales, & integrantes, esset diuisio generis in suas species: quoniam nec forma hominis est genus, nec prædictæ partes possunt esse species.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An Figuræ syllogismorum sint tantùm tres; nec plures, nec pauciores.

QVæstio hæc excitatur propter Galenum, qui teste Auerrôe 1. Pri. cap. 8. posuit quartam figuram in qua docuit medium terminum prædicari in maiori, & subiici in minori, vt dum in *Barbara* dicitur; Omnis homo est animal; omne animal est sensibile: ergo omnis homo est sensibilis; vel in *Baralipton* Omnis homo est animal; omne animal est sensibile: ergo aliquod sensibile est homo, &c. Vnde illis assignantur nouem modi, ad instar primæ figuræ; ex quibus per oppositum quatuor primi concludunt indirectè, quinque verò posteriores directè; qui modi his explicantur vocabulis, nempe *Barbara, Calerent, Dirai, Fireo, Baralipton, Calentes, Dibatis, Fepasmo, Fresisomorum*; quorum exempla, si quis vnico intuitu cupiat videre, legat Casilium lib. 3. cap. 11. num. 1. Quarè si daretur prædicta figura, proculdubio non essent tres, sed quatuor; & idcirco titulus quæstionis facit huiusmodi sensum; an scilicet figuræ syllogismorum sint ita tres, vt figura Galeni non sit quid distinctum a prima; vel potius addenda sit quarto loco.

Prima ergo sententia docet figuram Galeni esse omninò necessariam, atque quid distinctum ab omnibus alijs, & facere numerum cum ipsis, & consequenter esse quatuor figuras. Ita cum Galeno, & Auicenna, Medici omnes, & etiam Tatar. 1. Pr. quæst. de figuris syllogismorum §. *Dubitatur primò*. Roccus lib. 2. cap. 10. & Blancus lib. 7. sect. 7. vt referunt Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 3. cap. 5. §. *Quæres an addenda sit quarta figura.*

Secunda verò sententia docet figuram Galeni non esse necessariam, neque quid distinctum, sed quid vnũ specificè cum prima, transpositis tamen præmissis, atque ideò esse dumtaxat tres figuras syllogismorum. Ita Philosophus p. Pri. cap. 2. concludit, necesse esse fieri omnem syllogismum per tres prædictas figuras; quem sequuntur Scotus p. Pri. quæst. 34. Auersa ibidem, cap. 8. Zabar. lib. de quarta figura Conimbr. p. Pri. cap. 7. quæst. p. ad primum. Complut. lib. 3. Instit. cap. 3. Fuentes, Casil. Morisan. Hutt. Amic. Mastr. & Bell. loco supra citato Bald-Gher. disp. 4. quæsito vnico quæst. vnica difficultate p. & communiter omnes.

Notandum est idcirco primò, distinctionem, & diuersitatem figurarum ab inuicem sumi à diuersa dispositione medij termini cum extremis, vt in antecedenti quæstione visum est; idest vt subijciatur, & prædicetur; vel tantùm prædicetur, vel tantùm subijciatur. Quare si tantùm transponantur præmissæ, idest si maior propositio ponatur loco minoris, & minor loco maioris, seu quod idem est, ex maiori fiat minor, & ex minori maior, dummodò propositiones remaneant inuariatæ, non constituitur diuersa figura ab ea, cum qua transponuntur premissæ; sed adsummum quædam innaturalitas, aut improprius modus syllo-

A gizandi; eiusdem figuræ. Hoc autem manifestè contingit in allata figura Galeni, vt clare ostendunt illius modi, qui cùm tantùm reuoluant præmissas primæ figuræ, etiam reuoluunt ordinem concludendi; vndè non mirum si priores quatuor, ordine contrario indirectè; posteriores verò quinque, directè concludunt; vt supra, iam dictum est.

Notandum secundò totam rationem istius innaturalitatis oriri ex eo, quòd extremitates non habeant suum connaturalem locum in præmissis; vel si habent non eundem retinent in conclusione. Nam cùm syllogismus nil aliud sit, quàm naturalis illatio ex dicto de omni, & ex dicto de nullo, toties deficiet a tali naturalitate, quoties non regulabitur per se, & immediatè per talia dicta. Repugnat autem illationem regulari prædicto modo, nisi maior extremitas sit B prædicatum in maiori propositione, minor autem extremitas subiectum in minori propositione; & in conclusione eodem modo se habeant; nam cùm dici de omni nil aliud sit, quam vt prædicatum affirmetur, & dici de nullo, quam vt prædicatum negetur de omni eo, quod continetur sub subiecto, non poterunt talia prædicata suo officio fungi, si locum prædicati in præmissis atque in conclusione non teneant: talem enim situm, & positionem debet habere maior extremitas, vt affirmetur, vel negetur de minori extremitate, qualem debet habere id, quod aliud continet; quem vtique non habebit, si erit subiectum, & minor extremitas prædicatum, cùm subiectum non contineat, sed potius contineatur à prædicato.

Dicendum est ergo primò, quòd figura Galeni licèt C sit innaturalis, & impropria, non distinguitur tamen à prima figura Aristotelis, sed est quid vnum specie cum illa.

Probatur. Quoniam tota distinctio figurarum habetur ex diuersa positione, & situ medij, ex quo posteà resultat maior; vel minor naturalitas; sed figura Galeni habet eundem situm, & positionem medii cum prima figura Aristotelis; ergo licèt sit innaturalis, & impropria, non tamen distinguitur ab illa. Maior patet tum ex dictis, tum etiam, quia si figuræ distinguerentur per solam illam innaturalitatem, quinque modi indirectè concludentes primæ figuræ, aliam distinctam figuram constituerent, distinctam ab ipsa, quod nemo docuit. Minor verò probatur; nam licèt in tali figura Galeni medius terminus sit prædicatum, D & non subiectum in maiori; subiectum, & non prædicatum in minori propositione, sicuti est in prima Aristotelis figura, quæ est naturalis, & perfecta; tamen re, uera mediat, cùm etiam subiectum, & prædicatum sit: ergo talis figura Galeni habet eandem sedem, & positionem medii cum prima figura Aristotelis, licet in ea minor sit anteposita maiori; vnde maior re, uera est minor, quia continet minus extremum; & minor reuera est maior, quia continet maius extremum, vt consideranti, patere poterit.

Dicendum est secundò, quòd figuræ syllogismorum sunt tantùm tres. Probatur; nam recta combinatio medii cum extremitatibus, in qua consistit ratio, & essentia figuræ; triplicem tantùm sedem, & positionem habere potest: ergo figuræ, ex tali positione, & sede medii constitutæ, tantùm tres erunt. Consequentia patet. Antecedens autem probatur; quoniam vel medium subijcitur, & prædicatur; vel tantùm prædicatur,

dicatur,

dicatur, vel tantùm subijcitur: ergo rectа combinatio medij cũ extremitatibus, triplicem tantùm sedem, & positionem habere potest; cùm præter enumeratas positiones, & status, alius non sit possibilis, neque ex cogitari possit, vt patet.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; Nam quòd est reducibile ad primam figuram, est quid distinctum ab ea, vt patet de secunda, & tertia figura; sed etiam quarta Galeni figura est reducibilis; ergo est quid distinctum. Probatur minor; nam si dicetur in *Baralipton*, Omnis homo est animal; omne animal est corpus: ergo quoddam corpus est animal; optimè potest conuerti in *Barbara* per transpositionem præmissarum, & conuersionem per accidens conclusionis particularis affirmatiuæ in vniuersalem, dicendo, Omne animal est corpus: omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus: ergo, &c.

Respondetur distinguendo maiorem; quod est reducibile ad primam figuram, vt quid habens distinctā combinationem medii cum extremis, modo explicato in probatione secundæ conclusionis, est quid distinctum ab ea, conceditur; vt quid verò tantùm habens innaturalitatem illam prouenientē ab innaturali sede maioris, & minoris extremitatis, negatur; aliter enim etiam modi primæ figuræ indirectè concludentes possent constituere figuram distinctam, cùm non sit maior, ratio vt patet.

Obiicitur secundò contra eandem. Quia sola trāspositio præmissarum retinentium eandem terminorum dispositionem facit diuersos modos in aliqua figura, e. g. in *Cesare*, & *Camestres*; vel in *Dabitis*, & *Disamis*: sed in syllogismo Galeni non solum est transpositio præmissarum, sed etiam medij termini: ergo talis syllogismus constituet figuram diuersam.

Respondetur negando maiorem; nam etiam variatio est in eo, quòd in *Cesare*, medium coniungitur cum maiori extremo vniuersaliter negatiuè, cum minori verò, vniuersaliter affirmatiuè. In *Camestres* verò, opposito modo se habet. Item in *Dabitis* coniungitur vniuersaliter affirmatiuè; in *Disamis* verò particulariter affirmatiuè, vt patet: diuersa autem coniunctio extremorum cum medio secundùm qualitatem, vel quantitatem variat modos. Quarè argumentum potiùs facit pro nobis: nam sicut ad diuersitatem modorum non sufficit sola transpositio præmissarum, sed vlteriùs requiritur variatio qualitatis, vel quantitatis; ita à pari, sola transpositio præmissarum, & per eam etiam transpositio medii, absque diuersitate combinationis prædictæ, non est sufficiens vt varientur figuræ, & constituatur quarta à prima distincta.

Obiicitur 3. contrà secundam; nam datur quarta sedes, & positio medii: ergo, & quarta figura, consequentia patet, antecedens autem probatur: quoniam medium non esse intra extrema, sed extra illa, est habere distinctam sedem, & positionem ab illis enumeratis; nam tunc est esse superius maiore, & inferius minori extremitatibus; quod nulli conuenit ex enumeratis, vt patet: ergo datur quarta sedes, & positio medii.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicendum est, medium esse superius maiore, & inferius minore extremitatibus, non arguere diuersam sedem, & positionem illius combinationis constituentis figuras, ab ea quam habet prima figura A Aristotelis, sed tantùm improprietatem, & innaturalitatem quamdam. Sicuti stare capite ad terram, pedibus verò ad cælum versus, non arguit sessionem, aut cubationem, vel aliquam aliam positionem specie distinctam à statione, sed eandem stationem, seu statum, licèt improprium, & innaturalem, ac si pedes terræ adhærerent, cum vtroque modo quis dicatur stare.

QVÆSTIO III.

B An regulæ generales trium figurarum sint benè assignatæ.

QVinque generales regulas ad iudicandum de bonitate consequentiæ cum omnibus Dialecticis lib. 3. Instit. cap. 7. iam suprà assignauimus. Quia verò ibidem non tanta luce eas perfudimus, quanta ad expellendas ambiguitatis tenebras necessaria videbatur; iterum ad opus reuertimur inchoatum, ne quod breuitatis, & facilitatis gratia ad tyronum commoditatem illic relictum est, hic proficientibus, ac perfectis penitùs negetur. Cùm autem nihil adnotatione dignum adsit in præsenti; regulas illas rectè esse traditas tantùm probabimus, & argumenta in contrarium diluemus.

C Dicendum est ergo primò; quòd prima regula generalis, in qua dicitur, quòd ex puris particularibus ex vi formæ nihil sequitur in argumento, est optimè assignata.

Explic tur conclusio. Nam per ly *Ex puris particularibus* non solùm intelliguntur præmissæ singulares idest aliquo particulari signo affectæ, sed etiam indefinitæ, hoc est nullo affectæ signo, in materia tamen contingenti; quia in materia necessaria propositio indefinita æquiualet vniuersali, vt diximus lib. p. nostrarum Instit. cap. 6. prædictæ autem propositiones, seu præmissæ singulares, &c. debent habere pro medio, terminum communem, nam si haberent terminum singularem, vt habet syllogismus singularis, seu expositorius, de quo infrà, aliquid sequeretur ex ipsis D in argumento. Additur tandem particula illa; *Ex vi formæ*; nam aliquando ex vi materiæ potest aliquid rectè sequi; vt si dicatur, Aliquod animal est substantia; aliquis homo est animal; ergo aliquis homo est substantia.

Probatur dicta conclusio; Quoniam medius terminus ad hoc vt possit inseruire ad rectè concludendum debet supponere distributiuè in aliqua præmissarum, idest debet participari ab extremis sub eadem ratione, vt deinde possit inferri in conclusione connexio inter ipsa extrema ex illo principio satis noto, *Dici de omni*; sed quando propositiones sunt particulares, & non habent pro medio terminum singularem, vel indefinitæ in materia contingenti; medius terminus illarum, licèt alias sit communis, supponit tamen particulariter, & determinatè: ergo prædictæ propositiones non possunt inseruire ad rectè concludendum, seu quod idem est, ex illis aliquid non potest sequi in argumento

gumento. Minor patet ex dictis de suppositione terminorum ratione signi cap. 5. primi Instit. Maior verò probatur: nam si medius terminus non supponeret distributiuè, seu non participaretur sub eadem ratione ab extremis, prædicta extrema non vnirentur inter se in conclusione, ratione connexionis cum medio, & ita non essent eadem inter se, cùm non essent eadem vni tertio: ergo non infertur ex illis præmissis connexio inter extrema per notissimum illud principium, *Dici de omni*, quod innititur alio priori prædicto, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.* Et sic committeretur vitiosus ille syllogismus constans ex quatuor terminis.

Dicendum est secundò, quòd secunda regula generalis, in qua dicitur, quòd in conclusione non debet distribui aliquis terminus, qui non fuerit distributus in præmissis, est optimè assignata.

Probatur, quoniam conclusio sequi debet debiliorem partem ex dictis disp. 31. quæst. 3. concl. 3. ergo nihil debet esse in conclusione, quod excedat virtutem præmissarum; sed si daretur aliquis terminus distributus in conclusione, qui non esset distributus in præmissis, ipsa conclusio haberet in se aliquid, quod excederet virtutem præmissarum, cùm talis terminus in plus se haberet; ergo nullus terminus debet esse distributus in conclusione, qui non anteà fuerit distributus in præmissis.

Dicendum est 3. quòd tertia regula generalis, in qua dicitur, quòd ex puris negatiuis nihil sequitur in qualibet figura, est optimè assignata.

Probatur; nam ex hoc præcisè, quòd aliqua duo distinguantur à quodam tertio, non bene sequitur distingui, aut identificari inter se: ergo ex puris negatiuis, in quibus extrema distinguuntur ab aliquo tertio, scilicet medio, non rectè sequitur in qualibet figura, quòd distinguantur, aut identificentur inter se, ratione illius tertii; si hoc non sequitur; consequenter nihil sequitur. Prima consequentia de se liquet; Antecedens autem probatur; nam licèt, quæ sunt eadē inter se, si vnum illorum distinguatur ab aliquo tertiò, necesse sit etiam distingui aliud; non tamen viceuersa, quæ sunt distincta ab aliquo tertio, distinguuntur, aut identificantur inter se, cùm duæ res inter se maximè eædem, vel diuersæ possint nihilominùs esse omnino disparatæ respectu alicuius tertii, vt patet: ergo ex hoc præcisè, quòd aliqua duo distinguantur à quolibet tertio, non bene sequitur, quòd distinguantur inter se.

Dicendum est 4. Quòd quarta regula generalis trium figurarum, in qua dicitur, quòd medium sub ratione medii, non debet intrare in conclusionem, est optimè assignata.

Explicatur conclusio, nam consultò ponitur ly *sub ratione medij*, quia medium sub ratione extremitatis, idest quando fit etiam extremitas, potest vtique poni in conclusione, vt cùm dicitur, Omnis homo est animal; sed homo est homo: ergo homo est animal.

Probatur itaque; Tum quia terminus quilibet, bis tantùm ponitur in syllogismo: ergo cùm medium est bis positum in præmissis, iterum in conclusione poni non valebit; Tum etiam, quia si in ea poneretur, non differret conclusio à præmissis, contra finem syllogismi, qui est, vt ex coniunctione, quam habent duo extrema cum medio in præmissis, inferatur connexio eorundem, excluso medio.

A

Dicendum est 5. quòd quinta regula generalis, in qua dicitur, quòd tam in medio, quàm in extremitatibus non varientur proprietates terminorum, excepta suppositione, quæ prouenit à signis, est optimè assignata.

Explicatur conclusio, nam sicut signa possunt dupliciter considerari, vel secundùm se, vel vt afficiunt terminos propositionis; ita eorundem suppositiones poterunt dupliciter considerari, vel scilicet vt præcisè proueniunt à signis, vel vt proueniendo ab ipsis etiam afficiunt terminos. Si considerentur igitur tales suppositiones primo modo, possunt variari, & de facto variantur in qualibet figura, & tamen sequitur recta conclusio; nam potest dari casus vt in vna præmissarum, aliquod signum supponat vniuersaliter, & distributiuè, vt *Omnis*, & in alia, aliud supponat particulariter, & determinatè, vt *aliquis*, & tamen non varientur termini, vt patet in hoc syllogismo in *Darij* primæ figuræ. Omne animal est sensibile; aliquis Homo est animal ergo aliquis homo est sensibilis. Nam signum *Omnis* supponit distributiuè, & *Animal* ratione illius in maiori etiam supponit distributiuè; *sensibile* verò tantùm confusè. Item in minori *Aliquis* supponit determinatè, & *Homo* ratione illius etiam supponit determinatè, *Animal* verò relinquitur à tali signo in suo esse, ac erat priùs; vnde cùm in maiori supponeret confusè, eodē modo supponere debet in minori; Quare cùm in consequentia, *Homo* supponat determinatè, & *sensibilis* confusè, cùm relinquatur in suo esse, ac erat in maiori, prædicti termini semper remanent firmi, & inuariati. En ecce quommodò variantur suppositiones signorum, seu, quæ proueniunt à signis præcisè, non variatis suppositionibus terminorum. Atque ideò, meritò in allata regula, licèt includantur omnes suppositiones, secundo modo acceptæ, hoc est, quæ ratione signorum etiam afficiunt terminos propter rationes statim adducendas; non tamen includuntur suppositiones primo modo consideratæ, hoc est, vt præcisè proueniunt à signis ipsis, cùm ratione earum non semper varientur termini, vt dictum est.

B

C

Probatur igitur conclusio. Tum quia si termini in vna propositione ampliarentur, & in alia restringerentur, tunc argueretur à termino magis amplo ad eundem minùs amplum, aut è contrà. Similiter si in conclusione distribueretur aliquis terminus, qui non esset distributus in præmissis, tunc argueretur à non distributo ad distributum. Tum etiam quia si oppositum illius, quod in hac regula præcipitur, fieret; tunc essent in syllogismo quatuor termini, & dari posset antecedens verum, & consequens falsum, quòd est formalissimum indicium malæ consequentiæ: ergo assignata regula est optima.

D

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis; nam hæc est bona consequentia, nempe si aliquis homo currit: ergo aliquod animal mouetur, &c, & tamen est ex puris particularibus: ergo falsa est prima illa regula, quòd ex puris particularibus nihil sequitur.

Respondetur talem syllogismum esse hypotheticum, & idcirco maiorem esse vniuersalem implicitè; æquiualet enim huic, Quotiescunque aliquis homo currit, aliquod animal mouetur; nam ly *Aliquis homo* subiectum in antecedenti, seu in maiori propositione,

si

si fiat integer syllogismus, ampliatur, & fit terminus vniuersalis per illam conditionalem; si, quæ æquiualet illi, Quotiescunque aliquis homo currit, &c. & hoc modo semper valet dicere, quòd aliqua præmissarum est vniuersalis.

Contra; nam hic syllogismus est categoricus, videlicet, quod lucet video, Sol lucet, ergò Solem video; & tamen sequitur consequentia bona ex puris particularibus: ergo, &c.

Respondetur maiorem posse sumi vniuersaliter, vel particulariter: primo modo æquiualet illi, Omne quod lucet, video; & consequentia est bona: secundo verò modo æquiualet illi, Aliquod quod lucet, video; & tunc consequentia non est bona, quia potest lucere candela, quæ non videatur.

Obiicitur 2. in oppositum tertiæ conclusionis; nam contra secundam non est specialis difficultas; Quoniam hæc consequentia similiter est bona, Quod non mouetur, non currit; Socrates non mouetur: ergo non currit: Sed hæc procedit ex puris negatiuis, vt patet: ergo allata tertia regula est malè assignata.

Respondetur negando minorem, nam maior cùm sit hypothetica, huic conditionali æquiualet, scilicet, si non mouetur, non currit; & ideò fundatur in hac affirmatiua, Omne currens mouetur; quapropter syllogimus non erit ex puris negatiuis, vt supponit argumentum.

Contra: nam huiusmodi syllogismus categoricus est, nimirum Omne quod non est animal, non est homo; lapis non est animal: ergo lapis non est homo; & tamen consequentia tenet ex puris negatiuis: ergo nulla responsio.

Respondetur tamen, maiorem illam esse vniuersalem affirmatiuam, cùm æquiualeat huic, Omne non animal est non homo, idque patet ex regulis conuersionis, nam vniuersalis affirmatiua conuertitur etiam per contrapositionem, infinitatis scilicet terminis, vt diximus supra disput. 30. quæst. prima, concl. 2. vel etiam, quamuis rarò, subiecto infinitato, & negata copula, vt obseruant Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 3. cap. 7. Vnde hæc propositio, Omnis homo est animal, sic conuertitur, Omne non animal est non homo; vel sic, Omne non animal non est homo.

Obijcitur 3. in oppositum quartæ conclusionis; Etenim hic syllogismus etiam bene concludit; & tamen habet medium in conclusione, nimirum, Omnis Angelus est spiritus; Gabriel est Angelus: ergo aliquis spiritus est Angelus: ergo quarta regula generalis est malè assignata.

Respondetur prædictam conclusionem esse veram, non ex vi formæ syllogisticæ, sed ex regulis conuersionis; est enim prædicta conclusio propositio conuertens illius maioris, nempe Omnis Angelus est spiritus, quæ cùm sit vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens, dum dicitur: ergo aliquis spiritus est Angelus, vt patet.

QVÆSTIO IV.

An regulæ particulares pro singulis figuris traditæ sint rectè assignatæ.

PRO singulis figuris singulas regulas lib. 3. Instit. superiùs citato cap. 4. tradidimus, explicauimus, atque probauimus; quare nihil amplius in præsenti desideratur, quàm vt omnes rectè esse assignatas, explicatas, atque probatas demonstremus; nec non argumentis, quæ in contrarium fieri solent, satisfaciamus; quod vtique completè, ac perfectè fiet, si vltrà ea, quæ ibidem dicta sunt, alia quædam insuper adnotabimus.

Notandum est idcirco primò, quòd propositio exclusiua, quæ scilicet datur per particulas exclusiuas, vt tantùm, solùm, &c. resoluenda est in duas categoricas, seu de inesse, e. g. cùm dicitur, Petrus tantùm currit; sensus est, Petrus currit, & nullus alius currit; nam illa particula, *Tantùm*, negat terminum mediatum, idest qui sequitur ex immediato, nempe quòd aliquis alius a Petro currat; & ponit, seu affirmat immediatum, nempe *Petrum currere*. Quare absolutè loquendo, idest nulla adhibita conuersione, aut æquipollentia, in syllogismo, seu argumentatione formali non debent admitti propositiones exclusiuæ non tantùm ob rationem prædictam, nempe quia syllogismus videretur constare quatuor propositionibus; sed etiam quia variarentur termini, vt patet in hoc syllogismo, Omne animal est sensitiuum: omnis ac solus homo est animal: ergo solus homo est sensitiuus; nam minor falsa est: sensus enim illius est, quòd ita homo sit animal, vt alia, quæ non sunt homo, non sint animalia; vnde terminus ille *Omnis ac solus homo*, qui videbatur affirmatiuus, fit negatiuus; quamobrem non mirum si talis syllogismus malè concludat.

Notandum secundò, aliud esse propositionem esse indirectam; aliud conclusionem esse indirectam, seu syllogismum indirectè concludere; Propositio indirecta est cùm aliquod minùs latè patens prædicatur de aliquo magis patente, vt Animal est homo; quæ dicitur etiam prædicatio innaturalis. Conclusio verò indirecta, seu syllogismus indirectè concludens est, cùm minor extremitas prædicatur de maiori, vt dictum est in nostris Instit. quare potest esse conclusio directa, etiamsi eadem sit propositio indirecta, e. g. in *Darij* Omne animal est corpus, aliqua substantia est animal: ergo aliqua substantia est corpus; vbi patet conclusionem esse directam, cùm prædicatum ipsius sit idem, ac prædicatum maioris; est tamen indirecta propositio, quia corpus minùs latè patet, quàm substantia, de qua prædicatur.

Dicendum est ergo, quòd regulæ illæ particulares pro singulis figuris traditæ, sunt bene assignatæ. Probatur; quoniam ratione illarum euitantur omnes errores, & vitia, quæ accidere possunt in bona, atque formali argumentatione: ergo sunt optimè assignatæ. Consequentia patet; nam ad hoc vt euitentur prædicta vitia,

vitia, dantur tales regulæ. Antecedens verò probatur; nam omnes errores, & vitia, quæ contingere possunt in bona, atque formali argumentatione, euenirent quia non procederetur secundùm regulas generales supradictas trium figurarum: sed regulæ particulares assignatæ loco suprà citato, hoc impediunt, vt patet in singularum probationibus: ergo, &c.

Obijcitur primò in oppositum probando, primam particularem regulam pro prima figura, nimirum quòd in syllogismo directè concludente, neque ex maiori particulari, neque ex minori negatiua nihil sequatur, non esse rectè assignatam. Tum quia bene sequitur, Quoddam rationale currit: omnis homo est rationalis: ergo quidam homo currit; quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, vt clarè patet consideranti: ergo maiore particulari existente, aliquid sequitur directè in prima figura. Tum etiam quia bene sequitur, Omne non homo est risibile; lapis non est homo: ergo lapis non est risibilis: ergo minore existente negatiua in prima figura aliquid sequitur; & consequenter prima regula pro prima figura, non est rectè assignata.

Respondetur ad primam rationem, quòd licèt in illo argumento sequatur conclusio ratione materiæ, videlicet propter conuertibilitatem rationalis, & hominis, non tamen ratione formæ arguendi, secundùm quam duntaxat intelligi debent omnes prædictæ regulæ; quia non tenet in omnibus materijs consimilis forma arguendi: non enim sequitur, Quoddam animal est asinus: omnis homo est animal: ergo quidam homo est asinus; cùm antecedens sit verum, & consequens falsum. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd prædictum argumentum non est syllogismus formalis, seu formaliter, eò quòd subiectum maioris, scilicet *non homo* non prædicatur in minori, sed *Homo* est ibi prædicatum: ideò non bene arguitur in prima figura; vnde tantùm est ibi virtualiter syllogismus, in quantùm scilicet ista propositio, *Lapis non est homo*, æquiualet isti, lapis est non homo; sed tunc minor erit affirmatiua, & arguetur in *Darij*, quod non est contra assignatam regulam.

Obijcitur 2. probando secundam particularem regulam pro secunda figura, nimirum quòd si ambæ præmissæ sint affirmatiuæ, vel si maior est particularis, nihil sequitur in argumentatione formali, non esse bene assignatam. Tum quia, Quæ sunt eadem vnitertio, sunt eadem, & conueniunt inter se; sed arguendo ex puris affirmatiuis in secunda figura, denotatur extrema esse eadem vnitertio, scilicet vni medio: ergo per hoc sequitur quòd extrema inter se conueniunt, & sic ex puris affirmatiuis aliquid sequitur. Tum quia rectè sequitur in secunda figura, Aliquod Animal est Socrates; aliquis homo est Socrates: ergo aliquis homo est animal; & tamen ibi concluditur affirmatiuè: ergo in secunda figura non semper est verum quòd ex maiori particulari nihil sequatur: & consequenter prædicta regula est malè assignata.

Respondetur ad primam rationem, quòd Quæcunque sunt eadem vnitertio simpliciter, & in actu, etiam inter se sunt eadem; sed illa, quæ sunt eadem solùm vnitertio in potentia, non sunt eadem inter se; Arguendo igitur ex puris affirmatiuis in secunda figura, denotantur aliqua solum esse eadem cum suo superiori, in quo conueniunt in potentia; vt patet hoc exemplo. Omnis arbor est viuens; Omnis homo est viuens: ergo Omnis homo est arbor; Nam cùm medius terminus, scilicet *Viuens*, semper sit prædictum in propositione vniuersali affirmatiua, in qua, ex regula suppositionis tradita in nostris Instit. distribuitur tantùm subiectum, semper pariter remanet indistributus, & sic communicatur extremis tantùm in potentia, non verò in actu, vt constat. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd in illo syllogismo sequitur aliquid non ratione formæ, sed tantùm ratione materiæ, eò quòd medium est vnum singulare singulariter tantùm; vnde non sequitur ibi aliquid formaliter, & per syllogismum perfectum; quare tantùm est syllogismus expositorius.

Obijcitur tandem 3. probando tertiam particularem regulam pro tertia figura, nimirum, quòd Minori existente negatiua nihil sequitur, & quòd conclusio semper debeat esse particularis, esse malè assignatam: Tum quia omnes præmissæ inferentes aliquam conclusionem, etiam transpositæ adhuc illam inferunt: ergo præmissæ de *Felapton* transpositæ inferre possunt minorem negatiuam particularem: ergo minori existente negatiua in tertia figura, aliquid sequitur. Tum etiam quia benè sequitur, Omne rationale currit; omne rationale est homo: ergo omnis homo currit; quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: ergo in tertia figura potest concludi vniuersaliter, & consequenter prædicta regula malè assignatur.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt præmissæ de *Felapton* transpositæ inferant conclusionem particularem negatiuam; eam tamen inferunt non directè, sed indirectè: loquimur autem de conclusione directa. Vnde hoc modo intelligenda est illa maior, scilicet, quòd omnes præmissæ inferentes aliquam conclusionem, quando transponuntur, inferunt eandem, hoc est non directè, vt priùs quando non erant transpositæ, sed indirectè. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd licèt ibi sequatur conclusio ratione materiæ, non tamen ratione formæ, quemadmodum est necessarium in syllogismo formaliter sumpto: nam in omnibus terminis consimili forma arguendi retenta, non tenet, vt patet.

QVÆSTIO V.

Vtrùm præter decem, & nouem modis vtiles pro tribus figuris assignari solitos, alij quoque vtiles, & consistentes assignari possint.

VT possimus dilucidè, & facilè ad quæsitum propositum accedere, hoc primo loco minimè ignorandum est; quòd sicuti inter tres terminos syllogismi, nempe inter medium, & extremitates, quantùm ad prædicationem, vel subiectionem, quatuor combinationes, seu figuræ possunt formari: ex qui-

quibus tres sunt vtiles, quarta verò inutilis, vt suprà probatum est; sic ex varia combinatione præmissarum quantùm ad affirmationem, vel negationem, vniuersalitatem, vel particularitatem (in quo consistit modus syllogismi) quadraginta, & octo modi formari possunt; Nam in qualibet figura viuersalitas, aut particularitas possunt quadrupliciter combinari in præmissis. Primò, si vtraque sit vniuersalis. Secundò, si vtraque sit particularis. Tertiò, si maior vniuersalis, & minor particularis. Et quartò, si maior è contrà sit particularis, & minor vniuersalis. Vnaquæque harum quatuor combinationum potest adhuc quadrupliciter variari per affirmationem, & negationem, vt consideranti patebit: quatuor verò per quatuor multiplicata reddunt 16 combinationes: ergo in qualibet figura possibiles erunt 16 combinationes præmissarum, seu modi. Si autem 16 per tria, qui est numerus figurarum vtilium, multiplicemus, inueniemus 48. Ex quo fit in prædictis figuris 48 combinationes, seu modos formari posse. Ex quibus autem tantùm 19 vtiles, seu consistentes, & bonæ consequentiæ assignari solent; cæteri verò modi omnes inutiles, & malæ consequentiæ sunt, vt ex professo aurea quidem tabula ostendunt Complut. lib. 3. Instit. cap. 5. & Casilius lib. 3. Summul. cap. 7.

Supponit autem præsens quæstio, quæ tantùm procedit de modis vtilibus, 19 illos modos vtiles trium figurarum esse rectè assignatos, quod facilè etiam deduci potest ex regulis earum suprà explicatis, tum generalibus, tum specialibus: nam in prima figura ex 16 illis combinationibus reijci debent omnes quatuor puræ negatiuæ, & omnes quatuor puræ particularis ex duabus primis regulis generalibus; & ex peculiari regula primæ figuræ reijci debent omnes modi, qui habent maiorem particularem, & qui habent minorem negatiuam; vnde quatuor modi duntaxat remanent legitimi in prima figura directè concludentes; Quia verò diximus regulam specialem primæ figuræ solùm requiri ad concludendum directè, idcirco in ea adhuc possunt admitti alij modi indirectè concludentes, in quibus etiam interdum possit maior esse particularis, aut minor negatiua, vt patet in *Fapesmo*, & *Frisesomorum*; Vnde cùm tantùm quinque, vt videbitur infra, ex prædictis quatuor oriri possint, iam inuenientur nouem pro prima figura vtiles modi; quorum quatuor primi directè, cæteri verò indirectè concludent.

Sic etiam in secunda figura, ex duabus primis regulis generalibus excluduntur octo combinationes, scilicet ex puris negatiuis, & ex puris particularibus; & ex peculiari eiusdem regula excluditur combinatio ex vtraque præmissa affirmatiua, vel ex maiori particulari, & vtraque ista combinatio potest bis fieri, scilicet vtraque affirmatiua cum maiori particulari, & minori vniuersali, vel è contrà; & vtraque maior particularis, existente prima præmissa affirmatiua, & secunda negatiua, vel è contrà; vnde remanent tantùm quatuor modi vtiles secundæ figuræ, qui cum nouem primæ erunt 13.

Sic denique in 3. figura ex duabus allatis regulis generalibus octo excluduntur combinationes, etiam ab alijs figuris exclusæ; & ex speciali regula eiusdem, quòd minori existente negatiua nihil concluditur, siuè maior sit particularis, & minor vniuersalis, vel è contrà, excluduntur aliæ duæ combinationes, vnde sex tantùm remanent modi in tertia figura; ex quo tandem sequitur modos vtiles syllogizandi esse nouemdecim, cæteros verò inutiles, & vitiosos; eò quia semper inueniatur in eis aliquis defectus distributionis, vt patet.

Quibus suppositis, dubitatur an ita nouemdecim sint prædicti modi vtiles, vt plures esse nequeant. Quæ difficultas alio titulo excitari solet, nimirùm an in secunda, & tertia figura dentur modi concludentes indirectè sicut in prima; Quod in idem redit; nam si dantur prædicti modi indirectè concludentes in secunda, & tertia figura, dubio procul erunt possibiles alij præter allegatos 19; sin autem, nequaquam.

Vnde relicta opinione illorum, tanquam nostro supposito ex diametro opposita, qui, apud Conimbr. primo Pri. cap. 7. quæst. 2. art. primo, docent modos secundæ, & tertiæ figuræ, tantùm concludere indirectè; circa præsens quæsitum, in quo supponitur tanquam certum prædictos modos concludere directè; Duæ extant sententiæ, quarum prima est aliquorum, quos sine nomine citant Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 3. cap. 8. §. *Deinde contra sufficientiam modorum*; quibus dicunt consentire Fonf. lib. 6. Instit. cap. 13. & Conimbr. p. Pri. cap. 7. quæst. 3. qui negando in secunda, & tertia figura posse dari modos vtiles indirectè concludentes, tenentur affirmare modos vtiles plures esse non posse 19.

Secunda verò sententia est communis apud omnes, qui docendo in secunda, & tertia figura posse dari alios modos vtiles indirectè tantùm concludentes, debent pariter affirmare prædictos modos posse esse plures 19 assignatis.

Notandum est idcirco primò, quòd quando conclusio syllogismi formalis est conuertibilis iuxta regulas conuersionis suprà traditas; modi vtiles directè concludentes, qui eam continent, etiam indirectè concludere possunt. Explicant hoc Dialectici breuitatis gratiâ, tantùm in quatuor modis perfectis directè concludentibus primæ figuræ; Nam conuertatur conclusio istius syllogismi in *Barbara*, e. g. Omnis homo est animal: Omne rationale est homo: ergo omne rationale est animal; & dicatur: ergo quoddam animal est rationale; quia cùm sit vniuersalis affirmatiua, conuerti debet per accidens; tunc prædictus modus erit in Barbara indirectè concludens. Item conuertatur conclusio istius syllogismi in *Celarent*, nempe Nullus homo est lapis; omne risibile est homo: ergo nullum risibile est lapis; & dicatur: ergo nullus lapis est risibilis; quia cùm sit vniuersalis negatiua, conuerti etiam potest simpliciter; tunc prædictus syllogismus erit in *Celarent*, & concludet indirectè. Tandem conuertatur ista conclusio particularis affirmatiua in *Darij* simpliciter, vt postulat, e. g. Omnis Leo est animal; aliquod rugibile est Leo: ergo aliquod rugibile est animal; & dicatur: ergo aliquod animal est rugibile, tunc fiet iste syllogismus in *Dabitis*, & concludet indirectè. Quare in omnibus modis non solùm primæ, sed etiam secundæ, & tertiæ figuræ; exceptis *Ferio*, *Festino*, *Baroco*, *Felapton*, *Brocardo*, & *Ferison*, cùm habeant conclusionem particularem negatiuam, vtpote in conuertibilem, poterunt fieri syllogismi concludentes indirectè, sicut in prima figura quamuis prædicti modi habentes conclusionem parti-

ticularem negatiuam, aliàs concludere possint indirectè, nempe per transpositionem præmissarum, vt consideranti patere potest.

Notandum secundò, quòd licèt ita sit, vt modò dictum est; Dialectici tamen, non assignarunt modos secundæ, & tertiæ figuræ indirectè concludentes, sicut assignauerunt illos, qui indirectè concludunt in prima figura; tum quia facilè potest vnusquisque illos colligere conuertendo conclusionem, quando conuerti potest, vel transmutando præmissas, quando conclusio conuerti nequit, vt explicatum est in 4 prioribus modis primæ figuræ. Tum etiam quia, cùm secunda, & tertia figura sint naturâ sua imperfectæ, addere modos indirectos in illis, esset res inutilis, & quæ longa indigeret probatione, vt reducerentur tales syllogismi ad modos directos primæ figuræ, quod vtique requiritur ad probandam bonitatem illationis aliorum syllogismorum, illis quatuor primæ figuræ exceptis, vt dictum est in nostris Instit. lib. 3. cap. 5. & ampliùs dicetur in sequentibus.

Dicendum est ergo, quòd vltra 19 modos vtiles pro tribus figuris assignatos, possunt alij vtiles assignari.

Probatur primò auctoritate Philosophi p. Pri. cap. 8. vbi loquens de duobus modis primæ figuræ indirectè concludentibus, *Fapesmo* scilicet, & *Frisesomorum*, subiungit fieri posse consimiliter & in aliis figuris, hoc est, posse pariter in illis indirectè concludi, vt ibi etiam Auerroes exponit; ergo, &c.

Si autem quæratur, cur Philosophus cognoscendo prædictos modos indirectè concludentes in omnibus figuris, tantùm duos posuerit in prima.

Respondetur, quòd Aristoteles non enumerauit modos secundæ, & tertiæ figuræ indirectè concludentes, fortasse propter rationem adductam in secundo notando; neque enumerauit reliquos primæ figuræ, quia non multùm differunt à reliquis perfectis, quibus sunt similes in præmissis; & eorundem conclusiones si considerentur per regulas conuersionis, non differunt à conclusionibus modorum directorum. Enumerauit autem tantùm hos duos modos indirectos, scilicet *Fapesmo*, & *Frisesmo*, quia etiam differunt in præmissis transpositis; nam idem Philosophus, vt testantur Conimbr. 1. Pri. cap. 7. quæst. 2. art. primo sumpsit in loco suprà citato syllogismum pro præmissis, secundùm quas non differunt *Baralipton*, à *Barbara*, nec *Celantes* à *Celarent*; nec demum *Dabitis* à *Darij*, quemadmodùm differunt alii duo modi.

Probatur conclusio ratione; Quoniam in *Cesare*, & *Camestres* in secunda figura: *Darapti*, *Disamis*, ac *Datisi* in tertia, cum eadem dispositione, & ordine præmissarum, potest conuerti conclusio, & à conuersa ad conuertentem est bona consequentia; in tali autem casu minus extremum prædicatur de maiori in conclusione, quod est concludere indirectè. Cæteri etiam modi earundem figurarum, scilicet *Festino*, & *Baroco* in secunda; *Felapton*, *Brocardo*, & *Ferison* in tertia, possunt indirectè concludere per transpositionem præmissarum tantùm: transpositis enim præmissis, conclusio, quæ priùs erat directa, fit indirecta: ergo vltra assignatos 19 vtiles modos, alii vtiles similiter assignari queunt.

Obijcitur primò in oppositum; nam si præter assignatos essent possibiles alii modi vtiles, maximè essent assignandi illi, qui assignari solent pro quarta figura A Galeni, cùm ex dictis non distinguantur essentialiter à modis primæ figuræ: ergo si illi non assignantur, aut non possunt vt vtiles assignari, neque alii erunt assignandi. Consequentia patet; nam si modi Galeni, qui in prima figura, quæ est omnium principalior, non tantùm concludunt indirectè, sed etiam maior pars illorum concludit directè, & non sunt assignabiles vt vtiles; non videtur ratio congruitatis, cur isti, qui tantùm spectant ad secundam, & tertiam figuram, & concludunt indirectè, vt modi vtiles debeant assignari.

Respondetur, modos Galeni dupliciter posse considerari, vel scilicet vt distinctos suo modo, hoc est accidentaliter per solam transpositionem præmissarum à modis primæ figuræ; vel vt indistinctos, quatenus B scilicet essentialiter iidem sunt cum illis, facta tamen collocatione præmissarum in suis propriis, & naturalibus locis. Primo modo non debent assignari inter vtiles, quia cùm quarta figura inutilis sit, modi pariter eiusdem inutiles erunt propter rationes superiùs assignatas quæst. 2. Secundo autem modo, iam de facto assignantur, cùm iidem sint, ac modi primæ figuræ. Vnde argumentum nihil facit contra nos, qui tantùm intendimus ponere modos vtiles possibiles indirectè concludentes pro secunda, & tertia figura.

Obijcitur secundò; quoniam secunda, & tertia figura nequeunt concludere indirectè: ergo pro illis non possunt assignari modi concludentes indirectè. Probatur antecedens; nam concludere indirectè nil aliud est, quàm vt minor extremitas prædicetur de C maiori in conclusione; hoc est, quòd subiectum conclusionis prædicetur in præmissis, & prædicatum eiusdem in præmissis subiiciatur; sed hoc non potest fieri in secunda, & tertia figura: ergo, &c. Non in secunda; quia cùm ibi medius terminus sit semper prædicatum in præmissis, subiectum conclusionis non poterit esse in eisdem, nisi subiectum. Non in tertia figura; quia cùm ibi medius terminus semper sit subiectum in præmissis, non poterit prædicatum conclusionis non prædicari in ipsis: ergo in secunda; & tertia figura inueniri non potest prædicta indirectio.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicendum est, concludere indirectè, non esse subiectum conclusionis prædicari in præmissis, & D prædicatum eiusdem, subiici in eisdem: (hoc enim tantùm contingit in prima figura) sed esse, minorem extremitatem prædicari de maiori in conclusione, quomodocunque se habeant in præmissis, dummodo maior extremitas existat in maiori, minor autem in minori, vt diximus lib. 3. Instit. cap. 3.

Obiicitur tandem 3. quoniam in secunda, & tertia figura dictiones non habemus indicantes modos indirectos præter directos, sicut in prima: ergo signum euidens est, non dari in eis modos indirectè concludentes, sicut in illa.

Respondetur, non fuisse necessarium, distinctas dictiones assignare indicantes modos indirectos secundæ, & tertiæ figuræ, vt factum est in prima, quoniam si concludatur indirectè per conuersionem conclusionis, vt fit in *Cesare*, & *Camestres* secundæ figuræ; *Darapti*, *Disamis*, & *Datisi*, tertiæ, sufficiunt iidem modi, seu eædem dictiones, vt patet. Ratio autem huius

est; quia sicut syllogismus inferens conclusionem vniuersalem, potest etiam inferre particularem ex vi consequentiæ subalternationis, vt docuit Philosoph. p. Pri. de syllogismi potestatibus: ita qui infert vnam conclusionem, inferre potest suam conuertentem ex vi consequentiæ conuersionis. Quare si *Cesare*, e. g. infert directè illam vniuersalem negatiuam, poterit indirectè inferre suam conuertentem; & si *Darapti* infert directè illam particularem affirmatiuam, poterit etiam indirectè inferre suam conuertentem ex legibus conuersionis simplicis. Quando verò concluditur indirectè per transpositionem præmissarum, vt contingere potest in cæteris modis secundæ, & tertiæ figuræ; qui non habent conclusionem conuertibilem; adhuc modus indirectus non erit essentialiter diuersus à directo; qui ordo præmissarum non sufficit distinguere modos syllogismorum.

Contrà tamen; nam tota huiusmodi doctrina, etiam applicari potest quatuor prioribus modis primæ figuræ, ex quibus oriuntur quinque alij modi indirecti; nam tales modi oriuntur ab illis prioribus, facta sola conuersione consequentiæ, vt *Baralipton* à *Barbara*, *Celantes* à *Celarent*, *Dabitis* à *Darij*; vel per transpositionem præmissarum, vt *Frisesmo* à *Ferio*; aut tandem per conuersionem consequentiæ, & transpositionem præmissarum simul, vt *Fapesmo* à *Celarent*; & tamen assignantur illis speciales dictiones, vt patet: ergo etiam modis secundæ, & tertiæ figuræ indirectè concludentibus, diuersæ debent assignari dictiones.

Respondetur, hoc esse discrimen, quòd pro illis assignantur diuersæ dictiones, non verò pro istis; quia in illis quatuor prioribus primæ figuræ nullæ extant literæ consonantes, quæ denotare possent conuersionem faciendam, ad hoc vt modi indirectè concludentes, ad illos 4. reduci queant; & ideò in assignando modos ex illis indirectè concludentes, variæ etiam assignatæ fuerunt dictiones. At verò in istis cùm reperiantur consonantes, conuersionem faciendam ad modos perfectos denotantes, non fuit necesse ponere alias dictiones, cùm prædictæ sufficiant.

DISPVT. TRIGESIMAQVARTA.

De Passionibus Sillogismi.



SICVT ex varia terminorum habitudine resultant variæ proprietates eorum; & ex diuersa comparatione propositionum, diuersæ etiam illarum passiones, de quibus iam suprà disputatum est; ita etiam ex varia dispositione tam terminorum, quàm propositionum, quæ reperitur in syllogismis, oritur in eis vt petant diuerso modo probari, seu reduci; & ita probatio, & re-

A ductio habent rationem passionis respectu syllogismi, de quibus consequenter post examinatam essentiam, & numerum specierum illius erit à nobis in præsenti disputandum.

QVÆSTIO I.

An Principia regulatiua, & probatiua syllogismorum sint rectè assignata.

B 

CVM probatio, & reductio syllogismorum duplex sit, immediata scilicet, quæ immediatè respicit prima principia probatiua, & regulatiua; & mediata, quæ vtique respicit prædicta prima principia, sed mediantibus syllogismis, qui per ea immediatè probantur; antequam aliquid dicatur de hac secunda, quæ tantùm syllogismos imperfectos respicit; priùs agere debemus de prima, quæ immediatè circa solos perfectos versatur, quærendo scilicet an illa prima, & vniuersalia principia immediatè regulatiua, & probatiua syllogismorum perfectorum sint rectè assignata; perfecti enim syllogismi imperfectos præcedere debent.

C Nomine autem primorum principiorum syllogismi regulatiuorum, intelligimus regulam, à qua syllogismus habet suam euidentiam, & certitudinem ad concludendum; sunt autem duo illa prima principia; quorum lib. 3. nostrarum Instit. cap. 4. mentionem fecimus, videlicet, *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; Et quæ sunt eadem inter se distinguuntur ab vno tertio*; Idest si vnum illorum distinguatur ab aliquo tertio, necesse est distingui etiam aliud; vnde quoad primam partem valet pro regulandis affirmatiuis; quoad secundam verò pro negatiuis. Alterum autem primum principium est, *Dici de omni, & Dici de nullo*, vt ibidem explicatum est, cuius prima pars similiter inseruit ad regulandos syllogismos affirmatiuos; secunda verò ad regulandos negatiuos.

D Huiusmodi tamen secundum principium primum, nempe dici de omni, & dici de nullo, duplex est, prioristicum scilicet, & posterioristicum. Dici de omni posterioristicum est, verè, & necessariò prædicatum affirmari de subiecto, & singulis suppositis sub illo contentis; siue seruentur, siue non seruentur leges consequentiæ formalis. Dici verò de nullo similiter posterioristicum est, cum prædicatum negatur de omni subiecto, & consequenter de omnibus sub illo contentis, etiamsi non seruentur leges consequentiæ formalis. Exemplum primi est; Homo est animal: ergo Petrus est animal. Exemplum secundi est; Homo non est lapis: ergo Petrus non est lapis; vbi cernitur, sine vllo signo distributionis consequentias tenere, vt regulatas à prædictis principijs importantibus necessariam connexionem, vel disiunctionem prædicati cum subiecto. Econtrà Dici de omni prioristicum est; prædicatum, quod secundùm modum, & leges consequentiæ formalis vniuersaliter dicitur de

de subiecto, dici etiam de omni contento sub tali subiecto, non attendendo ad veritatem propositionum. Dici verò de nullo est; prædicatum, quod negatur de subiecto supponente distributiuè iuxta regulas formales consequentiæ, negari etiam de omnibus sub illo subiecto contentis, seu de quibus tale subiectum prædicatur: e. g. Omnis homo est lapis: ergo Petrus est lapis. Item, Nullus homo est animal: ergo Petrus non est animal. Et de isto dici de omni, & dici de nullo est tantùm sermo in præsenti, non verò de posterioristico.

In hac difficultate duæ extant sententiæ; quarum prima respuit primum illud principium, nempe quæ sunt eadem vni tertio, &c. tanquam infirmum, & non vniuersaliter verum, nisi reducatur ad secundum, scilicet ad dictum de omni, & de nullo. Ita Molina p. p. quæst. 28. art. 3. disp. 2. Vasquez ibidem, disput. 123. & Casilius lib. 3. Instit. cap. 5. num 9. appendicis.

Secunda verò sententia docet non minùs esse benè assignatum illud primum principium, quàm sit hoc posterius; quinimmo non illud ab hoc, sed hoc ab illo regulariter dependere, & consequenter vtrunque esse regulatiuum syllogismorum. Ita D. Tho. p. p. quæst. 28. art. 3. Scotus in primo dist. 3. quæst. 2. Arrubal p. p. disp. 102. cap. 2. Complut. lib. 3. Summul. cap. 4. Hurt. disp. 10. logicæ sect. 16. Arriaga disp. 3. Summul. sect. 4. Mastrius, & Bellutus p. p. Instit. tract. 3. cap. 6. atque alii.

Notandũ idcirco est primò, quòd quamuis magna sit necessitas huius posterioris principii, nempe *Dici de omni, &c.* nam illo deficiente destrueretur descensus ab vniuersali ad particularia, quia virtute talis principii tenet talis descensus e.g. Omnis homo est animal: ergo Petrus est animal, & Paulus est animal; immo negato hoc principio, duæ contradictoriæ essent simul veræ, nam cum veritate istius vniuersalis, Omnis homo est animal, staret veritas istius particularis, aliquis homo non est animal, quæ illi contradicit: nihilominùs fatenda est maior necessitas illius prioris principii, *Quæ sunt eadem, &c.* atque dependentia illius posterioris ab eo. Necessitas quidem; nam ex eo prædicatum de quibusuis sub subiecto contentis prædicatur, quia cum ipsis aliquo modo identificatur. Dependentia verò; quia vnum affirmari de alio fundatur supra identitatem illorum, sicut vnum negatur de alio, ob eorum diuersitatem; vnde liquidò patet, hoc posterius principium totam suam vim à priori recipere. Ideò enim ex hoc, quòd Omnis homo currit e.g. propter dici de omni, rectè concluditur quòd Petrus currit; quia supponitur probatum, Petrum esse hominem; & consequenter coniunguntur cum homine, Petrus, & cursus; & idem cernitur etiam in altera parte eiusdem principii, nempe *dici de nullo*. Qua de re, hoc posterius principium à priori non videtur differre, nisi penes hoc quòd illud sumitur in ordine ad esse, istud verò in ordine ad prædicari.

Notandum secundò, quòd licèt prædictum principale principium sit omnibus syllogismis commune; eius tamen vis in expositorio luculentiùs apparet, quia tertium illud, scilicet terminus, qui est medius, est magis vnum, cùm sit terminus singularis, in aliis verò communis; & ideò hoc genus syllogismorum est

A omnium perspicuissimum, vtpote quia est alienum à multiplicitate præceptorum de distributione, & suppositione medii, cùm sit singulare, vt patet in hoc: Filius Virginis est Deus; Christus est filius Virginis: ergo Christus est Deus. Econtrà verò dicendum est de altero principio, videlicet, *Dici de omni, &c.* quoniam licèt deseruiat ad alios syllogismos, quorum terminis applicari possunt signa vniuersalia, Omnis scilicet, & Nullus; non tamen deseruit ad syllogismum expositorium, nisi id, quod est in ipso medius terminus, sumatur distributiuè; e. g. cùm dicitur: Petrus studet; hic homo est Petrus: ergo hic homo studet; sit sensus, Quidquid est Petrus, studet: sed tunc propriè, & per se non est syllogismus expositorius, vt videbitur in sequentibus. Vnde patet eiusdem limitationem,

B & restrictionem penes prædicta esse tantùm attendendam, non autem penes hoc, vt aliqui tradiderunt, nimirum quòd per ipsum tantùm regulentur modi perfecti primæ figuræ; quoniam licèt tales modi immediatè, & præcipuè per ipsum regulentur; non tamen sequitur, quòd cæteri etiam modi saltem mediatè, & consequenter, qnatenus scilicet omnes ad perfectos possunt reduci, per idem pariter non regulentur, vt clariùs videbitur in sequentibus.

Dicendum est ergo primò, quòd principia regulatiua, & probatiua syllogismorum sunt rectè assignata.

Probatur; nam de ratione syllogismi formalis est, vt concludat extrema inter se conuenire, vel non conuenire; esse vnita, vel non esse vnita ratione medii in ipso existentis, vt ex Philosopho dictum est suprà

C disp. 31. quæst. 2. not. 2. sed non potest syllogismus hoc præstare, nisi reguletur per vtrunque prædictum principium: ergo prædicta principia sunt rectè assignata. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur. Quoniam in hoc syllogismo, e. g. Omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal; non potest rectè concludi quòd Petrus sit animal, nisi animal quod dicitur de homine, dicatur etiam de Petro, & de omni eo, quod continetur sub homine, quod est regulari per illud posterius principium, nimirum *dici de omni:* neque prædictum primum principium, nempe *dici de omni* potest habere suam vim in tali syllogismo, nisi id quod continetur sub homine, nempe Petrus, sit idem cum animali in illo tertio, nempe in homine, quod est regulari per illud

D prius principium, videlicet, Quæ sunt eadem vni tertio, &c. Et sic valet discurrere proportione seruata in syllogismis negatiuis, in quibus in tantùm prædicatum de subiecto negatur in conclusione, in quantùm subiectum illud non continetur sub medio, neque in tali medio vnitur cum prædicato, vt consideranti patere potest: ergo, &c.

Dicendum est 2. quòd facta comparatione inter prædicta principia regulatiua, & probatiua syllogismorum, vniuersalius dicendum est prius, quàm posterius.

Probatur, quoniam illud prius immediatè innititur vniuersalissimo principio metaphisico ex terminis ipsis notissimo, *Quodlibet est, vel non est;* nam Petrus e. g. & animal vniuntur inter se ratione vnius tertij, nempe hominis, quia Petrus, vt homo, animal est; Petrus verò, & lapis è contrà non vniuntur in illo tertio, nempe in homine, quia Petrus, vt homo, lapis non

 est;

est. Item, posterius illud principium, nempe Dici de omni, &c. vim habet, quia fundatur super identitatem medij cum extremis; nam ex hoc quòd omnis homo currit e. g. per dici de omni ritè concluditur, Petrus currit, quia supponitur probatum Petrum esse hominem, vt notatum est suprà primo loco. Tandem prius principium inseruit omnibus syllogismis, vt dictum est; posterius verò nequaquam: ergo vniuersalius est prius, quàm posterius.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; probando prius illud principium, scilicet, Quæ sunt eadem vnitertio, &c. esse superfluum, & gratis assignatum. Nam Arist. 1. Pri. vbi erat locus agendi de principijs regulatiuis syllogismorum, nullam fecit mentionem illius, sed tantùm 7. Topicorum cap. 1. vbi solummodò fit mentio locorum, & sedium argumentandi ex probabilibus: ergo dum ponitur, & examinatur hoc loco, fit gratis, & de superfluo.

Respondetur, quòd Arist. loco citato Priorum, non fecit mentionem de illo principio, sed tantùm de secundo, scilicet Dici de omni, &c. non quia prius illud principium sit superfluum, & gratis adducendum (nam hoc posterius accipit totam vim à priori) sed quia ibi tantùm loquebatur de syllogismo, in quo pro medio sumitur terminus communis, vtpote quia magis inseruit ad cognitionem scientificam comparandam, vt ex contextu patet.

Obiicitur 2. in oppositum probando principium posterius, nempe dici de omni, &c. non esse rectè assignatum. Quoniam nulla regula ingreditur regulatum, vel est de compositione eius: sed dici de omni, & dici de nullo ingrediuntur compositionem syllogismi, quia in omni propositione vniuersali affirmatiua est dici de omni, & in vniuersali negatiua est dici de nullo: ergo tale principium non est regulatiuum syllogismorum.

Respondetur, quòd licèt dici de omni, & dici de nullo per accidens ingrediantur compositionem syllogismi, tanquam dispositiones materiæ eius; non tamen ingrediuntur per se tanquam partes materiales componentes syllogismum. Et non est inconueniens, quòd regula alicuius virtualiter, vel per accidens ingrediatur compositionem ipsius.

Obiicitur 3. in oppositum secundæ conclusionis, probando prius illud principium non esse vniuersalius posteriori. Nam tale principium saltem in diuinis claudicare videtur, quia ex identitate reali Diuinarum personarum cum Diuina Essentia, non potest inferri realis identitas earum inter se, & ideò hic syllogismus non valet: Essentia diuina est Pater; Filius est hæc essentia diuina: ergo Filius est Pater; vnde vt hic, & similes syllogismi expositorij in diuinis ritè formentur, per dictum de omni, & dictum de nullo regulari debent; ita quòd medius terminus, & si singularis, distribuatur hoc modo; Quidquid est essentia diuina est Pater; Filius est essentia diuina: ergo Filius est Pater; nam ita consequentia tenet, sed maior falsa est: ergo tale prius principium non est vniuersalius posteriori, sed è contrà.

Respondetur prædictum argumentum petere longiorem discussionem altioris doctrinæ, quàm ad logicum tyronem spectare possit, de qua videantur Theologi proprio tractatu de Trinitate; tamen ne videamur effugere omnino difficultatem, pro nunc

A rudiori Minerua respondebimus; Ea quæ sunt eadem vnitertio, esse quoque eadem inter se illa tali identitate, qua sunt eadem vnitertio, non autem maiori; quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundùm illam identitatem, qua sunt eadem suo medio; atque ita ex identitate reali personarum in Essentia, inferri potest realis identitas ipsarũ inter se, non quidem realis personalis, sed realis essẽtialis quia hac identitate cũ essentia sunt idem. Syllogismus autem allatus, & similes, in Diuinis non tenent, quia afferuntur vt expositorii, cùm tamen re vera tales non sint, sed sophismata; ratio enim est, quia medium in syllogismo expositorio ita debet esse singulare, vt sit hoc aliquid, & incommunicabile vt quod, qualis non est Essentia diui-

B na, & ideò ipsa non est sufficiens medium pro syllogismo expositorio, & quando etiam illi syllogismi essent expositorii, prorsus falsum est posse regulari per dictum de omni, & dictum de nullo, quia hoc principio solum regulantur discursus, qui procedunt ex vi alicuius termini distributi; repugnat autem prorsus termino singulari, qui est medium in expositorio, distribui; cùm inferiora non habeat: distribui nanque, seu accipi distributiuè, est idem ac supponere pro singulis suis inferioribus.

QVÆSTIO II.

C *Vtrùm Syllogismi imperfecti, etiam probari possint per expositionem, seu per syllogismum expositorium; & quibus hoc præ cæteris conueniat.*

Videntur, apud omnes Dialecticos, syllogismi expositorii, siue singulares habere necessitatem concludendi per se notam, ac proinde esse perfecti, quia constant medio termino singulari, vt dictum est lib. 3. nostrarum Instit. cap. 4. & 5. qui medius singulariter est maximè vnus, vnde proximè exercet vicem illius principii per se euidentis, *Quæ sunt eadem vnitertio, &c.*

D in quo principio, nomine tertii potissimum intelligitur aliquod singulare; qua etiam de causa meritò dicti sunt syllogismi expositorii, quia nimirùm sunt adeò perspicui, & euidentes, vt rem ipsam sensibus exponere videantur; Ex quo etiam fit, vt non abs re, demonstrationes sensibiles appellari soleant. Quapropter pòstquam determinatum est superiùs, perfectiores syllogismos immediatè probari per illa principia vniuersalissima, consultò quærendum modò videtur, an cæteri, saltem scilicet imperfectiores syllogismi, etiam immediatè probari possint per prædictum expositorium.

Quia verò prædicti syllogismi expositorii possunt fieri in quacunque figura, seruata semper affirmatione, vel negatione, quam designant modi (nam in prima potest sic syllogizari; hic homo est Rex; Petrus est hic homo; ergo Petrus est Rex; in secunda verò sic, Petrus est hic homo; Paulus non est hic homo; ergo

ergo Paulus non est Petrus. In tertia tandem sic; Petrus est albus; Petrus est homo: ergo homo est albus) hinc est quòd in titulo vlteriùs quæritur, an omnibus syllogismis imperfectis cuiuscunque figuræ indifferenter conueniat posse probari per expositorios, an congruentiùs solùm alicuius determinatæ figuræ.

Hoc tamen ante resolutionem quæsiti ignorandum non est, nimirum, quòd licèt Expositorius semper, & indispensabiliter ex medio singulari, & indistributo constare debeat, vt suprà docuimus not. 2. ex respons. ad 3. tamen indifferenter constare potest ex aliquibus terminis siue singularibus, siue communibus, cùm minimè per eos tollatur vnitas, & indistributio medii. Expositorius enim etiam est hic syllogismus, nempe Quoddam risibile est substantia; omnis homo est risibilis: ergo quidam homo est substantia; & sic de cæteris in qualibet figura. Consulat autem, qui varios consttruendi modos syllogismorũ desiderat, Auersam tract. 4. Instit. cap. 14. & Conimbr. 1. Pri. cap. 6. quæst. vnica, art. primo.

Communiter ergo omnes Dialectici resoluunt, & docent syllogismos imperfectos cuiuscunque figuræ, optimè per expositorium etiam immediatè probari posse: hoc tamen conuenientiùs, & propriùs spectare ad syllogismos tertiæ figuræ, quam ad cæteros; vnde pro quæsiti maiori explicatione, nonnulla tantùm breuiter adnotanda sunt.

Notandum est idcirco primò, quòd quando syllogismi tertiæ figuræ, ad quos præcipuè spectat hæc probatio per expositorium, habent vtranque præmissam vniuersalem, hæc regula adhibenda est, videlicet, quòd ex his deducantur duæ aliæ præmissæ ex terminis singularibus, nam tunc ex eis bene sequetur eadem conclusio, quæ in tertia figura semper debet esse particularis: nam conclusio particularis bene sequitur, ac deduci potest ex terminis singularibus. Sit exemplum in *Darapti*; nam si quis probare vellet huiusmodi syllogismum per Expositorium, scilicet *Omne animal est sensibile*; *Omne animal est corpus: ergo aliquod corpus est sensibile*; deducat ex illa maiori propositione vniuersali, *Omne animal est sensibile*, hanc particularem, *Hoc animal est sensibile*; deinde ex minori vniuersali, *Omne animal est corpus*, hanc similiter particularem, *Hoc animal est corpus*; tunc manente consequentia particulari, nimirum, *Aliquod corpus est sensibile*; syllogismus erit expositorius hoc pacto; *Hoc animal est sensibile*; *Hoc animal est corpus: ergo aliquod corpus est sensibile*; quæ regula fundatur in hoc principio dialectico, scilicet *quod sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti*. Quare cùm propositiones singulares sint consequentes ad propositiones vniuersales; id quod sequitur ex illis, sequetur etiam ex vniuersalibus: e. g. *Omnis homo est albus*; bene infertur: *ergo Petrus est albus*; ex quo cùm inferatur, *ergo aliquis homo est albus*, hoc idem inferri poterit ex primo antecedenti, vt manifestum est.

Notandum secundò, quòd quando syllogismi tertiæ figuræ habent aliquam præmissam particularem, ex qua non bene deducitur singularis determinata, hæc alia regula adhibenda est, nimirum, sumatur talis particularis, & loco illius ponatur alia propositio singularis, illa scilicet, ratione cuius per descensum disiunctiuum verificari potest illa particularis; tunc A etiam ex eis bene sequetur eadem conclusio particularis, vt patet in *Disamis*: nam si quis vellet probare huiusmodi syllogismum per expositorium, nempe *Aliquis homo est musicus; omnis homo est animal: ergo aliquod animal est musicum*; loco illius maioris, scilicet *aliquis homo est musicus*, descendat ad hanc particularem determinatam, videlicet, *hic homo est musicus*, & dicat: *Hic homo est musicus: omnis homo est animal: ergo aliquod animal est musicum*; tunc optime fiet syllogismus expositorius. Huiusmodi autẽ regula fundatur in doctrina suppositionis: nam propositio, quæ habet descensum disiunctiuum, vt *aliquis homo est musicus*, habet etiam suppositionem determinatam, & consequenter habet veritatem ratione alicuius determinati, itaut exclusis aliis deueniatur ad vnum, ratione cuius verificetur propositio; B quod accidere semper videtur, quando est propositio particularis de prædicato accidentali; nam si prædicatum esset essentiale, cùm propositio indefinita æquiualeat vniuersali, tunc poterit inferre saltem ratione materiæ, etiam consequentiam vniuersalem: nam dicatur, Homo, siue aliquis Homo est animal; etiam inferri potest: ergo omnis homo est animal.

Dicendum est ergo, quòd licèt probatio per expositorium optime fieri possit in syllogismis omnibus imperfectis cuiuscunque figuræ: propriùs tamen, & conuenientiùs fieri debet in iis, qui tertiæ figuræ sunt, quàm in aliis.

Probatur; Tum quia medius terminus singularis ex quo indispensabiliter constat syllogismus expositorius, propriùs, & conuenientiùs subiicitur, quàm C prædicatur, cùm subiici sit proprium singularium, & particularium; sed tantùm in tertia figura semper subiicitur; ergo tantùm in tertia figura propriùs, & conuenientiùs syllogismus expositorius fieri postulat, & consequenter propriè, & naturaliter loquendo syllogismi tertiæ figuræ præ cæteris per ipsum expositorium probari debent. Tum etiam quia, cùm tertia figura habeat omnes conclusiones particulares, & propositio particularis bene inferatur a singulari, e.g. *Petrus currit: ergo aliquis homo currit*; congruentiùs igitur syllogismi tertiæ figuræ per expositorium probari debènt, quàm alii cæterarum figurarum.

Obiicitur primo in oppositum. Nam si probarentur syllogismi tertiæ figuræ per syllogismum expositorium iuxta præcepta primæ regulæ, vteremur modo D procedendi à propositione vniuersali ad singularem: sed hic modus non est consequentia formalis, cùm non constet consueto artificio formæ syllogisticæ; ergo saltem per istam regulam syllogismi tertiæ figuræ nequeunt probari per expositorium. Minor probatur; nam vertendo istam propositionem, e.g. *omne animal est sensibile*, in istam, *Hoc animal est sensibile*, vt notatum est supra, est consequentia, quæ tantùm sequitur ratione materiæ: ergo non est consequentia formalis.

Respondetur distinguendo minorem, non est formalis consequentia explicitè, conceditur; implicitè, negatur; quoniam in hac consequentia, *Omne animal est sensibile: ergo hoc animal est sensibile*, implicitè subintelligitur, ista minor, *sed hoc est animal*.

Obiicitur secundò; quia si probarentur syllogismi tertiæ figuræ per expositorium iuxta præcepta secundæ regulæ, propositio particularis diceret, & importaret

taret determinatè vnam singularem: sed hoc est falsum: ergo saltem per istam regulam non poterunt probari expositorii. Minor probatur; nam ex hoc antecedenti, Aliquis homo est albus, non possumus dicere determinatè: ergo Petrus, seu Paulus est albus: ergo, &c.

Respondetur negando minorem, nam licèt prædicta propositio, Aliquis homo est albus, non importet, neque dicat explicitè, Petrum, seu Paulum determinatè esse album; tamen hoc importat, & dicit implicitè; cùm propositio particularis, seu affecta signo particulari, ex dictis in nostris Institutionibus, supponat determinatè, & veritatem habeat per aliquam propositionem determinatam.

Obijcitur 3. quoniam huiusmodi syllogismus est in *Disamis*, nimirum, Aliquis oculus est necessarius ad videndum; sed omnis oculus est pars capitis: ergo aliqua pars capitis necessaria est ad videndum; & tamen non potest probari per syllogismum expositoriū: ergo falsum est, quòd syllogismis tertiæ figuræ præ cæteris conueniat probatio per expositorium. Consequentia patet. Quod autem non possit probari allatus syllogismus per expositorium, sic probatur; nam sub medio termino prædicti syllogismi, non potest colligi, aut accipi aliquod singulare, ratione cuius maior propositio sit vera, iuxta præcepta secundæ regulæ adnotatæ; quandoquidem nec dexter oculus Petri v. g. necessarius est illi ad videndum, qui cum sinistro etiam cernere potest; nec pariter sinister necessarius est, cùm etiam cum dextro optimè aspicere possit: ergo, &c.

Respondetur negando, quòd non possit talis syllogismus probari per expositorium; ad cuius probationem dicendum est, quòd illa maior allati syllogismi in *Disamis* dupliciter accipi potest; primò vt habet sensum disiunctum, quatenus scilicet ex ea inferri nequit aliquod determinatum, nec est conuertibilis simpliciter accipiendo terminos singulares, quomodò fieri potest, quando propositio est disiunctiua, seu habet descensum disiunctiuum, vt supra explicauimus: Quare non valet, Aliquis oculus est necessarius ad videndum: ergo aliquod necessarium ad videndum est hic oculus; eò quòd de nullo oculo determinato potest dici, hic est necessarius, cùm de quolibet, enumerando singulos, verè dici possit, hic non est necessarius; & in hoc sensu verum est, præfatum syllogismum non posse probari per expositorium, vt docet argumentum. Secundò verò accipi potest talis propositio, vt habet sensum disiunctiuum, ita vt imitetur naturam propositionis de subiecto singulari determinato; idest vt complectatur vtranque partem propositionis disiunctæ, cui æquiualet particularis; & tunc totum disiunctum, siue subiectum disiunctim acceptum debet esse prædicatum minoris, vt inferatur conclusio eo modo, quo se habet terminus singularis, vel vniuersalis singulariter acceptus, dicendo, Aliquis oculus est necessarius ad videndum: dexter, vel sinister est aliquis oculus: ergo dexter, vel sinister est necessarius ad videndum. Et in hoc sensu falsum est prædictam propositionem non posse exponi, nec talem syllogismum posse probari per expositorium.

Vnde valdè, & diligenter notandum est prædictum syllogismum non conclusurum, si minor esset talis, scilicet Dexter, seu hic oculus est aliquis oculus, quia A non prædicaretur totus medius terminus de subiecto minoris. Committeretur autem idem vitium, ac in hoc capitoso, & fallaci syllogismo, scilicet Omnes Apostoli sunt duodecim; Petrus, & Andreas sunt Apostoli; ergo Petrus, & Andreas sunt duodecim.

QVÆSTIO III.

Vtrùm syllogismi omnium figurarum conuerti, & reduci possint ad quatuor priores, & perfectiores primæ figuræ.

B

DE hac materia non pauca tradidimus suprà lib. 3. nostrarum Instit. cap. 5. quæ nunc necessariò ad memoriam sunt reuocanda: tamen quia ibidem nonnulla, quæ maiorem postulabant explicationem, reliquimus; non erit inutile talia hic apponere, & explicare, vt syllogismorum probatio, atque reductio omne complementum, recipiant.

Notandum idcircò est primo, quòd licèt reductio per impossibile specialiter applicetur duobus illis modis imperfectis, *Baroco*, scilicet, & *Brocardo*, vt testatur litera C. in ipsis adinuenta, nihilominùs etiam generaliter applicari potest omnibus modis cuiuscunque figuræ. Quod vt rectè fiat, huiusmodi regulæ C assignari debent, nimirum pro prima figura, quòd si quis neget consequentiam alicuius modi imperfecti, & reducibilis, oportet assumere contradictoriam conclusionis negatæ loco maioris, & maiorem argumenti, cuius negatur consequentia, loco minoris; & tunc inferetur in conclusione contradictoria alicuius propositionis antè concessæ: excipitur tamen *Celantes*, in quo minor fit maior, & contradictoria conclusionis negatę minor. Pro secunda verò figura seruatur maior argumenti, cuius negatur consequentia, & contradictoria conclusionis negatæ assumitur loco minoris. Pro tertia tandem figura seruatur minor argumenti, cuius negatur consequentia, & contradictoria conclusionis negatæ assumitur loco maioris, vt patet his versibus. In prima scilicet.

D *Maior fit Minor, vt sit contradictio Maior;*
Excipe Celantes, in quo conuertitur ordo.
Maiorem seruat; variatque secunda Minorem;
Tertia Maiorem variat, seruatque Minorem.

Notandum secundò, quòd estò ex dictis facile sit scire, in quo modo ex perfectis, fit argumentum reductum per impossibile: Dialectici tamen adinuenerunt ista vocabula, nimirum, *Nesciebatis, Odiebam Letare Romanis*: in quibus aduertedum est, quòd primum vocabulum constans quinque syllabis, significat quinque modos imperfectos primæ figuræ, ordine seruato, idest prima syllaba primum modum, secunda secundum, &c. Aliud vocabulum constans quatuor syllabis significat, eodem ordine, quatuor modos figuræ 2. Alia duo vocabula constantia sex syllabis, significant sex modos tertiæ figuræ. Insuper videndum est, quæ nam ex his vocalibus, A, E, I, O, reperiatur in illa syllaba, quę correspondet cuilibet modo;

modo: illa enim vocalis significat talem modum reducendum esse ad illum ex quatuor perfectis, cuius conclusio significetur per illam vocalem. A significat conclusionem in *Barbara* vniuersalem affirmatiuam. E vniuersalem negatiuam in *Celarent*. I particularem affirmatiuam in *Darij*. O particularem negatiuam in *Ferio*.

Dicendum est ergo, quòd omnes, & singuli syllogismi imperfecti, optimè reduci possunt ad quatuor priores, & perfectiores primæ figuræ.

Probatur; quoniam id, quod non habet totam euidentiam, & claritatem, quam potest habere, optimè potest explicari, & declarari per id, quod ipso euidentius, & clarius est: sed omnes, & singuli syllogismi imperfecti, licèt necessariò, & bene concludant; non habent totam euidentiam, & claritatem, quam possunt habere: ergo optimè explicari possunt, & declarari per priores quatuor perfectiores, clariores, & euidentiores primæ figuræ: sed reductio, & conuersio, prout ad præsens spectat, est quædam declaratio, explicatio, & manifestatio illius, quod reducitur: ergo si præfati syllogismi queunt declarari, & explicari; poterunt etiam conuerti, & reduci.

Obijcitur in oppositum primò; nam conclusio particularis in *Baralipton*, debet conuerti in vniuersalem; vt reducatur ad *Barbara*; nam in ea debet fieri conuersio per accidens, vt patet; sed hæc conuersio sæpe fit cum falsitate: ergo non omnes, & singuli syllogismi imperfecti conuerti possunt ad quatuor priores primæ figuræ, &c. Minor probatur; nam fit conclusio in *Baralipton* e. g. ergo aliquod Cælum est substantia; debet conuerti; ergo omnis substantia est cælum, quod est falsum: ergo talis conuersio sæpe fit cum falsitate.

Respondetur dupliciter nos loqui posse de propositione particulari; vel simpliciter scilicet, & secundum se; vel vt pendet à talibus præmissis bene dispositis, & veris. Primo modo concedimus sæpe conuerti posse cum falsitate, vt probat argumentum; non verò secundo modo, quemadmodum est sermo in præsenti. Nam si struatur syllogismus in *Baralipton* ex his veris, & benè dispositis propositionibus; nimirum Omne corpus est substantia; Omne Cælum est corpus: ergo aliqua substantia est Cælum; benè, & cum veritate potest conuerti ad *Barbara*, dicendo; ergo omne Cælum est substantia; quod vtique non sequeretur, si e. g. diceretur in eodem Baralipton; Omne lucidum est Cælum; sed omnis substantia est lucida: ergo aliquod Cælum est substantia, nam deberet conuerti talis particularis conclusio in istam vniuersalem: ergo omnis substantia est Cælum, quæ falsa est, quia non procedit ex veris præmissis, vt certum est.

Obiicitur 2. Quoniam modi perfectiores non debent reduci ad modos imperfectiores; sed *Darapti* est modus perfectior quam *Darij*; ergo saltem syllogismi in ipso facti, non debent reduci ad *Darij*, qui est tertius ex illis quatuor perfectioribus primæ figuræ; sed è contrà. Maior patet ex supposito. Minor verò probatur; nam modi vniuersaliores perfectiores sunt particularibus: sed *Darapti* vniuersalior est quàm *Darij*, qui tantùm constat ex maiori vniuersali; ergo *Darapti* est modus perfectior, &c.

Respondetur, quòd licèt modi vniuersales sint perfectiores particularibus in eadem figura, & inter di- A rectè concludentes, non tamen semper id in diuersis figuris; ideò *Darapti* non est perfectior modus, quàm *Darij* ratione figuræ; cùm tertia figura, cuius *Darapti* est prior modus, omnium infima sit.

Obiicitur tandem 3. ad hominem, probando, quòd saltem per impossibile non omnes syllogismi imperfecti possint reduci, & conuerti, vt notatum est. Nam si in omnibus syllogismis imperfectis cuiuscunque figuræ posset fieri conuersio per impossibile, semper concluderetur contradictorium alicuius præmissæ concessæ: sed hoc est falsum; ergo saltem falsum est, quòd omnes syllogismi imperfecti possint conuerti per impossibile. Maior constat; quia conuersio, seu reductio per impossibile tunc fit, quando assumendo contradictorium conclusionis negatæ cum altera ex B præmissis concessis, fit syllogismus perfectus concludens contradictorium alicuius præmissæ concessæ; ac proinde cogitur negans concedere duas contradictorias simul veras; vt communiter docent omnes Dialectici. Minor verò, in qua consistit difficultas, probatur: nam conuertatur huiusmodi syllogismus in modo *Baralipton* primæ figuræ, e. g. Omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo aliqua substantia est homo; tunc iuxta explicatas regulas primæ figuræ debet sumi contradictorium conclusionis, nempe Nulla substantia est homo, & poni loco maioris; deinde ipsa maior, quæ erat, Omne animal est substantia, debet poni loco minoris concessæ, nempe Omnis homo est animal, dicendo, & formando syllogismum sic, nempe Nulla substantia est homo: sed omne animal est substantia; tunc autem concluderetur: C ergo Nullum animal est homo; non concluderetur contradictorium illius minoris concessæ, nempe, Omnis homo est animal: quoniam omnis homo est animal, & nullum animal est homo, tantùm opponuntur contrariè, seruata tamen conuersione simplici: ergo falsum est, quòd semper concluderetur contradictorium alicuius præmissæ negatæ.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd ista propositio, seu consequentia, scilicet Nullum animal est homo, opponitur contradictoriè illi minori concessæ, nempe omnis homo est animal, non quidem immediatè, sed mediatè, quatenus scilicet illa minor concessa continet hanc particularem, scilicet Aliquis homo est animal, cui facta conuersione simplici, contradicet ista, Nullum D animal est homo: nam aliquis homo est animal, & nullus homo est animal, opponuntur contradictoriè, vt patet in tabula oppositionis propositionum.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

Quomodo reducendi sint syllogismi hypothetici, modales, exponibiles, obliqui, &c.

INter syllogismos imperfectos, hoc est non tantæ claritatis, atque euidentiæ, quales sunt omnes categorici, & præcipuè illi, qui in quatuor prioribus modis primæ figuræ construi solent; ponunt Dialectici

lectici hypotheticos, modales, exponibiles, obliquos, &c. qui omnes pariter vt probentur ac manifestentur, ad simplices categoricos, non solùm perfectiores primæ, sed etiam imperfectiores cuiuscunque figuræ, reduci debent. At quia tales syllogismi imperfecti (quidquid dicant alij, qui superfluas, atque inutiles figuras, modosque pro ipsis tradiderunt) non habent simpliciter, & secundùm se propria instrumenta, sicut categorici, sed tantùm secundùm quid, idest ratione prædictorum categoricorum, ex quibus aliquo modo constant; hinc est, quòd de ipsis specialem non excitamus disputationem, sed pauca hæc, veluti præcedentis additamenta, & appendicem tradimus.

Relictis igitur diuersarum regularum ambagibus, quæ apud summolistas adinueniri solent; vnicum, facillimumque reducendi modum cum Baldio-Gherardesca, priori parte Instit. logic. tract. de argumentatione cap. 23 atque alijs, non tantùm pro hypotheticis, verùm etiam pro modalibus, exponibilibus, ac obliquis syllogismis iudicauimus esse statuendum, nimirum quòd propositiones hypotheticæ, modales, exponibiles, & obliquæ, ex quibus materialiter constant prædicti syllogismi, priùs conuertantur in categoricas simplices; deinde ad tales categoricos syllogismos, quos componunt præfatæ propositiones, ipsi hypothetici, modales, exponibiles, & obliqui syllogismi reducantur; qui si erunt imperfecti, ad perfectiores priores quatuor modo primæ figuræ, facilè iuxta præcepta superiùs explicata, poterunt conuerti, atque reduci.

Inchoando itaque ab Hypotheticis, cum alii coniuncti, alij disiuncti sint; tunc huiusmodi hypotheticus coniunctus, e. g. Homo est rationalis, & Equus est hinnibilis; sed Petrus est homo, & Bucephalus equus: ergo Petrus est rationalis, & Bucephalus hinnibilis; ad categoricum conuertetur, & reducetur, si prædictæ propositiones diuidantur, & resoluantur in vniuersa- A les, cum sint indefinitæ in materia necessaria; & sic erunt duo syllogismi categorici in *Darij*, scilicet, Omnis homo est rationalis: Petrus est homo: ergo Petrus est rationalis: Et omnis equus est hinnibilis; Bucephalus est equus: ergo Bucephalus est hinnibilis: Itē tunc iste alius hypotheticus coniunctus, e. g. si est lapis est substantia; sed Iaspis est lapis: ergo Iaspis est substantia; conuertetur, & reducetur ad Categoricum, si maior illa conuertatur in Categoricam, & dicatur: Omnis lapis est substantia; nam tunc similiter erit categoricus in *Darij*, & sic de cæteris, etiamsi negatiui fuerint, cæteris paribus, & proportione seruata, nimirum, vt reducantur ad modos negatiuos cate- B goricorum. Tandem iste hypotheticus disiunctus, e.g. Aut Socrates est sanus, aut ægrotus; sed Socrates est sanus: ergo non est ægrotus; reducetur ad categoricum; si conuersa maiori in categoricam, dicatur in *Ferio*: Quicunque sanus non est ægrotus, sed Socrates est sanus: ergo Socrates non est ægrotus; & sic de cæteris siue negatiui, siue affirmatiui fuerint, proportione tamen seruata, vt dictum est.

Modales autem syllogismi ad categoricos reducentur, si carmina illa, *Omnis necesse valet, impossibile nullus, &c.* quæ explicauimus lib. 2. nostrarum Instit. cap. 10. iterum memoriæ mandentur, nam sic cate- C goricæ erunt per æquipollentiam omnes illorum propositiones, seruatis tamen regulis affirmationis, & negationis, quas ibidem tradidimus.

Syllogismi denique exponibiles, obliqui, & si qui alij sint, optimè ad categoricos reducentur, si propositionum, ex quibus constant, vim, & sensum diligenter perpendemus; nam dicendo, Tantùm homo est animal rationale, idem valet ac dicere, Omnis homo est animal rationale; similiter dicendo, Omnis creatura est Dei, idem valet ac dicere, Omnis creatura est aliquod productum à Deo, & sic de cæteris, proportione seruata.

LIBER SECVNDVS

PRIORVM, EIVSQVE SYNOPSIS.



Ostquam Pilosophus superiori libro disseruit de ijs, quæ syllogismi naturam, & essentiam quodammodò ingrediuntur, de eius scilicet forma, ac materia tum proxima, tum remota, nec non de aliquibus eius passionibus, videlicet probatione, & reductione; hoc secundo libro eiusdem syllogismi alias passiones, seu affectiones, quæ potestates, seu potentiæ, & impotentiæ vocantur, latissimè prosequitur explicandas. Diuiditur autem liber iste in tres partes; in prima sex traduntur syllogismorum potestates. In secunda quædam syllogismorum impotentiæ, seu vitia exponuntur. In tertia D tandem Philosophus docet quo pacto cæteræ argumentationis species, seu quasi species ad syllogismum reducantur, seu per syllogismum probentur.

Continet autem liber iste 35 capita, quæ breuitatis gratia ad 12 reducuntur; in quorum primo examinatur prima potestas, quæ est, quòd vnus syllogismus multas inferre possit conclusiones. In secundo verò traditur, quòd secunda potestas est, vt ex falsis præmissis aliquando vera concludatur illatio, non quidem per se, cùm falsum ex vero per se pendere non possit; sed per accidens, ratione scilicet formæ syllogisticæ. In tertio dicitur, quòd tertia potestas est ratiocinandi in circulum, seu circulariter syllogizandi. In 4. docetur, quòd conuersiuè, seu per conuersionem syllogizare

gizare est quarta potestas. In 5. verò statuitur, quid sit per impossibile argumentari, quæ est quinta potestas. In 6. tandem traditur sexta syllogismi potestas, quæ est ex oppositis ratiocinari. In 7. autem capite assignatur primus syllogismi defectus, qui est petitio principij. In 8. secundus, qui est Non propter hoc accidere falsum, qui tunc euenit, quando syllogizando falsitas conclusionis illatæ imputatur alicui propositioni in antecedenti, quæ verè non erat causa falsitatis illius: hoc autem maximè fit in syllogismis, in quibus est aliqua præmissa superflua, e. g. Homo est animal, & omne corpus est viuens; omnis lapis est corpus: ergo omnis lapis est viuens. Conclusio est falsa: ergo illa pars antecedentis est falsa, scilicet homo est animal. Hic falsitas conclusionis imputatur propositioni, quæ non est causa, nam ea remota, adhuc sequitur conclusio falsa. In 9. assignatur tertius defectus, qui dicitur fallacia contrariæ opinionis, qui tunc aduenit, quando assentimur duobus contrariis, aut contradictoriis, siue in vniuersali, siue in propria forma expressis; vt qui admitteret, Omne animal est corpus, & nigrum nullum est corpus; in communi admittit has, Omnis coruus est corpus, nullus coruus est corpus, quæ formaliter sunt contrariæ. In 10. Philosophus ponit nonnullas regulas spectantes ad reductionem aliarum specierum argumentationis. In 11. docet reducere Inductionem, & Exemplum ad syllogismum. In 12. tandem determinat, quid dicendum sit de ipso Enthymemate.

DISPVT. TRIGESIMAQVINTA.

De reductione cæterarum argumentationum ad syllogismum.



Ectus postulabat ordo, vt vna cum Philosopho in hoc 2. libro non solùm de reductione cæterarum argumentationum ad syllogismum, verùm etiam de ipsis potentijs, & impotentijs syllogismorum disputatio texeretur: Quia verò de potentijs superiùs multa tradidimus disp. 31. quæst. 3 agendo de consequentijs, nec non disputatione præcedenti agendo de conuersione; & in sequentibus libris plura addenda sunt: & similiter quia de impotentiis, & vitiis ex professo disputandum est in libris Elenchorum; hinc est, quòd tantùm de reductione argumentationum imperfectarum ad perfectam, nempe ad ipsum syllogismum, præsens disputatio inscribitur; quæ cùm parum, aut nihil difficultatis præseferat, vnico dubio absoluenda est.

A

QVÆSTIO VNICA.

An Inductio, Enthymema, & Exemplum possint reduci ad syllogismum.



ENE adnotata, natura, quidditate, & essentia prædictarum argumentationum imperfectarum, de quibus tum in nostris Instit. lib. 3. cap. 1. tum disp. 31. quæst. 2. satis est dictum; pro resolutione propositæ difficultatis

B

Notandum est primò, quòd cùm medium, quo inductio ad suadendum vtitur, sit illa partium, vel integrantium, vel subiectarum multitudo, quæ in antecedente continetur: vt igitur prædicta inductio syllogismi formam induat, opus est, vt eadem singularium multitudo pro medio accipiatur, & in antecedente cum vtroque extremo coniungatur; sit exemplum in huiusmodi inductione, scilicet elementum ignis est simplex, & elementum aeris est simplex, similiter elementum aquæ, & terræ: ergo omne elementum est simplex. Medius terminus est ignis, aer, aqua, & terra; nam simplicitas ex eo tribuitur omni elemento, quia illis quatuor conuenit, & hæc tantùm manent extra conclusionem, quod medii termini proprium est.

C

Cæterùm, cùm talia in prædicto antecedente non solùm cum maiori extremitate, scilicet cum simplici coniungatur, sed etiam cum minori, nempe cum elemento; ponatur prædicta minor extremitas loco minoris propositionis, & dicatur, sed prædicta sunt elementa, fit perfectissimus syllogismus, videlicet, ignis est simplex, aer est simplex, & similiter aqua, & terra: sed prædicta sunt elementa: ergo omne elementum est simplex.

Notandum 2. quòd Philosophus loquendo in hoc 2. libro cap. 30. de Exemplo, ita illud descripsit, nimirum, *quòd sit inductio imperfecta ostendens primum in esse medio per simile tertio*: hoc est, inductio non procedens à pluribus particularibus enumeratis ad vniuersale, vti frequentiùs conuenit naturæ inductionis;

D

quæ probat maiorem extremitatem conuenire medio per aliquod simile minori extremitati; e. g. in hoc, Thebanis aduersus finitimos pugnare fuit malum: ergo Athenienfibus aduersus finitimos pugnare erit malum. Vbi ly erit *malum*, est maior extremitas; *Aduersus finitimos pugnare*, est medius terminus; & *Atheniensibus*, est minor extremitas; vnde cum probet, & ostendet Atheniensibus aduersus finitimos pugnare esse malum, ex eo quòd Thebanis hoc idem fuerat malum, videbitur probare maiorem illam extremitatem conuenire medio termino per aliquid simile Atheniensibus, qui ponuntur loco minoris extremitatis, nempe per Thebanos, qui in tali casu fuerant similes. Quapropter eius probatio, seu reductio priùs fieri debet ad inductionem perfectam, seu vt frequentiùs vsurpari solet; ac ea mediante, ad ipsum syllogismum. Fiet autem ad talem Inductionem perfectam, si dicatur, Thebanis, & similibus populis aduersus

finitimos pugnare fuit malum: ergo vniuersaliter aduersus finitimos pugnare erit malum. Quo peracto, ista vniuersalis consequentia ponatur in syllogismo loco maioris, & addatur minor dicendo, sed Athenienses aduersus Thebanos bellum gerere, est contra finitimos pugnare: optimè concludetur in *Darij*: ergo Atheniensibus aduersus Thebanos bellum gerere, erit malum. Nec mirum esse debet, si reductio Exempli ad syllogismum pluribus extrinsecùs assumptis egeat, quàm aliarum argumentationum, cùm secundum se à formali probandi ratione longiùs absit.

Notandum 3. quòd Enthymema constat ex tribus terminis, sicut syllogismus, & ideò est syllogismus perfectus in potentia; quia ex tribus terminis tres possunt fieri propositiones, quarum vna illi deest in actu, quæ tamen est in potentia in illo termino, qui est minor extremitas, vt patet in hoc e.g. Omne animal rationale est risibile: ergo omnis homo est risibilis, nam ly *risibile*, quod est prædicatum, est maior extremitas; ly autem *Homo*, quod est subiectum, est minor extremitas, vbi latet altera propositio, quæ est in potentia. Et tandem ly *animal rationale*, est medius terminus. Vnde ad perfectionem reducitur, & fit syllogismus perfectus, adiuncta altera propositione, quæ retinebatur in animo, & latebat in subiecto consequentiæ, vt puta si dicatur, sed Omnis homo est animal rationale; nam tunc fiet perfectissimus syllogismus in *Barbara*. Quoniam autem in Enthymemate, aliquando deficit maior, & aliquando minor propositio; regula certa, & generalis ad cognoscendum, quæ nam propositio deficiat, est ista, nimirum quòd quando medius terminus sumitur in antecedente cum subiecto conclusionis, quod est minor extremitas; tunc deficit maior propositio, quia illud tunc est minor propositio: nam minori propositio constat ex medio termino cum minori extremitate. Quando autem in antecedenti est acceptus medius terminus cum prædicato conclusionis; tunc deficit minor, quia tunc antecedens est maior propositio, cum sit ex medio cum maiori extremitate. Vnde deficiente maiori propositione, debet illa constitui ex medio cum prædicato conclusionis. Deficiente autem minori, illa debet constitui ex medio cum subiecto conclusionis; & sic redditur perfectus syllogismus, qui fuerat imperfectus per additionem deficientis propositionis.

Dicendum est ergo primò, quòd Inductio primò, & per se reuocatur ad tertiam figuram; ratione verò simplicis conuersionis, qua est capax minor illius propositio, potest etiam reduci ad primam.

Probatur; nam quando aliqua inductio reuocatur ad syllogismum, minor propositio, quæ addetur, constat ex eodem subiecto quo omnes antecedentes, quæ sumuntur pro maiori; sed in illis omnibus subijcitur medium: ergo etiam in minori subijcietur. Sed quando medium in vtraque præmissa subiicitur, est syllogismus in tertia figura; ergo Inductio ad prædictam tertiam figuram reuocatur. Hoc totum autem isto declaratur exemplo; scilicet Omnis homo sentit; omnis bestia sentit: sed hæc omnia sunt animalia: ergo omne animal sentit. Ex quo etiam claret secunda pars conclusionis; nam illa minor, videlicet, sed hæc omnia sunt animalia, si vera est, conuertatur simpliciter in hanc, scilicet, sed omnia animalia sunt hæc omnia; si pro minori accipiatur, syllogismus erit in

A *Barbara*, vt patet.

Dicendum est 2. quòd Exemplum tum ad tertiam, tum ad primam reuocatur figuram. Probatur; quoniam in Exempli reductione, duo saltem syllogismi intercedunt, vnus implicitè, ratione scilicet reductionis inductionis imperfectæ ad perfectam, quæ indispensabiliter requiritur ad talem reductionem; alius verò explicitè, vt notatum est suprà: sed primus spectat ad tertiam, secundus ad primam: ergo ipsum Exemplum tum ad tertiam, tum ad primam reuocabitur figuram. Maior patet ex dictis. Minor verò probatur; nam in primo concluditur maius extremum per aliquid simile minori extremitati, & consequenter medium semper subiicietur; in secundo verò concluditur maior extremitas de minori per medium, & consequentet

B ipsum medium in maiori subijcietur, & in minori prædicabitur, vt patet exemplo superiùs adnotato: ergo primus syllogismus ad tertiam figuram, secundus verò ad primã spectabit. Hoc autem etiã eueniet, quãdo prædicti syllogismi erunt negatiui, cæteris tamen paribus, hoc est seruata natura modorũ negatiuorum, vt optimè obseruarunt Conimbr. in explicatione huius libri secundi Priorum.

Dicendum est 3. Enthymema ad omnes tres figuras reduci posse. Probatur; nam syllogismi fieri possunt in omnibus tribus figuris ex superiùs dictis: ergo & Enthymemata, iuxta tamen eorum conclusiones, ita vt vbi conclusio in Enthymemate est vniuersalis affirmatiua, non possit reduci nisi ad primum modum primæ figuræ; & vbi est vniuersalis negatiua, nonnisi ad modos negatiuè vniuersaliter concludentes. Con-

C sequentia patet; quia Enthymema est syllogismus truncus, cui deest aliqua explicita propositio, quæ tamen implicitè, & mente in ipso præcontinetur: ergo, &c.

Pro maiori verò huius conclusionis declaratione tales regulę à Dialecticis assignari solent ad dignoscendum, ad quam figuram reducenda sint Enthymemata. Aspiciendum est itaque medium, quod, vt diximus, accipitur in antecedente, quia aut est subiectum, aut prædicatum in illo; Si est prædicatum, tunc reductio fit ad primam, & secundam figuram, sed diuersimodè; nanque ad primam fit sumendo medium pro subiecto, & prædicatum conclusionis pro prædicato, & ex eis efficiendo, & supplendo minorem: quia illud antecedens est minor propositio in prima figura, cùm

D medium prædicetur. Ad secundam verò fit sumendo medium pro prædicato, & maiorem extremitatem, quæ est prædicatum conclusionis, sumendo pro subiecto, ex eis efficiendo, & supplendo maiorem, si deest maior; aut capiendo adhuc medium pro prædicato, & subiectum conclusionis, quod est minor extremitas, pro subiecto, ex eis efficiendo, & supplendo minorem, si deest minor; nam quando medium est prædicatum in antecedente, potest illud antecedens esse minor, & & maior in secunda figura.

Si verò medium subiiciatur, non potest reduci ad secundam, sed ad primam, & tertiam figuram, alio tamen, & alio modo: nam ad primam figuram fit reductio capiendo mediũ pro prædicato, & subiectũ conclusionis pro subiecto, & ex eis efficiendo, & supplendo minorem, quia illud antecedens, vbi medium subijcitur, est maior propositio in prima figura. In tertia autem figura, quia illud antecedens potest esse maior,

&

& minor propositio, ex quo in eo medium subiicitur dupliciter, illud Enthymema potest reduci dupliciter ad tertiam figuram, vel sumendo medium pro subiecto, & prædicatum conclusionis pro prædicato, & ex eis efficiendo, & supplendo maiorem, si desit maior, vel capiendo medium pro subiecto, & subiectum conclusionis pro prædicato, & ex eis faciendo, & supplendo minorem, si desit minor.

Obiicitur primò in oppositum probando Inductionem non posse conuerti ad syllogismum; quoniam in omni syllogismo tantùm tres sunt termini, vt patet ex suprà dictis; sed in Inductione sunt plures termini, quàm tres: ergo Inductio ad syllogismum conuerti, & reduci nequit.

Respondetur, quòd licèt in Inductione sint plures termini, quàm tres secundum vocem, tamen accipiuntur per modum trium in syllogismo, quia cuncta singularia in antecedente Inductionis posita capiūtur pro medio.

Obiicitur 2. ex Arist. 1. Post. dicente, quòd Enthymema est verè, & perfectè syllogismus: ergo istud saltem non erit reducibile ad syllogismum, tanquam imperfectum ad perfectum.


Respondetur sensum verborum Aristotelis esse, quòd Enthymema sit verè, & perfectè syllogismus virtualiter, non verò formaliter. Vnde quia formaliter imperfectus est, vtpote carens aliqua propositione, quæ mente retinetur, ideo tanquam imperfectum ad perfectum reducibilis est.

Obiicitur tandem 3. probando Exemplum non esse reducibile ad syllogismum. Tum quia Exemplum non est consequentia necessaria: ergo non potest reduci ad syllogismum, cùm omnis syllogismus sit consequentia necessaria. Probatur antecedens; quia ex eo e.g. quòd Petrus propter animi infirmitatem cecidit, non sequitur necessariò, quòd Paulus propter eandem rationem casurus sit. Tum etiam quia, si Exemplum reduceretur ad syllogismum, hoc esset mediante Inductione perfecta, ex notatis: sed hoc non est dicendum A ergo, &c. Minor probatur; quia conclusio Inductionis perfectæ scilicet secundum frequentiorem vsum, semper est vniuersalis; conclusio verò Exempli semper est singularis, vel particularis: ergo Exemplum non est reducibile ad syllogismum per Inductionem.

Respondetur, & primò ad primam rationem distinguendo antecedens: Exemplum non est consequentia necessaria, ratione materiæ, conceditur; ratione formæ, & artificii, quo reducitur ad syllogismum, negatur; nam si maior extremitas conuenit vni singulari, eo quòd conuenit cum alio in tali medio, quia vtrunque singulare continetur sub ipso; ratione
B prædicti artificii, & formæ, consequentia erit necessaria. Vnde sicut non repugnat, quòd syllogismus, ratione materiæ sit probabilis, & ratione formæ necessarius; ita non repugnabit Exemplum ratione materiæ esse consequentiam probabilem, ratione verò formæ, consequentiam necessariam. Etenim si Petrus propter animi infirmitatem cecidit; admisso quòd Paulus habeat eandem infirmitatem, ex vi talis formæ, seu dispositionis medii cum extremitatibus, necessariò casum erit, licèt ratione materiæ hoc sit contingens. Præterquamquod tales argumentationes dicuntur absolutè probabiles, & topicæ, quia cùm
C possit fieri Inductio per omnia, consequenter medium, nunquam erit planè distributum; & sic probabilem, & infimum pariunt assensum.

Ad secundam verò rationem respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm propositio vniuersalis ratione conuersionis, per accidens præcontineat in se, particularem, ex dictis disp. 30. quæst. 1. nullum erit absurdum, quòd in conuersione, & reductione Exempli ad syllogismum adsit conclusio vniuersalis Inductionis, continens in se virtualiter, conclusionem particularem Exempli; &c. & conclusio particularis Exempli contenta, in vniuersali conclusione Inductionis, quæ sit maior propositio illius syllogismi, in quem conuertitur.

LIBER PRIMVS
POSTERIORVM, EIVSQVE SYNOPSIS.



X dictis in principio huius tertiæ, & vltimæ partis, iam constat scopum, seu obiectum horum duorū librorum Analyticon hsteron, seu de posteriori syllogismorum resolutione, scilicet in suam proximam materiam, non vtcunque, sed vt necessaria est, esse Demonstrationem ipsam, quidquid dicant Commentator, Alexander, Theophrastus, & nonnulli ex modernis, qui eos sequuntur; Nam in his libris partes essentiales, natura, & passiones Demonstrationis explican-
D tur. Et sic de definitione etiam agitur, non tamen quatenus tam ipsa, quàm demonstratio cadunt sub prædicato communi, & generico modi sciendi; sed quatenus est ipsius demonstrationis pars, cùm possit esse potissimum eius principium, & medium, vt suo loco videbitur.

Diuiditur autem primus iste liber in tres partes. In prima docet Philosophus Demonstrationem esse. In secunda quid sit, & ex quibus partibus constet; in tertia verò Qualis sit, hoc est, quas habeat passiones, aut proprietates. Continet igitur secundum latinos Interpretes 27. capita; in quorum primo, posito vni-

uersali Theoremate, scilicet quòd *Omnis doctrina ac disciplina, quæ ratione perficitur, fit ex praeexistenti cognitione;* explicat idem Philosophus, ea, quæ ante Demonstrationem cognosci debent, statuitque tria esse præcognita, & duas præcognitiones. Capite 2. definit scientiam, & demonstrationem illis definitionibus, quæ suo loco inferiùs examinandæ sunt. Deinde definit principium, dicens: *Principium est propositio immediata*, idest quæ caret medio, per quod probetur; quod diuidit in *Positionem*, & *Dignitatem*. Positio est principium non ita commune, & notum, vt necessariò sit illud habere, qui discere incipit, cùm possit saltem à Magistro id ipsum accipere; qualia sunt principia particularia cuiuscunque scientiæ; vt *Dici de omni*, & *Dici de nullo*: *Quidquid mouetur, ab alio mouetur, &c.* Dignitas verò est principium, quod quilibet tenetur habere, antequam scire incipiat, eò quòd sit maximè commune, & notum; vt *Quodlibet est*, vel *non est*: *Totum est maius sua parte, &c.* Rursus Positionem diuidit in definitionem, & suppositionem. Definitio est, quæ non continet verum, nec falsum, sed ex illa tamen potest suppositio fieri; vt animal rationale est principium, quod vocatur definitio, ex qua potest fieri aliud principium, quod sit suppositio, seu Propositio; vt si dicamus, *Homo est animal rationale*. Vnde suppositio nil aliud erit, quàm principium significans verum, vel falsum, quod vulgariter appellari solet Propositio; Dicitur tamen *Suppositio*, quia sub tali dispositione ponitur in demonstratione ad inferendam conclusionem. Et deinde concludit, quòd Principia sunt magis nota, quàm conclusiones, nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Cap. 3. reiicit duos errores Antiquorum, quorum primus erat nullam dari scientiam; 2. verò dari quidem scientiam, sed non habitum primorum principiorum; Vnde existimabant conclusiones sciri per principia, & principia circulariter per ipasmet conclusiones. Capite 4. statuit demonstrationem debere constare ex propositionibus necessarijs. Deinde explicat quid sit Principium, seu prædicatum de omni, per se, & vniuersale. Capite 5. adducit tres deceptiones, quæ solent contingere circa prædicatum vniuersale, de quo infrà. Capite 6. septem rationibus probat demonstrationem constare ex necessarijs, subiungitque ex contingentibus posse sequi necessariam, non tamen probari. Ex necessarijs autem semper sequitur necessarium; & ita repugnat, quòd conclusio sit contingens, & præmissæ necessariæ. Quare accidentia communia, siue sint separabilia, siue inseparabilia, non cadunt sub scientia, nec demonstrari possunt. Capite 7. ostendit demonstrationem debere constare ex propriis, non verò ex alienis, aut communibus, concluditque nullam scientiam particularem posse sua principia confirmare. Cap. 8. prosequitur demonstrationem debere constare ex propriis; additque Metaphysicam, & Logicam esse scientias generales. Capite 9. ostendit in qualibet scientia esse proprias interrogationes; explicatque in quo differant Demonstrator, & Dialecticus. Capite 10. diuidit demonstrationem, in demonstrationem Quia & Propter quid. Vnde etiam colligitur diuisio scientiæ in subalternantem, & subalternatam.

Ab hoc vero capite vsque ad 22. adducit alias demonstrationis diuisiones, aliaque non omnino necessaria pertractat. A capite verò 23. vsque ad 27. quod est vltimum, disputat de scientia, quæ est effectus demonstrationis; vnde nam sumatur vnitas, & distinctio scientiarum; & in quo scientia differat ab opinione, & solertia.

DISPVT. TRIGESIMASEXTA.

B

De Praecognitis ad Demonstrationem.



CVM demonstratio in nobis ex discendis, sit discursiua, non absque difficultate rationem eius assequemur, si præcognita ad discursum ignorauerimus: etenim antecedunt discursum actus iudicij, cuius obiectum est res complexa, in qua consistit veritas, vel falsitas, & actus apprehensionis, cuius obiectum est res simplex. Res autem complexæ in demonstratione discursiua sunt principia, seu propositiones; res verò simplices sunt subiectum, & passio; vnde usitato nomine appel-
C lari solent Præcognita. Cognitiones verò, quæ de ipsis possunt haberi, præcognitiones, de quibus omnibus debet procedere præsens disputatio. At quia, si tolleretur de medio scientia, in cuius gratiam adinuenta est demonstratio discursiua, non solùm esset superuacanea ipsa demonstratio discursiua; verùm etiam omne id, quod per ordinem ad discursum præcognosci debet; ideò ante omnia videndum est de existentia ipsius scientiæ.

QVÆSTIO I.

D *An detur in nobis notitia certa, & scientifica.*



IN hac quæstione, quæ breuissimè explicanda est, duæ extant sententiæ, quarum prima est Heracliti, & Cratilli, qui, teste Philosopho lib. 1. Metaph. cap. 6. & lib. 4. cap. 5. scientias de medio sustulerant, quibus etiam consenserunt Academici, vt obseruant Complut: hic disp. 17. quæst. prima.

Secunda verò est omnium aliorum Philosophorum, qui vnanimiter concedunt dari in nobis notitiam certam, & scientificam; at non eodem modo se explicant: nam Plato in Mennone, teste eodem Philosopho primo, & 7. lib. Metaph. putabat animam nostram ab

initio

initio suæ creationis omnibus scientiis fuisse decoratam, sed in infusione corporis ex consortio sensuum, omnium oblitam; nihilominus inde paulatim succedentibus occasionibus ab externis excitari, & eorum, quæ sciebat, reminisci; vnde inferebat scientiam non dari de nouo, sed tantùm esse quoddã reminisci; quam sententiam secuti etiam sunt omnes Platonici. Arist. verò hic cap. 1. & alibi cum cæteris Philosophis docet dari in nobis de nouo scientiam acquisitam per demonstrationem.

Notandum est idcirco primò, notitiam, prout ad præsens spectat, duplicem esse, sensitiuam, scilicet, & intellectiuam. Prima est, quæ versatur circa singularia materialia, minimè defæcata (quidquid dicant Scotistæ) à conditionibus materialibus, & indiuiduãtibus, cùm eousque sic coinquinata permaneant quousque per intellectum agentem depurentur, & possibili, siue passiuo offerantur. Quare apertè docet Philosoph. 1. Post. cap. vlt. sensum non cognoscere vniuersalia, sed tantùm singularia. Secunda verò notitia illa est, qua percipiuntur naturæ communes, & vniuersales, quæ licèt à parte rei non dentur separatæ à suis entitatibus materialibus, & indiuidualibus, tamen præcisæ, & abstractæ ab illis, earumque conditionibus intelliguntur; cùm propter conuenientiam in eodem graduum materialitatis, quam debent habere potentiæ, & obiecta, prædictæ entitates materiales, aliter intellectui obiici nequeant, vel repræsentari. Ex quo vtique fiet, quòd cùm singularia, circa quæ versatur notitia sensitiua, non sint permanentia, sed variabilia, & corruptibilia, secus verò vniuersalia; tantùm notitia intellectiua, quæ ipsa considerat, erit certa, & scientifica.

Notandũ 2. quòd ex eo quòd aliquod, seu aliqua cõclusio sciatur secũdùm quid, idest virtualiter, & potẽtialiter in suis principijs, non tollitur, quòd dum scitur, & cognoscitur simpliciter, hoc est actualiter in se ipsa, de ea non habeatur noua notitia, quæ priùs tantùm latitabat in prædictis principijs: ad eum modum, quo effectus naturales producuntur; nam licèt quilibet illorum præexistat in potentia, & virtute suarum causarum (quod est esse secundùm quid) non tamen sequitur, quòd dum actu producitur (quod est simpliciter esse) de nouo non producatur. Quare sicut ibi saluatur vera generatio naturalis per hoc, quòd id, quod erat in potentia ens, fiat actu ens, quod est reduci de potentia ad actum; sic in eo, qui addiscit, datur vera acquisitio scientiæ, quatenus id, quod virtute, & potentia erat notum in principijs vniuersalibus, actu cognoscitur in se ipso, quod est reduci de cognitione potentiali, seu virtuali, aut vniuersali in cognitionem propriam, & actualem.

Dicendum est ergo primò, quòd datur in nobis cognitio certa, & scientifica. Probatur, Tum naturali appetitu quem habet homo ad sciendum, qui vtique frustraretur, si nunquam perueniret ad cognitionem certam, & euidentem alicuius rei: Tum etiam ipsa experientia; plura enim ita certò, & euidenter cognoscimus, vt nulla omnino adsit dubitatio, vt patet in conclusionibus Mathematicis. Quinimmo ipsi Academici, dum nihil certo se posse scire ostendunt, id tamquam certum reputant, & aliquid se scire posse conuincuntur; vt lib. 3. contra ipsos cap. 9. optimè inuehit D. Aug.

A Dicendum est secundò, quòd notitia scientifica in nobis non præexistit, sed de nouo acquiritur, & generatur. Probatur primò auctoritate Concilii Lateranensis sub Leone X. vbi definitum fuit, quòd anima nostra in eo instanti in quo creatur, etiam corpori vnitur: ergo quando est in corpore, non potest obliuisci eorum, quæ ante infusionem corporis supponitur calluisse; cùm in eodem instanti non detur anteà, & posteà; & consequenter, dum aliquid scit, eius non recordatur, cuius erat oblita, sed de nouo scit.

Probatur 2. ratione; Tum quia dum reminiscimur, non solùm recordamur rei oblitæ, verùm etiam cognitionis habitæ de ipsa re, ad differentiam cognitionis primariæ, per quam nec ipsius rei, nec alicuius B cognitionis habitæ de ipsa re, memoriam habemus: ergo cùm in nobis detur aliqua notitia, per quam nec ipsius rei, neque alicuius cognitionis habitæ de ipsa re, memoriam habemus: talis notitia non erit reminiscentia, sed scientia de nouo acquisita. Tum etiam quia, nullus posset esse error in intellectu; quia phantasma solùm excitaret species ab initio infusas, quæ nonnisi veram cognitionem parere possent; cuius contrarium tamen sæpissimè experimur: ergo signum est, quòd intellectus noster à principio est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, & quidquid cognitionis habet, de nouo acquirit.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis. Tum quia intellectus mouetur à sensu, qui ex dictis tantùm versatur circa particularia, & corruptibilia: C ergo nostra notitia non erit scientifica; cùm de particularibus, & corruptibilibus non detur scientia. Tum etiam quia cognoscendo, non attingimus naturas rerum, sed potiùs per quasdam similitudines illas percipimus: ergo non habemus scientificam notitiam de illis. Tum etiam quia de omnibus dubitari potest, etiam de illo primo principio, scilicet *Quodlibet necesse est esse, aut non esse*; nam multi hoc negarunt, vt refert Arist. 4. Metaph. cap. 9. ergo nostra notitia non erit scientifica, cùm non sit certa.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt intellectus noster moueatur à sensu; non tamen sequitur, quòd ab ipsis particularibus, & corruptibilibus, quæ obiiciuntur sensui, nequeat abstrahere rationes vniuersales, atque essentias prædictorum particularium, quæ sunt æternæ, & incorruptibiles, D atque de istis habere scientias. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd species intelligibiles sunt rerum similitudines naturaliter repræsentantes; ideò que per ipsas, verè rerum naturas attingimus. Ad 3. verò rationem respondetur, quòd non debemus ob aliquorum imperitiam, immò petulantiam, negare omnem notitiam certam, & euidentem.

Obiicitur 2. in oppositum secundæ; nam cùm aliquid quærimus, vel illud scimus, & sic nihil de nouo cognoscimus; vel illud ignoramus, & sic nunquam illud poterimus cognoscere: sicut si seruus alicuius aufugerit, si quispiam anteà illum nouisset, vtique inueniet, si occurreret; sed si nullam habuit notitiam, etiamsi occurreret, non cognosceret: ergo nulla notitia scientifica datur in nobis de nouo acquisita.

Respondetur ex secundo fundamento, quod est Aristotelis hic cap. 1. Quoniam argumentum tantùm habet vim, cæteris paribus, videlicet quando tam

scimus,

scimus, quàm nescimus simpliciter, aut secundùm quid; non autem quando scimus secundùm quid, & nescimus simpliciter, vel è contra; tunc enim possumus aliquid simpliciter de nouo scire, quod anteà secundùm quid, in suis scilicet principijs tantùm sciebamus, & simpliciter ignorabamus, & è contrà. Quod patet de seruo fugiente, qui si occurrat alicui eundem ignoranti tam simpliciter, quàm secundùm quid, nunquam perfectè cum agnoscet; at verò si occurrat nescienti simpliciter, sed scienti secundùm quid, nempe vel secundùm signa accepta, coniecturas certas, relationes habitas, &c. procul dubio noscet illum simpliciter, quem anteà tantùm sciebat secundùm quid; & consequenter scientiam denuò de eo accipiet.

Obiicitur tandem 3. contra eandem. Quoniam si daretur de nouo notitia scientifica, vtique per demonstrationem daretur: hoc non est admittendum: ergo, &c. Maior patebit ex infra dicendis. Minor verò probatur; nam si daretur per demonstrationem, vel sciretur conclusio per præmissas secundùm se consideratas, vel vt applicatas in modo, & figura. Non primo modo, quia sic scientia non haberetur per demonstrationem, cùm demonstratio non constet ex præmissis tantùm, sed ex ipsis sic, & sic applicatis, & dispositis. Non secundo modo, quia vel talis applicatio erat nota addiscenti ante demonstrationem, & sic etiam esset nota illi ipsa conclusio; vel esset ignota, & sic nec posset ducere in cognitionem conclusionis: ergo talis notitia non haberetur per demonstrationem.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, conclusionem sciri per præmissas applicatas in modo, & figura. Vnde ad id, quod in contrarium assumitur, respondetur, eodem modo innotescere nobis applicationem præmissarum, ac ipsam conclusionem, cùm virtualiter in tali applicatione præcontineatur: quare cùm ante demonstrationem applicatio præmissarum nobis innotescat tantùm confusè, & indistinctè (possunt enim præmissæ in tali, vel tali figura, & modo applicari, cùm non intelligantur distincto modo applicatæ, nisi in ipsa statim demonstratione applicentur) ita etiam ipsa conclusio tantùm in confuso erit addiscenti nota, quod non implicat, vt patet: implicaret autem, si conclusio distinctè, non in ipsa applicatione possibili præmissarum, sed in se clarè, & distinctè nobis innotesceret.

QVÆSTIO II.

An dictum Aristotelis contra negantes scientiam, eiusque acquisitionem de nouo, nempe Omnem Doctrinam, omnemque Disciplinam intellectiuam fieri ex praexistenti cognitione; sit vniuersaliter verum.

ADuersus Antiquorum supra examinatos errores, protulit Philosophus prædictam propositio- A nem, de cuius profectò amplitudine, atque vniuersalitate, nihil certi, & stabilis possumus statuere, nisi priùs mentem ipsius Philosophi, qui eam dictauit, aliqualiter percipiamus; quod non paruam difficultatem propter variam lectionem latinorum Codicum secum affert: nam aliqui legunt, *Omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua*: ita Abrahamus de Balmes, & Burana Veronensis; aliqui verò, *Omnis doctrina, atque disciplina discursiua*, vt Boetius, & Niphus; vnde variæ explicationes illi adhibentur ab Interpretibus, quoniam qui Abrahami, & Buranæ translationem sequuntur, extendunt talem propositionem, vel ad omnem cognitionem intellectus tam simplicem, quàm compositam, adeo vt non tantùm Iudicium, seu Discursus fiat ex præexistenti cognitione, verùm etiam ipsa simplex apprehensio, vtpote ex cognitione sen- B sitiua: vel eandem propositionem accomodant ad solas cognitiones compositas tam secundæ, quam tertiæ operationis, itaut sensus sit, Omnem cognitionem intellectiuam tam discursiuam, quàm iudicatiuam fieri ex alia præexistenti cognitione intellectus, scilicet ex simplici apprehensione. Qui autem Boetij, & Niphi translationem sectantur, restringunt prædictam propositionem, vel ad solam cognitionem discursiuam, siue opinabilis, siue demonstratiua sit; vel ad eandem, vt tantùm demonstratiua est.

Nihilominus licèt hæc omnia subsistere possint, germanum sensum, puramque mentem Philosophi illi videntur attingere, qui talem propositionem ad solam cognitionem discursiuam applicant intellectus, siue opinatiua, siue demonstratiua fuerit. Cuius ratio C est; quoniam nomine præexistentis cognitionis Aristoteles tantùm intellexit illam cognitionem, quæ supponitur ad assensum conclusionis, non verò ad assensum primorum principiorum, vt optimè se explicauit hic, soluendo argumentum Platonis, dum dixit, quòd solùm assensus demonstrabilium propositionū, non autem primorum principiorum, quæ indemonstrabilia sunt, fit ex præexistenti cognitione; quapropter de sola cognitione intellectiua iudicatiua, quæ antecedit conclusionem, non autem de apprehensiua, vel sensitiua, quæ præsupponitur tantùm ad assensum primorum principiorum locutus est. Cùm autem cognitio iudicatiua tantùm præsupponatur immediatè ad discursum; nomine doctrinæ, & disciplinæ intellectiuæ solam cognitionem discursiuam in- D tellexit. Vnde in textu Græco, loco illius particulæ, *Intellectiua*, legitur διανοητικὴ; quæ vox (vt notant Conimbr:) deriuatur a nomine διανοία, & à verbo νοεῖν, quod significat viam conficere, seu discurrere; & hinc est, quòd emendatiores Codices latini legunt, Omnis doctrina, omnisque disciplina discursiua, &c.

Quòd autem ad solam cognitionem discursiuam demonstratiuam, & scientificam talem propositionem Philosophus non coarctet, manifestissimè patet ex eo, quòd ipsam probat inductione facta, tum in demonstrationibus Mathematicæ; tum in syllogismis, & inductionibus probabilibus Dialecticæ; & in exemplis, atque in enthymematibus Rhetoricæ, quæ propter incertitudinem materiæ non solùm non demonstrat, sed neque vtitur frequenter syllogismo, & inductione sicut Dialectica, sed enthymemate, & exemplo. Quapropter talis propositio ad mentem Philosophi

sophi huiusmodi sensum habere videtur, videlicet, *Omnis cognitio discursiua, siue quae in magistro est, nempe doctrina, siue in discipulo, nempe disciplina, siue demonstratiua, siue probabilis sit, fit ex praeexistenti cognitione iudicatiua intellectus*.

Hanc igitur propositionem sic explicatam, esse vniuersaliter veram senserunt communiter Aristotelis fideliores Interpretes, vt Auerroes, Philoponus, Albert. Mag. D. Tho. atque alij, quos sequuntur Sanch. lib 7. quaest. 1. Masius q. 1. ad 2. Ruuius quaest. 1. Conimbr. quaest. 2. art. primo. Complut. disp. 17. quaest. 1. & ferè omnes. Nihilominus propter nonnulla argumenta, quae in contrarium adduci solent, aliqua non inutiliter adnotanda sunt.

Notandum est idcirco primò, quòd habitus opinatiuus duplex est, vnus scilicet qui generatur ex syllogismo probabili, & correspondet scientiae; vt dum probatur, quòd Petrus e. g. sit doctus, ex eo quòd lyceum frequentat; alter verò, qui non generatur ex syllogismo probabili, sed ex sola notitia terminorum, & correspondet Intellectui, siue Intelligentiae, quae est habitus primorum principiorum demonstrationis; vt haec propositio, scilicet Mater diligit filium suum, quae vocatur propositio per se probabilis, cùm non colligatur ex alia, sed ex sola notitia terminorum; de hac secunda vtique non verificatur dictũ Philosophi, vt à nobis explicatum est; Sicut nec verificatur de primis principiis demonstrationis; nam quod habetur per solam notitiam terminorum, non habetur per iudicium intellectus, neque illius cognitio propriè appellari potest discursiua per rationem statim inferiùs adnotandam. De Primo verò omnino verificari potest, sicut verificatur de habitu scientiae, cùm syllogismus, per quem acquiritur, saltem entitatiuè, & materialiter sit quidam discursus, seu processus vnius cognitionis ab alia, vt suprà disput. 32. quaest. 3. dictum est.

Notandum secundò ex Angelico Doctore p. p. quaest. 58. art. 3. ad primum; quòd discursus, vt ipsum nomen indicat, est progressio intellectus ab vna cognitione in aliam, in quantum scilicet ex aliquo priùs noto deuenitur in cognitionem alterius, quod erat ignotum; quapropter necessariò includit plures cognitiones, seu iudicia, ex quorum vno procedatur ad aliud, quod est discurrere. Iudicium autem est secunda operatio intellectus, quae alio nomine compositio, & diuisio appellatur; consequenterque discursus non erit actus simplex à iudicio essentialiter distinctus, sed erit ipsa cognitio iudicatiua entitatiuè contenta sub secunda operatione intellectus, ita quòd idem actus entitatiuè dicatur Iudicium, & discursus; Iudicium quidem, secundùm quòd praecisè intellectus cognoscit vnionem praedicati cum subiecto; discursus verò, secundùm quòd idem intellectus assentitur eidem vnioni praedicati cum subiecto, & sic talis actus formaliter, secundùm quòd habet rationem discursus, dicit intrinsecum ordinem ad priora iudicia praemissarum, in quo distinguitur à prima, & secunda operatione intellectus.

Dicendum est ergo, quòd propositio praedicta ab Aristotele contra Antiquorum errores probata, & à nobis vt suprà explicata, est vniuersaliter vera.

Probatur breuiter ex dictis; quoniam nulla potest dari cognitio discursiua, quam non praecedat cognitio A iudicatiua: ergo praedicta propositio erit vniuersaliter vera. Consequentia bene deducitur. Antecedens autem probatur ex natura, & quidditate discursus; nam cùm nihil aliud formaliter sit quàm processus quidam ab ipsis iudiciis praemissarum, ad quae dicit intrinsecum ordinem, non poterit non praecedi ab ipsa cognitione iudicatiua: ergo, &c.

Obiicitur primò. Nam assensus fidei, seu cognitio quae habetur per fidem siue humanam; siue diuinam, non fit ex praeexistenti cognitione iudicatiua intellectus, sed ex sola notitia terminorum, quia formalis, & proxima ratio assentiendi in fide est testimonium fide dignum, per quam rationem distinguitur ab opinione; & tamen est disciplina discursiua, vt probabilis docet opinio: ergo talis propositio non est B vniuersaliter vera.

Respondetur, quòd est aliqui probabiliter defendant cognitionem, quae habetur per fidem, esse discursiuam, tamen communior sententia, quae a nobis tenenda est, apertè contrarium docet; Vnde argumentum nihil ad nos, cùm tantùm probet praedictam cognitionem haberi per simplicem notitiam terminorum, quod nos vtique concedimus, & ideo negamus esse discursiuam.

Obiicitur 2. quia scientia Angelorum videtur doctrina discursiua, cùm illi perfectissimè cognoscant proprietates rerum per proprias causas, vt hominem esse risibilem, quia est rationalis: sed talis doctrina non fit ex praeexistenti cognitione iudicatiua: ergo, &c.

C Respondetur, quòd licèt Angeli cognoscant effectus per suas causas, non tamen habent diuersas cognitiones, vnam respectu causae, ex qua procedant ad aliam respectu effectus, quod vtique necessarium est ad discursum propriè dictum; sed vno simplici intuitu vtrunque cognoscit, & sic cognitio scientifica eorum non est propriè discursiua.

Obijcitur tandem 3. quia si talis propositio esset vniuersaliter vera, daretur processus in infinitũ, quod est absurdum. Talis sequela probatur; quia illa praeexistens cognitio iudicatiua etiam est doctrina: ergo deberet fieri ex alia, & illa ex alia, & sic in infinitum.

Respondetur, quòd licèt cognitio discursiua, qua probatur tertia, aut quarta passio de subiecto, possit fieri ex alia cognitione discursiua praeexistenti; tamen D cognitio, qua prima passio probatur, non fit ex alia cognitione discursiua, sed ex cognitione iudicatiua principiorum habita per solam notitiam terminorum, & sic non datur processus in infinitum, cum ibi terminetur.

QVAESTIO III.

An rectè assignentur ab Aristotele duae praecognitiones, & tria Praecognita.

PRaeexistentem cognitionem, seu praecognitionem necessariam esse ad cognitionem discursiuam, nuper

nuper ex Philosopho cùm determinatum sit; modò videndum manet quotuplex existat, & de quibus rebus habeatur, quæ ideò appellantur præcognita; & cùm idem Philosophus duplicem esse definient, & de tribus duntaxat rebus præhaberi; hinc est, quòd in præsenti quæritur, an numerus cùm Præcognitionum, tum Præcognitio rectè ab eodem sit assignatus. Illud tamen hic ignorandum minimè erit, nimirum quod sicut Præcognita sunt res omnes illæ, quæ innotescere debent ante cognitionem discursiuam alicuius conclusionis; ita Præcognitiones nil aliud erunt, quàm quæstiones, seu quæsita, quæ ad hoc vt tales res præcognoscantur, fieri sunt necessaria. At verò cùm in excitata quæstione nihil dissonum sententiæ Philosophi ab auctoribus apponatur, dictum Aristotelicū tantùm erit probandū, atque argumentis, quæ in contrarium adduci solent, pro viribus satisfaciendū.

Dicendum est ergo, quòd rectè assignantur ab Aristotele duæ Præcognitiones, scilicet an sit, & quid sit, & tria Præcognita, nimirum Principium, Subiectum, & Passio.

Probatur prima pars; quoniam tot sunt præcognitiones, quot modi quibus res innotescere possunt ante cognitionem discursiuam alicuius conclusionis; sed dupliciter prædictæ res innotescere possunt, nempe quærendo de ipsis, an sint, & quid sint: ergo duæ tantùm sunt præcognitiones. Consequentia bene deducitur. Maior autem patet; nam prædictæ præcognitiones propter res pręcognoscendas ante cognitionem discursiuam alicuius conclusionis, tantùm assignantur. Minor verò probatur; etenim ante prædictam cognitionem res innotescere possunt, si earum existentia, & essentia, seu quidditas omnino percipiatur; sed per An sit, & Quid sit quidditas, & existentia omnium rerum percipitur: ergo dupliciter prædictæ res ante cognitionem conclusionis innotescere possunt.

Probatur secunda pars; quoniam antequam in conclusione prædicatum subiecto attribuatur, iam debent esse cognitæ præmissæ: Intellectus enim nequit assentiri tali vnioni, nisi priùs iudicium habuerit, & cognouerit eandem vnionem prædicati cum subiecto in præmissis, quæ cùm integrum principium conclusionis efficiant, non plura, sed vnum tantùm præcognitum appellantur, nempe *Principium*. Principium autem cùm sit actualis prædicatio inter duo extrema, non potest intellectus cognoscere talem vnionem prædicati cum subiecto, nisi priùs nouerit vtrunque extremum, scilicet prædicatum, & subiectum: ergo tria tantùm erunt præcognita, *Principium* scilicet, *subiectum*, & *Passio, seu prædicatum*.

Obiicitur primò in oppositum primæ partis conclusionis. Tum quia Arist. 2. Post. cap. 1. quatuor enumerat quæstiones, scilicet An sit, Quid sit, Quia est, nempe quia passio conuenit subiecto, & Propter quid est, idest propter quid illi conueniat: ergo etiam quatuor suppositiones, seu præcognitiones, nam Quæstio vnum quærit, & aliud præsupponit. Tum etiam quia tria sunt præcognita ex 1. Post. cap. 1. ergo etiam tres præcognitiones, quia præcognitio, & præcognitum sunt relatiua. Tùm denique, quia An sit, non semper præcognoscitur, nam aliquando demonstratur, vt fecimus de existentia Logicæ in proœmialibus: ergo tantùm dabitur vnica præcognitio, nempe Quid sit.

A

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd hic sermo est de illis quæstionibus, quæ tantùm haberi debent ante demonstrationem, & ideò appellantur præcognitiones, non autem quæ per ipsam demonstrationem habentur. Nam Quia est, & Propter quid est, per ipsam demonstrationem cognoscuntur, & ideò non oportet eas præcognoscere, neque reponere in numero præcognitionum: Nam per hanc demonstrationem, Omne rationale est risibile: Omnis homo est rationalis: ergo Omnis homo est risibilis, scimus quòd homo est risibilis, & hæc est illa quæstio, quam Aristoteles vocat, *Quia est*; scimus etiam propter quid sit risibilis, nempe propter rationalitatem, & hæc est altera quæstio, quā appellat idē Philos. *Propter quid est*.

B

Ad secundam verò rationem respondetur negando consequentiam; ad cuius probationem dicimus, quòd Præcognitum, vel dicit denominationem ex actu cognitionis prouenientem, & sic cognitio, seu præcognitio, & obiectum cognitum possunt dici relatiua, & tot sunt actus, quot obiecta cognita; vel dicit rem cognitam, præcognitio autem modum cognoscendi, & sic propriè non sunt relatiua, nam idem modus potest pluribus rebus conuenire, & eidem rei plures modi. In primo autem sensu præcognitum, & præcognitio modò non accipiuntur, sed tantùm in secundo; quare non est necesse tot esse præcognitiones, quot præcognita.

Ad tertiam tandem rationem dicendum est, quòd ibi etiam quodammodo præcognoscitur an sit talis rei, quatenus scilicet intelligitur antecedere ipsam actualem existentiam, quoniam dum demonstramus Logicam actualiter existere, priùs ipsam apprehendimus cum aptitudine ad essendum.

C

Obiicitur 2. in oppositum eiusdem secundæ partis; quoniam prædictæ quæstiones *an sit*, & *quid sit*, communiter diuiduntur in alias duas; quia *An sit*, potest inquiri tam de re simplici, quàm de re complexa, scilicet de integra propositione, cuius existentia est sua veritas, & ideò *An sit* diuiditur in An sit reale, seu rei, & in an sit veritatis. Similiter quia Quid est, significat definitionem, quæ analogicè diuiditur in quid rei, & quid nominis, ideò præcognitio *quid sit* etiam diuiditur in quid rei, & quid nominis, nempe quæ sit essentia rei, & quid nomen significet: ergo quatuor, & non duæ assignari debent præcognitiones.

D

Respondetur, quòd quando Philosophus enumerauit duas tantùm præcognitiones, eas numerauit in generali, & in communi; non autem in speciali, nam hoc modo plures vtique erunt.

Obiicitur 3. in oppositum secundæ partis conclusionis. Tum quia ante conclusionem debent præcognosci constructio demonstrationis in modo, & figura, vis illatiua, & medium: ergo plura dantur præcognita, quàm tria. Tum etiam quia subiectum, & passio integrant ipsum principium: ergo non sunt præcognita ab illo distincta. Tum denique quia aliquando in demonstratione concluditur aliquod prædicatum essentiale, vel accidentale per aliam causam, tanquā per medium, vel per passionem ipsam: ergo passio non est semper præcognitum.

Respondetur, & primò ad primam rationem, hic nos loqui de præcognitis ad materiā demonstrationis pertinentibus, non autem ad formam, qualis est constructio

structio in modo, & figura, & vis illatiua, de quibus superiùs diffusè egimus; Medium autem in demonstratione cùm sit Definitio subiecti, aut prædicati, potiùs erit præcognitio quid est, quàm præcognitum. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd quamuis subiectum, & passio vnum integrent principium, non autem eadem præcognitione præcognoscuntur in principiis vnita, & seorsim sumpta, vt in sequentibus videbitur. Ad tertiam tandem rationem dicendum est, quòd quando nos cum Philosopho assignauimus passionem, aut prædicatum esse præcognitum, non exclusimus omne id, quod de subiecto in conclusione demonstratur, siue passio, siue causa fuerit.

QVÆSTIO IV.

An de subiecto præcognoscendum sit, An sit, & Quid sit.

CErtum est apud omnes quæstionem hanc tantùm procedere de An sit existentiæ, non autem veritatis: nam cùm subiectum sit quid incomplexum, non est capax veritatis, neque falsitatis, de quibus aliquid præcognosci debeat.

Vtranque præcognitionem de subiecto habendam esse vnanimiter docent omnes cum Philosopho, hac ratione conuicti, nimirum quòd ad hoc, vt aliqua scientia versetur circa obiectum aliquod, vel subiectum demonstrando illius passionem, necesse est, vt supponatur prædictum obiectum habere aliquam essentiam, & quidditatem, cùm passiones ab essentia fluant, quam vtique non haberet, si ipsius implicaret existentia.

Existentia verò, & essentia dupliciter considerari possunt; nam existentia vel est in actu, dum scilicet res existit extra suas causas; vel in potentia, dum scilicet non est extra illas, sed in virtute earum, à quibus produci potest. Similiter essentia, & quidditas, vel accipitur realiter, nempe secundùm sua prædicata realia, & essentialia; vel tantùm nominaliter, hoc est vt aliquo nomine significatiuo confusè explicatur. Quo fit, vt stante hac diuersitate, & distinctione prædictarum quæstionum non omnes Dialectici idem dicant, immo non parum discriminentur.

Nam circa existentiam prima sententia docet, necessarium esse, quòd de subiecto præsupponatur actualis existentia, non quia semper habeat, sed saltem temporibus à natura statutis; vt de Rosa actu non existente habetur scientia in hyeme, quia præcognoscimus illam habituram tempore veris; si verò eam suo tempore non esset habitura, non posset de ea haberi scientia. Ita Caiet. in præsenti. Tolet. quæst. vnica ad 5. Bald. Gher. 2. parte Logicæ disput. 7. quæst. 2. diffic. 2. atque alii.

Secunda verò sententia priori opposita, affirmat, quòd non sit necessariò præcognoscenda actualis existentia subiecti temporibus etiam à natura institutis, sed licèt eam nunquam habeat, nec habiturum sit, possit haberi scientia de illo, si præcognoscatur, quòd eam habere possit. Ita Sotus quæst. 1. de præcognitis. Mastrius, & Bellutus Instit. Logic. parte 2. cap. 1. §. *Potest igitur hac tota doctrina*; atque alii.

Tertia tandem sententia, quæ inter vtranque mediat, docet quòd per se loquendo necesse sit præcognoscere de subiecto an sit rei in aptitudine, idest eiusdem existentiam in aptitudine consideratam; licèt per accidens, ratione scilicet nostri modi imperfecti cognoscendi, vt pote per sensus, satis sit, quòd aliquando habuerit actualem existentiam, non quocunque tempore à natura statuto, sed vel semel. Ita Ferrar. 1. contra gentes. Ruu. hic quæst. 2. Complut. disp. 17. quæst. 2. concl. 3. atque alii.

Circa quidditatem verò, & essentiam duæ extant opiniones, quarum prima docet satis esse si de subiecto præcognoscatur quid sit nominis. Ita Zabarella in lib. de tribus præcognitis. Balduinus in quæsito de Logicæ subiecto. Tolet. vbi supra. Mastr. & Bellut. loco citato §. *Tandem de subiecto*. Et Bald. Gher. loco similiter suprà citato.

Secunda verò sententia vtrunque docet; nimirum de subiecto præcognoscendum esse quid nominis, & quid rei, prout postulauerit demonstratio; videlicet quòd in demonstrationibus propter quid potissimis duntaxat vtrunque sit præcognoscendum; non autem in demonstrationibus *Quia*, & non potissimis; cùm in illis satis sit præcognosci quid nominis. Ita D. Tho. p. p. quæst. 1. art. 7. ad primum. Scotus in 3. Sentent. disp. 14. quæst. 2. Caiet. cap. præsenti. Faber theoremate 3. Ruu. quæst. 3. Complut. loco suprà citato § *Tandem quod de subiecto*; atque alii non pauci.

Notandum est idcirco primò, vnicuique rei eodem modo conuenire existere, quo conuenit habere, esse: existentia enim cùm sit perfectio essentiæ, debet illi proportionari, adeò vt si res habet esse in actu, actualiter etiam habet existere. Si in aptitudine, & in potentia, satis est quòd existat in aptitudine. Si habet esse reale, à parte rei quoque habet existere. Si tandem habet esse rationis, sufficit pariter quòd in intellectu suam habeat existentiam. Quare præcognitio *An sit* estò vniuersaliter, appelletur An sit rei, non tamen restringenda est ad entia realia tantùm, sed etiã ad entia rationis: nam quando subiectum demonstrationis est ens rationis, vt contingit in demonstrationibus logicis, debet etiam de tali subiecto præcognosci An sit rei, illi proportionatum, hoc est debet præcognosci suum existere in intellectu actualiter, quando actu existit; aptitudinaliter, quando in potentia.

Notandum 2. duplicem esse demonstrationem, vt in sequentibus magis patebit; *Propter quid*, nimirum, & *Quia*. Demonstratio propter quid est illa, per quam demonstramus effectum per suam causam, & talis est hæc, videlicet, Omne animal rationale est risibile; Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est risibilis. Demonstratio autem *Quia* est, per quam ex opposito demonstramus causam per effectum, vt si dicatur, Omne risibile est admiratiuum; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est admiratiuus. Præterea demonstratio propter quid est duplex, vna per quam demonstratur propria passio de subiecto, quæ ideò solet appellari potissima, & talis est prima, quam adduximus, atque etiam tales sunt plures in scientiis particularibus demonstrantibus passiones de subiec-

subiecto, vt in Metaphysica, & vtraque Philosophia naturali, & morali. Alia est, in qua demonstratur effectus per causam, cuius tamen non est propria passio; & talis est secunda demonstratio adducta, si facta conuersione simplici, dicatur: Omne admiratiuum est risibile, &c. tales etiam sunt ferè omnes demonstrationes Mathematicæ: nam istæ scientiæ non tam demonstrant passiones de subiecto, quàm rationes quasdam figurarum, & proportiones numerorum posteriores per priores, tanquam effectus per causas.

Dicendum est ergo primò, quòd de subiecto, per se, & absolutè loquendo, debet præcognosci *An sit rei in aptitudine*, licèt per accidens, respectu scilicet nostræ cognitionis à sensibus acceptæ, necesse sit, quòd aliquando, seu respectu alicuius, ipsummet subiectum actu existat.

Probatur prima pars conclusionis; quoniam vnio passionis cum subiecto absoluitur à tempore, & est æterna; ergo, vt talis passio demonstretur, non necessariò supponit subiectum actualiter existens; ergo per se, & absolutè loquendo tantùm præcognoscendum est de ipso *An sit rei in aptitudine*.

Probatur secunda pars conclusionis; nam imperfecta nostra cognitio habetur per sensus: ergo non possumus habere scientiam de aliquo obiecto, nisi per aliquem sensum illud percipiamus; sed sensus non percipiunt res nisi actu existentes; ergo necesse est, quòd obiectum aliquando habuerit actualem existentiam, non temporibus à natura statutis, sed semel. Præmissæ patent. Consequentia etiam liquet, nam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, &c. sed cùm obiectum optimè possit cognosci à nobis scientifico modo per illam existentiam, quam semel habuit: ergo necesse non est, quòd obiectum habuerit actualem existentiam temporibus à natura statutis.

Dicendum est 2. quòd in Demonstrationibus propter quid potissimis, hoc est quando demonstratur propria passio de subiecto, non tantùm in ratione effectus, & causæ præcisè; verùm etiam in ratione propriæ passionis, tunc de subiecto præcognoscendum est *Quid rei, & Quid nominis*; secùs verò in illis demonstrationibus propter quid, in quibus demonstratur propria passio de subiecto tantùm in ratione causæ, & effectus; tunc enim sufficiet præcognoscere de subiecto quid nominis.

Probatur prima pars conclusionis. Quoniam in his demonstrationibus sumitur pro medio demonstrandi definitio quid rei ipsiusmet subiecti, vt dicetur suo loco: ergo de tali subiecto non tantùm præcognoscendum est quid nominis, ratione scilicet dependentiæ effectus à sua causa, cùm sint demonstrationes à priori; sed etiam quid rei. Probatur consequentia quoad secundam partem, nam quoad primam liquet. Quoniam talis definitio quid rei subiecti debet esse aliqua ex præmissis; ergo debet præcognosci, cùm præmissæ ad inferendam conclusionem debeant præcognosci, vt dicetur inferiùs.

Probatur secunda pars à contrario. Quoniam in his demonstrationibus propter quid non sumitur pro medio definitio quid rei ipsiusmet subiecti, vt videbitur suo loco, sed tantùm dependentia per se effectus à causa: ergo non requiritur præcognitio quid rei, sed sed tantùm quid nominis significantis talem dependentiam.

A Dicendum est 3. quod in Demonstrationibus *Quia*, de subiecto tantùm præcognoscendum est quid nominis. Probatur; quoniam per demonstrationem *Quia* sæpe demonstratur definitio quid rei, seu essentia rei per propriam passionem, vt ostendit hæc demonstratio, Omne risibile est animal rationale: omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est animal rationale; sed id quod demonstratur, non potest supponi, aut præcognosci: ergo in demonstratione *Quia* non est præcognoscendum de subiecto quid rei, sed sufficit præcognoscere quid sit nominis significantis prædictā ordinationem effectus, & causæ.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis pro prima sententia. Tum ex Arist. lib. 2. huius operis text. 8. dicente: *Quærere autem quid est, non habentes quid est, nihil est quærere*; quasi dicat, non esse

B quærendam definitionem eius, quod non existit, quia non poterit inueniri, & ideo non poterit esse obiectum scientiæ; Vnde præcognosci debet An sit rei in actu. Tum etiam ratione; nam ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; idest ab eo, quod actu existit, vel non existit: ergo actualis existentia subiecti temporibus saltem quibus eam accipere potest à causis naturalibus, fundamentum est omniū veritatum, quæ de illo possunt cognosci in scientia: quare necessario erit de illo præcognoscenda.

Respondetur, & primò ad testimonium Aristotelis, quòd intelligendum est de esse possibili, cùm sufficiet ad hoc, vt quidditas eius inueniatur; Vel si intelligendum est de esse actuali; tantùm de modo, quo acquiritur à nobis scientia, loquitur in eo Philoso-

C phus, non autem de scientia secundùm rationem intrinsecam. Ad rationem verò Respondetur distinguendo antecedens; nam ab eo quod res est, vel non est, idest ab eius existentia possibili accipitur veritas propositionis scientificæ, non ab actuali; & illa est fundamentum sufficiens veritatum totius scientiæ. Vnde argumenta, quæ pro secunda sententia contra eandem conclusionem fieri solent, tantùm probant per se loquendo existentiam posibilem subiecti sufficere, ad hoc vt de ipso præcognoscatur An sit.

Obiicitur 2. in oppositum secundæ conclusionis, Tum quia Philosophus dixerat, quòd de subiecto præcognoscitur quid significet; sed significare pertinet ad nomen, nō ad rem: ergo tantùm quid nominis debet præcognosci. Tum etiam ex eodem Philosopho text.

D 2. primi post. qui pariter dixerat, quòd tria sunt præcognita, Passio, dignitas, & subiectum, & de passione præcognoscitur quid nominis, de dignitate quid est, de subiecto vtrunque: ergo eodem sensu præcognoscendum est quid sit de subiecto, quo de passione: sed de pasione præcognoscendum est quid nominis: ergo & de subiecto.

Respondetur, & primò ad primum dictum Philosophi, nimirum quòd significare etiam pertinet ad definitionem quid rei, cùm hæc significet distinctè, & clarè id, quod nomen confusè, & obscurè significat. Ad secundùm verò Respondetur, quòd cùm ex dictis in secundo argumento præcedentis quæstionis, præcognitio quid sit diuidatur in quid rei, & in quid nominis; non bene sequitur, quòd si de pasione præcognoscendum est quid nominis, etiam de subiecto in demonstrationibus hoc tantùm præcognosci debeat, sed insuper etiam quid rei, si demonstratio id postulauerit.

uerit. Quare tale dictum debet intelligi secundùm proportionem in diuersis demonstrationibus, ita vt de subiecto præcognoscendum sit quid rei, & etiam quid nominis, in his demonstrationibus, quæ probant passionem de subiecto: in alijs verò, in quibus ratio posterior, vel effectus per rationem priorem, vel causam probatur; solum conceptus causæ, & dependentiæ est præcognoscendus per quæstionem quid nominis, vt in nostris conclusionibus dictum est.

Obiicitur 3. in oppositum eiusdem secundæ conclusionis. Quoniam subiectum non potest præcognosci in scientia, nisi præcognoscantur sua principia essendi: sed sic est, quòd aliquando principia essendi subiecti non præcognoscuntur, sed probantur: ergo neque subiectum potest præcognosci quoad quid rei. Consequentia bene deducitur; quoniam præcognoscere subiectum secundùm principia essendi, est ipsum præcognoscere quoad quid rei. Maior verò probatur. Quia definitio quid rei subiecti conflatur ex propriis principiis rei; vt definitio essentialis hominis conflatur ex animali, & rationali, & sic est dicendum de aliis; ergo ignoratis principiis essendi subiecti, necesse est, quòd subiectum quoque ignoretur quoad quid rei; vnde viceuersa præcognito ipso subiecto quoad quid rei, sua quoque principia essendi præcognosci debent. Minor, quòd scilicet aliquando principia essendi subiecti ignorentur, & probentur, non autem præcognoscantur, probatur exemplo de principijs corporis naturalis: nam materia, & forma non præcognoscuntur, sed inuestigantur, quid, & quot sint in primo physicorum: ergo aliquando contingit quòd principia essendi non præcognoscantur, sed ignorentur, & probentur; & consequenter quòd ignoretur, & probetur de subiecto quid est, non autem supponatur: ergo non semper de subiecto præcognodum est quid rei.

Respondetur, quòd de subiecto non præcognoscitur quid rei, quando scientia eius traditur per demonstrationem *Quia*, etiam modo indistincto, & confuso; vt est scientia illorum principiorum corporis naturalis, quæ traditur modo confuso; vtitur enim demonstrationibus *Quia* deductis ex nostra facili cognitione, & ex sensibus; tamen vbi de subiecto traditur scientia distinctè, & per demonstrationem propter quid, &c. semper præcognoscitur de subiecto quid rei.

QVÆSTIO V.

Vtrùm de Principijs præcognoscendum sit an tantùm sint vera; & de Passione an tantùm quid nominis.

QVæstio hæc solùm indiget explicatione, cùm omnes Dialectici idem sentiant; quare supponendum est in primis, principia esse duplicis generis; alia scilicet vniuersalissima, quæ ideò dignitates vocantur, vt sunt illa, De quolibet verum est affirmare, vel negare; Necesse est quodlibet esse, vel non esse,

A &c. alia verò minùs vniuersalia, vt sunt præmissæ omnes, quæ non ita immediate patent, sed aliquando demonstrari possunt, vt dicetur infrà in responsione primi argumenti. Hæc autem principia siue vniuersalissima, siue minùs vniuersalia, adhuc possunt dupliciter considerari, nimirum vel secundò intentionaliter, hoc est vt subiectum, & prædicatum in ipsis contenta, integrant vnicum conceptum obiectiuum intellectus; vel primò intentionaliter, nempe vt sunt quædam aggregationes prædictorum terminorum. Quæstio igitur procedit de talibus principiis vtriusque generis, at non secundò intentionaliter acceptis, sed primò intentionaliter; nam cùm secundò intentionaliter sint quid incomplexum, non sunt capacia veritatis, & falsitatis.

B Secundò item supponendum est, quòd principia alia sunt cognoscendi tantùm; alia cognoscendi, & essendi simul. Priora sunt dignitates, & propositiones per se notæ, idest suppositiones, seu præmissæ, quæ supponuntur in tali scientia, & si probantur, hoc contingit in alia scientia. Posteriora verò non sunt propositiones, sed res; neque ex necessitate præcognoscuntur, sed quandoque ignorantur; & à posteriori, licèt non à priori probari possunt, vt superiori quæstione in responsione ad 3. obiter insinuatum est. Hæc autem principia essendi, alia sunt accidentium tantùm, vt in scientia physica, & naturali est primus, & æternus Motor, qui non est principium cognoscendi, & essendi simul Entis mobilis, sed tantùm accidentium illius, nempe Motus; Alia verò accidentium, atque subiecti eorundem, vt in eadem scientia sunt C materia, & forma, quæ non tantùm principia sunt entis mobilis, sed etiam eiusdem accidentium, quorum prædictum ens mobile est subiectum, quæ ideò ab Aristotele in physicis à posteriori tantùm ostenduntur, vt loco citato superioris quæstionis tactum est. Quæstio igitur procedit de principiis cognoscendi, quæ cùm sint complexa, capacia sunt veritatis, & falsitatis; non autem de principiis essendi, & cognoscendi simul, cùm sint res incomplexæ; & licèt vt principia cognoscendi sunt, debeant præcognosci, non tamen vt vera, vel falsa sunt, sed tantùm an existant.

Tertio tandem supponendum est Passionem posse dupliciter considerari, vel scilicet in esse entis, & accidentis; vel formaliter in esse Passionis. Quæstio D autem non procedit de Passione in primo, sed in secundo sensu. Nam cùm possit quis scire e.g. risibilitatem hominis, & ignorare an sit passio eius; tunc licèt cognosceret an sit risibilitas secundùm quòd est ens, & accidens; non tamen cognosceret an sit illius secundùm quod est propria passio; & ideò in præsenti quæritur an de Passione tantùm præcognoscendum sit quid sit nominis, non verò an sit.

Dicendum est ergo primò, quòd de Principijs non præcognoscitur quid sint; sed tantùm an sint vera. Probatur prima pars conclusionis. Nam cognoscere quid sit alicuius, est cognoscere illius definitionem: sed præmissæ, seu principium primò intentionaliter sumptum, non habet definitionem, cùm non sit quid simplex, sed quid complexum; ergo de illo non potest cognosci quid sit. Quod tamen non ita intelligendum est, vt de principio non præcognoscendum sit quid nominis; nam si in aliqua demonstratione ignoratur,

ratur quæ sit significatio nominis principij, non poterit vtique illi tribui tale nomen.

Probatur secunda pars. Quia in demonstratione ante assensum cõclusionis, vt ex professo dicetur infra, necessariò præsupponitur assensus præmissarum: ergo præcognoscuntur vt veræ: ergo de principio præcognoscitur an sit veritatis, seu an sit verum.

Dicendũ est 2. quòd de Passione non præcognoscitur an sit, neque quid rei, sed tantùm quid nominis. Probatur prima pars. Quia an sit Passionis ostenditur per demonstrationem: ergo non præcognoscitur ante illam. Probatur antecedens; quia an sit, seu esse proprium passionis est inesse subiecto: sed hoc demonstratur; ergo, &c.

Probatur 2. pars. Nam quid rei Passionis pendet ex proprio subiecto, per quod debet definiri: sed per demonstrationem cognoscitur quodnam sit Passionis subiectum; ergo non fuit præcognitum, & per consequens neque quid rei ipsius passionis.

Probatur tandem 3. pars; quoniam si ignoremus de Passione, quæ sit significatio nominis, non poterit in demonstratione attribui subiecto tale nomen passionis: ergo de ipsa præcognoscendum est quid nominis.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; nam aliquando de Principio demõstratur esse verum: ergo non necessariò id de illo præcognoscitur. Antec. probatur in hac demonstratione, Omne admiratiuum est risibile: omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis; cuius præmissæ, seu principium demonstratur per aliam demonstrationem; vt si dicatur; Omne rationale est risibile: omne admiratiuum est rationale; ergo omne admiratiuum est risibile; atque eodem modo potest probari minor; Idem etiam contingit in principiis scientiæ subalternatæ, quæ demonstrantur in scientia subalternante; ergo sæpe de Principio demonstratur esse verum.

Respondetur principium esse duplex, scilicet aliud simpliciter, & absolutè, & aliud secundùm quid. Primum semper est principium, & nunquam conclusio, vt est essentia rei, quæ cùm sit simpliciter quid primum inuentum in tali re, semper est principium, & de hoc an verum sit, semper præcognoscitur, nunquam probatur. Secundum verò est tantùm principium respectu inferioris, non autem superioris: quapropter cùm respectu superioris possit esse conclusio, aliquando potest demonstrari; respectu autem inferioris cùm sit semper principium, præcognoscitur, & non demonstratur; vt patet in exemplis adductis in argumento.

Obijcitur secundò in oppositum secundę conclusionis. Nam de subiecto in tantùm præsupponitur An sit, quia nemo quærit an ipsi talis passio conueniat, nisi ipsum supponeret possibile: ergo nemo quæreret an passio subiecto conueniat, nisi vt possibilis præcognoscatur: ergo de passione etiam præcognoscendum est an sit.

Respondetur negando paritatem; quia subiectum est id, de quo quæritur, & ideò debet præsupponi habere aliquod esse: at verò passio est id, quod quæritur, an verè conueniat subiecto, ideoque potest dubitari an sit in rerum natura; eò vel maximè quòd existentia passionis est inexistentia in subiecto, quod vtique probatur in demonstratione, vt dictum est.

A Obijcitur tandem 3. in oppositum secundæ conclusionis. Tum quia, Quid sit præsupponit an sit: ergo si de Passione præsupponendum est quid sit, etiam an sit præsupponi debet. Tum etiam quia in maiori propositione passio vnitur cum medio termino: ergo ante conclusionem præsupponitur existere.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd vtique verum est quid rei supponere an sit, minimè verò quid nominis, quod tantùm diximus esse præcognoscendum de Passione. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd in maiori propositione quidem supponitur passio existere, sed in confuso, non autem distinctè. Quando verò dicimus de passione non esse præcognoscendum an sit, loquimur de existentia clara, & distincta, non autem confusa.

B

QVÆSTIONIS APPENDIX.

An Præcognitiones, & Præcognita antecedere debeant Demonstrationem tam in suo esse, quàm in suo fieri.

VSque modò indifferenter dictum est, Præcognitiones, & Præcognita antecedere tum cognitionem discursiuam conclusionis, tum demonstrationem ipsam totam: quia verò ipsa demonstratio dupliciter considerari potest, vel scilicet antequam formetur, vel dum actualiter disponuntur præmissæ, & eis C assentitur intellectus; hinc est, quòd dubitari potest an vno, vel alio modo demonstrationem consideratam antecedere debeant. Quod cùm in explicatis quæstionibus nihil super hoc determinatum existat, meritò nunc talis determinatio, tanquam præcedentium appendix debet apponi.

Vt autem facilitate, & claritate possibili in hoc procedamus negocio; Præcognita esse in duplici differentia necesse est non ignorare; Alia enim sunt communia ad omnes scientias; alia verò particularia istius, vel illius scientiæ. Priora sunt illa vniuersalissima, & apud omnes notissima, quæ vix, aut nunquam ingrediuntur demonstrationem; vt quando ponimus pro D principio *Totum est maius sua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, &c.* pro subiecto vnitatem, quæ est principium numeri, & cætera huiusmodi; & pro passione Triangulum, aut Quadrangulum, &c. quæ sunt passiones figurarum, de quibus omnibus tanquam de rebus certissimis, & notissimus exemplificauit Philosophus in hoc libro; quoniam in ipsa tandem resolui possunt (cæteris paribus) præcognita omnium demonstrationum cuiusuis particularis scientiæ; vt consideranti patere potest. Posteriora verò sunt illa, quæ non omnibus patent, sed tantùm scientificis istius, vel illius particularis facultatis, cuius ingrediuntur demonstrationes; vt in scientia de homine subiectum est ipse homo; passiones quæ de illo probantur, admiratiò, & risibilitas; & principium per quod probantur, eius definitio.

Quibus igitur consideratis (quidquid Toletus dicat hic cap. 1.) nos cum Themistio in sua paraphrasi suprà

primum

primum posteriorum cap. 1. & 2. D. Tho. Caiet. Veneto, Soto, Ruuio, atque aliis cap. praesenti; asserendum putamus, Priora praecognita, eorumque praecognitiones non tantùm praecedere debere cognitionem discursiuam cōclusionis, seu ipsam demonstrationem, dum in ea actualiter disponuntur praemissae, eisque assentitur intellectus; verùm etiam totam demonstrationem antequam formetur: Posteriora verò praecognita, & eorum praecognitiones licèt haberi possint non solùm ante totam demonstrationem, scilicet antequam formetur; verùm etiam ante ipsam demonstrationem, dum actualiter disponuntur praemissae, &c. quinimmo licèt communiter ante talem demonstrationem habeantur; tamen necessarium hoc non esse ad assensum conclusionis, neque ad acquisitionem scientiae, cùm non repugnet illa etiam haberi in ipsa demonstratione, dum disponuntur praemissae, atque illis intellectus assentitur.

Probatur prima pars; nimirum quòd priora praecognita habeantur ante omnem demonstrationem. Quoniam nec formatur, neque ulla formari potest demonstratio, quam ratio saltem vniuersalissima praecognitorum praehabeatur: ergo talia praecognita praecedere debent omnem demonstrationem. Consequentia patet; quoniam per talem rationem quaecumque praecognita minùs vniuersalia regulantur, atque in vniuersalissima illa resoluuntur. Antec. autem probatur; repugnat enim assignare, vel posse assignare in aliqua demonstratione, propria, & particularia praecognita in ratione formali praecognitorum, & nescire rationem vniuersalissimam praecognitorum, vt patet; quoniam tunc sciretur, & non sciretur ratio praecognitorum, & sic essent praecognita, & non essent praecognita: ergo, &c.

Probatur autem 2. pars nostri asserti; nimirum quòd licèt posteriora praecognita praecedere possint omnem demonstrationem, quinimmo demonstrationem illam saltem in qua actu disponuntur praemissae, communiter praecedere debeant; tamen hoc non sit necessarium: Et in primis, quòd saltem communiter praecedere debeant, non solùm patet ex dictis in praecedentibus quaestionibus; verùm etiam quia experientia constat, ferè semper nos ea cognoscere, antequam formemus syllogismum demonstratiuum; sed contingere posset vnum, vel alterum eorum non esse nobis cognitum, & tunc sufficeret, inter disponendas praemissas, illud percipere. Quod sic probatur; quia praecognosci dicitur illud, quod non probatur per demonstrationem, sed praesupponitur ante assensum conclusionis; sed ea, quae cognoscuntur in praemissis demonstrationis, & non ante demonstrationem integram, non probantur per demonstrationem, sed praesupponuntur ante assensum conclusionis: ergo verè, & propriè dicuntur praecognosci; & sufficit ad assensum conclusionis, & acquisitionem scientiae, quòd intra demonstrationem cognoscantur; vnde dicebat Philosophus omnem conclusionem discursiuam fieri ex praeexistenti cognitione, vt supra iam satis explicauimus.

In contrarium tamen hanc adducit Toletus rationem; nimirum, quia praecognitiones, & praecognita praesupponuntur scientiae acquirendae; sed ad acquisitionem scientiae pertinet tota demonstratio, cùm scientia acquiratur per eam; ergo ante totam demonstrationem necessariò habendae sunt praecognitiones praecognitorum.

A Respondetur tamen negando minorē; nam acquisitio scientiae principaliter, & propriè magis consistit in assensu conclusionis, quàm in assensu praemissarum, quoniam assensus praemissarum potiùs sunt principia acquisitionis, quàm ipsa acquisitio scientiae. Quare licèt per totam demonstrationem tanquam per materialia, & formalia, minùs principalia, & magis principalia, acquiratur scientia; tamen non tollitur, quin per formalia, & principalia, magis propriè acquiratur per ipsum assensum tantùm conclusionis; quod sufficit ad hoc, vt praecognitiones, & praecognita, tantùm cognita dum disponuntur praemissae, dicantur antecedere conclusionem, ipsamque acquisitionem scientiae; & consequenter vt scientia ipsa dicatur etiam B acquiri per talem demonstrationem, vt patet.

QVAESTIO VI.

An dum intellectus assentitur conclusioni, in tali assensu includatur formaliter assensus principiorum.

NON parum aequiuocationis continet praesens quaestio, quare cum distinctione procedendum C videtur, vt certa ab incertis, quantùm fieri potest, secernamus. Dupliciter enim possumus intelligere intellectum assentiri conclusioni; vel ratione ipsius conclusionis, scilicet quatenus ratione sui, ipsa conclusio terminat cognitionem intellectiuam; vel propter principia, seu ratione assensus, quem praestitit principiis, inquantùm scilicet ipsa conclusio terminat cognitionem intellectiuam, vel propter principia, seu ratione assensus principiorum. Primo modo certum est apud omnes (quidquid dicant Ochamus quaest. 3. Prologi, & Gabriel ibidem) quòd dum intellectus assentitur conclusioni, in tali actu, seu assensu non includitur formaliter assensus principiorum, quoniam tunc assentitur principiis per se, & ex sola cognitione terminorum, & conclusioni, tanquam alteri obiecto distincto, non considerando quòd ei asD sentitur propter principia, cùm constet posse ei assentiri propter aliam rationem, aut propter testimonium fide dignum, aut propter argumentum probabile, &c. Quare in secundò sensu, tantùm remanet difficultas.

Vnde sensus quaestionis est; An postquam intellectus assensum principijs praebuit, ex quibus conclusionem infert; dum ipsimet conclusioni propter talia assentitur principia; iterum repetendo assensum, assentiatur eisdem principijs eodem actu, in hanc, & illa tendens; vel satis sit principijs assensisse semel, dum assensum maioris, & minoris elicuit, & iudicet veram esse conclusionem propter illa, absque eo quòd formaliter repetantur in assensu conclusionis. Exempli gratia; an assensus huiusmodi conclusionis pro obiecto habeat hoc solum, quod est, hominem esse capacem disciplinae; vel etiam quia rationalis est: hoc enim

verbo

verbo exprimerentur principia, propter quæ tali conclusioni intellectus assentitur. Qua de re Auctores in duas diuisi sunt sententias.

Quarum prima est eorum, qui putant, quòd intellectus dum assentitur conclusioni propter principia, tantùm eorum supponat assensum, nulla facta eorundem repetitione; atque ideò partem negatiuam tuentur, dicendo in assensu conclusionis non includi formaliter assensum principiorum. Ita Scotus pluribus in locis, sed præcipuè quæst. 3. prologi, vbi Lichetus, Tataretus, Bargius, Mastr. & Bellutus disp. 11. Logicæ quæst. 2. & communiter Scotistæ. Auersa quæst. 25. sect. 2. & alii.

Secunda verò sententia est eorum, qui tenent intellectum, dum assentitur conclusioni propter principia, repetere ipsum assensum principiorum; quare affirmatiuam partem tuentur, dicendo assensum principiorum includi formaliter in assensu conclusionis; ita tamen, vt prædictus conclusionis assensus, in quo formaliter includitur assensus repetitus principiorum non sit duplex actus, sed vnicus distinctus siue numero, siue specie saltem ab assensu illo priori principiorum, qui antecedenter habetur ad prædictũ assensum conclusionis. Ita D. Tho. prima 2. quæst. 8. art. 3. quæst. 12. art. 4. & alibi. Capreolus in 1. dist. 2. quæst. 1. in solutione ad argumenta contra quartam conclusionem. Ferrariensis lib. 1. contra gentes, cap. 57. Soncin. 6. Metaph. quæst. 10. Durandus in secundo dist. 38. quæst. 1 ad 3. Caietanus prima secundæ quæst. 8. art. 3. Medina ibidem. Ruuius hic cap. 1. quæst. 8. Petronius ibidem, Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 4. Amicus tract. 23. disp. 2. quæst. 5. & alii permulti.

Notandum est primò, quòd inclusio formalis vnius assensus in alio, triplex esse potest; nempe secundùm entitatem realem; secundùm essentiam, seu essentialia prædicata; postremò secundùm rationem obiectiuam, non quidem vt vnus assensus possit esse obiectum alterius, cùm sit valdè diuersus; sed quòd obiectum vnius assensus includat formaliter obiectum alterius, vt per proprium actum cognitum iam, vel iudicatum. Primo, & secundo modo assensus principiorum non includitur formaliter in assensu conclusionis. Non primo modo; nam cùm sint diuersi actus, ac successiuè vnus post alium ab intellectu eliciatur, vnus non inhæret alteri, nec in eo proinde formaliter includitur per realem inhærentiam, quemadmodum albedo e.g. includitur in albo. Neque secundo modo; nam cùm tales actus distinguantur specie, repugnat vnum de alio prædicari, ac propterea in eo includi essentialiter; quidquid enim de alio prædicatur, in eo includi necesse est. Tertio autẽ modo optimè includi potest formaliter assensus principiorum in assensu conclusionis; quinimmo necesse est quòd includatur, dum intellectus propter principia conclusioni assentitur. Nam cùm intellectus assentitur huic conclusioni, nimirum quòd homo sit capax disciplinę, ex eo quòd in præmissis iudicando omne rationale esse capax disciplinæ, ipsis præbuit assensum, necesse est quòd in obiecto assensus conclusionis etiam includatur formaliter obiectum assensus præmissarum per actum iudicii iam approbatum, cùm eodem actu feratur potentia in obiectum, & in rationem formalem obiectiuam, vt fusiùs explicabitur in probatione

A conclusionis.

Notandum 2. Intellectum de nouo repetere formalem assensum principiorum, dupliciter contingere. Primo, vt illum repetat, *vt quod*; Secundo, vt illum repetat vt *quo*. Tunc intellectus repetit formalem assensum principiorum *vt quod*, quando assensus, & cognitio intellectus terminatur ad assensum formalẽ principiorum, tanquam ad terminum formalem terminantem suam cognitionem. Tunc verò repetit formalem assensum principiorum *vt quo*, quando assensus, & cognitio intellectus non terminatur ad assensum formalem principiorum, tanquam ad terminum totalem terminantem, sed terminatur ad alium terminum, ad quem tamen terminatur ob assensum formalem principiorum, tanquam ob rationem formalem; vnde tunc assensus formalis principiorum est

B id, quo intellectus assentitur alteri termino, & obiecto *vt quod*. Dum ergo intellectus assentitur conclusioni propter principia, non repetit assensum primo modo, sed tantùm secundo; nam eodem modo prædictus assensus debet repeti, quo includitur in assensu conclusionis; includitur autem tantùm *vt quo*. Eo ferè modo, quo lux includitur in visione coloris, supposito quòd lux sit necessaria ex parte obiecti ad videndum; de quo in 2. de anima; tunc enim eodem actu fertur visus in colorem, & lucem, non ita vt lux sit id, quod videtur, sed ratio formalis videndi; nec lux ipsa includitur in colore ipso, qui videtur, immo nec in obiecto actus videndi tanquam aliquod intrinsecum; sed quia color, vt est obiectum visus, habet essentialem ordinem dependentiæ à luce; quia nec esse

C potest, nec intelligi sine illa, propterea lux etiam actu includitur in obiecto visionis, per quam videtur color, tanquam terminus actualis dependentiæ obiectiuæ; sic ergo intelligendum est, principia, & eorum assensus includi in conclusione, & assensu eius, quia essentialis est ordo dependentiæ ab eis, ipsi assensui conclusionis. Et quia ordo iste actu formaliter, & essentialiter includitur in assensu conclusionis, necesse est principia etiam, & eorum assensum actu formaliter includi, non tanquam ei intrinseca, sed tanquam id sine quo essentialis ipse ordo, nec esse potest, nec intelligi.

Dicendum est ergo, quòd dum intellectus assentitur conclusioni propter principia, in tali assensu repetitur, & includitur formaliter vt quo assensus prin-

D cipiorum.

Probatur primò; nam eodem actu fertur potentia quælibet in obiectum, & in rationem formalem eius; vt visus eodem actu fertur in colorem, & in rationem visibilitatis, aut in colorem, & lucem, vt notatum est; sed assensus principiorum est ratio formalis obiectiua assentiendi conclusioni: ergo eodem actu fertur intellectus in conclusionem, quæ est obiectum cui assentitur, & in principia quæ sunt rationes assentiendi: sed non potest ferri in principia eodem actu, nisi in obiecto eiusdem actus includantur formaliter; ergo necesse est eorum assensum formaliter includi, & repeti *vt quo* in ipso assensu conclusionis. Hæc vltima consequentia bene sequitur; Minor subsumpta de se patet, cùm actus ab vnitate obiecti suam sumant vnitatem. Prima consequentia ex præmissis bene sequitur; Maior etiam est manifesta. Quoniam ex obiecto, quod percipitur, & ex ratione formali illud

per-

percipiendi, constituitur vnum obiectum totale, atque completum tanquam ex *quod*, & *quo*; vt dictum est in nostris procemialibus. Minor autem sic probatur; nam assensus conclusionis scientificæ, & demonstratiuæ distinguitur specie à fide humana, & opinione solùm propter diuersam rationem formalem assentiendi, vt dicetur suo loco; quæ in opinione est ratio probabilis; in fide humana testimonium fide digni; in assensu autem scientifico principia per se euidentia: ergo assensus principiorum est ratio formalis obiectiua assentiendi conclusioni; cùm per ipsam distinguatur specie assensus conclusionis scientificæ ab assensibus aliorum habituum intellectus.

Respondet Auersa duplicem esse rationem cognoscendi, aliam in qua, seu per quam; & hæc eodem actu cognoscitur cum obiecto quod, vt patet de lumine, & colore; aliam ex qua aliud cognoscitur, vt sunt præmissæ respectu conclusionis; & hæc sufficit vt cognoscatur simul; non tamen eodem actu. Vnde distinguit minorem, eam concedendo si assensus principiorum accipiatur vt ratio ex qua, non verò in qua, & per quam.

Contra tamen hoc est, quòd in potentijs cognoscitiuis, vnus actus non causat effectiuè alterum actum, nisi obiecto eius, qui causatur, mediante: ergo talis actus vt effectiuè causans, erit ratio cognoscitiua ex qua; vt autem includitur in obiecto illius, quia causatur, erit ratio cognoscitiua qua, seu in qua, vel per quam; sed assensus principiorum est causa effectiuè causans assensum conclusionis: ergo non tantùm erit ratio cognoscitiua ex qua, sed etiam qua, seu in qua, & per quam. Hæc vltima consequentia bene sequitur. Minor subsumpta ferè communiter conceditur, vt videbimus in sequentibus. Prima consequentia quoad primam partem iam supponitur vt vera; quoad secundam verò probatur; quoniam obiectum assensus conclusionis non est conclusio ipsa, seu res significata per talem propositionem vt sic; sed vt talis est propter principia, eorumque assensum: ergo talis assensus principiorum vt formaliter inclusus in assensu conclusionis erit etiam ratio cognoscendi qua, seu in qua, & per quam. Antec. autem, ex quo infertur prædicta consequentia, quam modò probauimus, patet; quia hoc genus potentiarum cognoscitiuarum, nonnisi mediante apprehensione obiecti illius effectus, qui efficienter debet produci, mouetur ad operandum, vt de se manifestum est.

Respondent adhuc Mastrius, & Bellutus, quòd ex hoc tamen rectè infertur assensum principiorum includi formaliter in assensu conclusionis, & esse eundem, sicut neque, cum cognoscimus creaturam vt dependentem a Deo, & vniuersaliter dum cognoscimus effectum prouenientem à causa, sequitur causam includi formaliter in effectu, Deum in creatura; & cognitionem vnius esse cognitionem alterius.

Contra tamen; quoniam prædicta responsio tantùm conuincit assensum principiorum, seu præmissarum, causam & Deum non includi entitatiuè, vel secundùm prædicata essentialia in assensu conclusionis, in suo effectu, & in creatura; non autem in ratione obiecti cogniti vt dependentis vel à principiis, si est assensus conclusionis; vel à causa, si est effectus; vel ab ipso Deo, si est creatura; in quo sensu tantùm secundùm adnotata procedit nostrum argumentum. Quare

A non minùs in effectu, & creatura includetur formaliter dependentia à causa, & Creatore, sine qua nequeunt cognosci; quàm in assensu conclusionis includatur formaliter dependentia à principijs: ergo talis responsio nihil ad rem.

Probatur 2. nostra conclusio inductione in actibus intellectus, & voluntatis; nam in actu fidei formaliter includitur testimonium fide digni; quia est ratio formalis credendi; in actu voluntatis, per quem volumus media, includitur voluntas finis, tanquam ratio volendi media; vt in actu, quo volumus sumere potionem propter sanitatem, includitur formaliter actus intentionis, quo volumus sanitatem: sed assensus principiorum est ratio formalis, & actualis propter quam assentimus conclusioni: ergo actu, & formaliter

B includitur in assensu conclusionis.

Respondent ex Scoto in 3. dist. 28. ad 3. Mastrius, & Bellutus negando paritatem de fine, & medijs, ac de assensu principiorum, & assensu conclusionis. Quia in fine, & medijs est vnica bonitas, & ideò posset admitti vnicus actus circa finem, & media: At in principijs, & conclusione est duplex veritas alterius rationis; illa enim est immediata, ista mediata; ideò debet esse duplex assensus alterius rationis, & per consequens idem assensus non poterit ad vtrunque terminari.

Contra tamen; quoniam non minùs in fine, & medio secundùm se consideratis est duplex bonitas, vt multi docent Doctores, quàm in principijs, & conclusione pariter secundùm se consideratis sit duplex

C veritas, & tamen quatenus media appetuntur propter finem, ad eumque ordinantur est vnica bonitas: ergo à pari licèt secundùm se principia, & conclusio considerata habeant diuersam veritatem; nihilominùs vt intellectus assentitur conclusioni propter principia, vnica tantùm reperitur veritas, cùm sit vnicum obiectum, ex ratione quæ, & qua integratum.

Obijcitur in oppositum primò. Nam Arist. in libris Priorum agens de forma syllogistica asserit, *Medium bis sumendum esse in præmissis*, & ideò non esse repetendum in conclusione, sed in ea vnam extremitatem prædicari de altera. Peccaret igitur syllogismus in forma, si medium ingrederetur conclusionem: sed hoc est necessariò concededum, si assensus principiorum includatur formaliter in conclusione: ergo non potest includi. Minor sic probatur; præmissæ com-

D ponuntur ex medio, & extremitatibus: ergo si repetantur in assensu conclusionis, medium erit necessariò in conclusione repetendum; sed non potest includi formaliter, nisi repetatur, vt de se manifestum est; ergo falsum est, vt formaliter includatur.

Respondetur concedendo, quòd medium non debet ingredi conclusionem, nec id sequitur ex nostra sententia: quia principia non ingrediuntur *vt quod*, idest vt quibus assentitur intellectus, sed solùm *vt quo*: Ideò non sunt formaliter exprimenda, aut repetenda in conclusione, sed sufficit extremitates formaliter exprimere, aut repetere, atque coniungere cum actuali dependentia à principiis, & consequenter à medio, vt formaliter includuntur, licèt non exprimantur; sicuti in actu fidei non exprimimus testimonium, dicentes nos credere propter testimonium fide digni, sed solùm exprimitur illud, quod creditur; ratione tamen actualis dependentiæ ab eodem testimonio, inclu-

inclusum censetur formaliter ipsum testimonium, licèt non exprimatur.

Contra istam responsionem, quæ est Ruuii, instant Mastrius, & Bellutus sic. Tum quia si admitteretur talis repetitio, etiam non expressa, iam conclusio non esset vna categorica propositio, sed hypothetica, immo esset totus syllogismus, quod est falsum: ergo assensus conclusionis nullo modo repetit, aut includit assensum principiorum. Tum quia huiusmodi principiorum repetitio non videtur fieri nisi per actum quendam reflexum, quo intellectus cognoscit conclusionem illam esse rectè deductam ex principiis in virtute illius principii, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c*, qui actus non semper requiritur necessariò ad discursum, nec est tertia operatio intellectus, sed 2. vel prima. Et dato quòd requiratur, saltem est necessariò ab assensu conclusionis distinctus: hic enim est actus rectus & procedit via compositiua, à principijs scilicet ad conclusionem; ille autem reflexus, & procedit resolutoriè, à conclusione scilicet ad principia resoluendo; ergo per assensum conclusionis non attinguntur denuò principia.

Respondetur prædictum argumentum tantùm habere vim, dummodò principiorum prædicta repetitio fieret *vt quod*, vt probat ipsum argumentum; non autem *vt quo*, quemadmodum in præsenti contingit; hoc enim modo nec ipsa conclusio est propositio hypothetica, nec prædicta principiorum repetitio est actus reflexus, vt consideranti patere potest.

Obiicitur secundò; quia si principia includuntur formaliter in conclusione: ergo eodem actu, quo assentitur intellectus conclusioni, assentitur etiam principiis: sed assensus conclusionis est scientificus, procedens ab habitu scientiæ: ergo per actum, & habitū scientiæ assentiremus principiis; consequens autem est falsum; quia assensus conclusionis est notitia discursiua, assensus verò principiorum intuitiua, & fine discursu: ergo non potest iste formaliter in illo includi. Quod etiam probatur impossibile; quia assensus principiorum numero, & specie distinctus est ab assensu conclusionis: ergo non potest includi in eo formaliter. Probatur consequentia, nam quæ sic distincta sunt, non possunt formaliter se includere, vt notatum est suprà.

Respondetur concedendo totum præter vltimam consequentiam, quam hoc modo prædictum argumentum infert: ergo per actum, & habitum scientiæ assentiretur intellectus principijs; Hæc enim neganda est, quia principia, vel etiam assensus eorum, non includuntur in assensu conclusionis, tanquam id cui assentitur intellectus, sed tanquam ratio assentiendi. Vnde solùm sequitur, quòd per actum, & habitum scientiæ assentiatur intellectus conclusioni propter principia: Ad id verò quod dicitur, assensum principiorum specie, & numero distingui ab assensu conclusionis: respondetur esse verum, sed ex hoc solùm sequitur, quòd non possit in eo includi, tanquam aliquod ei intrinsecum, & essentiale, sed tanquam aliquod extrinsecum, fine quo nec esse, nec intelligi potest essentialis ordo dependentiæ, quam includit assensus conclusionis ab eo. Hunc enim modum inclusionis non tollit differentia numerica, nec specifica, vt non solùm est notatum suprà, sed etiam vt per se est manifestum.

A Obijcitur tandem 3. Quia in syllogismo euidenti infertur aliquando conclusio vera ex præmissis falsis; vt patet in hoc; Omnis arbor est animal; Omnis homo est arbor; ergo omnis homo est animal: ergo si præmissæ includuntur in conclusione formaliter, formaliter falsum includeretur in vero, quod repugnat.

Respondetur negando consequentiam, nimirùm quòd falsum includatur formaliter in vero; quia conclusio vera non sequitur ex præmissis vt falsis; sed vt, sic dispositis in forma syllogistica, vt dictum est suprà disp. 31. quæst. 3. concl. 2. quare solum infertur, quòd illæ vt sic dispositæ includantur in assensu conclusionis vt quo, modo iam explicato.

B

QVÆSTIO VII.

An assensus præmissarum sit causa efficiens assensus conclusionis.

HVjusmodi quæstio supponit contra Rubion quæst. 8. prologi art 4. atque alios; inter assensum præmissarum, & assensum conclusionis esse veram causalitatem. Hoc enim docuit Philosophus, dum asseruit omnem cognitionem discursiuam fieri ex præexistenti cognitione præmissarum, & cum eo omnes veri Peripatetici: nam particula illa *Ex* C veram causalitatem denotat, vt explicant Commentator, & alij interpretes; Nam id quod respondent, contrarium sentientes, nimirum particulam illam posse denotare ordinem termini à quo, vt cùm dicitur ex calido fieri frigidum, in quo nulla importatur vera causalitas, non habet locum in præsenti; quoniam terminus à quo incompossibilis est cum termino ad quem, & ammittitur per acquisitionem illius, vt patet in exemplo adducto; assensus autem præmissarum non opponitur assensui conclusionis, neque isto adueniente deperditur ille, vt in antecedenti quæstione explicatum est, & infrà iterum constabit. Quare tota erit difficultas, an assensus præmissarum sit causa efficiens assensus conclusionis.

Pro qua tamen prænotandum est, assensum præmissarum (quod etiam de assensu conclusionis affirD mari valet) dupliciter accipi posse, obiectiuè scilicet, & formaliter; obiectiuè quidem, quando nil aliud importat, quàm res significatas per præmissas, quibus assentitur intellectus; formaliter verò, vt est ipsemet actus assentiendi intellectus. Primo modo assensus præmissarum non accipitur in præsenti, cùm de ipsis hoc modo acceptis agendum sit in sequenti disputatione, dum secunda explicabitur demonstrationis definitio, vbi apponitur ista particula, *Et causis conclusionis*. Accipitur autem tantùm secundo modo; quærendo scilicet, an talis actus assentiendi sit vera causa efficiens assensus, seu actus assentiendi conclusioni.

Cùm verò quadruplex sit causarum genus, causæ formalis scilicet, efficientis, materialis, atque finalis; præfatus titulus restringendo se tantùm ad genus causę efficientis, videtur proculdubio in aliis generibus suppo-

supponere assensum praemissarum, vel non esse causam, vel de tali re nullam in praesenti esse quaestionem. Quapropter vt certa ab incertis separemus.

Praenotandum insuper est, in genere causae finalis praedictum assensum praemissarum non esse causam assensus conclusionis; praemissis enim non assentitur intellectus propter conclusionem, sed è contrà, conclusioni scilicet propter praemissas, vt dictum est suprà. Vnde potiùs conclusio, seu assensus illius est causa finalis assensus praemissarum. In genere autem causae materialis, & formalis, assensus praemissarum potest quodammodò dici causa assensus conclusionis, hoc est non per se, & ratione sui (nam vnus actus non fit propriè ex alio tanquam ex materia, neque eum actuat tanquam forma) sed ratione obiecti, nempe ipsarum praemissarum obiectiuè sumptarum; quia istae quodammodò sunt causa materialis conclusionis, vt docet expressè Arist. 2. Phis. text. 31. in quantùm scilicet termini, qui sunt materia praemissarum, sunt etiam materia conclusionis, licèt non vt stant sub forma praemissarum; sicut forma dicitur materia panis, licèt non vt stat sub forma farinae. Similiter praemissae sunt principia, seu ratio, qua seu sub qua assentiendi conclusioni, vt dictum est suprà, tum quaestione antecedenti, tum in proemialibus, & clariùs dicetur inferiùs, dum agetur de specificatione, & vnitate scientiarum, & sic quodammodò sunt causae formales extrinsecae conclusionis. Quapropter tantùm manet difficultas de causalitate efficienti, an scilicet assensus praemissarum concurrat in genere causae efficientis ad assensum conclusionis. Hoc autem intelligendum est duntaxat respectu intellectus bene dispositi, qui scilicet cognoscat vim illationis, & alia de causa non sit impeditus; si quis enim ignoraret vim illationis, vel aliàs esset impeditus, vt contingere potest in rudi, vel in amente; in eo per accidens, hoc est ratione talis impedimenti assensus praemissarum non produceret, neque efficeret assensum conclusionis.

In hac difficultate duae extant sententiae, quarum prima est negatiua, quam defendunt Durandus in 2. dist. 2. quaest. 2. & Apollinaris hic quaest. 2.

Secunda verò sententia est affirmatiua, sed non eodem modo suadetur à suis patronis. Nam Auersa quaest. 25. logicae, sect. 3. & Amicus tract. 25. disp. 3. quaest. 6. dub. 3. docent assensum praemissarum se habere efficienter veluti conditionem ad agendum, aut instrumentum agentis; D. vero Tho. hic lect. 3. & 1. lib. contra gentes cap. 57. ratione 4. qui pro se citat etiam Philosophum secundo Phisicorum. Scotus similiter in hoc loco cap. 1. quaest. 1. ad 2. Toletus in expositione primi textus not. 3. Ruu. quaest. 5. Complut. disp. 17. quaest. 3. Io. a S. Tho. 4. parte Logicae quaest. 24. Mastrius, & Bel'utus disp. 11. quaest. 3. & ferè omnes tam Thomistae, quàm Scotistae, & Nominales, asserunt assensum praemissarum esse veram causam efficientem partialem assensus conclusionis.

Notandum est idcirco primò, quòd praemissae, & conclusio, earumque assensus, in duplici statu considerari possunt. Primò quatenus virtualiter continentur ad inuicem, vt causa in suo effectu, & effectus in sua causa. Secundò quatenus vnumquodque eorum ratione sui, & per se est terminus, vel actus distinctae cognitionis; vt dum causa, aut effectus cognoscuntur in se ipsis, non autem vnum ratione alterius, vt virtualiter in eo contentum. Primo modo praemissae, earumque assensus non possunt esse causa efficiens conclusionis; nam cùm talis assensus non sint plures actus, sed vnicus (eodem enim actu intellectus assentitur praemissis, & conclusioni in ipsis virtualiter inclusae; sicut eodem actu assentitur conclusioni, & praemissis in ipsa conclusione, vt ratio formalis quae, existentibus; quemadmodum suprà explicatum est) inter eos non potest esse vera efficientia, & causalitas, cùm neque sit distinctio, ad veram efficientiam, & causalitatem requisita. Secundo autem modo cùm sint duo actus ab inuicem distincti, inter eos optimè potest esse vera, & propria efficientia, & causalitas.

Notandum 2. eodem modo philosophandum esse de efficientia assensus praemissarum respectu conclusionis, ac de efficientia sensationis externae respectu internae. Etenim, vt dicitur 2. de Anima ex specie intentionali impressa obiecti, & potentia tali specie informata producitur species expressa in ipsamet potentia sensitiua extrinseca sentiente. Deinde, virtute praedictae speciei expressae repraesentantis, & exprimentis obiectum producitur in sensu interiori, nempe in sensu communi alia species intentionalis. Quare tota efficientia sensationis exterioris respectu interioris consistit in hoc, nempe quòd species expressa sensus, seu potentiae exterioris, producit propria virtute speciem expressam in sensu interiori; qua posteà mediante, ita fit interna sensatio, vt tam potentia externa, quàm species illius expressa partialiter concurrant per modum tamen vnius causae totalis ad talem intrinsecam sensationem. Idcirco idem censendum videtur de efficientia assensus praemissarum respectu assensus conclusionis; nam per assensus praemissarum non minùs producitur in intellectu quaedam species intelligibilis, quae simul cum illo partialiter producit assensum conclusionis; quàm per sensationem externam producatur in ipsa potentia sensitiua externa species sensibilis, quae simul cum ipsa potentia partialiater producit internam sensationem.

Dicendum est ergo, quòd assensus praemissarum non est conditio sine qua non possit intellectus assentiri conclusioni, neque instrumentum eiusdem ad assentiendum, sed vera causa efficiens partialis assensus conclusionis.

Probatur prima pars, nempe quòd non sit conditio sine qua non, &c. Quoniam nullus effectus continetur virtualiter in conditione sine qua non; sed assensus conclusionis virtualiter continetur in assensu praemissarum: ergo talis assensus praemissarum non est conditio sine qua non. Consequentia bene deducitur; cùm ex suppositis assensus conclusionis sit effectus assensus verò praemissarum, causa, effectus enim continetur virtualiter in sua causa, vt dicitur 2. Physic. Minor patet, tum ex Philosopho 2. Post. cap. 1. & 2. tum etiam ex eo, quòd conclusioni assentimur ratione tantùm praemissarum, vt dictum est suprà, in quibus medii vinculo colligantur eius extrema, vt patet. Maior verò probatur. Quoniam combustio ligni e. g. quae est effectus ignis comburentis, non continetur virtualiter in approximatione ignis ad lignum, quae est conditio sine qua ignis non potest operari, vt de se clarum est: ergo nullus effectus continetur

virtualiter in conditione sine qua non, &c.

Probatur 2. pars conclusionis, nimirum quòd assensus præmissarum non sit causa instrumentalis assensus conclusionis. Quia nullus effectus assimilatur instrumento: sed assensus conclusionis aliquo pacto assimilatur assensui præmissarum: ergo assensus præmissarum non est causa instrumentalis assensus conclusionis. Maior patet ex 2. Physic. vbi ex professò dicitur, effectum causæ instrumentalis semper excedere in perfectione ipsum instrumentum; alias non indigeret eleuatione principalis agentis ad illum producendum, vnde minimè poterit ipsimet instrumento assimilari. Minor probatur; nam ex certitudine, euidentia, & veritate præmissarum metimur veritatem, certitudinem, & euidentiam conclusionis; & si præmissæ sunt vniuersales, vel particulares, necessariæ, vel probabiles, aut falsæ; vniuersalis, vel particularis, necessaria, vel probabilis, aut falsa erit conclusio: ergo aliquo modo, hoc est non secundùm essentialem, & formalem rationem, sed secundùm accidentalem, & materialem, assensui præmissarum, conclusionis assensus assimilatur; nam cùm assensus præmissarum non sit causa vniuoca, sed æquiuoca, vt dicetur inferiùs, non habet producere effectum eiusdem formalis, & essentialis rationis.

Dicet fortassè aliquis falsum esse effectum non assimilari aliquo modo Instrumento; nam figura, seu forma Cæsaris e.g. assimilatur sigillo in cera, vel alia materia ipsammet imprimenti.

Respondetur ex Suarez tom. 1. Metaph. disp. 17. sect. 2. num. 11. Figuram, seu formam Cæsaris non esse effectum per se primò instrumenti, scilicet sigilli; nam illius primò per se effectus tantùm est *Vbi* productum per illum motum localem artificiosum instrumenti applicati, eleuati à principali agente, quod vtique sigillo non assimilatur, cùm ipsum excedat in perfectione, vt patet; ex quo tamen *Vbi* sic producto deinde resultat propter alium motum, nempe alterationis ipsius materiæ, figura, vel forma prædicta in tali materia impressa.

Probatur denique 3. pars, nimirum quòd assensus præmissarum sit vera causa efficiens partialis assensus conclusionis. Nam illud, quod constituit potentiam in actu primo, concurrit cum ea efficienter partialiter ad actum secundum; sed species intelligibilis præmissarum, & assensus earum constituunt intellectum in actu primo ad assentiendum conclusioni: ergo efficienter partialiter cum ipso debent concurrere ad actum secundum, nempe ad ipsum conclusionis assensum. Maior probatur; nam species coloris e.g. quæ est virtus obiecti, constituit potentiam visiuam in actu primo, scilicet ad videndum, atque ideò concurrit cum ea efficienter partialiter ad actum secundum, hoc est ad visionem ipsam. Minor verò patet, nam intellectus nudus non est sufficiens, neque completa causa assensus conclusionis nisi informetur per assensum præmissarum; sicuti potentia visiua non est sufficiens causa ad videndum nisi sit informata specie coloris; ergo assensus præmissarum constituit intellectum in actu primo.

Obijcitur primo in oppositum tertiæ partis conclusionis; Quoniam causa efficiens debet actiuè concurrere ad productionem effectus; sed assensus præmissarum concurrit passiuè ad assensum conclusionis: ergo non est causa efficiens. Maior de se patet. Minor verò probatur; nam assensus præmissarum est medium, quo intellectus assentitur assensui conclusionis; sed medium concurrit passiuè: ergo & assensus præmissarum.

A

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum videtur, quòd licèt medium non concurrat actiuè *vt quod* sicut concurrit intellectus, tamen concurrit actiuè *vt quo*, scilicet vt est ratio qua intellectus assentitur conclusioni. Qua de causa dictum est in nostra conclusione, assensum præmissarum esse causam partialem assensus conclusionis, hoc est, concurrentem *vt quo*.

Obiicitur 2. in oppositum eiusdem tertiæ partis. Nam causa efficiens agit in quantùm est in actu, idest quatenus existit in rerum natura; sed quando intellectus assentitur conclusioni, iam præteriit assensus præmissarum; ergo prædictus assensus præmissarum non est causa efficiens assensus conclusionis. Maior est certa, quia quòd non existit non potest efficere quidquam. Minor verò probatur; nam intellectus cùm non possit plura cognoscere simul, sed vnum post aliud, non potest habere omnes partes cognitionis simul; ergo dum assentitur conclusioni, assensus præmissarum debet esse præteritus.

B

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd impossibile non est reputandum, esse simul in eodem intellectu duas cognitiones etiam specie distinctas, quando habent inter se ordinem, & dependentiam, vt contingit in præsenti, vbi prædictæ cognitiones se habent per modum vnius discursus; tunc enim intellectus propriè loquendo non cognoscit plura vt plura, sed plura per modum vnius.

C

Obijcitur tandem 3. in oppositum eiusdem tertiæ partis conclusionis. Quia assensus principiorum cùm habeatur per solam notitiam terminorum, distinguitur specie ab assensu conclusionis, qui habetur per demonstrationem discursiuam: ergo si ille est causa efficiens assensus conclusionis, erit causa æquiuoca specie distincta ab effectu; sed nequit esse causa æquiuoca, cùm causa æquiuoca sit vniuersalis, vt sol, cælum, &c. respectu horum inferiorum, & assensus principiorum sit causa partialis, & remota: ergo neque vera causa efficiens.

Respondetur negando minorem subsumptam; nam causa æquiuoca abstrahit à particulari, & vniuersali; neque cum causa vniuersali, etiam materialiter, & entitatiuè potest coincidere, atque conuenire, vt dici solet lib. 2. Physic. nam tantùm sufficit, quòd sit distincta specie à suo effectu. De hoc enim, exemplum adducit Philosophus lib. 1. de generatione animalium cap. 16. vbi docet quædam esse animalia imperfecta semper ex putrefactione genita, quæ tamen coeunt, & generant vt causæ particulares, non suæ speciei animalia, sed vermiculos quosdam; de quibus consequenter asserendum est esse causas æquiuocas, sed non vniuersales; Quare etiam optimè stare potest, quòd assensus præmissarum sit causa æquiuoca, & partialis assensus conclusionis.

D



QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

An habito aßensu præmißarum assentiatur intellectus conclusioni in eodem instanti temporis.

ANTE resolutionem difficultatis, pro declaratione tituli, hoc necessariò videtur esse prænotandum, nempe quòd principia, seu præmissæ possunt dupliciter considerari; vel vt sunt quædam simplices propositiones ad inuicem non applicatæ, nec ordinatæ in syllogismo; vel vt in ipso syllogismo dispositæ, & ordinatæ sunt. Quæstio procul dubio non procedit de præmissis in primo sensu, quia vt sic potest esse maior sine minori, & conclusione, & è conuerso, immo maior, & minor absque conclusione; quando enim non sunt applicatæ, & ordinatæ in syllogismo, non habent rationem præmissarum. Discutitur autem quæstio de præmissis applicatis. Quare cautè dictum est in titulo, an habito assensu, non autem habitis assensibus, nam præmissæ non includunt illos plures assensus per modum vnius discursus, nisi in syllogismo ordinatæ, & applicatæ. Quæritur igitur, an tales assensus præmissarum ordinatarum, & applicatarum simul habeant existere cum assensu conclusionis in eodem instanti temporis; non quòd necessariò præmissæ simul debeant elici ab intellectu; sæpe enim euenit, maximè in nobis propter imperfectionem nostri intellectus, quòd maior priùs eliciatur quàm minor, vt aduertit Arist. 1. Post. cap. 1. sed est dubium, an assensus illi præmissarum, quamuis prius tempore essent eliciti, debeant nihilominùs permanere, & in eodem instanti simul esse cum conclusione.

Quia tamen in hoc secundo sensu, nempe vt disposita, & applicata in syllogismo possunt principia adhuc dupliciter considerari; vel vt scilicet sunt formaliter causæ, hoc est, vt subsunt relationi causæ in ordine ad conclusionem, vt ad effectum; vel vt sunt fundamentaliter causæ conclusionis, quo sensu spectantur secundùm proprias naturas, & vt à relatione causæ præscindunt: hinc est, quòd vt certa ab incertis separentur, concedendum est tanquam certum, principia vt sunt formaliter causæ, non tantùm tempore, sed etiam natura esse simul cum conclusione, eiusque assensu: nam, vt dictum est supra disp. 15. quæst. 4. concl. 2. proprium est quarto modo relatiui, quòd simul sint non tantùm tempore, sed etiam natura, & cognitione. Igitur in dubium relinquendum duntaxat videtur, an principia vt sunt fundamentaliter causæ conclusionis, eorumque assensus habeantur in eodem instanti temporis, in quo intellectus assentitur conclusioni.

Prima sententia docet assensum præmissarum tempore necessariò debere præcedere conclusionis assensum. Ita Capreolus in 2. dist. 3 quæst. 2. ad 1. contra 6. conclusionem; & alii, quos sine nomine referunt Mastrius, & Bellutus disp. 11. Log. quæst. 4.

Secunda verò sententia sustinet assensum principiorum necessariò esse debere simul in eodem instanti temporis cum assensu conclusionis, non verò in eodem instanti naturæ; nam in tali instanti docet debere præcedere conclusionis assensum. At non omnes prædictæ sententiæ Fautores eodem modo conueniunt in assignando, quomodò talis principiorum assensus simul sit cum assensu conclusionis in eodem instanti temporis. Quidam enim, quos sine nomine, loco supradicto citant Mastr. & Bellut. dicunt sufficere vt præmissæ simul sint cum conclusione per habitus ex assensibus præmissarum derelictos. Alii verò, vt Conimb. hic quæst. 4. art. 2. docent satis esse assensum præmissarum simul existere cum conclusione per actum recordationis, quo memoretur intellectus, se assensum habuisse circa tales præmissas. Verùm tam veteres, quam recentiores ferè omnes affirmant, assensus præmissarum secundùm suas proprias, & formales entitates debere esse præsentes in eodem instanti temporis cum assensu conclusionis.

Notandum est primò, quòd principia, seu præmissæ dupliciter considerari possunt; vel ante actualem demonstrationem, quatenus scilicet non eliciuntur, sed in actu signato tantùm disponuntur, & ordinantur ad eliciendam conclusionem scientificam; vel in ipsa actuali demonstratione, nimirum quatenus in actuali exercitio disponuntur, & ordinantur ad eliciendam talem conclusionem, quod fit dum minor præmissa sub maiori, tanquam particulare sub vniuersali, demonstratiuo modo cognoscitur. Primo modo tam conclusio, quàm eius assensus continentur virtualiter in ipsis principijs, eorumque assensibus; quoniam nec primariò, nec secundariò terminant per se simpliciter cognitionem intellectus, sed tantùm per aliud, & secundùm quid, nempe per principia ipsa, in quibus virtualiter continentur, & cognoscuntur. Secundo verò modo, nec conclusio, nec illius assensus continentur amplius virtualiter in præmissis, eorumque assensibus, vt in sua causa, cùm actualiter eliciantur, & producantur, atque saltem secundariò terminent per se simpliciter cognitionem intellectus. Secundariò quidem, quoniam conclusio non se sola, sed simul cum ipsis præmissis conterminat (vt sic dicamus) intellectus cognitionem, cùm illi assentiatur propter principia, atque ita multò magis, & principaliter principiis debet assentiri, minus verò principaliter, & secundariò ipsi conclusioni; iuxta illud *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Eodem ferè modo, quo cognoscitur planta in semine; nam si consideretur semen in actu signato productionis plantæ, continetur, & cognoscitur quidem virtualiter in ipsa planta. Si autem consideretur semen in actuali exercitio productionis plantæ, vt scilicet terræ mandatum, & commissum est; tunc non ampliùs cognoscitur virtualiter planta, sed per se formaliter, licèt secundariò, nempe propter ipsum semen, cui principaliter terminatur nostra cognitio.

Notandum 2. duplicem rationem in errore nos posse distinguere, formalem scilicet, quatenus intellectus inclinat in assensum falsum, & præsente obiecto quasi impellit, vt circa illud eliciat assensum: & materialem, in quantùm est quædam qualitas ex actuum frequentatione radicata in subiecto. Quantùm autem ad primam considerationem, per vnum actum scientificæ conclusionis error excluditur; nam cùm demonstratio efficax causa sit, assensuique proinde scienti-

fico firmissimè adhæreat propter eam intellectus; & sursus veritas obiecti, quæ latebat prius, manifestissima fit; cessat in habitu erroris, vis inclinandi, seu impellendi intellectum in obiectum falsum, iam non extans. Nihilominùs quia nimia eiusdem habitus radicatio, in quantùm est qualitas intensa in subiecto, non tollitur nisi per repetitionem contrariorum actuum; permanet in intellectu quousque sensim expellatur: materialis tamen est talis permanentia, & quæ minimè impedit scientificum assensum conclusionis, non enim opponuntur formaliter habitus nisi in quantùm inclinant in obiectum contrarium; & sicut duæ qualitates contrariæ in gradibus remissis possunt stare simul, ita duo habitus contrarii pariter remissi ad inuicem non pugnabunt.

Dicendum est ergo, quòd præmissæ formaliter sumptæ, hoc est, vt sunt quidam actus, & assensus intellectus, debent ambæ, non autem minor tantùm, in eodem instanti temporis simul esse cum assensu conclusionis, non quidem habitualiter, aut per actum recordationis; sed per proprias entitates; cum qua simultate tamen stat prioritas naturæ.

Probatur prima pars, nempe quòd debeant ambæ existere simul in eodem instanti temporis cum conclusione, & non minor tantùm. Quia præmissæ ambæ sunt integra causa conclusionis, & vna sine altera est insufficiens ad ipsam causandam: ergo debent ambæ actu existere, dum actu causant conclusionem. Consequentia patet ex his, quæ dici solent ex 2. Physic. nam causa efficiens tunc causat, quando est in actu; nec sufficit, quòd antea fuerit. Antec. autem probatur; quoniam syllogismus, seu argumentatio formalis vim habet inferendi ex forma syllogistica; nam medium vt coniungat extrema, debet cum ambobus illis coniungi virtute illius principij, *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*; vt probatum est suprà disp. 34. quæst. 1. ergo ambæ præmissæ sunt integra causa conclusionis, & vna sine altera est insufficiens ad producendam conclusionem.

Probatur secunda pars; quòd scilicet non debeant esse simul habitualiter. Quia habitus solùm est causa actuum eiusdem speciei cum illis, à quibus est genitus; sed assensus principiorum, & assensus conclusionis specie differunt, vt dictum est: ergo habitus principiorum nequit concurrere ad actus scientificos conclusionum, sed præcisè ad assensum præmissarum.

Probatur 3. pars; quòd neque per actum recordationis sufficiat vt præmissæ simul sint in eodem instanti temporis cum assensu conclusionis. Quia tertia intellectus operatio essentialiter à secunda dependet, & causatur, ita vt sine illa nequeat esse, & intellectus ex se non est sufficiens ad eliciendam conclusionem, sed à præmissis determinatur, & completur: ergo præmissæ ex se ipsis concurrere debent, vel per aliquod supplens illarum concursum; sed actus recordationis non est potens supplere istum concursum, quia est imperfectior, nec eminenter continet assensum præmissarum; nec minùs sufficiunt præmissæ in esse obiectiuo, quia vtsic habent esse secundùm quid, hoc est ratione intellectus; causa verò realis exposcit esse simpliciter: ergo, &c.

Probatur tandem 4. pars; nimirum quòd principia debeant esse priùs natura assensu conclusionis. Quoniam essentialis dependentia à causa infert saltem huiusmodi prioritatem, vt dictum est suprà disp. 18. quæst. 5. not. 2. sed conclusio essentialem dependentiam habet à principijs vt à sua causa: ergo talia principia antecedere debent ipsam conclusionem saltem prioritate naturæ.

Obijcitur primò pro prima opinione probando principia, eorumque assensum tempore debere præcedere assensum conclusionis; Tum ex Arist. 2. Prior. cap. 26. vbi ait contingere posse, cognoscere omnem mulam esse sterilem, & hanc esse mulam, & dubitare an aliquid habeat in ventre: ergo cum assensu præmissarum non stat assensus conclusionis. Tum etiam quia discursus est quidam motus; de ratione autem motus est successio, & non simultas. Tum etiam quia capacitas intellectus, per quam multa potest intelligere, finita est: ergo si numerus eorum, quæ potest actu considerare, impleatur per assensus præmissarum, non poterit simul habere assensum conclusionis, quousque alium dimittat. Tum denique quia potest dari casus, quòd sint assensus maioris, & minoris; & in elicitione conclusionis aduertatur falsitas earum, tunc erit assensus præmissarum sine assensu conclusionis. Antec. patet, si falsitas esset difficilis cognitu, & non statim ex apprehensione terminorum cognosceretur.

Respondetur, & primò ad primam difficultatem, quòd Arist. intelligi debet de præmissis vt solutis, non autem vt ad inuicem applicatis in ipsa demonstratione. Ad secundam dicendum est, quòd vtique discursus est quidam motus, scilicet non propriè, sed tantùm metaphoricè; vnde ad summum importat successionem metaphoricam, in quantum scilicet vna cognitio deducitur ex alia; non autem successionem propriam spectantem ad motum, ita vt acquiratur vna cognitio cum amissione antecedentis cognitionis, sicut per motum acquiritur terminus ad quem, & deperditur terminus a quo. Quare nulla est repugnantia, quòd vtraque cognitio in eodem instanti possit haberi; præcipuè cùm actiones intra intellectum sint instantaneæ, neque mensurentur tempore, nisi ratione phantasmatum.

Ad 3. verò difficultatem respondetur, assensus præmissarum, & conclusionis propter mutuam connexionem se habere vt vnum, quemadmodum superiùs dictum est, ideòque non excedere capacitatem intellectus. Ad 4. denique rationem dicendum est se ipsam destruere; quoniam impossibile est, quòd aduertatur falsitas princincipiorum, seu præmissarum in elicitione conclusionis, & non habeatur eiusdem conclusionis assensus licèt erroneus: nam cùm ex dicendis in sequenti quæstione, per assensum principiorum necessitetur intellectus, non solùm quoad specificationem, verùm etiam quoad exercitium ad assentiendum conclusioni, non poterit assentiri principijs non assentiendo conclusioni ex illis illatæ. Quòd autem post talem illationem, talemque erroneum assensum aduertatur falsitas principiorum, & conclusionis inde secutæ, non tollitur quòd in eodem instanti temporis intellectus ille erroneus, & præmissis, & conclusioni, vtrisque falsis, non fuerit iam assensus.

Obijcitur 2. probando assensum habitualem præmissarum sufficere adhoc, vt conclusioni, & præmissis in eodem instanti temporis dicatur quis assentiri. Tum

Tum quia idem habitus virtutis moralis inclinat in intentionem ad finem,& in electionem ad media, quæ specie differunt, vt docent Morales; ergo idem de habitu principiorum respectu assensus conclusionis, quamuis huiusmodi sit specie distinctus, dicendum est. Nam vt se habet finis in practicis, ita principium in speculabilibus. Tum etiam quia habitus est quædam virtus, & semen principiorum, eorumque assensuum: ergo continet in se actiuitatem illorum: ergo poterit sicut principium ad conclusionem concurrere.

Respondetur,& primò ad primam rationem, negando paritatem. Nam habitus virtutis moralis generantur tam per actus intentionis in suum finem, & obiectum, quàm per actus electionis mediorum ad talem finem vtilium; nam cùm actus intentionis, & actus electionis entitatiuè sint idem numero actus, licèt formaliter specie differant, non potest generari talis habitus per actus intentionis in finem, quin etiam generentur per actus electionis in media. At verò loquendo de habitu principiorum, ex quo generantur eorundem assensus, non generatur (supposito quòd generetur, de quo inferiùs) nec potest generari indifferenter tam ex assensibus ipsorum principiorum, quàm ex assensu conclusionis; nam cùm tales assensus non tantùm formaliter, sed etiam entitatiuè specie differant, vt dictum est suprà; si habitus principiorum acquiritur, vel potest acquiri per plures principiorum assensus, vtique non acquiretur per assensum conclusionis, qui specie differt. Quare per prædictum habitum nequibunt elici nisi actus, seu assensus principiorum, cùm per illos talis habitus tãtùm valeat produci, & consequenter per eundem non producetur efficienter assensus conclusionis, sicut producitur per actum, & assensum principiorum, tanquam per causam æquiuocam.

Si autem dicatur, nullum fore absurdum, si etiam per habitum principiorum produceretur assensus conclusionis, tanquam per causam æquiuocam potentem producere effectum alterius speciei, sicut producitur per assensus præmissarum.

Respondetur, maximum fore absurdum propter repugnantiam, quam habet habitus ad hoc, vt sit causa efficiens æquiuoca alicuius effectus; nam de ratione causæ æquiuocæ est, vt in esse causæ sit altioris, & perfectioris ordinis, quàm suus effectus, vt patet inductione per omnes causas æquiuocas. Quare vt plurimùm causæ vniuersaliores sunt etiam æquiuocæ respectu plurium effectuum, quos producunt, vtpote virtute, & eminentia illos continentes. At verò habitus non est perfectioris ordinis, quàm sint actus, quos producit, sed vel imperfectioris, vel ad summùm æqualis ordinis, nam si consideretur habitus, vt tendit ad actum, tanquam ad finem (habitus enim est causa actus in genere causæ efficientis, & actus est causa habitus in genere causæ finalis, vt suo loco dicetur) & vt includit rationem potentiæ; semper est inferioris ordinis, cùm finis, & actus sint quid nobilius eo, quod est ad finem, & eo quod est in potentia. Si verò consideretur vt est causa efficiens ipsorum actuum; sic tantùm est æqualis ordinis, & perfectionis cum illis, cùm tam habitus, quàm actus nil aliud sint quàm tendentia in obiectum. Quamobrem si habitus principiorum posset esse causa æquiuoca respectu assensus conclusionis; tunc esset, & non esset superioris ordinis, & perfectionis; esset quidem, quia esset causa æquiuoca; non esset verò, quia de ratione habitus in genere causæ efficientis ad summùm, est esse æqualis perfectionis cum actibus, quos producit. Atque ita foret maximum absurdum, vt de se patet. Id autem nequaquam verificatur de actu, seu assensu præmissarum; nam cùm virtualiter, & eminenter contineat assensum conclusionis, vt dictum est suprà; erit semper ratione suæ eminentiæ quid superius, & perfectius in ordine euidentiæ respectu sui effectus, hoc est respectu assensus conclusionis.

Respondetur tandem ad secundam rationem adductam in argumento distinguendo consequens: ergo habitus continet in se virtualiter actiuitatem principiorum, conceditur; actualiter verò, negatur; Vnde neganda est absolutè consequentia, nempe quòd habitus possit sicut principium efficienter ad assensum conclusionis concurrere; nam principia efficienter concurrunt ad assensum conclusionis, non quia continentur in potentia, sed in virtute habitus eorundem, sed quia sunt in actu, cùm de ratione causæ efficientis sit causare prout est in actu, non autem in virtute, & in potentia, vt dictum est; Quapropter cùm habitus principiorum sit tantùm ipsa principia in virtute, & in potentia; non poterit certè efficienter ad modum principiorum concurrere, neque causare assensum conclusionis.

Obiicitur tandem 3. probando assensum principiorum per simplicem actum recordationis sufficere posse ad producendum in eodem instanti temporis assensum conclusionis. Experientia enim constat, sæpe nos alicui conclusioni assentiri ex assensu præmissarum præhabito multo tempore ante; maximè cùm propter nimiam distractionem non possit intellectus aduertere præmissis; ergo saltem in hoc casu sufficiet præsentia per actum rememoratiuum; nam verè tunc esset causa, & effectus in actu.

Respondetur, quòd ideò, quia tunc adest in tali casu maxima intellectus distractio, non sufficit actus ille rememoratiuus, sed requiritur cum illo actu, noua assensus productio, ad hoc vt causa propriè dicatur in actuali existentia; nam per actum illum rememoratiuum causa non esset in actuali existentia, vt de se manifestum est.

QVÆSTIO IX.

An per assensum Præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.

QVæstio hæc non procedit absolutè, & vtcumque, sed tantummodò quando intellectus apprehendit præmissas vt veras, atque ideò eisdem assentitur, & cognoscit bonitatem illationis ex illis.

Pro cuius tamen perfecta notitia prænotandum videtur; determinationem, siue necessitatem esse duplicem, vnam contrarietatis, siue specificationis, alteram contradictionis, seu exercitij; sicut indeterminatio,

minatio, & libertas ei opposita, similiter duplex est, cōtrarietatis, seu specificationis; & contradictionis, siue exercitii. Determinatio, seu necessitas contrarietatis, vel specificationis est, qua taliter determinatur, & necessitatur potentia operatiua ad vnam partem, vt licèt possit suspendere actum, attamen si velit operari, actus debet esse illius speciei, ad quam determinatur, & non alterius. Determinatio verò, siue necessitas contradictionis, seu exercitii est, qua taliter determinatur, & necessitatur potentia operatiua, vt non possit suspendere, aut cessare ab actu: sicut per oppositum indeterminatio, & libertas contrarietatis, & specificationis est, qua potentia operatiua potest elicere circa suum obiectum contrarios actus, puta odii, & amoris. Indeterminatio verò, & libertas contradictionis, & exercitii est, qua potentia operatiua potest circa suum obiectum elicere actus contradictorios, vt velle, & nolle; e. g. voluntas in via necessitatur quoad specificationem ad amandam beatitudinem in communi; quia licèt possit non exercere actum circa illam; tamen si vult exire in actum, necessariò debet esse amoris, & non odii. In Patria verò eadem voluntas necessitatur quoad exercitium à Bonitate diuina clarè visa, quia non solùm non potest eam odisse, sed neque suspendere, aut cessare ab amore illius, quam vndequaque diligibilem clarè conspicit intellectus.

Quo igitur supposito, & prænotato, vt certa ab incertis diuidamus, hoc communiter cum omnibus admittere debemus; nimirum per assensum principiorum determinari, & necessitari intellectum necessitate contrarietatis, siue specificationis ad assentiendum conclusioni, etiam vt ipsemet intellectus subiacet voluntatis imperio, ita vt circa illam conclusionem non possit dissensum elicere ex se, neque imperari à voluntate ad dissensum producendum; Tum quia assensus præmissarum est causa naturalis assensus conclusionis: ergo positis omnibus requisitis non potest non producere illum: ergo saltem quoad specificationem talis productio est necessaria; siquidem hæc est minor necessitas, quæ potest esse in causa. Tum etiam quia sciens ex vero non posse sequi falsum, cognoscit aliqua principia esse vera, & assentitur illis; vnde etiam cognoscit conclusionem ex illis rectè deductam, non posse non esse veram: ergo dato quòd possit suspendere assensum, non potest tamen illi dissentiri. Probatur consequentia; nam si post assensum præmissarum dissentiretur intellectus conclusioni, iam assentiretur virtualiter contradictorio illius: sed quia assentitur contradictorio conclusionis, cogitur etiam assentiri contradictorio antecedentis iam cōcessi: ergo cogeretur assentiri duabus contradictoriis. Hoc autē est impossibile: ergo dicendum est Intellectum post assensum præmissarum non posse dissentiri conclusioni.

Conceditur etiam ab omnibus; Intellectum circa has necessarias veritates, ex propria natura consideratum, esse determinatum determinatione exercitij ad assensum, ita vt ex se statim præbeat assensum, nec possit non assentire; quia ex se est causa naturalis, quæ si non est impedita, necessariò agit, nec habet potentiam suspendendi actionem.

Dubium igitur est de intellectu vt subijcitur voluntati, quo modo habet quandam participatam libertatem; an scilicet possit voluntas stante assensu vero, & euidenti præmissarum necessariarum suspendere assensum intellectus circa conclusionem, vel ipsum distrahere ad alia obiecta.

Prima sententia est affirmatiua, quam defendunt Ruu. 1. Post. cap. 1. quæst. 8. Murcia quæst. vltima. Onna quæst. 1. art. 3. Morisanus 1. Priorum lib. 6. Auersa quæst. 25. sect. 3. & alij.

Secunda verò sententia est negatiua, quam tuetur D. Tho. p. p. quæst. 82. art. 2. Scotus in 1. dist. 1. quæst. 4. §. *Ad argumenta*, &c. & 1. Post. quæst. 8. Caiet. Soncinas, & Fonseca, quos citant, & sequuntur Conimbr. 1. Post. cap. 1. quæst. 4. art. 4. Sanchez lib. 5. quæst. 3. Didac. à Iesu disp. 16. quæst. 4. Blancus disp. 1. de argumentatione sect. 4. Hurt. disput. 7. de anima sect. 4. Amicus tract. 25. disp. 5. quæst. 6. dub. 1. Arriaga disp. 25. Logicæ sect. 6. Io. à S. Tho. Complut. Tataretus, Mastr. & Bell. & ferè omnes.

Notandum tamen est, quòd necessitas contradictionis, seu quoad exercitium duplex est; absoluta scilicet, & ex suppositione alicuius. Prima est, quæ nulla supponit libertatem, sed omnimodam includit determinationem. Secunda verò est, quæ licèt ex parte illius rei, quæ se habet de consequenti, nullam supponat libertatem; ex parte tamen alterius rei, vnde illa sequitur, omnimodam supponit libertatem; e. g. Potentia visiua positis, omnibus requisitis ad videndum, necessitate absoluta, determinata est ad suam operationem; & sic de omnibus potentiis naturaliter agentibus præcisè sumptis dicendum est. At verò potentiæ liberæ, quemadmodum est voluntas, licèt circa particulare bonū nullam habeant necessitatem quoad exercitium absolutam, ita vt absolutè necessitentur ad exercitium amandi e. g. humanas literas, aut grammaticam, cum qua literæ humanæ necessariam habent connexionem; tamen supposito quòd voluntas velit exercitium humanarum literarum, non potest non velle ex tali suppositione & ipsam grammaticam ob necessariam connexionem, quam illæ habent cum ista. Hoc tamen potentijs naturalibus, seu naturaliter agentibus non est denegandum, non quidem vt tales sunt, sed vt in suis operationibus subduntur imperio ipsius voluntatis; nam licèt circa exercitium particularium earum obiectorum liberè à voluntate applicentur; tamen supposita tali applicatione, necessitantur circa omne id, quod ex talibus consequitur obiectis, ac necessariam connexionem habet cum ipsis. Quare iuxta hæc optimè colligi poterit, quòd licèt voluntas possit retrahere intellectum, ne cogitet de præmissis, aut illi assentiatur; posito tamen assensu præmissarum, non potest impedire assensum conclusionis.

Dicendum est ergo, quòd per assensum præmissarum demonstrationis necessitatur intellectus quoad exercitium ad assentiendum conclusioni.

Probatur primò ex dictis. Quia eodem instanti, quo cognoscuntur præmissæ, cognoscitur etiam conclusio: ergo voluntas imperans assensum præmissarum non potest impedire assensum conclusionis. Probatur consequentia; quia voluntas imperans actionem alterius potentiæ, non potest impedire quidquid necessariò sequitur in eodem instanti ad talem actionem, vt de se patet; sed assensus conclusionis necessariò sequitur ad assensum præmissarum in eodem instanti: ergo volun-

voluntas non potest illum impedire.

Probatur secundò; Quoniam intellectus non est potentia libera, quantùm in se est, sed naturalis, sicut visiua, aut quælibet alia potentia sensitiua; sed voluntas licèt possit retrahere potentiam visiuam à visione, auferendo scilicet obiectum, aut lucem, aut ponendo aliquod impedimentum, claudendo scilicet oculos, vel alio simili modo; tamen si obiectū sit præsens, medium illuminatum, oculi aperti, &c. non potest visionem impedire: ergo similiter poterit quidem voluntas retrahere intellectum, ne cogitet de præmissis, aut bonitate illationis, diuertendo intellectum ad alia; si tamen semel permiserit ipsum cogitare de bonitate illationis, & assentiri præmissis, neque alias sit impeditus, non poterit voluntas impedire conclusionis assensum.

Obijcitur primò in oppositum; Quoniam nullum bonum creatum potest quoad exercitium determinare, & necessitare voluntatem: ergo à pari, nullum verum creatum poterit quoad exercitium necessitare intellectum; sed assensus præmissarum est quoddam verum creatum: ergo nequit necessitare intellectum ad assentiendum conclusioni. Probatur paritas; quoniam non minùs verum creatum spectat ad obiectum intellectus, quàm bonum creatum ad obiectum voluntatis; sed bonum creatum non necessitat voluntatem quoad exercitium: ergo, &c.

Respondetur, quòd si talis paritas intelligatur, sicut debet intelligi de intellectu, vt subditur in exercitio sui operis imperio voluntatis; potest in hoc sensu concedi, & admitti, videlicet, quòd sicut voluntas quoad exercitium non necessitatur necessitate absoluta, ita nec intellectus, vt notatum est. At verò si intelligatur paritas de intellectu in exercitio sui operis præcisè secundùm se sumpto; non est vllo modo admittenda; nam voluntas est potentia formaliter libera; intellectus verò formaliter est potentia naturalis, & determinata.

Obijcitur 2. Quoniam potentia non est capax habitus, nisi in ordine ad obiectum, circa quod potest operari liberè; vnde potentia omninò naturalis nullam habens libertatem in suis operatioibus, saltem ex participatione voluntatis non est capax habitus, nec potest eum acquirere, quantumuis frequenter operetur; vt patet de potentia visiua, quæ non est capax habitus ad videndum, neque potest illum acquirere per frequentes actus visionis; sed intellectus per assensum principiorum acquirit habitum, qui vocatur intellectus; & habitis assensibus principiorum etiam acquirit habitum scientiæ per assensum conclusionis, secundùm communem sententiam totius scholæ: ergo aliquam habet libertatem in assensu principiorum; & eo habito in assensu conclusionis; aliter habitus scientiæ daretur frustra, cùm potentia tunc esset determinata: (habitus enim datur ad determinandam potentiam:) Minima autem libertas est posse assentire, & assensum suspendere: ergo negari non potest, quin hanc habeat.

Respondetur distinguendo maiorem: Potentia non est capax habitus, nisi in ordine ad obiectum; circa quod potest operari liberè; ita vt in tali operatione, & exercitio nequeat admittere necessitatem absolutam; cōcedenda est; vt patet de potētia uisiua ad ducta in exemplum; ita vt etiam nequeat admittere

A necessitatem ex suppositione, neganda est; nam talis necessitas non tollit libertatem; quinimmo iste modus necessitatis pertingit vsque ad ipsam liberrimam Dei voluntatem, qui quidem liber est ad producendam materiam primam v. g. ex suppositione tamen, quòd illam producat, necessitatur ad producendam cum illa formam, quia aliter non potest fieri, vt docent multi 1. Physic. Quare eodem modo distinguendum est consequens. Nec inde sequetur habitum conclusionis esse frustra, cùm intellectus iam supponatur determinatus per assensum præmissarum ad assensum conclusionis; quoniam habitus non tantùm datur ad determinandam potentiam, verùm etiam ad hoc, vt promptiùs, faciliùs, delectabiliùs, ac citiùs operetur.

B Obijcitur tandem 3. nam saltem quando ex eisdem præmissis potest inferri duplex conclusio, vt in *Barbara*, & *Baralipton*, *Celarent*, & *Celantes*, quarum vna est indirecta, altera directa; tunc præmissæ non determinant intellectum ad aliquam illarum; ergo indifferens est ad eliciendum, & non eliciendum assensum cuiuslibet.

Respondetur in eo casu præmissas determinatè necessitare intellectum ad conclusionem directam immediatè; quia per se primò est ex præmissis deducibilis: mediatè verò, & secundariò ad conclusionem indirectam, quatenus est conuertens conclusionis directæ.

C
QVÆSTIONIS APPENDIX.

An intellectus in syllogismis probabilibus per assensum præmissarum necessitetur ad assentiendum conclusioni.

QVIA syllogismi non tantùm demonstratiui, ac scientifici sunt, verùm etiam probabiles, & opinabiles; quærendum superest, an sicut in scientificis, intellectus per assensum præmissarum necessitatur quoad speciem, & exercitium ad assensum conclusionis scientificæ; ita in opinabilibus pariter eodem

D modo necessitetur idem intellectus ad assensum conclusionis probabilis, & opinatiuæ. Sed cùm omninò hoc videatur extraneum à præsenti instituto, in quo tantummodò de syllogismo demonstratiuo, & scientifico agitur; hinc est, quòd examinatæ quæstioni non inseruimus, sed tanquam aliquid superadditum appendimus, & addidimus.

Circa quod ex omnium consensu pro certo tenendum videtur, quòd in syllogismis probabilibus necessitetur intellectus per assensum præmissarum quoad specificationem ad assensum conclusionis, dummodò in ipsis præmissis nulla falsitas, & repugnantia appareat. Ratio enim est eadem ac in syllogismis demonstratiuis, quia etiam in probabilibus, præmissæ iudicantur vt veræ, & possunt recta illatione inferre conclusionem probabilem veram, non falsam, quia ex antecedenti vero non sequitur falsum; ergo nequit

intel-

intellectus dissentire. Tum etiam quia si dissentiret, assentiret contradictorio illius conclusionis, & per consequens virtualiter assentiret contradictorio præmissarum, de quibus iam supponitur assensus; ergo duo assensus oppositi essent in intellectu, quod est falsum: ergo, &c.

A

Dubitatur tamen de necessitate exercitij, non quidem prout intellectus imperatur à voluntate; nam in tali casu debemus concedere, quòd dum assentitur principiis, illico non possit non assentiri in exercitio conclusioni ex illis deductæ propter rationes superiùs allatas; sed difficultas est, quatenus intellectus eximitur à tali imperio, & supponit voluntatem tantùm indifferenter se habentem.

In quo sensu Conimbr. 1. post. cap. 1. quæst. 4. art 3. Blancus disp. 1. de argumentatione sect. 4. Morisanus 1. Pri. dub. 6. & alij negatiuam partem substinent; Cæteri verò omnes affirmatiuam suadent, dicendo intellectum per assensum præmissarum necessitari quoad exercitium ad assentiendum conclusioni.

B

Probatur autem hoc eisdē rationibus, quibus superiùs probatum est, assensum præmissarum necessitare intellectum quoad exercitium ad assentiendum conclusioni demonstratiuæ, & scientificę; Nam hoc solùm discrimen est, quòd præmissæ necessariæ sunt euidentes; probabiles verò ineuidentes; sed hoc non vrget, quia obiectum vt probabile ostensum, est sufficienter propositum intellectui, vt possit intellectus elicere assensum circa præmissas; & iste assensus præmissarum est sufficiens causa, vt eliciatur probabilis conclusio; ergo voluntate non contradicente, sed indifferenter se habente necessitatur intellectus ad illum assensum; quia causa naturalis non impedita statim agit. Tum etiam quia, si per imperium voluntatis potest intellectus elicere assensum conclusionis, sequitur præmissas illas, & intellectum esse sufficientes causas illius conclusionis; quia voluntas non causat maiorem probabilitatem in obiectis, aut euidentiam; sed hæc vera, vel falsa sunt independenter à voluntate; neque voluntas habet potestatem trahendi intellectum extra proprium, & naturale obiectum; ergo præscindendo à voluntatis imperio, adhuc intellectus eliciet necessariò quoad exercitium conclusionis assensum, quia est causa naturalis.

C

In contrarium nihilominùs aduersarij adducunt has rationes; quarum prima est, quòd opinio, seu probabilitas est semper cum formidine de opposito, vt patet; ergo intellectus per tales assensus opinabiles, nequibit necessitari quoad exercitium ad assentiendum conclusioni. Secunda verò talis est; detur casus, quòd obijciantur intellectui principia contradictoria æquè probabilia, e. g. qui punit diligit; qui punit, non diligit, &c. quorum vtrunque cùm possit esse verum, vtrique intellectus assentietur, cùm sit causa naturalis, & necessaria; ergo per tales assensus contradictorios, etiam necessitaretur quoad exercitium assentiri conclusionibus contradictoriis, quod implicat: ergo falsa nostra assertio.

D

Respondetur ad primam rationem, eam tantùm probare, intellectum non necessitari quoad exercitium ad assensum conclusionis certum, & euidentem, quod vtique concedimus; tamen cùm hoc stat, quòd necessitetur ad assensum verum, sicut veræ sunt præmissæ; nec obstat formido de opposito; hæc enim solùm tollit firmitatem assensus, non verò determinationem, aut necessitatem. Ad secundam verò dicendum est, quòd cùm contradictoriæ propositiones in nulla materia possint esse simul veræ, aut simul falsæ; sed vna vera, altera falsa: Intellectus in tali casu vel neutris assentiretur, vel tantùm illi, quam iudicaret veram; vnde vel talibus præmissis non præstaret assensum, vel si præstaret, hoc esset tantùm circa illas, quas iudicaret veras, quarum conclusioni duntaxat cogeretur quoad exercitium assentiri. Nec ualet dicere, quòd intellectus est potentia naturalis, & consequenter teneretur assentiri utrisque propositionibus contradictoriis; nam cùm neutra iudicaretur ut uera, neutra in ratione obiecti proportionati moueret intellectum ad assentiendum, donec aliqua ex illis iudicaretur vera, cùm ambæ veræ esse nequeant, quia contradictoriæ sunt.

DISPVT. TRIGESIMASEPTIMA.

De essentia, & diuisionibus Demonstrationis.



Explicatis omnibus, quæ ante demonstrationem præcognosci debebant; modò æquum videtur de ipsa demonstratione, de qua præcipua cura est in his duobus libris, sedulò pertractare; quod vt rectè fiat, non tantùm ipsius essentiam, & quidditatem, verùm etiam diuisiones explicare, & declarare debemus.

QVÆSTIO I.

An definitiones Demonstrationis ab Aristotele traditæ sint bonæ.



Duplici definitione ipsam demonstrationem definiuit Philosophus, quarum prima secundùm versionem Argyropilis est, *Demonstratio est syllogismus epistemonicon*, idest faciens scire; non verò apodisticon; vt quidam fortassè sciolus perperam opposuit ad exemplaria Boetii, ut sapienter notauit Sotus; nam apodisticon græcè, est demonstratiuus latinè, & sic esset nugatoria definitio illa, ut patet. Altera verò demonstrationis definitio

finitio est, quòd scilicet *sit syllogismus procedens ex veris, primis, & notioribus, prioribus, causisque conclusionis*. De his autem definitionibus procedit præsens quæstio.

Pro cuius perfecta intelligentia, hæc supponenda sunt; nimirum Aristotelem in præsenti solùm definiuisse demonstrationem propter quid, de qua infrà; cui conuenit generare scientiam, vt clariùs videbitur in huius disputationis vltima quæstione, & procedere ex immediatis prioribus, &c. quod fecit, vt ipse testatur, quia nondum egerat de alia demonstratione, quæ dicitur *Quia*. Deinde supponendum est, in secunda demonstrationis definitione, eundem Aristotelem non enumerasse omnes conditiones demonstrationis propter quid, sed eas tantùm, quæ ex definitionibus scientiæ, & demonstrationis manifestè inferebantur; alias verò occultiores, vt quòd præmissæ sint de omni, per se, &c. reliquit examinandas in sequentibus.

Circa primam demonstrationis definitionẽ, omnes Philosophi conueniunt, eam recipiendo, quamuis in explicatione eiusdem, non omnino consentiant. Circa secundam verò aliqui extant, quos sine nomine citant, & ferè approbant Mastr. & Bell. disp. 13. art. 1. qui docent eam non esse demonstrationis definitionem, sed solùm quamdam numerationem conditionum, quæ ad gignendam scientiam requiruntur. Cæteri verò omnes prædictam definitionem amplectuntur.

Notandum tamen est ex superiùs dictis disput. 33. quæst. 1. quòd syllogismus est quoddam artefactum, & concretum rationis constans materia, & forma, quod ex parte formæ diuiditur in tres figuras; ex parte verò materiæ in demonstratiuum, topicum, & sophisticum. Diuisio ex parte formæ est essentialis; ex parte materiæ verò est accidentis in subiecta; nam secunda intentio constitutiua syllogismi posita in materia necessaria, facit demonstrationem; in probabili, syllogismum topicum, & in apparenti sophisticum; & ideò demonstratio, propriè loquendo, non significat aliquam speciem veram, sed potiùs quoddam ens per accidens resultans ex forma syllogismi, & materia necessaria, ac propterea vt sic non potest propriè definiri; at, quia forma demonstrationis supponitur iam nota ex libris priorum; hinc est, quòd hic non definitur forma eius, nec totum illud aggregatum, sed solùm explicatur, quid conueniat demonstrationi ex parte materiæ; siuè quid requiratur in propositionibus, vt accedente forma syllogismi fiat vera demonstratio: & hoc est intentum Philosophi in his definitionibus; nam prima, id explicat per proprium effectum, quem habet ex parte materiæ, scilicet generare scientiam, qui est causa finalis demonstrationis; vnde talis definitio traditur per causam finalem; ex qua statim infert conditiones, quas habere debent propositiones, quæ sunt materia demonstrationis, per quas secundò definit demonstrationem similiter ex parte materiæ.

Dicendum est ergo, quòd prædictæ definitiones demonstrationis traditæ ab Aristotele sunt optimæ, & exactissimæ; prima quidem descriptiua, secunda verò essentialis.

Probatur prima pars, scilicet quòd sint optimæ; nam definitio, quę datur per propriã causam definiti, siue intrinsecam, siue extrinsecam, est optima; sed

A prædictæ definitiones sunt huiusmodi: ergo, &c. Maior patet ex dictis lib. 2. nostrarum Instit. cap. 3. Minor autem probatur, nam prima datur per causam finalem, secunda verò per materialem; ergo, &c.

Probatur 2. pars; nimirum quòd prima sit descriptiua; secunda verò essentialis; Quoniam vt dictum est loco nuper citato; definitio quæ datur per causas extrinsecas, est descriptiua, quæ verò datur per intrinsecas, est essentialis: sed prima datur per causam finalem; quæ est extrinseca; secunda verò per causam materialem, quæ est intrinseca: ergo prima descriptiua est, & accidentalis, secunda verò essentialis.

Obiicitur primò in oppositum primæ partis conclusionis; in oppositum etenim secundæ nulla est difficultas: Quoniam si demonstratio esset syllogismus B faciens scire, hoc conueniret illi in aliquo genere causæ; sed hoc in nullo genere causæ conuenit: ergo saltem mala prima demonstrationis definitio. Maior de se patet, quia facere, denotat aliquam causalitatem. Minor verò probatur; nam cùm demonstratio consistat in ipso actu discursus, qui est ipsum scire, nil aliud est, quàm scientia actualis: ergo si est ipsa scientia in nullo genere causæ poterit scientiam causare.

Respondetur negando minorem; quia demonstrationi conuenit producere scientiam in genere causæ efficientis. Ad cuius probationem in contrarium distinguendum est antec. Demonstratio accepta pro ipso scire, seu actu scientifico, quo producitur scientia habitualis consistit in actu discursus, seu in assensu discursiuo scientificæ conclusionis; conceditur, quòd C sit ipsa actualis scientia, & non faciat scire, seu producat scientiam, nisi fortassè habitualem, de qua non intelligitur modò. Demonstratio verò sumpta pro illo artificio intellectus, seu dispositione præmissarum, qua tanquam instrumento sciendi vtitur intellectus ad producendam actualem scientiam; negatur, quòd consistat in actu discursus, seu in ipso assensu discursiuo scientificæ conclusionis; & sit ipsa actualis scientia; nam hoc modo consilerata demonstratio, vtique producit actualem scientiam, & est syllogismus faciens scire.

Si autem dicatur hoc esse contrarium superiori doctrinæ, qua docuimus talem definitionem dari per causam finalem, non verò efficientem instrumentalem.

D Respondetur re vera non esse contrarium, cùm procedat in diuerso sensu; nam quando superiùs diximus prædictam definitionem dari per causam finalem; accepimus scientiam pro eo, propter quod datur, & est inuenta demonstratio. Dum verò dicimus demonstrationem efficere scientiam, sumimus scientiam pro eo, quod per demonstrationem generatur, & fit. Neque difficile videndum est, idem posse esse simul causam, & causatum; nam cùm hoc nequeat esse in eodem genere causæ, minimè autem in diuerso. Euacuatio enim e. g. causatur, & fit per medicinam in genere causæ efficientis, & simul est id propter quod est primò, & immmediatè, tanquam ad finem inter medium ordinata, & adinuenta medicina.

Obiicitur 2. quia definitio per genus, & differentiam dari debet, vel per aliquid, quod loco generis, aut differentiæ ponatur; sed in his duabus definitionibus nihil ponitur pro genere, quo mediante cum aliis

argumentationibus conueniant; neque pro differentia, ratione cuius distinguantur: ergo non sunt exactę. Minor probatur; nam si aliqua particula staret loco generis, vtique ly *syllogismus*: & hoc non, quia etiam apponeretur in secunda demonstrationis definitione; & si aliquæ particulæ starent loco differentiæ, essent ceteræ, quæ sequuntur; & hoc similiter non, quia multæ ex illis conueniunt alijs argumentationibus; ergo, &c.

Respondetur negando minorem: quoniam in his definitionibus, *syllogismus* stat loco generis proximi; aliæ verò particulæ, vel saltem plures ex eis stant loco differentiæ; cùm per aliquas saltem optimè distinguatur a syllogismo topico, & sophistico, vt de se patet. Ad probationem verò in contrarium, dicendum est, quòd etiam si in secunda demonstrationis definitione explicitè syllogismus non ponatur, tamen implicitè subintelligitur, ob istas rationes, nempe, tum quia in prima definitione iam fuerat appositus, vnde nulla necessitas aderat repetendi; cùm tam prima, quàm secunda definitio demonstrationis propter quid sint. Tum etiam, quia ex libris Priorum proximè antecedentibus, in quibus ex professo syllogismus definitus, & diuisus fuit; illa particula optimè præsupponi potest; nam si syllogismus saltem secundùm materiam diuiditur in demonstratiuum, topicum, & sophisticum; dubio procul, etiam demonstratio aliquo modo erit syllogismus.

Obijcitur tandem 3. quoniam multæ particulæ in secunda definitione videntur superfluæ, cùm in idem redeant; vt procedere ex primis, & immediatis: ex causis, & prioribus, & notioribus; cùm causæ saltem semper sint priores effectibus; ergo saltem ista secunda demonstrationis definitio non erit bona.

Respondetur, quòd quamuis procedere ex primis, & immediatis sit idem secundùm rem; non tamen secundùm diuersos respectus; quos important; nam in tantùm eadem propositio dicitur inmediata, quia caret alia priori, per quam demonstretur; & dicitur prima, comparatione nimirum subsequentium, quæ per illam demonstrantur; Cæteræ verò aliæ particulæ cùm vnaquæque earum exprimet specialem rationem, & posterior addat supra priorem, vt infrà videbitur; hinc est, quòd non otiosè ponuntur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Principia demonstrationis, æqualem veritatem conclusionis veritati habere debeant, vel potiùs maiorem.

CVM demonstratio procedat ex veris; possumus dubitare, an Principia, ex quibus procedit, tantam habeant veritatem, quantam ipsa conclusio, ex quibus infertur, vel potiùs maiorem, propter illud decantatum axioma *Propter quod vnumquodque tale, &c.* qua de causa post explicationem definitionum ipsius demonstrationis huiusmodi dubiũ proponimus

A disputandum; Sed quia eius exacta resolutio, maiori ex parte procedit ex dictis superiùs disp. 21. præcipuè quæst. 4. & 5. hinc est quòd pauca hic addemus, plura cupientem ad citatum locum remittendo.

Aduertendum tamen est, quòd cùm veritas formalis, seu complexa, de qua tantùm est sermo, sit adæquatio intellectus ad rem, vt diximus disput. citata quæst 1, duo videtur importare, vnum de formali, aliud verò de connotato. De formali tantùm importat adæquationem, & commensurationem actus intellectus cum obiecto; de connotato verò, omnia concomitantia, vt requisita ad talem adæquationem, & commensurationem actus, qualia sunt necessitas, vel contingentia obiecti; maior, vel minor perfectio entitatiua ipsius obiecti; maior, vel minor efficacia

B rationum, quibus mouetur intellectus ad assensum, & similia.

Quare vt certa ab incertis more solito separemus; pro certo habendum est, quòd si sumatur veritas formalis pro concomitantibus ipsam; principia veriora sunt ipsa conclusione; nam propositio potest de perfectiori, & magis necessario obiecto esse; & pro statu isto vna altera euidentior, quia euidentiora motiua concurrunt ad assensum illius, & non istius: ergo cùm hoc præcipuè conueniat ipsis principiis, ex quibus procedit cõclusio; hinc est, quòd veriora, & euidentiora ipsa conclusione sunt. In dubium igitur tantùm vocatur, quid dicendum sit de veritate principiorum, si veritas formalis accipiatur pro adæquatione, & commensuratione actus obiectiui intellectus ad ipsam rem per eundem actum repræsentatam.

C Quia verò ex dictis disp. citata quæst. 3. ad primum & quæst. 4. similiter ad primum. Commensuratio, seu adæquatio, & similitudo prædicta actus obiectiui intellectus ad ipsam rem repræsentatam duplex est; vna formalis, & relatiua, in qua probauimus non posse formaliter consistere veritatem formalem; alia verò fundamentalis, & absoluta, vel adsummùm relatiua secundùm dici, & trascendentalis, in qua probauimus consistere formaliter veritatem formalem, ideò Auctores diuisi sunt in vno scilicet vel altero, vel in vtroque sensu concedentes, aut negantes principia veriora esse ipsa conclusione.

Vnde Prima sententia docet, quòd non tantùm accepta commensuratione actus intellectus cum obiecto fundamentaliter, & absolutè; verùm etiam

D formaliter, & relatiuè, principia semper veriora sunt ipsa conclusione. Ita Mastr. & Bell. disp. 10. Logicæ quæst. 2. art. 4. §. *Respondetur difficultatem hanc petere, &c.* & omnes illi qui in disput. superiùs citata quæst. 4. docuerunt veritatem formalem, formaliter consistere in relatione conceptus obiectiui intellectus ad ipsam rem.

Secunda verò sententia è contrà docet, quòd si accipiatur prædicta adæquatio, seu commensuratio, &c. fundamentaliter; principia veriora sunt ipsa conclusione; at verò si accipiatur formaliter pro ipsa relatione; principia non sunt veriora, sed æquè vera ac ipsa conclusio. Ita D. Thõ quæst. 2. de veritate art. 9. Ruuius hic cap. 2. quæst. 4. Hurt. disput. 11. Logicæ sect. 2. § 27. Arr. disp. 14. sect. 3. & omnes illi qui disput. & quæst. citata superiùs docuerunt veritatem formalem non consistere formaliter in relatione conformitatis actus intellectus ad rem.

Dicen-

Dicendum est ergo primò, quòd veritas formalis vt dicit adæquationem formalem, seu vt est ipsa relatio æqualitatis ad obiectum; non potest esse maior in principiis, quàm, sit in ipsa conclusione.

Probatur quoniam relatio æqualitatis, & similitudinis consistit sicut & cæteræ relationes prædicamentales in indiuisibili; & consequenter non suscipit magis, & minùs, siue intensionem, & remissionem: ergo veritas, vt importat talem relationem debet esse huiusmodi, & non maior in principiis, minor in conclusione. Antec. patet; tum ex dictis disp. 15. quæst. 3. tum quia si duo corpora habent æqualem magnitudinem, ita vt neutrum excedat alterum, tunc dicuntur æqualia, si verò vnum excedat alterum, quantumuis minimo excessu, non erunt æqualia, sed simpliciter inæqualia; Consequentia verò probatur à paritate rationis; nam vel conceptus repræsentat rem vt est in se, vel excedit, aut deficit quantumlibet minimo excessu, aut defectu? Si primo modo se habeat, verus erit; si secundo falsus; & consequenter si propositio enunciat rem sicuti est, erit vera; si verò excedat, vel deficiat quantumlibet parum; erit falsa: non potest igitur intelligi, quòd vna sit magis vera, quàm alia, sed eò ipso quòd minùs vera excogitatur, erit falsa.

Respondent Mastr. & Bell. loco suprà citato, Veritatem non esse solùm adæquationem intensiuam, sed etiam extensiuam cum obiecto, itant, & repræsentet illud, & sicuti est, & quantùm repræsentabile est; & ideò admitti latitudinem quamdam, vt possit suscipere magis, & minùs.

Contra: nam extensio veritatis, seu adæquationis conceptus intellectus ad plura, & plura obiecti prædicata, non fit, nec sequitur rationem sui, cùm æquè sit conceptus verus, qui adæquat vnum prædicatum rei repræsentatæ, quàm qui adequat omnia; aliter enim conceptus præcisiuus esset falsus; sed ratione fundamenti, nempe numeri, & quantitatis prædictorum prædicatorum, vt diximus superiùs disp. 15. citata quæst. 3. ad 2. ergo cùm prædicta extensio non fiat, neque sequatur ratione talis relationis æqualitatis conceptus ad obiectū, sed tantùm ratione fundementi; prædicta responsio non facit ad rem; cùm nostrum tantùm fuerit probare veritatem præcisè secundùm esse relatiuum adæquationis, seu æqualitatis quod habet, non habere latitudinem vllam, ratione cuius possit suscipere magis, & minùs.

Dicendum est 2. quòd veritas formalis quatenus dicit adæquationem fundamentalem conceptus intellectus ad rem; maior, & euidentior est in principijs, quàm in ipsa conclusione.

Probatur ex Arist. 4. Metaph. text 18. vbi docet aliquid esse magis verum, quàm aliud, & pariter magis falsum; quod sic probat. Quia non æquè mentitur, qui dicit quatuor esse quinque, ac ille qui dicit quatuor esse millia: ergo magis falsum est, quod ille asserit, quàm quod ille; sed falsum est contrarium veritati; ergo eodem modo erit vna propositio magis vera, quàm alia. Probatur consequentia; quia contrariorum eadem est ratio. Præterea cap. præsenti expresè docet conclusionem esse veram per principia ergo præmissæ erunt magis veræ; quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Probatur insuper ratione, quia omnes concedunt A principia esse certiora, euidentiora, & magis necessaria ipsa conclusione; cùm sint per se certa, per se euidentia, per se necessaria, hoc est sine vllo medio, sed quibus intellectus, cognita tantùm significatione terminorum assentitur; conclusio verò non sit certa, euidens, aut necessaria per se, sed per aliud, hoc est per principia, quibus medijs, ei assentitur intellectus; sed magis certum, magis euidens, & magis necessarium est magis verum: ergo principia erunt magis vera.

Confirmatur, nam si vna propositio non esset verior altera, non esset fides diuina magis vera, quàm scientia, aut quàm quælibet alia cognitio humana. Vnde nec magis verum esset, quòd Deus est trinus, & vnus, quam quòd paries est albus, cui inhæret albedo; B quod tamen est falsum, & contrà omnes Theologos.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis. Nam duæ quantitates magis æquales dicuntur, si sint æquales secundùm omnes dimensiones, quàm si essent tantùm secundùm vnam, aut aliam: ergo à pari vna veritas erit maior, si sit conformis, & adæquet omnia prædicata rei, quam repræsentat, quemadmodùm sunt prima principia, vtpote vniuersaliora; quàm si tantùm adæquet vnicum, vel aliqua prædicata, quemadmodùm est conclusio. Probatur consequentia, quoniam non minùs sunt quid relatiuum duæ veritates, quàm duæ quantitates æquales: ergo, &c.

Respondetur distinguendo antec. duæ quantitates C dicuntur magis æquales, &c. præcisè ratione relationis æqualitatis, quam fundat, negatur; ratione sui, scilicet vt sunt fundamenta talis relationis; potest aliquo modo concedi; idest non propriè, nam quantitas ex dictis in synopsi capitis 6. categoriarum Aristotelis, & disp. 13. quæst. 4. circa probationem secundæ conclusionis, non suscipit magis, & minùs, seu non intenditur, neque remittitur ad modum qualitatis; sed tantùm impropriè scilicet ratione maioris, vel minoris extensionis, quæ est quædam impropria intensio, & remissio, vt diximus superiùs disp. 15. quæst. 3. ad 2. Vnde eodem modo distinguenda est consequentia; nam licèt adæquatio veritatis fundamentalis, idest vt fundat relationem adæquationis actus intellectus ad obiectum, possit suscipere magis, & minùs; non autem vt formaliter importat talem relatio- D nem.

Obiicitur 2. in oppositum eiusdem primæ conclusionis. Quoniam possunt dari, & de facto dantur duæ cognitiones de eodem obiecto, quarum vna clariùs, & distinctiùs repræsentet illud, altera verò obscuriùs: ergo vna illarum adæquatior erit obiecto, quàm sit alia; sed esse obiecto adæquatior, & inadæquatior est esse magis, & minùs verum, cùm veritas formalis nil aliud sit quàm adæquatio intellectus, ad rem; ergò dabitur vna cognitio alia verior; & consequenter vna veritas alia maior.

Respondetur, argumentum tantùm probare dari vnam cognitionem ratione sui, & quatenus potest fundare relationem similitudinis ad obiectum, altera veriorem; non verò quatenus importat præcisè talem relationem similitudinis; nam species repræsentans obiectum intenditur; & remittitur, cùm sit qualitas; minimè verò relatio, quam fundat. Neque aliquid

facit, quòd veritas formalis sit adæquatio conceptus intellectus ad rem, &c, quoniam non est adæquatio formaliter relatiua, sed tantùm fundamentaliter, vt dictum est.

Cætera verò argumenta, quæ fieri solent contrà nostram secundam conclusionem; facillimè resolui possunt ex dictis pro prima conclusione, & ideò breuitatis causa relinquuntur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Demonstratio propter quid, semper procedat ex primis, & immediatis.

CVM propositio prima, & immediata sit illa, quæ non est altera prior; vt definit Aristoteles in hoc capite, seu quæ non habet medium, per quod cognoscatur; planùm fiet, idem in rei veritate esse propositionem, per se notam; hæc enim est illa, quæ se ipsam notificat, neque eius ueritas per aliam manifestatur, quod idem est, ac non habere medium, seu aliam priorem propositionem per quam probetur. Vnde relicta tanquam de nomine olim celebri difficultate illa, tum inter antiquiores, Thomistas, & Scotistas, tum inter Nominales, circà quidditatem propositionis per se notæ, in quo scilicet formaliter consistat eius ratio, & essentia; tantummodò circa diuisionem eiusdem ad mentem Philosophi quantùm fieri potest, aliqua debemus prænotare.

Aristoteles igitur in hoc primo libro cap. 2. ut optimè obseruat Ruuius ibidem quæst. 2. Propositionis immediatæ, seu per se notæ tres tradidit diuisiones, quarum prima est *in positionem, & dignitatem*; hoc est in propositionem indemonstrabilem apud præcipuos scientificos, & in propositionem indemonstrabilem apud omnes; hoc enim sonat nomen dignitatis quasi dignum sit, vt omnes sciant, seu omnibus innotescat; Secunda *in positionem, & suppositionem*; idest definitionem, & propositionem enunciatiuam 3. tandem *in propositionem per se notam secundùm naturam sui*; & in *propositionem per se notam secundum nos*.

Quas omnes diuisiones, miro artificio D. Tho. p. p. quæst 2. art. 1, ad vnicam hanc reduxit; nempe in propositionem per se notam, & ex sui natura, non verò quoad nos, & in propositionem per se notam secundùm se, & ex sui natura, & etiam quoad nos. Propositio per se nota secundùm se non verò quoad nos est illa, quæ secundùm se nullum habet medium per quod manifestetur, quia nimirum vel prædicatum est de essentia subiecti vel immediatè consequitur ad rationem eius, tamen à nobis non cognoscitur illa immediata connexio prædicati cum subiecto, nisi per aliud medium illam notificans; cuiusmodi est hæc propositio *Deus est*, quæ licet sit per se nota secundùm se, quia prædicatum est de essentia subiecti, tamen quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed innotescit nobis per effectus eius. Huiusmodi

A etiam est propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto, e. g. Homo est admiratiuus; cùm enim inter primam passionem, & ipsum subiectum in rei ueritate nihil mediet, per quod probetur talis propositio, est secundùm se immediata, & indemonstrabilis, & per consequens per se nota secundùm se. Quoad nos tamen dici potest non esse per se notam, aut immediatam, quia per intellectum distinguimus definitionem subiecti ab ipso, eamque assumimus vt medium ad talem passionem de illo demonstrandam.

Propositio verò per se nota secundùm se, & quoad nos est illa, cuius prædicatum, & subiectum non solùm habent immediatam connexionem, sed ipsa nota est etiam nobis, quæ quando omnibus est nota, dicitur propositio per se nota quoad omnes, vt sunt generalissima illa principia *Quodlibet est, vel non est. Totum est maius sua parte, &c*: quæ, dignitates, & axiomata

B appellauit Philosophus. Quando verò non omnibus nota est, sed sapientioribus, quemadmodum est ista propositio, *Incorporea propriè non sunt in loco*; tunc dicitur propositio per se nota quoad sapientes alicuius particularis scientiæ, & vocatur ab Aristotele positio seu suppositio, quando enunciatiua est. Quæ diuisio licèt absolutè loquendo videatur competere tantùm propositioni per se notæ, tamen propter identitatem illius cum propositione immediata, optimè etiam ipsi propositioni immediatæ poterit applicari.

Quare meritò audiendi non sunt, qui tali artificiosæ diuisioni à S. Tho. traditæ addunt aliud membrum, nempe propositionem per se notam quoad nos tantùm, quæ scilicet quamuis in se habeat medium, ratione

C cuius prædicatum insit subiecto; tamen quia sensibus est notissima, non indigemus tali medio ad eius cognitionem; vt hæc propositio *Nix est alba* quæ re vera habet medium, nempe temperamentum primarum qualitatum, tamen illo non indigemus. Ad quod allusit Arist. 2. Topicorum dicens; *Eum, qui negauerit niuem esse albam, sensu indigere non medio.* Quia hæ, & aliæ propositiones, *vt superficies est alba. Ignis est calidus, &c.* re vera etiam quoad nos immediatæ, & per se notæ non sunt, cùm per medium demonstrari possint. Præterquamquòd hic tantùm est sermo de propositionibus per se notis demonstratiuis, seu necessarijs, & per ordinem ad intellectum, non verò de propositionibus per se notis topicis, & contingentibus, & per ordinem ad sensum.

D Hoc denique ignorandum non est, antequam ad resolutionem quæsiti accedamus, nimirum propositionem esse per se notam, & immediatam dupliciter intelligi posse, vel formaliter, & proximè; vel virtualiter, & remotè. Primo modo tunc intelligitur, quando talis propositio non cognoscitur per resolutionem ad primam, & immediatam aliam propositionem, vnde deriuetur; & cuius habeat in se vitutem sed per se ipsam, quatenus scilicet in ea sistit intellectus, tanquam in notissimo, & certissimo principio. Secundo verò modo è contrà, quando scilicet cognoscitur per relationem ad primam, & immediatam aliam propositionem, vnde deriuatur, & etiam cuius in se continet virtutem; quare aiebat Philosophus 1. Topic. cap. 1. quod *demonstratio est ex primis, & veris, aut his, quæ per ea fidem sumpserunt.* Quæstio igitur procedit in vtroque sensu. An scilicet demonstratio propter quid procedat semper ex primis, & immediatis

tis

tis formaliter, & proximè; an ex immediatis saltèm virtualiter, & remotè.

Prima sententia docet demonstrationem propter quid semper debere procedere ex formaliter immediatis, ac per se notis; adeòut demonstratio non procedens ex formaliter immediatis, sed tantùm virtualiter, & remotè, sit demonstratio *Quia*, non autem propter quid. Ita nonnulli, quos sine nomine referunt Mastr. & Bell. disput. 13. quæst. 3. art. 1. §. *Circà alteram quæsiti partem*.

Secunda verò sententia è contrà docet, non semper esse necessarium, demonstrationem propter quid procedere ex formaliter immediatis, & per se notis, nisi fuerit demonstratio potissima; sed satis esse, si procedat ex virtualiter, & remotè per se notis, & immediatis, dummodò demonstrans sciat resoluere principia virtualiter immediata, in formaliter indemonstrabilia. Ita Philosophus 1. Post cap. 2. D. Tho. ibidem sect. 4. Scotus similiter ibidem quæst. 11. Complut. disp. 18. quæst. 1. num. 9. Mastr. & Bell. loco citato Bald-Gher. quæsito 3. quæst. 1. & 2. licèt circà demonstrationem potissimam cum cæteris non conueniat, cùm ipsam non excludat, vt videbitur inferiùs: & ferè omnes.

Notandum idcirco est primò, quòd adhoc vt propositio sit indemonstrabilis, & per se nota, seu quod idem est, ad hoc vt principia sint immediata, & per se nota; sufficit quòd non sint demonstrabilia à priori, seu per aliud medium, tanquam per causam in eodem genere, nam à posteriori, & per effectum, non officit, quòd demostrentur; quinimmo ex eo, quòd tantùm à posteriori possint demonstrari, apertè conuincitur, quòd à priori sunt indemonstrabilia. Diximus tamen hoc non esse intelligendum in diuerso, sed in eodem genere causæ; nam optimè potest vna causa per aliam demonstrari alterius generis, & tamen dicitur prima, & immediata in proprio genere. Ratio autè huius conditionis est, quia si principia essent demonstrabilia, & euidentia per alia, & illa rursus per alia procederetur in infinitum, quod est euitandum; vnde standum est ad aliqua principia immediata, & per se nota, atque indemonstrabilia per aliud medium priùs, & intimiùs subiecto.

Notandum 2. huiusmodi principia, seu propositiones immediatas, &c. posse esse tam affirmatiuas, quam negatiuas. Erunt quidem affirmatiuæ, quando non habebunt causam, cur prædicatum insit subiecto, vt quando essentia aut partes eius prædicantur de subiecto, vel quando prædicatur prima passio de subiecto, vt prænotatum est suprà; quemadmodùm sunt istæ omnes, & similes propositiones. Homo est animal rationale. Homo est animal. Homo est rationalis. Animal rationale est discursiuum, &c. Vnde ista propositio, Homo est sensibilis, (sicuti aliæ similes) non erit affirmatiua immediata, quia rectè potest per animal demonstrari. Negatiuæ autem erunt, quando prædicatum, & subiectum in eis exprimunt rationes primò diuersas; vt quando vnum prædicamentum negatur de alio; aut vna differentia de alia; ibi enim secundùm se, nullum potest esse medium per quod probetur vnum non esse aliud, quemadmodùm sunt istæ, & similes propositiones. Substantia non est quantitas. Animal rationale non est hinnibile, &c. Vnde hæc propositio Homo non est planta, non est negatiua immediata, quia ostendi potest per animal; & sic de cæteris.

Dicendum est ergo primò, quòd demonstratio propter quid in genere, & vt sic; non semper procedit necessariò ex immediatis, & per se notis formaliter, sed satis est, si procedat ab vno, vel altero principio, vel ab vtroque immediatè virtualiter.

Probatur, quoniam potest contingere, vt in demonstratione propter quid accipiatur quædam conclusio alicuius præcedentis demonstrationis, tanquam probata; tunc non erit per immediata formaliter, & tamen erit demonstratio propter quid, cùm procedat ex proximis, & immediatis saltèm virtualiter, & remotè vt notatum est suprà. Quod etiam non obscurè docuit Philosophus in fine secundi capitis primi posteriorum dum dixit, *Aut omnia, aut quædam principia meliùs cognosci conclusione*; quia scilicet quædam dantur, quæ propter demonstrationem cognoscuntur sicut conclusio, & talia erunt principia virtualiter immediata: ergo non est necesse vt omnis demonstratio propter quid procedat ex formaliter immediatis, &c. aliter enim nulla daretur scientia nisi per demonstrationem potissimam, quod tamen est falsum.

Dicendum est 2. quòd demonstratio propter quid potissima, semper procedere debet ex ambabus præmissis formaliter immediatis, & per se notis.

Probatur primò ex Aristotele 1. Post. cap. 2. vbi videtur insinuare, ambas propositiones forè immediatas, quoniam in singulari numero demonstrationem profert, & propositiones immediatas in numero plurali; quod est innuere perfectissimæ, ac potissimæ demonstrationis saltem omnia principia immediata esse debere licet in aliquibus demonstrationibus propter quid minoris notæ, sc perfectioris, vnum, vel alterum, atque etiam ambo possint esse immediata virtualiter, & remotè, modo suprà explicato.

Respondet Bald-Gher. loco suprà citato, ex difficult. 2. vel quòd est sermo apud Philosophũ de aliqua demonstratione particularis scientiæ, vel de tota scientia, seu de demonstratione vniuersali scientiæ, quæ cæterarum demonstrationum congeries est. Et quidem si sermo est, quemadmodùm fortasse esse potest de tota scientia, &c. vltrà maiorem, necesse est etiam dari vnam minorem immediatam formaliter, quæ sit omnium demonstrationum principium, & in quam omnes aliæ minores resoluantur, & illa est definitio subiecti, vt asserit idem Arist. 1. de Anima tex. 11. & in 1. Post. vbi numerat definitionem subiecti inter species principij immediati. At verò si sermo sit de aliqua demonstratione particularis scientiæ; satis est quòd maior immediata formaliter sit; minor verò virtualiter potestate, & remotè, vt docet idem Philosophus loco suprà citato ex 1. Topic. cap. 1.

Contra tamen; nam per ipsum Baldium, loquendo de tota scientia, &c. intantùm debet dari in tali demonstratione vtraque præmissa formaliter immediata, inquantùm talis demonstratio quædam congeries omnium demonstrationum est, & præmissæ, quas continet, debent esse omnium demonstrationum principia, in quæ omnia alia principia, & præmissæ resolui debent; Sed hoc munus etiam spectare videtur ad demostrationem potissimam: ergo si in tota scientia, &c. vtraque præmissa debet esse formaliter imme-

immediata, debet pariter reperiri in demonstratione potissima. Consequentia bene deducitur ex paritate rationis. Minor autem probatur; quia demonstratio potissima, siue perfectissima; est prima, principalis, & rigorosa demonstratio, in quam cæteræ aliæ demonstrationes propter quid resoluuntur tanquam in primam regulam, & primum principium: sed quod est huiusmodi est quædam congeries, & epilogus omnium demonstrationum, omniumque principiorum saltèm in suo genere: ergo illud idem munus, quod per Baldium conuenire dicebatur toti scientiæ, seu demonstrationi generalis scientiæ, etiam conueniet demonstrationi potissimæ; nam potissima demonstratio exhibet omne id in scientiis particularibus respectu cæterarum demonstrationum, quod præbet demonstratio generalis scientiæ respectu demonstrationum particularium scientiarum.

Probatur 2. ratione; quoniam in demonstratione propter quid potissima, vt ex dicendis in proprio loco patebit, concluditur passio de subiecto per definitionem quid rei eiusdem subiecti; ergo debet habere vtranque præmissam formaliter immediatam. Antec. patebit suo loco; consequentia verò probatur; nam quando medium est definitio subiecti in maiori propositione passio debet dici, & prædicari de definitione subiecti, vt patet in hac propositione; Omne animal rationale est admiratiuum; In minori verò, definitio debet dici, & prædicari de definito, seu subiecto, vt patet in hac propositione, Sed Omnis homo est animal rationale; At hæc prædicata videlicet, tam admiratiuum in maiori, quàm animal rationale in minori sunt immediata formaliter, vt patet; quia nil immediatius est, quàm prima passio, essentiæ; & essentialis definitio, definito: ergo demonstratio potissima debet habere vtranque propositionem immediatam formaliter.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis. Nam ex Arist. 1. Post. cap. 2. text. 5. qui explicando quæ sint principia immediata demonstrationis propter quid, ea diuidit in dignitates, & positiones; sed tam dignitates, quàm positiones sunt principia immediata, & per se nota formaliter: ergo omnis demonstratio propter quid debet procedere ex immediatis formaliter.

Respondetur, Aristotelem ibi tantùm locutum fuisse de demonstratione propter quid rigorosa perfectissima, & potissima, ad quam cæteræ reducuntur; nam quando loquitur de demonstratione propter quid minùs principali, atque minùs perfecta aliter loquitur vt suprà dictum est.

Obiicitur 2. contra eandem. Quoniam veritas omnium principiorum pendet à veritate dignitatum: ergo prædictæ dignitates saltem in demonstrationibus propter quid concurrere debent; sed illæ sunt immediatæ, & per se notæ formaliter: ergo omnis demonstratio propter quid, debet procedere ex immediatis formaliter. Minor subsumpta, & vltima consequentia patent; Antec. similiter concessum est; prima verò consequentia sic probatur; nam veritas præmissarum in qualibet demonstratione actualiter concurrit, vt dictum est suprà disp. 36. quæst. 8. sed earum veritas est veritas dignitatum; ergo veritas dignitatum actualiter concurrere debet.

Respondetur negando primam consequentiam, ad A cuius probationem distinguenda est minor; veritas præmissarum est veritas dignitatum formaliter, negatur; virtualiter autem conceditur; Et ideò negatur, quòd talia principia debeant esse formaliter indemonstrabilia; cùm sufficiat, quòd sicut virtualiter continent veritatem dignitatum virtualiter etiam indemonstrabilia sint.

Obiicitur tandem 3. in oppositum secundæ conclusionis ex Bald-Gherard. loco suprà citato, hoc pacto: Demonstratio potissima illa est, quæ perfectissimam parit scientiam; sed omnis demonstratio dummodò sit propter quid, licèt habeat minorem mediatam, perfectissimam parit scientiam: ergo erit demonstratio potissima, & consequenter non erit necesse, quòd procedat ex ambabus præmissis formaliter immediatis. B Maior patet. Minor verò probatur; nam perfectissima scientia est accidentis, & passionis scientia, non verò subiecti, cùm scientia subiecti per demonstrationem non acquiratur; sed in demonstratione, quæ minorem mediatam habet, dummodò maior illius immediata sit, habetur scientia accidentis, & passionis: ergo omnis demonstratio propter quid in qua maior est immediata, & minor mediata, perfectissimã parit scientiam. Sit autem exemplum in hac demonstratione propter puid, per quam perfectissima habetur scientia, de incremento, e. g. luminis in Luna, quod est accidens ipsius; videlicet Omne diaphanum sphæricum potest habere incrementum luminis; sed Luna est quoddam diaphanum sphæricum, ergo Luna potest habere incrementum luminis; nam in tali demonstratione accipitur pro medio passio subiecti, scilicet C *diaphanum sphæricum*, quod est passio Lunæ, & accipitur tanquam ratio causalis proxima, & immediata maioris extremi, nempe *incrementi luminis*; vnde maior illa est immediata, cùm causa immediata incrementi luminis sit diaphanum sphæricum; minor verò mediata, cùm possit demonstrari lunam esse quoddam diaphanum sphæricum per aliud medium: nam cùm diaphanum sphæricum sit accidens subiecti, nempe Lunæ habebit medium vel scilicet alterum accidens, vel ad extremum ipsam rationem formalem subiecti.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem concessa maiori de passione, & accidente proprio, non autem communi; distinguenda est minor; sed in demonstratione, quæ minorem habet mediatam, &c. habetur scientia perfectissima passionis, & D accidentis proprij, negatur; minùs perfecta, conceditur; nam perfectiori modo habetur scientia de passione, & accidente proprio, quando habetur per definitionem subiecti, quàm dum habetur per definitionem passionis, aut quouis alio modo. Quapropter cùm sit scientia aliquo modo imperfecta non spectabit ad demonstrationẽ propter quid potissimam, vt patet. Demonstratio autem illa pro exemplo adducta non videtur potissima, cùm per ipsam non demonstretur propria passio de Luna, sed quoddam accidens commune: demonstratio enim potissima, cùm perfectissimam pariat scientiam, non debet demonstrare accidens commune de subiecto, sed propriam passionem; nobilior enim, & perfectior scientia est, quæ habetur de passione, quam quæ hatur de accidente communi subiecti, vt patet.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrùm omnis, & sola demonstratio propter quid, tantùm procedat ex principijs, tanquam ex causis suæ conclusionis.

NE dimidiata maneat integra explicatio præcedentium particularum, vna cum Philosopho cogimur euertere ordinem, & vltimam hanc particulā, loco penultimæ explanare.

Pro clariori tituli cognitione, supponendum est tamen primò, quòd causa, prout ad præsens spectat, triplex est; alia enim est in cognoscendo tantùm, alia in essendo tantùm, & alia in essendo, & congnoscendo simul. Prima est ratio cur aliquid cognoscatur, quo sensu etiam, cùm per effectum cognoscimus causam, effectus ipse, respectu suæ causæ potest dici causa in cognoscendo. Secunda est, qua aliquid in esse causatur. Tertia denique est, qua aliquid non solùm causatur, verùm etiam, ratione cuius id quod causatur, pariter cognoscitur; quæ adhuc duplex est, formalis scilicet, & virtualis. Prima est, quæ verè est causa essendi, & ratio cognoscendi effectum siue physica, nempe quando effectus ab ea procedit per veram, & propriam actionem, vt ignis respectu caloris ab ipso producti in ligno; siue metaphysica, nempe quando effectus ab ea procedit per naturalem emanationem, & resultantiam, vt essentia respectu proprietatis. Secunda verò est ille gradus, seu ratio, quæ licèt re vera non producat aliam, immo cum ipsa realiter non identificetur; tamen inter eas, vt sunt virtualiter plures, reperitur talis subordinatio, vt intellectus apprehendat vnam vt causam alterius; ita vt, si hæc aliquam haberet causam, nullam aliam haberet nisi illam; sicut in anima rationali immaterialitas est causa virtualis immortalitatis; & in Deo immutabilitas est causa virtualis æternitatis. Dicuntur autem hæ rationes causæ virtuales, tum quia quodammodò continent in virtute alias rationes posteriores; tum quia quantùm ad hoc æquiualent causis in essendo, & in causando formalibus.

Secundò supponendum est, causam in essendo, & cognoscendo simul, etiam iterum duplicem esse; proximam scilicet, seu propriam, & remotam, seu communem. Prima est à qua immediatè tanquam à proprio principio procedit effectus, vt rationalitas respectu admirationis. Secunda verò est, quæ mediante alia producit effectum, vt rationalitas respectu risibilitatis, cùm hæc quidem procedat à rationalitate; sed mediante admiratione. Quæ causa remota adhuc duplex est, adæquata scilicet, & inadæquata; prima est, quæ conuertitur cum effectu, vt rationalitas respectu risibilitatis; valet enim rationale est risibile, risibile est rationale. Secunda est, quæ non conuertitur cum effectu, vt natura sensitiua, seu animal respectu respirationis; non enim valet dicere; respirans est animal; animal est respirans; cùm non omnia animalia, sed tantùm illa respirent, quæ habent pulmonem, &c. Quæ causa remota inadæquata adhuc duplex est, superior scilicet, & inferior; prima est ex qua procedit quidem effectus mediante proxima, tamen non ab omni ea procedit, sed ab aliqua; vt esse animal est causa remota, & inadæquata respirationis, quia ab ea procedit respiratio mediante proxima, quæ est habere pulmonem, & sanguinem calidum; sed non ab omni animali procedit, cùm sint multa, quæ his carent, vt pisces, &c. & ideò natura sensitiua in eis non est causa respirationis. Secunda verò, siue causa inferior remota, & inadæquata, est à qua quidem, semper procedit effectus, & ab omni ea, sed non à sola, cùm possit etiam ab alia procedere, vt patet in exemplo saltationis adducto ab Aristotele, cuius causa remota, & inadæquata sunt vites, & vinum; non tamen ab his solùm procedit, sed ab alijs etiam causis lætitiæ, quæ proxima causa saltationis est.

Tertiò tandem supponendum est, quòd demonstratio ex causis remotis inadæquatis superioribus semper concludit, vel per negationem causæ, vel per affirmationem effectus; Nam bene infertur, non est animal ergo nec respirans; vel est respirans: ergo animal. Demonstratio verò ex causis remotis inadæquatis inferioribus è contra semper concludit vel per affirmationem causæ, vel per negationem effectus; bene enim infertur; Est vinum: ergo saltatio; Non est saltatio; ergo nec vinum.

Quibus autem suppositis, vt certa ab incertis, iuxta consuetudinem, separemus; pro certo in primis habendum est, non solam demonstrationem propter quid procedere ex causis in cognoscendo, sed etiam demonstrationem *Quia*. Nam cùm plerunque talis demonstratio *Quia* detur per effectus, & effectus possit habere rationem causæ in cognoscendo, vt dictum est; non videtur ratio, cur demonstrationi *Quia*, hoc debeat denegari.

Certum etiam est (quidquid dicat Amicus tract. 26. quæst. 6. dubio 1.) non omnem demonstrationem propter quid procedere ex causis in essendo, & cognoscendo simul formalibus, & propriis: nam quædam sunt, quæ procedunt ex causis in essendo, & cognoscendo simul virtualibus; cùm causæ virtuales æquiualeant formalibus, & præstent à parte rei, omne id quod præstarent, si veræ essent causæ formales; aliter enim multæ demonstrationes scientificæ theologicæ, ac metaphysicales, quæ fieri solent, non essent propter quid, quod ferè ab omnibus reiicitur.

Tandem certum quoque est, Omnem, & solam demonstrationem propter quid procedere ex causis in essendo, & cognoscendo simul, vel formalibus, vel virtualibus, proximis, & immediatis saltem virtualiter, seu quod idem est ex causis remotis adæquatis; quia cùm ex dictis superiùs in præcedenti quæstione debeat procedere ex principiis primis, & immediatis saltèm virtualiter, & talia principia pariter sint causæ conclusionis; erunt quoque causæ proximæ, & immediatæ saltèm virtualiter, seu remotæ adæquatæ.

Dubium igitur manet, An omnis, & sola demonstratio propter quid, ita procedat ex principiis, vt illi sufficiat procedere ex eis tanquam ex causis, vt sic estò essent causæ remotæ inadæquatæ superiores, aut inferiores.

Prima

Prima sententia est eorum, qui docent demonstrationem propter quid distingui à demonstratione *Quia* ex eo, quia illa semper demonstrat per causam, ista verò semper per effectum; vnde tenentur concedere demonstrationem, quæ demonstrat per causam, quæcunque causa illa sit, esse solam demonstrationem propter quid. Ita Didacus à Iesu disp. 17. quæst. 1. Faber theoremate 10. cap. 1. Cauero disp. 2. dubio 4. & alii recentiores.

Secunda verò sententia è contrà, est eorum, qui docent demonstrationem propter quid, & quia non distingui ex eo, quia illa semper per causam, ista verò semper per effectum demonstrat, cùm ex Philosopho loco inferius citando demonstratio *Quia*, etiam demonstrare possit per causam saltem remotam; sed distingui aliunde, vt videbimus paulò inferiùs; vnde pariter tenentur asserere, quòd procedere ex causis non conuenit tantùm demonstrationi propter quid, sed etiam *Quia*, licèt alio, & alio modo. Quomodò autem demonstrationi propter quid conueniat procedere ex causis (remotis tamen inadæquatis siue superioribus, siue inferioribus, cùm de proximis, aut remotis adæquatis, iam pro certo determinatum sit) vel non conueniat; & quomodò hoc idem conueniat demonstrationi *Quia*, non omnes eadem sentiunt.

Nam Blancus disput. 5. de demonstratione sect. 3. concl. 1. sustinet procedere ex causis etiam remotis inadæquatis superioribus tamen, dummodò ex negatione causæ inferatur negatio effectus; conuenire demonstrationi propter quid. Procedere verò ex causis remotis inadæquatis inferioribus tamen, dummodò per negationem effectus, negetur causa; conuenire tantùm demonstrationi *Quia*. Vnde apud ipsum hæc demonstratio, scilicet; Non est animal, ergo nec respiratio, erit propter quid; & hæc alia, videlicet, Non est saltatio, ergo nec vinum; demonstratio *Quia*.

Ruuius autem 1. Post. cap. 10. quæst. 1. è contrà docet procedere ex causis etiam remotis inadæquatis inferioribus tamen, hoc est per affirmationem causæ, & negationem effectus; conuenire demonstrationi propter quid. Procedere autem ex causis remotis inadæquatis, superioribus tamen, hoc est per negationem causæ, & affirmationem effectus; conuenire tantùm demonstrationi *Quia*; Vnde apud ipsum, hæ demonstrationes, nempe, Est vinum: ergo saltatio; Non est saltatio: ergo nec vinum; erunt demonstrationes propter quid; istæ verò: Non est animal: ergo nec respiratio. Respiratio est: ergo animal; erunt demonstrationes *Quia*.

Zabarella verò lib. de speciebus demonstrationis cap. 3. asserit, omnem demonstrationem habitam per causam remotam, siue adæquatam, & conuertibilem, siue non; esse demonstrationem *Quia*, nunquam autem propter quid; Cui opinioni haud parum videtur adhærere Bald-Gher. disp. 6. de speciebus methodi, quæsito vnico per totam quæst. primam.

Aristoteles tandem 1. Post. cap. 10. vbi etiam eius fideliores interpretes, vt D. Thom. lect. 23. 24. & 25. atque alij, quos sequuntur Caiet. cap. 13. Complut. disp. 18. quæst. 8. Mastr. & Bell. disput. 13. quæst. 1. art. 1. & quamplures alii, docent Procedere ex causis remotis inadæquatis tamen, seu inconuertibilibus, siue superiores, siue inferiores sint; conuenire tantùm

A demonstrationi *Quia*; nunquam verò demonstrationi propter quid.

Notandum est primò, quòd demonstratio propter quid est illa, quæ non solùm probat passionem inesse subiecto, sed etiam ostendit propter quid illi insit; adducendo scilicet in præmissis propriam, & adæquatam causam talis passionis, quæ est illud principium à quo dimanat; quod quando assumitur pro medio ad probandam talem passionem conuenire subiecto dicitur demonstratio propter quid, vt patet in hoc exemplo, Omne discursiuum est admiratiuum; Omnis homo est discursiuus: ergo omnis homo est admiratiuus; in quo non solùm probatur admiratiuum conuenire homini, sed etiam ostenditur propter quid illi conuenit, assumendo pro medio discursiuum, quod est propria, & adæquata causa admiratiui.

B Demonstratio vero *Quia* est illa, quæ tantùm ostendit passionem conuenire subiecto, nec ostendit propter quid illi conueniat. Vnde ly *Quia*, non sumitur causaliter, sed vt est pura coniunctio; quasi dicatur, quòd hoc sit hoc; & sic hęc demonstratio facit scire esse; alia verò facit scire propter quid est. Quòd patet, hoc exemplo: Stellę non scintillantes sunt prope nos: Planetæ sunt Stellæ non scintillantes: ergo planetæ sunt prope nos; in qua demonstratione solùm scitur planetis conuenire hoc, quod est esse prope nos; non autem assignatur propter quid illis conueniat; Nam hoc quod est *non scintillare*, nō est propter quod huius, *quod est esse prope nos*; sed potiùs è contra, *planetas esse prope nos*; est propter quid non scintillandi, vt per se patet.

C Notandum 2. ex Aristotele loco citato, quòd demonstratio *Quia*, fit tribus modis. Primo quando per effectum adæquatum, & conuertibilem procedimus ad demonstrandam causam. Et in his demonstrationibus, vt patet exemplo superiùs allato, si maius extremum mutetur in medium, fiet demonstratio propter quid; nam procedet per propriam, & adæquatam causam. Ex quo sequitur, omnem demonstrationem à posteriori; seu per effectum esse demonstrationem *Quia*; nam in demonstratione à posteriori non potest assignari propter quid conclusionis. Sequitur etiam, quòd in hoc sensu datur quodammodò demonstratio circularis; de qua re, iterum suo loco redibit sermo.

D Secundo autem modo fit demonstratio *Quia*, quando per causam remotam, siue communem inadæquatam, seu non conuertibilem demonstramus effectum: tunc enim non est demonstratio propter quid, quia vnaquæque passio habet proprium, & adæquatum propter quid, per quod probatur; & ità demonstratio in qua solùm continetur causa remota, & inadæquata, seu non conuertibilis passionis, non adducit propter quid illius, ac proinde, non est demonstratio propter quid. Insuper, in huiusmodi demonstrationibus tantùm concluditur, hoc esse hoc, idest passionem conuenire subiecto; per quod præcisè non scimus propter quid illi conueniat, & consequenter tales demonstrationes, licèt procedant per causam in essendo; tamen verè sunt demōstrationes *Quia*, quales ad amussim sunt illæ superiùs adductæ Brisonis, & Anacharsidis, de vino, & vite, respectu saltationis, &c.

Tertio tandem modo fit demonstratio *Quia*, quando *Quia*, & *propter quid* pertinent ad diuersas scientias;

vt

vt quando ex conclusionibus demonstratis à scientia subalternantè procedimus tanquam ex principijs, ad demonstrandas conclusiones scientiæ subalternatæ: tunc enim scire *Quia*, pertinet ad subalternatam, vt patet in hac propositione, vulnera rotunda difficiliùs curantur. Chirurgus enim tantùm scit quòd difficiliùs, siue quia difficiliùs curantur; scire autem propter quid pertinet ad Geometriam, seu ad Geometram, qui demonstrat latera circuli magis distare.

Dicendum est ergo primò; Quòd procedere ex principiis tanquam ex causis, seu quod idem est, demonstrare à priori; non conuenit tantùm demonstrationi propter quid, sed etiam demonstrationi *Quia*.

Probatur primò auctoritate Philosophi, qui 1. Post. cap. 10. text. 30. assignans differentias, quibus demonstratio *Quia* differt à demonstratione propter quid, ait; *Vno quidem modo, si non per immediata efficiatur syllogismus: non enim accipitur prima causa: scientia verò ipsius propter quid secundùm primam causam*; vbi à demonstratione *Quia*, non videtur excludere demonstrare per causam; sed per causam primam, & immediatam: ergo procedere ex causis, per Aristotelem, non tantùm conuenit demonstrationi propter quid, sed etiam demonstrationi *Quia*.

Probatur 2. ratione. Quoniam dum per causam remotam, & inadæquatam demonstratur passio de subiecto, non demonstratur propter quid illi conueniat; sed tantùm quòd illi conuenit; Sed quod demonstrat hoc modo, est demonstratio *Quia*: ergo procedere ex causis non tantùm conuenit demonstrationi propter quid, sed etiam *Quia*. Consequentia bene deducitur. Minor ex notatis videtur manifesta. Maior verò sic probatur; quia tunc demonstratur, quòd passio tantùm conuenit subiecto, non ostendendo propter quid illi conueniat, quando perfectè non quietatur intellectus, sed vlteriùs potest inquirere, cur ita sit hoc: sed dum demonstratur per causam remotam inadæquatam passio de subiecto, intellectus non quietatur, sed vlteriùs potest inquirere cur ita sit hoc; e. g. dum adducitur pro causa, quòd paries non sit risibilis, *animal*; potest intellectus vlteriùs inquirere cur aliqua animalia non sunt risibilia: ergo dum demonstratur passio de subiecto per causam remotam inadæquatam, non demonstratur propter quid illi conueniat, sed tantùm quòd illi conuenit.

Dicendum est 2. quòd procedere ex principiis tanquam ex causis remotis inadæquatis, siue superioribus, siue inferioribus, nullo modo conuenire potest demonstrationi propter quid; sed tantùm demonstrationi *Quia*.

Probatur breuiter ex dictis; Quoniam ex causis inadæquatis, siue superioribus, siue inferioribus non potest ostendi propter quid passio conueniat subiecto, sed tantùm, quod illi conuenit, cùm intellectus ibi non quiescat: ergo procedere ex causis remotis inadæquatis, &c. nullo modo conuenire potest demonstrationi propter quid, cui conuenit essentialiter ostendere propter quid passio conueniat subiecto; sed tantùm demonstrationi *Quia*.

Respondet Blancus loco citato, quòd quando demonstratur per negationem causæ inadæquatæ superioris, demonstratur per causam virtualem; quoniam negatio causæ, est causa virtualis negationis effectus; quod non repugnat demonstrationi propter quid, cùm hæc, ex superiùs dictis, tam ex causis formalibus, quàm virtualibus haberi possit.

A

Contra tamen; Tum, quia hoc apertè est contra Aristotelem loco citato vbi clarissimè demonstrationem illam appellat *Quia*, non propter quid; & affert exemplum de negatione animalis, quæ est causa superior, qua probatur de aliquo negatio respirationis. Tum etiam, quia de ratione demonstrationis propter quid, ex dictis, non est procedere ex causis formalibus, aut virtualibus vtcunque, sed immediatis, & adæquatis, seu conuertibilibus, non verò ex causis inadæquatis, seu non conuertibilibus; aliàs non quietaretur intellectus: ergo nulla solutio.

B

Ad huiusmodi rationem respondet fortasse aliquis ex Ruuio, loco citato, negando antec. Quoniam non minùs causæ remotæ inadæquatæ saltèm inferiores, reducibiles sunt ad causas proximas adæquatas, quàm causæ virtuales, seu remotæ adæquatæ: quare, si demonstratio propter quid potest procedere ex causis immediatis virtualibus, seu remotis adæquatis, non est cur non possit procedere ex causis remotis inadæquatis saltem inferioribus.

Contra tamen. Tum quia causæ remotæ inadæquatæ vt tales sunt, nequeunt reduci ad causas proximas adæquatas, reductione adæquata, & propria, de qua est sermo, sed tantùm inadæquata, & impropria vt patet: ergo cùm causæ remotæ adæquatæ, seu virtualiter proximæ possint reduci ad formaliter proximas adæquatas, reductione adæquata, & propria,

C

minimè verò causæ remotæ inadæquatæ quomodocunque sint; tantùm illæ, & non istæ erunt propriè, & in rigore reducibiles. Tum etiam, quia In tantùm per ipsum Ruuium, demonstrationes, quæ procedunt ex causis remotis inadæquatis superioribus sunt demõstrationes *Quia*, & nõ propter quid; inquantùm non procedunt ex negatione causæ per modum causalitatis, sed per modum negationis prædicati superioris; sed etiam demonstrationes, quæ procedunt ex causis remotis inadæquatis inferioribus, non procedunt ex affirmatione causæ per modum causalitatis spectantis ad demonstrationem propter quid, cùm non sit sufficiens ad quietandum intellectum, sed tantùm per modum affirmationis prædicati superioris, vt patet; ergo si demonstratio procedens ex causis remotis inadæquatis superioribus per ipsum Ruuium non est

D

propter quid, sed *Quia*, erit etiam demonstratio *Quia* illa, quæ procedit ex causis remotis inadæquatis inferioribus.

Ex quibus autem omnibus aptè colligi potest contra fautores primæ sententiæ, omnem demonstrationem propter quid esse à priori, seu per causam; non autem omnem demonstrationem à priori esse propter quid. Similiter omnem demonstrationem à posteriori, seu per effectum, esse demonstrationem *Quia*, non autem omnem demonstrationem *Quia*, esse à posteriori.

Obiicitur primò in oppositum secundæ conclusionis; (nam contra primam vix vlla manet indigesta difficultas (probando, quòd procedere ex causis remotis inadæquatis saltem inferioribus, conueniat demonstrationi propter quid: nam demonstratio *Quia* ex Philosopho 10. primi Post. tantùm potest fieri in

secunda figura; sed demonstratio procedens ex causis remotis inadæquatis, saltem inferioribus, non potest fieri in secunda figura: ergo non erit demonstratio *Quia*, sed propter quid; Et consequenter procedere ex causis remotis inadæquatis, saltem inferioribus conueniet demonstrationi propter quid. Consequentiæ optimè deducuntur; & maior patet auctoritate Philosophi. Minor autem probatur; nam tales demonstrationes per causam remotam, &c. quatenus per eam demonstrant, cùm procedant per affirmationem causæ ad affirmandum effectum, bene sequetur in illis, ex positione causæ, positio effectus, vt de se constat; & consequenter illarum conclusiones semper erunt affirmatiuæ; sed in secunda figura conclusiones sunt semper negatiuæ; ergo talis demonstratio non poterit fieri in secunda figura.

Respondetur negando maiorem; quoniam intentum Philosophi ibidem non fuit affirmare omnem demonstrationem *Quia* debere fieri in secunda figura; aliter enim sibi esset contrarius; nam cùm demonstrationes scientiæ subalternatæ possint esse in prima figura, vt patet; perperam eas vocasset demonstrationes *Quia*; Intentum autem Philosophi in tali loco fuit solùm docere, quòd demonstratio procedens ex causis remotis inadæquatis superioribus tamen, non potest fieri in prima figura; nam cùm in ea, ad differentiam demonstrationis procedentis per causam remotam, &c. inferiorem; ex positione causæ superioris non sequatur effectus: bene tamen ex negatione illius, negetur effectus; conclusio semper debet esse negatiua quod solùm habetur in secunda figura; nam in prima aliquando negatiua, aliquando affirmatiua esset, vt patet. Constat autem hoc ex ibidem adducto exemplo in *Camestres*; nempe Omne respirans est animal; nullus paries est animal: ergo nullus paries respirat; atque ideò dixit, *Assimilantur autem tales causæ his, quæ secundùm excessum dicuntur*; idest prædicatis superioribus, non verò inferioribus.

Obijcitur 2. Quia demonstratio propter quid, est demonstratio à priori: demonstratio verò *Quia*, à posteriori, non alia ratione, nisi quia illa procedit à causa, quæ prior est effectu, & hæc ab effectu, qui posterior est causa: sed causa remota quæcunque sit, vera causa est, & prior effectu; ergo demonstratio ab ea procedens à priori est, & causam conclusionis reddit, atque adeò est demonstratio propter quid.

Respondetur facilè, ex dictis, videlicet, totam rationem formalem demonstrationis propter quid non esse solùm procedere ex causis effectu prioribus, verùm etiam proximis saltem virtualiter, seu quod idem est remotis adæquatis. Vnde cùm tales demonstrationes de quibus probat argumentum procedant ex causis remotis inadæquatis non poterunt esse propter quid nempe ostendentes propter quid passio conueniat subiecto; sed tantùm *Quia*, hoc est ostendentes passionem dumtaxat conuenire subiecto.

Obiicitur tandem 3. quoniam omnis demonstratio procedens ab effectu proximo, vel remoto, adæquato vel inadæquato, est demonstratio *Quia*; ergo omnis demonstratio procedens à causa proxima, vel remota, adæquata, vel inadæquata erit demonstratio propter quid. Probatur consequentia; quia sicut se habet effectus ad demonstrationem *Quia*, ita se habet causa ad demonstrationem propter quid.

A Respondetur negando paritatem: nam cùm demonstrationes *Quia* tantùm probent passionem conuenire subiecto, nec quietent omnino intellectum; non est necesse, quòd in eis, causa habeat tantam propinquitatem, & adæquationem cum effectu, quantam habere debet in demonstrationibus, propter quid, quæ simul ostendunt passionem conuenire subiecto, & propter quid illi conuenit, quietando omnino intellectum, vt vltra nihil inquirat.

QVÆSTIO V.

B *Vtrùm sit necessarium vtranque præmissam demonstrationis semper notiorem, certioremque esse, atque priorem ipsa conclusione.*

QVæstio hæc prima facie videtur satis resoluta ex dictis in antecedenti: nam si præmissæ debent esse causæ in essendo, & cognoscendo simul demonstrationis propter quid, de qua in præsenti loquimur; consequenter erunt notiores conclusione ex ipsis deducta: siquidem causa secundùm se notior, & euidentior est suo effectu. Erunt etiam priores propter eandem rationem, quia causa semper est prior effectu, C saltem prioritate naturæ, quam prioritatem præmissæ vtique habere debent formaliter, & in actu, non autem virtualiter, & in potentia, sicut possunt habere immediationem, vt dictum est supra.

Quia verò præmissæ non tantùm sunt immediatæ formaliter, verùm eiam virtualiter, ideò dubium est, an sicut præmissæ immediatè formaliter sunt notiores, certioresque, atque priores conclusione, ita hoc idem affirmari possit de præmissis virtualiter immediatis.

Pro quo tamen videtur supponendum, tam certitudinem, quàm euidentiam suscipere magis, & minùs; Patet de certitudine, quæ cùm dicat firmam adhæsionem intellectus cum exclusione totali formidinis, poterit intellectus magis, vel minùs firmiter adhærere, D sicut magis, vel minùs potest esse immutabilitas obiecti propter plures, vel pauciores causas immutabilitatis, & magis, vel minùs necessariæ possunt esse rationes assentiendi, cum quo magis, & minùs stat totalis exclusio formidinis de opposito; vt Angelus est altero immaterialior, quamuis vterque excludat omnem materiam; & amor est magis, vel minùs intensus licèt totaliter careat odio. Idem etiam multò magis affirmari poterit de euidentia, cùm idem obiectum possit magis, vel minùs clarè videri; eodem tamen proportionali modo, quo superiùs disput. 21. quæst. 4. & 5. & quæst. 2. huius disputationis de veritate, & falsitate philosophatum est.

Præmissarum igitur prioritate relicta, cùm omnes concedant quæcunque illæ sint debere esse priores ipsa conclusione saltèm natura; circa certitudinem, & euidentiam earum nonnullæ extant variæ Philosophorum sententiæ; quarum prima negat absolutè præ-

præmissas debere esse certiores, & euidentiores conclusione, quæ defenditur ab Hurt. disput. 11. sect. 3. atque alijs.

Secunda verò docet quamlibet præmissarum posse esse certiorem, & euidentiorem conclusione, & vtranque esse euidentiorem; negat tamen ambas esse certiores; Ita Arr. disp. 10. sect. 4. Apud Mastr. & Bell. disp. 13. quæst. 3. art. 2. §. *Quarta conditio, &c.*

Tertia tandem affirmat vtran que præmissam semper, & necessariò esse euidentiorem, & certiorem conclusione, ita vt nullo casu possit habere æqualem euidentiam, & certitudinem cum aliqua earum. Ita communiter ferè omnes; quos longum esset recensere.

Notandum idcirco est, quòd etiam præmissæ de fide quando concurrunt in aliqua demonstratione theologica ad inferendam conclusionem, non concurrunt nisi media illatione, seu discursu illatiuo, sicut concurrunt præmissæ purè naturales; quoniam principia non sunt causæ conclusionis consideratæ in ratione propositionis, sed in ratione consequentiæ necessariæ quidem in materia necessaria; probabilis in materia probabili; & apparentis in materia apparenti. Quare certitudo prædictarum præmissarum modificatur per certitudinem consequentiæ, seu illationis; ita vt, si talis illatio sit in materia necessaria, habeant certitudinem necessariam; si in probabili, certitudinem probabilem; si in apparenti, certitudinem apparentem, Cuius manifestissimum signum est, quòd si vtraque præmissa alicuius syllogismi sit de fide, vel altera euidens euidentia naturali; & syllogismus solùm probabilis; certum est, conclusionem illam esse probabilem, idest non de fide, nec scientificam, sed opinabilem, vt patet in hoc syllogismo, e. g. non potest cognosci cognitione intuitiua vnum relatiuorum quin aliud cognoscatur; sed diuinæ personæ sunt relatiuæ: ergo non potest cognosci cognitione intuitiua, vna sine alia; nam licèt maior sit euidens, euidentia naturali, quia ex Philosopho relatiua sunt simul cognitione; & minor sit certa de fide, ex Concilijs, & Patribus; conclusio tamen opinabilis est; cùm huiusmodi syllogismus habeat Scotistas contrarium opinantes. Ex quibus omnibus non erit absurdum inferre conclusionem demonstrationis theologicæ, non pertinere ad habitum fidei diuinæ, vt quibusdam modernis placuit, sed ad habitum scientiæ theologicæ; nam habitus fidei diuinæ solùm innititur testimonio, aut reuelationi diuinæ, & immediatè non innititur discursui, aut ratiocinationi, seu demonstrationi; at verò conclusio demonstrationis theologicæ, innititur immediatè discursui, aut demonstrationi: per quam deducitur ex præmissis, & non reuelationi, aut testimonio diuino immediatè. Vnde talis conclusio semper habebit minorem certitudinem illa, quam habent præmissæ; nam & si ambæ etiam essent de fide, cùm illatio illa sit naturalis, vt pote naturaliter sequens, non possunt tamen producere conclusionem perfectiorem in certitudine, quàm sit perfectio certitudinis naturalis, quæ minor semper est certudine diuinæ reuelationis.

Dicendum est ergo; quòd vtraque præmissa demonstrationis semper debet esse certior, & notior ipsa conclusione.

Probatur primò, quia præmissæ quæcunque illæ sint, continent vnionem extremorum cum medio; conA clusio verò continet vnionem eorundem extremorum inter se se, media vnione eorum cum medio, tanquam ratione formali, & totali, propter quam vniuntur inter se: ergo prior vnio à qua totaliter dependet, secunda fortior est, cùm sit immediatior. Sed fortiorem esse vnionem extremorum cum medio est certiores esse præmissas: ergo maior certitudo prouenit eis ex natura demonstrationis. Quare repugnat conclusionem habere æqualem certitudinem cum aliqua earum.

Respondet Arriaga, negando antec. quoniam conclusio respicit pro obiecto non solùm extrema connexa inter se se; sed etiam cum medio. Præterquamquòd, subinferunt alii; adducendo pro causa istius maioris euidentiæ immediatam, & indepedentem conB nexionem terminorum, fit petitio principij; hoc enim quæritur, scilicet an ex tali immediata, & independenti connexione terminorum oriatur maior certitudo, & euidentia.

Contra tamen est illud, quod diximus suprà disp. 36. quæst. 6. nimirum diuersa esse obiecta formalia præmissarum, & conclusionis, earumque assensuum, quamuis obiectum, & assensus conclusionis dependeat a præmissis, & secundùm rationem obiectiuam, obiectum præmissarum, earumque assensus includantur formaliter in obiecto, & assensu conclusionis. Quinimmo ex eo quòd conclusio respiciat connexionem extremorum inter se se, per ordinem, & dependentiam a connexione extremorum cum medio in præmissis; eius quoque notitia erit ordinata, & dependens à notitia, & euidentia principiorum, ex vi illationis, C & demonstrationis; & consequenter semper erit minoris euidentiæ, & notitiæ: ergo nulla responsio. Neque eneruat nostram rationem illud effugium, quod subinfertur de petitione principii; quoniam per adductam rationem non adducitur id, quod est probandum; sed per causam probatur, quòd principia sint notiora, &c. petitio autem principii tunc fit, quando assumitur pro medio id ipsum de quo est quæstio. Cùm igitur tantùm quæratur, an principia sint notiora, &c. non verò an immediata, & independens connexio extremorum sit causa maioris notitiæ; & principia esse notiora, & immediatam connexionem extremorum esse causam maioris euidentiæ, non sint idem omnino: per talem adductam rationem nullo modo fiet petitio principii.

D Probatur 2. quoniam in demonstratione propter quid (de qua loquimur) præmissa demonstrabilis agit in virtute principiorum a quibus proximiùs deriuatur, quam ipsa conclusio, cùm hæc deriuetur mediante illa; ergo maiorem habebit certitudinem. Probatur euidenter consequentia, quia quò effectus proximiùs deriuatur à causa, eò perfectiùs participat rationem eius, præsertim comparatione alteriuseffectus, à quo nonnisi vllo mediante participatur.

Respondent Aduersarii negando consequentiam; ad probationem dicunt, quòd lumen intellectuale non se habet vt lumen corporeum; quod minùs illuminat obiectum remotum, quàm proximum; quare licèt præmissa demonstrabilis proximior sit lumini intellectus, quàm sit ipsa conclusio; nihilominùs non erit illuminatior, & notior ipsa conclusione; quæ magis distat.

Contra; nam licèt lumen intellectus non sit corpo-

reum, tamen negari nequit, quin difficiliùs attingat, quæ magis distant à primis principiis, quàm quæ magis accedunt, vt patet experientia: notiùs enim, & euidentiùs nobis est, hominem esse admiratiuum, quàm risibilem, cùm hoc per illud demonstretur; ergo se habet quasi lumen corporeum.

Obiicitur primò testimonium Aristotelis in hoc capite 2. prope finem; vbi non dixit necessarium esse magis credere omnibus principiis, quàm conclusioni; sed aut omnibus, aut aliquibus; ergo sentit conclusionem habere æqualem certitudinem saltem cum aliquo eorum.

Respondetur; Aristotelem ita ibi esse locutum, quia licèt ex virtute demonstrationis, atque illationis semper sit vtraque præmissa certior; contingit tamen aliquando conclusionem in ratione propositionis habere aliam certitudinem experientiæ, præter eam, quam in ratione conclusionis à præmissis participat, ratione cuius habebit æqualem certitudinem cum aliqua præmissarum; vt quòd Luna nunc eclipsetur, experientia sensuum cognoscimus; & ideò non est nobis minùs certa, quàm quòd terra interponatur inter eam, & Solem, per quam demonstratur à priori: tamen per accidens contingit hoc; & ideò non tollit, quin per se, & ex virtute demonstrationis semper sit vtraque præmissa certior conclusione. Quæ doctrina etiam applicari potest, quando conclusio est de fide, & altera præmissarum est naturalis, vt dum probamus Christum esse risibilem, quia homo est risibilis.

Obiicitur 2. nam conclusiones eiusdem scientiæ deriuantur ab eisdem principiis, vt dicetur suo loco; ergo æqualem habent certitudinem ab eis deriuatam; sed sæpè contingit conclusionem, & præmissam demonstrabilem pertinere ad eandem scientiam, vt ostendit demonstratio ista; nempe, Quidquid est capax disciplinæ, est admiratiuum; omnis homo est capax disciplinæ; ergo omnis homo est admiratiuus; ergo habebit æqualem certitudinem cum ea.

Respondetur negando consequentiam; nam estò conclusiones eiusdem scientiæ deriuentur ex eisdem principiis; quia tamen non deriuantur æquè proximè, ideò non æqualiter participant certitudinem principiorum, sed magis eam participant præmissæ, ac magis, ac magis, quæ proximiùs accedunt ad talia principia indemonstrabilia.

Obiicitur tandem 3. ex Arriaga; quoniam si a maior certitudo in præmissis, & non in conclusione, ita posset explicari, nimirum, vt si vnum ex duobus esset negandum potiùs negaretur conclusio, quàm aliqua præmissarum; quia de illa minorem habemus certitudinem; sed hoc nequit reperiri inter assensum præmissarum, & conclusionis; ergo æqualis est certitudo in omnibus. Minor probatur; nam si in præmissis assentimur, & scimus omnes homines esse rationales e. g. ex quibus deducitur Petrum esse rationalem; videtur impossibile habere minorem certitudinem de conclusione, ac de præmissis habeatur, ita vt potiùs negaretur conclusio, quàm præmissæ, cùm iam assentiendo præmissis, virtualiter etiam conclusioni assentitum sit. Eo enim ipso, quo, quis est certus, omnes homines esse rationales, & Petrum sub ly *omni* includi, certus est etiam eodem modo, Petrum esse rationalem.

A Respondetur, maioritatem illam non rectè explicari per posse, vel non posse negari; repugnat enim conclusionem negari, si ex præmissis veris rectè infertur; meliùs igitur declarabitur ex maiori necessitate, & immediata connexione terminorum cum extremis, vt dictum est.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

Quomodò explicandum sit illud dictum Philosophi; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

B VTraque ratio adducta pro nostra conclusione, in qua assertum fuit præmissas debere esse notiores ipsa conclusione, fundatur, vt patet, in illo axiomate Aristotelico *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; Idest quando aliquid est tale propter aliud, illud propter quod est tale, est magis tale; nam si principia debent esse notiora, quia propter ea, & dependenter ab ipsis conclusio est nota; signum euidens est, quòd omne illud propter quod tale dicitur aliquid, multò magis debet esse tale. At quia prædictum axioma, defectu germanæ intelligentiæ, multas patitur difficultates, quas, ad euitandam confusionem, quam sæpè prolixæ digressiones parere solent, C cōmodiùs in agitata quæstione exponere nequiuimus, hinc est, quòd modò ad ipsam, veluti additamentum quoddam appendimus.

Huiusmodi autem, & similes instantiæ, contra ipsum fieri solent; videlicet quia Petrus est ebrius propter vinum, non bene sequitur; ergo vinum est magis ebrium; Tum quia terra calida est propter solem calefacientem; cùm tamen sol non sit magis calidus, Item, Filius æternus spirat Spiritum Sanctum propter Patrem, à quo accipit vim spirandi, & tamen Pater non magis spirat, quàm Filius; Tum denique, Petrus est homo propter patrem illum producentem, cùm tamen pater non sit magis homo, &c.

D Quamobrem prædictum axioma tot ferè habet expositiones, quot commentatores plures, & varias ad illius veritatem cōditiones assignantes, quas apprimè molestum esset referre. Ad vnicam tamen omnes reduxit Caiet. 1. Post. cap. 2. §. *Circa propositionem illam, &c.* dicendo, quòd tunc valet Axioma illud, quando totus effectus potest reflecti supra veram causam, e. g. quando dicimus, Luna est lucida propter Solem potest fieri reflexio sic, luna est lucida, quia sol est lucidus, & ideò bene sequitur: ergo sol eò magis lucidus.

Ingeniosum quidem esset tale compendium, si in eo quietaretur intellectus, non inquirendo ampliùs cur in istis, & non in illis causis potest reflecti effectus: sed quia non solùm non quietatur, cùm non appareat, neque assignetur ibi ratio istius reflexionis, seu potiùs attributionis, & adaptationis; verùm etiam cùm talis vnica compendiaria conditio non sit sufficiens, neque vniuersaliter vera, nisi aliquid addatur, vt patet in 4. in-

instantia: nam optimè in ea potest fieri talis reflexio, Petrus est homo, quia pater, eum producens est homo; hinc est, quòd conuenientiùs, estò non breuiùs, omnes ad binas reduxit, ex Zabarella Bal-Gher; conditiones p. p. Institut. logic. cap. 2. 1. Post. quarum prima est, quòd affectio, secundùm quam duo comparantur, vtrique insit; altera verò vt suscipiant magis, & minùs. Ob defectum primæ non valet prima, nec secunda instantia, quia nec ebrietas inest vino, nec caliditas Soli: ob defectum autem secundæ non valet 3. nec 4. instantia, quia nec Spiratio in diuinis, cùm sit relatio substantialis, suscipit magis, & minùs; nec etiam homo cùm substantia sit.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm demonstratio debeat procedere ex vtraque præmissa necessaria.

QVæstio hæc non controuertitur inter Doctores, cùm omnes id affirment; excitatur tamen propter nonnulla argumenta, quæ aliquantisper eius turbant tranquillitatem.

Notandum est ideò propter solutionem eorum, quòd, rem esse necessariam duobus modis contingit; simpliciter nempe, & ex suppositione. Vnde necessarium simpliciter, est illud, quod ex propria natura tale est, vt non possit non esse; vt quod homo sit animal, vel rationalis; Necessarium verò ex suppositione est illud, quod ex propria natura potest non esse tale; vt corpus disgregare visum, non est necessariũ secundùm naturam corporis, sed contingens; ex suppositione verò quòd sit album, necessarium est. Præterea, necessarium simpliciter adhuc duplex est. Primum, quod nullo modo potest non esse, sed implicat contradictionem, quod non sit; vt hominem esse animal, vel rationalem. Secundum, quod non potest non esse per virtutem causarum naturalem, bene tamen potest per supernaturalem Dei: vt quòd ignis sit calidus, vel homo sit risibilis; nam per potentiam supernaturalem Dei potest separari calor ab igne, & risibilitas ab homine. Tertium tandem, quod non potest non esse per virtutem naturalem causarum, vt plurimùm, quamuis raro possit per eandem virtutem non esse.

Notandum 2. quòd iuxta hos quatuor modos necessarii, distinguendi sunt alii quatuor modi propositionum necessariarum; dicendumque, demonstrationem debere procedere ex necessariis propositionibus, vno, vel alio modo; sed perfectior erit si procedat ex propositionibus necessariis simpliciter, quàm si solum procedat ex propositionibus necessariis ex suppositione. Erit autem perfectissima, si procedat ex necessariis simpliciter iuxta primum modum; minùs perfecta, si iuxta secundum; imperfectissima verò si iuxta tertium. Et ideò demonstrationes aliquarum scientiarum, quæ procedunt ex necessariis simpliciter

A iuxta tertium modum, & scientiæ, de quibus fiunt, imperfectissimæ censentur, & inter omnes infimum locum tenent.

Dicendum est ergo, quòd demonstratio debet procedere ex vtraque præmissa necessaria. Probatur, nam conclusio cuiuslibet demonstrationis est scientia; sed scientia habetur per causam necessariam, vt constat ex definitione eius 1. Post. cap. 2. quæ talis est, *Scire est rem per causam cognoscere; & quod illius est causa, & quod non potest aliter se habere; cùm, ea posita sequatur effectus*: ergo debet procedere ex necessariis. Probatur consequentia quia præmissæ, ex quibus procedit, sunt causa per se, & necessaria conclusionis: ergo debent esse necessariæ.

Obiicitur primò in oppositum; quoniam hæc est B vera demonstratio propter quid, scilicet, Quotiescunque terra interponitur inter solem, & lunam, sequitur Eclipsis; sed dum hæc duo astra ad talem punctum perueniunt, interponitur terra inter vtrunque: ergo Eclipsis sequitur. Minor autem non est necessaria, sed contingens, quia quòd ad talem punctum perueniant, vel non, accidentale est omnino naturæ eorum, cùm possit abesse, & adesse præter subiecti corruptionem: ergo non omnis demonstratio constat ex vtraque præmissa necessaria.

Respondent diuersimodè Doctores, vt videre est apud Ruuium hic cap. 4. quæstione 1. & sicut eidem Ruuio illorum responsiones non placent, quia plures inuoluunt difficultates, ità etiam nobis, nec eius responsio propter eandem rationem placere potest; nam C cùm in tantùm saluet necessitatem illius minoris propositionis, in quantùm est in quarto modo dicendi per se, idest per se causandi; non potest id apud nos subsistere, qui prædictum modum tanquam accidentalem (in eo enim, ex Philosopho, prædicatum accidentaliter conuenit subiecto, vt dicetur infrà) à demonstratione meritò excludimus. Vnde firmiùs ex notatis respondetur; illam minorem esse pariter necessariam, non quidem simpliciter, sed tantùm ex suppositione; supposito enim quòd illa duo astra ad talem punctum perueniant; necessariò sequetur interpositio terræ inter ipsa, sicut supposito, quòd corpus sit album, necessariò debet disgregare visum, estò esse album conueniat illi accidentaliter.

Obiicitur 2. Quia hæc etiam est vera, & propria demonstratio, scilicet omne album est disgregatiuum D visus: sed corpus habens albedinem est album: ergo disgregatiuum visus; & tamen minor non est necessaria, sed contingens quia contingens est, quòd corpus habeat albedinem, & quod sit album; vnde neque conclusio necessaria est; quia sicut non est necessarium corpus esse album, ita neque est necesse, quòd cùm sit album, sit etiam disgregatiuum visus; ergo non omnis demonstratio procedit ex vtraque præmissa necessaria.

Respondetur eodem modo, scilicet minorem illam esse simpliciter contingentem, sed necessariam ex suppositione; supposito enim quòd corpus habeat albedinem, necessariò erit album, & necessariò debet disgregare visum.

Obiicitur tandem 3. necessarium est, quod non potest aliter se habere; sed in Philosophia naturali, & morali dantur multæ propositiones demonstratiuæ, multæ etiam conclusiones demonstratæ, quæ possunt aliter

aliter se habere; & aliquando aliter se habent; vt loquendo pro nunc in Philosophia naturali, quòd futuræ sint pluuiæ in hyeme, & calores vigebunt æstate: ergo non omnes demonstrationes procedere debent ex necessariis.

Respondetur sufficere ad demonstrationem, vt procedat ex simpliciter necessariis, saltem vt plurimùm euenientibus, vt docet Philosophus cap. 24. huius primi libri, & communiter omnes ipsũ recipiunt; nam omnes admittunt vtranque, Philosophiam pro vera scientia, & meritò; quia necessarium reputatur, quod vt plurimum euenit necessitate naturali, aut morali; vnde obiectum scientiæ esse potest. Nec est periculum errandi in tali modo demonstrandi; quia non demonstratur, effectum semper euenire, sed vt subsstat virtuti, aut modo operandi causarum; hoc autem deficere non potest; quare nec erroris periculo se exponit, ita procedens.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm demonstratio debeat constare ex propositionibus de omni, & per se.

PRincipiorum, & propositionum necessitas, nihil aliud est quàm prædicati cum subiecto perpetuus, atque indispensabilis nexus; cuius tres gradus existunt; videlicet vt prædictum prædicatum sit de omni, per se, & secundùm quod ipsum. Quamobrem postquam cum Philosopho superiores, assignauimus demonstrationis conditiones; occasione illius vltimæ, nempe quòd procedere debet ex necessariis, debemus cum eodem has omnes eidem demonstrationi assignare, inchoando tamen earum explicationem ab illis duabus prioribus, scilicet quòd prædicatum sit de omni, & per se; vt maiori distinctione, & claritate de tertia in sequenti quæstione, agere possimus.

Non altercantur Doctores circa substantiam quæsiti, licèt circa modum explicandi non conueniant; supponunt tamen primò; dici de omni esse duplex; aliud prioristicum, quo sensu, vnum ex principiis, quibus innititur ars syllogistica, appellatur, *Dici de omni*, vt iam dictum est suo loco: aliud verò posterioristicum. Ad hoc autem, quòd propositio sit de omni prioristico, sufficit eam esse vniuersalem, etiamsi prædicatum non conueniat subiecto pro omni differentia temporis, e. g. Omnis homo vigilat; Omnis homo currit, &c. quæ possunt bene disponi in forma argumentationis. Ad hoc verò, vt propositio sit de omni posterioristico, requiritur (inquit Philosophus hic cap. 4.) *quod prædicatum non cuidam insit, cuidam non insit; neque interdum conueniat, interdum non conueniat.* Idest tunc propositio est de omni posterioristico, quando nihil potest assignari sub subiecto, cui non conueniat prædicatum pro omni differentia temporis, estò tale subiectum non sit affectum signo vniuersali (quidquid dicat Bald. Gher. quæsito 3. quæst. 2. difficult. 1. contrarium existimans) vt sunt omnes istæ, & similes propositiones; Omnis homo est animal, vel Homo

A est animal: Omnis nix est alba, vel nix est alba, &c. de omni prioristico nihil ad præsens, cùm iam de eo sufficienter actum sit in lib. Priorum; de omni verò posterioristico tantùm est sermo in præsenti.

Supponunt deinde secundò cum Philosopho cap. 4. citato; quatuor esse modos dicendi per se, seu quadrupliciter prædicatum per se dici de subiecto. Primò dum est de essentia illius, vt quando definitio, vel partes eius, siue physicæ, siue metaphysicæ (quidquid dicant alii, quos sine nomine citant Mastr. & Bell. 2. parte Instit. Logical. tract. 1. cap. 3. §. *Primus modus dicendi, &c.*) prædicantur de definito. Secundò, quando prædicatum est propria passio subiecti, vel (vt inquit Philosophus) quando subiectum est de essentia prædicati; quod ideò dixit, vt aduertit ibi D. Tho.

B lect. 10. quia propria passio definitur per proprium subiectum, & sic subiectum in obliquo est de essentia passionis. Tertiò verò quãdo prędicatũ explicat modum per se subsistendi subiecti, vt dum dicitur substantia est ens per se, & non in alio; qui tamen modus potiùs est per se essendi, quàm dicendi, seu prædicandi, estò Zabarella lib. 1. de propositionibus necessariis, & cum eo Bald. Gher. quæsito 3. quæst. 3. difficult. 1. conclus. 1. contendant probare, quòd sit dicendi; ea inducti ratione, quòd logica non considerat modos essendi qui sunt reales, sed modos intentionales, & prædicãdi; qui demonstrationi inseruiunt quatenus esse per se enũciatur de subiecto in propositione; profectò non bene aduertentes, quòd etiam res ex dictis disput. 1. quæst. v. concl. 3. considerantur in esse obiecti materialis à Logica, vt patet de prædicamentis. Quare talis modus à demonstratione

D videtur omnino excludendus; nam quando in propositionibus de secundo adiacente, enunciatur esse per se de subiecto, non sunt ampliùs tales propositiones in tertio modo dicendi per se, nisi fundamentaliter, & deriuatiuè; sed in primo; cùm prædicatum illud, sit definitio subiecti, vt patet. Quartus tandem modus dicendi per se, est dum prædicatum explicat dependentiam, & causalitatem, quam habet à subiecto; vt quando subiectum est causa per se prædicati; quemadmodùm patet in his propositionibus; Ædificator ædificat; Medicus medetur, &c. qui tamen modus potiùs est per se causandi, quàm dicendi, seu prædicandi, licèt Mastr. & Bellut. atque Bald. Gher. locis suprà citatis contrarium sentiant; nam quãdo *ædificare*

C affirmatur, seu prædicatur de ædificatore, &c. non est ampliùs quartus modus dicendi per se, sed secundus, cum ibi prædicetur propria passio; quare similiter abiiciendus est à demonstratione, cùm tale prædicatum non essentialiter, & necessariò, vti demonstrationi conuenire debet; sed accidentaliter, & contingenter conueniat subiecto, si tamen accipiatur, sicut de facto accipiatur, non vt importat aptitudinem, sed actum, vt de se patet.

Quibus autem suppositis; Notandum est primò, huiusmodi conditiones, seu gradus propositionis necessariæ, se habere tanquam prædicata superiora, & inferiora: itaut *vniuersaliter* seu (quod idem est) prædicatum non excedere subiectum, sed conuerti cum ipso, vnde dici solet, *secundùm quod ipsum*, (de quo in sequentibus) sit inferior cæteris; & post ipsum sequatur *Per se*; tandem de *omni*: Itaque se habent hoc modo, sicut homo, animal, & viuens: nam quid-quid

quid dicitur vniuersaliter, est per se, & de omni, & quidquid est per se, est etiam de omni; non tamen quidquid est de omni, est per se; nec omne per se, est vniuersaliter. Sicut quidquid est homo, est etiam animal, & viuens, & quidquid est animal est etiam viuens; licèt quidquid est viuens non sit semper sensibile, nec omne sensibile sit homo. Ex quo apertè patet propositionem posse esse de omni, estò non sit per se, & vniuersaliter, & similiter propositionem posse esse de omni, & per se absque eo, quòd sit vniuersaliter, sicut viuens potest esse absque animalitate, & humanitate, vt patet in plantis; & viuens, & animal absque humanitate, vt patet in Brutis.

Vnde ad hoc insinuandum Aristoteles, miro artificio, vt subtiliter notat B. Alb. Mag. hic tract. 2. cap. 7. non definiuit propositionem de omni per affirmationem, dicendo de ratione illius esse, vt prædicatum semper conueniat omni contento sub subiecto; nam tali modo, propositio de omni esset etiam vniuersaliter, seu non excedens subiectum; sed per negationem, dicendo, de ratione illius esse, vt *prædicatum non cuidam insit, cuidam non, &c.* Quod eatenus fecit, quatenus comprehenderet etiam propositiones singulares, quarum prædicatum semper conuenit subiecto, quales sunt istæ: Petrus est animal: Petrus est risibilis Hæc nix est alba; quæ propositiones, & similes licèt sint de omni, & per se, vt priores duæ; vel tantùm de omni, vt altera sequens; non tamen sunt vniuersaliter, seu non excedentes subiectum; cùm animal, risibile, & album in plus se habeant, & excedant eorum subiecta, neque ad inuicem cum prædictis subiectis conuertantur, vt patet. Quamobrem sensus prædictæ definitionis per negationem traditæ, idem erit, ac dicere, ad prædictam definitionem de omni tantùm requiri, vt illius prædicatum non cuidam ex his, quæ contineri possunt sub eius subiecto, insit: cuidam verò non, estò nulli eorum de facto insit, & tantùm de aliquo non habente sub se inferiora prædicetur.

Notandum 2. quòd quando aliquid est in se repugnans, vel ens per accidens, non potest de aliquo dici per se; nec de ipso aliquod prædicatum per se potest enunciari; vnde istæ propositiones non erunt per se, Homo irrationalis est animal; Homo albus est rationalis. Homo est animal coloratum, &c. & ratio est, quia quod in se est repugnans, vel per accidens, semper erit tale, cuicunque comparetur: nam comparatio non tollit rei comparatæ id, quod intrinsecè, & formaliter illi conuenit; quare si est impossibile, & repugnans, vel per accidens; nihil de ipso dicitur possibile, & per se. Verum est tamen, quòd illæ propositiones, in quibus explicatur natura horum impossibilium, vel entium per accidens, reductiuè possunt dici per se, vt Chimera est impossibilis. Vacuum est nihil. Homo albus est ens per accidens; ratio est, quia sicuti ista entia dicuntur habere propriam naturam, habita comparatione ad vera entia, & similitudinariè; ita etiam suo modo possunt in ipsis fieri prædicationes per se.

Dicendum est ergo, quòd præmissæ demonstrationis debent esse de omni, & per se. Probatur breuiter ex dictis; quia præmissæ debent esse necessariæ: sed omnis propositio necessaria est in aliquo ex prædictis duobus modis dicendi per se: ergo præmissæ debent esse propositiones de per se; sed omnis propositio de per se, est etiam de omni; ergo præmissæ debent esse etiam de

A omni. Prior syllogismus constat ex dictis. Minor verò subsequens probatur; quia in duobus primis modis dicendi per se prædicatum, vel est essentia subiecti, vel habet necessariam connexionem cum illa; ergo non interdum inest, & interdum non inest, sed semper inest subiecto, ac proinde omnis propositio per se, erit etiam de omni.

Obiicitur primò. Nam bonitas, sapientia, &c. demonstrantur de Deo: & de Christo domino demonstrantur plura in Theologia, suppositis principiis fidei; & tamen tales propositiones non possunt esse de omni propter singularitatem subiecti; Item eclipsis de luna demonstratur, in qua conclusione non adest vniuersalitas temporis; ergo non semper præmissæ in demonstratione debent esse de omni.

B Respondetur, quòd propositiones tam Deo, quàm de Christo in Theologia possunt dici de omni, quatenus subiectũ dici potest vniuersale vniuersalitate negatiua quemadmodũm ex primo loco notatis definiuit Philosophus propositionem de omni, in quantùm scilicet, nihil esset sub Deo, &c. si esset possibile, cui non conueniret bonitas, sapientia; &c. & hoc sufficit ad propositionem de omni, vt dictum est. Ad illud verò quod additur de eclipsi lunæ respondetur, quòd perpetuitas duplex est, successiua scilicet, & in ordine ad determinatam causam. Vnde ad hoc vt sit æterna, & perpetua prædicta propositio, non requiritur perpetuitas temporis, & successionis, sed causæ, & essentiæ, nempe vt illa posita sequatur effectus, in vniuersali enim luna eclipsabilis est, posita interpositione terræ; vt dictum est suprà.

C Obiicitur secundò probando secundum modum dicendi per se, non esse rectè assignatum; quia huiusmodi propositiones, risibile est homo, & similes; in quibus subiectum est definitio, seu de essentia prædicati, essent in secundo modo dicendi per se; sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor probatur, nam demonstratio propter quid, de qua est sermo, non potest componi ex talibus propositionibus, cùm sint indirectæ, & innaturales: ergo non sunt in secundo modo dicendi per se, cùm demonstratio optimè constare possit ex propositionibus in secundo modo dicendi per se.

Respondetur negando maiorem (quidquid dicat Caiet. cap. 4. huius primi libri, cui placet admittere prædictas propositiones esse in secundo modo dicendi per se) nam definitiones traditæ tam primi, quàm secundi modi dicendi per se, præsupponunt rationem D directam, & naturalem propositionum, quòd scilicet verum subiectum stet loco subiecti, & verum prædicatum loco prædicati, & non è contrà. Vnde sensus prædictorum modorum est, quòd primus modus dicendi per se, est quando prædicatum pertinet ad definitionem subiecti propositionis directæ; & secundus, quando subiectum directæ propositionis pertinet ad definitionem prædicati.

Obiicitur tandem tertiò; quoniam omnia accidentia definiuntur per subiectum aliquo modo ex dictis disp. 3. quæst. 1. cùm habeant intrinsecum ordinem aptitudinalis inhærentiæ ad illud, qui non potest explicari, nisi posito eodem subiecto in definitione accidentium: ergo omnia accidentia prædicabuntur de propriis subiectis in secundo modo dicendi per se, cùm subiectum sit definitio accidentis. Et ita hæc propositio Corpus est album, & similes erunt in secundo modo, cùm

album

album definiatur per corpus; quod tamen patet esse falsum; quia omnes sunt accidentales, & contingentes, ex quibus demonstrationem componi repugnat: ergo secundus modus dicendi per se, saltem malè assignatur, vel ad demonstrationem ineptus est.

Respondetur negando consequentiam (quidquid sentiat in contrarium Toletus cap. 4. huius, cui placet quasdam propositiones accidentales collocare in secundo modo dicendi per se) quia modi dicendi per se ad demonstrationem spectantes præsupponunt propositionem necessariam, sicut diximus modò præsupponere propositionem directam. Vnde sensus definitionis secundi modi dicendi per se, est: Secundus modus dicendi per se, est quando subiectum pertinet ad definitionem prædicati in propositione necessaria; quod colligitur ex Aristotele, qui priusquàm definiuisset modos dicendi per se; probauit demonstrationem procedere ex necessariis; & explicato primo, & secundo modo dicendi per se, subdit, cætera omnia esse accidentia, quasi præsupponens hos modos non reperiri nisi in propositionibus necessariis. Cap. etiam 6. huius libri docet expressè, quod ea, quæ conueniunt per se his modis, necessariò conueniunt.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm præmissæ demonstrationis debeant esse de prædicato vniuersali.

Vniuersale in præsenti, non sumitur sicut in libris prædicabilium, pro eo scilicet, quod est vnum in multis; sed sumitur pro illo prædicato necessario, quod conuenit subiecto secundùm quòd illud subiectum tale est; quo sensu definiuit illud Arist. hic cap. 4. dicens, *Vniuersaliter autem id competere dico, quod vtique dicitur de omni per se, & secundùm quòd ipsum*; vt risibile respectu hominis, & habere tres angulos æquales duobus rectis, respectu trianguli. Quare tria requiri debent ad prædicatum vniuersale. Primum, quod sit de omni, defectu cuius, *risibile* non est prædicatum vniuersale respectu animalis, cùm non dicatur de omni animali, & habere tres angulos, non est prædicatum vniuersale respectu figuræ, vt inquit Philosophus, cùm non dicatur de omni figura. Secundum est, quòd sit per se, defectu cuius, *album* non est prædicatum vniuersale respectu niuis; quia licèt sit de omni, non tamen est per se, sed conuenit contingenter niui. Tertium, quod conueniat subiecto *secundùm quòd ipsum*, idest secundùm quòd tale est; defectu cuius, *sensibile* non est prædicatum vniuersale respectu hominis; neque habere tres angulos æquales duobus rectis, respectu isochelis, vel ysopleuros, aut scalenon, vt inquit Philosophus; quia licèt sint prædicata de omni, & per se, non tamen conueniunt subiectis secundùm quòd ipsa; siquidem neque sensibile conuenit homini secundùm quòd est homo, sed tantùm prout est animal; neque habere tres angulos conuenit prædictis figuris, vt tales figuræ sunt; sed quatenus quædam species trianguli sunt.

A Competere autem subiecto secundùm quòd ipsum, seu secundùm quòd tale est, duobus modis explicari potest. Primo, quòd conueniat ei tantùm per se primò, & immediatè præscindendo ab eo, quòd sit æquale, vel inæquale subiecto, aut cum ipso conuertatur, vel non; quo sensu, etiam genus proximum esset prædicatum vniuersale, tum respectu differentiæ, vt in hac propositione, rationale est animal; tum etiam respectu speciei, vt homo est animal. Secundo verò modo, vt non conuenit tantùm per se primò, & immediatè, verùm etiam æqualiter, ita ut subiectum non excedat, & cum ipso conuertatur; quo sensu differentia proxima respectu speciei; & proprietates respectu essentiæ, vt homo est rationalis; homo est risibilis; tantùm erunt prædicata vniuersalia respectu proprii, & adæquati subiecti.

B Qua de causa, licèt Doctores conueniant in hoc, quòd scilicet præmissæ demonstrationis propter quid, aut ambæ, vel altera debeat esse de prædicato vniuersali, tamen, an tale prædicatum debeat conuenire subiecto secundùm quòd ipsum primo, vel secundo modo ex explicatis, non omnino conueniunt.

Prima enim sententia docet sufficere, ad hoc vt prædicatum sit vniuersale, & conueniat subiecto secundùm quòd ipsum; quòd ei conueniat tantùm per se primò, & immediatè, esto illud excedat, & cum illo non conuertatur. Ita Ferrariensis lib. 2. contra gentes cap. 15. Sotus cap. 4. huius quæst. vnica; atque alii.

Secunda verò sententia docet prædicatum vniuersale, de quo debent esse præmissæ demonstrationis, debere conuenire subiecto non tantùm per se primò, & C immediatè, verùm etiam æqualiter, & conuertibiliter, quod tantùm est propriè, & rigorosè conuenire subiecto secundùm quòd ipsum. Ita Philosophus loco citato. D. Tho ibidem lect. 12. & 2. contra gentes cap. 15. B. Alb. Magnus hic, tract. 2. cap. 12. Venetus, Caiet. Toler. cap. 4. huius. Complut. disp. 18. quæst. 2. § 2. Mastr. & Bell. 2. parte Instit. logic. tract. 1. cap. 3. §. *Tertia conditio*. Bald Gher. quæsito 3. quæst. 2. difficult. 2. & 3. & ferè omnes.

Notandum idcirco est primò, demonstrationem duplicem esse, vniuersalem scilicet, & particularem. Prima est, cuius ambæ præmissæ sunt de prædicato vniuersali, seu conuertibili: tunc enim passio concluditur de proprio, & adæquato subiecto. Secunda verò, è contra, est, cuius conclusio, aut præmissæ non sunt conuertibiles, seu de prædicato vniuersali; tunc enim concluditur passio tantùm de aliquo inferiori, vel superiori ad suum subiectum, non verò immediatè de ipso subiecto. Vnde Philosophus cap. 20. huius, comparans tales demonstrationes inter se, affirmauit primam esse potiorem, seu perfectiorem secunda, multis rationibus, quarum præcipua fortasse est, quia propria passio per se primò, conuenit proprio, & adæquato subiecto, & postea, ratione illius, conuenit inferioribus ad ipsum, atque etiam superiori particulariter sumpto (ideò enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis: & ideò aliquod animal est risibile, quia homo est risibilis) Cùm igitur potior, & perfectior demonstratio illa sit, quæ probat passionem de proprio, & adæquato subiecto, quàm illa, quę tantùm probat eandē passionē de inferioribus ad ipsum, vel superiori particulariter sumpto (illa enim demonstrat immediatè, ista verò mediatè, cum tantùm ratione proprii, & adæquati subiecti

biecti

biecti, passio conueniat inferiori, & superiori eiusdem subiecti) demonstratio vniuersalis potior, & perfectior erit demonstratione particulari.

Notandum secundò; tres errores, seu deceptiones contingere posse circa prædicatum vniuersale; quarum prima est, quando sub aliqua specie continetur vnicum tantùm indiuiduum: nam si quis tunc existimaret passionem talis speciei esse prædicatum vniuersale respectu indiuidui, falleretur; vt si quis de hoc numero Sole concluderet esse fontem lucis in aliis astris, existimans tale prædicatum vniuersaliter conuenire huic indiuiduo, & non ipsi speciei cuius est passio; tunc quidem deciperetur. Secunda, quando sunt plures species, quibus secundùm rationem communem conuenit prædicatum, quæ communis ratio, cùm sit incognita, putaret quis, tale prædicatum illis conuenire secundùm proprias rationes particulares; vt si quis existimaret localiter moueri conuenire perfectis animalibus secundùm rationes speciales, cùm tamen conueniat secundùm rationem animalis perfecti, quæ supponitur innominata. Tertia tandem, si quod est speciei putamus conuenire generi præcipuè si talis species esset innominata, vt si esset tantùm homo in rerum natura, & quis putaret homini conuenire esse rationale, quia animal est, dubio procul erraret. Quapropter ad euitandas tales deceptiones facillimè; statuit Aristoteles hanc regulam, nimirum, quando posito sub ecto ponitur prædicatum, & ablato, aufertur; tunc prædicatum conuenit subiecto vniuersaliter, & secundùm quòd ipsum. Quando verò, è contrà se habent; nullo modo prædicatum conuenire potest subiecto vniuersaliter, & secundùm quòd ipsum, vt consideranti patere poterit.

Dicendum est ergo primò, quòd in demonstrationibus propter quid potissimis, seu perfectissimis, vtraque præmissa debet esse de prædicato vniuersali; in aliis verò demonstrationibus propter quid, sufficit, quòd aliqua præmissa sit de prædicato vniuersali.

Probatur prima pars; quia potissima, & perfectissima demonstratio propter quid, probat propriam passionem de proprio, & adæquato subiecto, ostendens propter quid illi conueniat: sed propria passio conuertitur cum proprio, & adæquato subiecto, & proinde principium propter quid passionis (scilicet propria, & immediata causa eius) conuertitur cum ipsa passione: ergo in demonstratione propter quid perfectissima, omnes tres termini sunt conuertibiles; & per consequens vtraque præmissa erit de prædicato vniuersali, vt cernere licet in hac demonstratione: Omne admiratiuum est risibile: Omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis: vbi omnes tres propositiones sunt de prædicato vniuersali.

Probatur secunda pars conclusionis: nam etiam in demonstrationibus propter quid, probamus propriam passionem tum de aliqua specie, aut indiuiduo subiecti adæquati, vt patet si dicatur, Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; isocheles est triangulus: ergo habet tres angulos, &c. tum etiam de ipso genere particulariter sumpto, vt si dicas in primo modo tertiæ figuræ, nempe in *Darapti*; Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; Omnis triangulus est figura; ergo aliqua figura habet tres angulos, &c. Sed in his demonstrationibus, altera tantùm præmissa est de prædicato vniuersali, vt patet; siquidem habere tres angulos, &c. neque conuertitur cum figura, quæ est superior ad triangulum, neque cum Isochele qui est inferior; ergo non semper est necessarium, quòd in demonstratione propter quid vtraque præmissa sit de prædicato vniuersali, quamuis id reperiatur in demonstratione potissima.

Dicendum est secundò, quòd ad hoc, vt prædicatum conueniat subiecto vniuersaliter, & secundùm quòd ipsum; non requiritur, nec sufficit, quòd conueniat ei essentialiter, aut in primo modo dicendi per se, vel etiam immediatè.

Probatur, Nam bene potest his modis conuenire, & non conuenire vniuersaliter; & ex opposito bene potest conuenire in secundo modo, & non essentialiter, nec immediatè, & conuenire tamen vniuersaliter, vt substantia conuenit homini essentialiter, & in primo modo dicendi per se, & animal etiam immediatè; & tamen neutrum conuenit ei vniuersaliter; & capacitas disciplinæ, vel admiratio non conuenit homini his modis, nihilominùs, ei conueniunt vniuersaliter: ergo non requiritur, nec sufficit ad prædicatum vniuersale, quòd conueniat subiecto essentialiter, aut in primo modo dicendi per se; vel immediatè.

Dicendum est tertiò, quòd ad hoc, vt prædicatum conueniat vniuersaliter subiecto, requiritur vt ei conueniat per se primò, æqualiter, & conuertibiliter, quod est proprium, & rigorosum conuenire subiecto secundùm quòd ipsum.

Probatur ex dictis. Tum quia ex regula aristotelica prædicatum non potest conuenire subiecto secundùm quòd ipsum, nisi posito subiecto, ponatur prædicatum, & ablato subiecto auferatur prædicatum: sed hoc modo se habent tantùm illa prædicata, quæ sunt æqualia subiecto, & cum eo conuertuntur: ergo ad hoc vt prædicatum conueniat vniuersaliter subiectò, requiritur vt ei conueniat per se primò, &c. Minor probatur, nam licèt posito, v. g. homine ponatur animal; tamen eo ablato non aufertur, quia animal non est æquale, sed superexcedit hominem, nec conuertitur cum eo, cùm in aliis animalibus ab homine existere possit: è contrà verò, posito homine ponitur risibile, & eo ablato aufertur, quia æqualiter, & conuertibiliter ei conuenit, cùm in nullo alio existere possit, quam in homine: vnde valet dicere est homo: ergo risibilis: est risibile: ergo homo: quod non verificatur de animali respectu hominis, vt patet: ergo tantùm illa prædicata, quæ conuertuntur cum subiecto, & illi sunt æqualia, conueniunt illi secundùm regulam aristotelicam. Tum etiam quia conuenire subiecto secundùm quòd ipsum, est illi conuenire per reduplicationem, scilicet quatenus tale est: sed tantùm prædicata æqualia, & conuertibilia sunt huiusmodi: ergo, &c. Minor probatur; nam animal, e. g. quod non conuertitur cum homine, & similia prædicata non conueniunt illi quatenus talis est, sed ratione alterius, nempe vt sensibilis est. E'contra verò, rationale, & similia prædicata, quæ conuertuntur, illi conueniunt, vt homo est: ergo tantùm prædicata æqualia, & conuertibilia conueniunt subiecto, in quantùm tale est.

Obiicitur primò in oppositum secundæ, & tertiæ conclusionis, nam contra primam nulla est difficultas. Quoniam ex Arist. cap. 4. huius libri habetur. *Per se*

autem, & secundùm quòd ipsum, idem: vt per se lineæ inest punctum, & rectum: sed propositio in qua prædicatur genus proximum de specie est per se: ergo erit etiam secundùm quòd ipsum. Secundùm quòd ipsum autem est idem quòd vniuersaliter, vt idemmet Aristoteles docet, explicans quid sit vniuersaliter: ergo erit etiam prædicatum vniuersale.

Respondetur, Aristotelem per ly *per se* non intellexisse per se simpliciter, & vtcunque, sed per se, quod conuertitur cum suo subiecto; quod apertè patet ex eo, quòd statim docet, nempe vniuersale addere supra vtrunque terminum de omni, & per se, quod sit secundùm quòd ipsum, idest, se habeat conuertibiliter. Vnde sensus verborum illorum est, *Per se autem quod est conuertibile cum eo de quo dicitur, & secundùm quòd ipsum, idem sunt*.

Obiicitur secundò, quia idem est prædicatum conuenire subiecto vniuersaliter, ac ei conuenire secundùm quòd ipsum, nempe vt tale est, aut non per aliud, vt dictum est; Sed tota definitio conuenit speciei vt tali, & non per aliud medium: ergo ei conuenit vniuersaliter; sed in definitione non tantùm est differentia, sed etiam genus: ergo sicut differentia prædicatur vniuersaliter, ita & genus.

Respondetur concedendo totum argumentum. Ad illud verò subsumptum, negatur consequentia; nam quando dicimus totam definitionem conuenire speciei secundùm quòd talis est, non dicimus vtranque partem illius conuenire vniuersaliter, sed tantùm partem differentialem; genus enim in tantum conuenit vniuersaliter, in quantùm scilicet per differentiam contractum, & limitatum est.

Obiicitur tandem tertiò, & potest esse replica secundi; nam si non quælibet pars definitionis potest esse prædicatum vniuersale respectu subiecti; sequeretur, quòd tantùm tota definitio esset prædicatum vniuersale, & nil aliud præter ipsam: sed hoc est falsum; nam prædicatum vniuersale non solum potest esse in primo modo dicendi per se, quando scilicet prædicatum est definitio subiecti, sed etiam in secundo, vbi prædicatum non est definitio, sed passio subiecti; ergo, &c.

Respondetur negando sequelam propter rationem ibidem adductam, vnde quando dicimus, non omnem, & quamlibet partem definitionis, sed omnes simul, vel saltem differentialem, esse prædicatum vniuersale respectu subiecti; non loquimur absolutè, ita vt tantùm definitio possit esse prædicatum vniuersale, & nihil aliud præter ipsam; sed in tali genere definitionis.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm demonstratio procedere debeat ex proprijs, non verò ex extraneis, aut communibus.

PRoprium, vt ad præsens attinet, potest capi dupliciter; primò vt distinguitur contra alienum, seu A extraneum: secundo vt distinguitur contra commune. Titulus autem vtrunque complectitur. Quare vt explicemus quid sit procedere ex propriis in vtroque sensu, necesse erit explicare quid sit procedere ex alienis, aut extraneis; & quid ex communibus, vt ex cognitione suorum oppositorum ipsum proprium, de quo est sermo, magis, ac magis elucescat. Tunc ergo demonstratio dicitur procedere ex alienis, siue extraneis, quando medium est omnino alienum à subiecto, scilicet à minori extremitate, itaut cum illa non habeat necessariam connexionem; sed tantùm contingentem; vt suprà disp. 1. quæst. 4. & 6. diximus contingere in pseudodemonstrationibus, seu syllogismis Logicæ vtentis, quando per media secundarum intentionum descendit ad entia realia, quibus illæ

B sunt omnino extraneæ, propter quod talis Logica dicitur tentatiua, & non demonstratiua. Tunc verò demonstratio, siue potiùs syllogismus dicitur procedere ex communibus, quando medium non est immediata causa passionis, & propria, sed remota, & communis: tunc enim præmissæ quia non continent propriam, & immediatam causam conclusionis, dicuntur remotæ, & communes.

Medium autem non esse propriam, & immediatam causam passionis, sed remotam, adhuc dupliciter contingere potest. Primò itaut his non obstantibus conuertatur cum effectu, vt quando tertia passio in homine, nempe risibilitas demonstratur per primam, scilicet per discursiuum: valet enim dicere risibile est discursiuum, & è contrà, licèt discursiuum sit causa remota respectu risibilis, cùm causa proxima risibili-

C tatis sit admiratiuum. Secundò verò, itaut nunquam conuertatur cum effectu, sed aliis etiam conueniat; cuius duo exempla adduxit Philosophus; primum de animali respectu respirationis; secundum de tetragonismo, seu quadratura circuli Brisonis Philosophi; sed quia de primo, sicut de ista causa remota tam conuertibili, quàm inconuertibili, satis dictum est suprà quæst. 4. disputationis huius, & de secundo inuenitur clarissima explicatio præ cęteris Philosophis expositoribus apud Bald Gher cap. 9. huius primi poster. hinc est, quòd breuitatis gratia relinquuntur.

Demonstrationem ergo procedere ex propriis prout contradistinguuntur ab extraneis, nemo est qui neget; an verò procedat ex communibus, seu remotis siue conuertibilibus, siue inconuertibilibus, contro-

D uertitur inter eosdem doctores, quos retulimus suprà quæst. 4. citata, inter quos fuit controuersia de causa adæquata, & inadæquata conclusionis. Consulantur itaque ibidem, pro quibus non pauca diximus, quæ superflua omnino essent repetere.

Dicẽdũ est ergo primò, quòd demonstratio nõ potest procedere ex omnino extraneis; sed medium, quod assumitur in præmissis debet habere necessariam connexionem cum subiecto, & etiam cum proprietate; atque ita subiectum, medium, & proprietas debent contineri intra idem genus.

Probatur; quoniam si medium non haberet necessariam connexionem cum aliquo extremorum; illa præmissa in qua medium cum illo extremo iungeretur, esset contingens; & consequenter etiam conclusio esset contingens, & non scientifica, cùm semper sequatur debiliorem partem, vnde non esset demonstratio; ergo demonstratio debet procedere ex propriis, prout

prout proprium opponitur alieno, siue extraneo.

Dicet fortasse aliquis, quòd scientiæ subalternatæ saltem, quodammodò procedunt ex præmissis extraneis, scilicet ex principijs, quæ sunt conclusiones scientiæ subalternantis: ergo earum demonstrationes saltem erunt ex extraneis, & alienis.

Respondetur, quòd quidquid sit de hoc videndum est infrà suo loco, ne frustra eadem repetantur; quare sicut Aristoteles talem conclusionem limitauit cap. 7. huius ad solas scientias subalternantes, quia de subalternatis acturus erat cap. 10. ita & nos propter eandem rationem debemus facere.

Dicendum est secundò, quòd demonstratio propter quid non potest procedere per causam remotam, & communem, non conuertibilem cum effectu.

Probatur ex dictis; nam quando demonstratio procedit per causam remotam, & communem non conuertibilem cum effectu, nulla præmissarum tunc est de prædicato vniuersali; quia talis causa remota non est conuertibilis, quod tamen requiritur ad prædicatū vniuersale: ergo demonstratio propter quid non potest procedere per causam remotam, & communem non conuertibilem cum effectu: nam in demonstratione propter quid, saltem aliqua præmissa debet esse de prædicato vniuersali, vt suprà dictum est.

Dicendum est tertiò, quòd demonstratio propter quid potest procedere ex causis communibus, & remotis conuertibilibus tamen, licèt talis demonstratio non esset potissima, sed aliqualiter imperfecta.

Probatur prima pars; nam inter passiones eiusdem essentiæ, talis est ordo, quòd ab essentia sola oritur prima passio, & ab eadem essentia simul cum eadem passione, oritur secunda; & ab essentia simul cum prima, & secunda passione, oritur tertia; & sic deinceps; ergo demonstratio in qua tertia passio demonstratur per primam, aut secunda per essentiam, est verè demonstratio propter quid; quia essentia respectu secundæ passionis, & prima passio respectu tertiæ, non sunt causæ ita remotæ, quasi nihil omnino influant per se ipsas, cùm in essentia supponatur prima passio, vt oriatur secunda, &c. Vnde essentia verè pertinet ad propter quid secundæ passionis, & prima ad propter quid tertiæ; & ideò tales demonstrationes sunt demonstrationes propter quid.

Probatur secunda pars; scilicet quòd non sint demonstrationes potissimæ, sed aliqualiter imperfectæ. Quoniam in eis non exprimitur integra causa, siue integrum propter quid passionis, vt clarè constat.

Obiicitur primò in oppositum primæ conclusionis; nam illæ demonstrationes procedunt ex propriis, & non ex alienis, & extraneis, quorum medium, subiectum, & proprietas continentur intra idem genus, seu intra eandem cognitionem scientiæ cuius sunt demonstrationes; sed dantur aliquæ demonstrationes, quarum proprietates saltem, & subiecta non sunt eiusdem generis scientiæ, &c. ergo demonstratio aliquando procedere potest ex alienis, & extraneis. Maior patet ex ipsa conclusione. Minor probatur, & primò de proprietate; nam eadem proprietas nempe æqualitas, & inæqualitas demonstratur ab Arithmetica de numero, & à Geometria de magnitudine: ergo non erit eiusdem generis scientiæ, &c. cùm possit esse alterius. Probatur secundò de subiecto; nam

A figura solis, & lunæ, tam à Philosopho naturali, quàm ab Astrologo demonstratur: ergo subiectum non erit eiusdem generis scientiæ, cùm spectet ad philosophiam & Astrologiam.

Respondetur negando minorem; ad cuius primam probationem dicendum est, æqualitatem, & inæqualitatem, & alia accidentia, quæ ab Arithmetica de numero, & à Geometria de magnitudinibus demonstrantur; re vera non esse eadem in illis disciplinis, sed solùm conuenire in nomine: aliud enim significat æqualitas in numeris, aliud in magnitudinibus; cùm vna significet proportionem quantitatum discretarum; altera verò quantitatum continuarum. Vnde apud omnes, valdè discriminantur inter se proportio arithmetica, & proportio Geometrica. Ad secundam

B verò probationem dicendum est, quòd solis rotunditas, & alia huiusmodi diuersificantur in diuersis scientiis per diuersum considerandi modum, vt dicetur suo loco: Philosophus enim naturalis eam considerat, vt fluit ab ente, aut corpore naturali; Astrologus autem secundùm se, nulla habita ratione ad ens, seu corpus naturale, siue mobile, à quo fluit. Vnde non est idem subiectum formaliter, sed adsummùm materialiter.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis. Quoniam Philosophus 2. cap. huius libri connumerauit dignitates inter principiorum species: sed dignitates sunt principia communia, & remota inconuertibilia, vt patet: ergo scientiæ, earumque demonstrationes, principiis communibus remotis, & inconuertibilibus vtuntur.

C Respondetur, demonstrationis principia duplicia esse, quædam intrinseca, quæ demonstrationem ingrediuntur; quædam verò extrinseca, quæ demonstrationi extrinsecus deseruiunt. De primis tantùm docet Philosophus, quòd non debent esse communia, &c. Dignitates autem, non sunt huiusmodi, sed tantùm extrinseca.

Contra tertiam conclusionem iam dictum est satis quæst. 4. citata; ex quibus autem, & ex omnibus istis optimè inferri poterit; quomodò intelligendum sit axioma illud, quod habet Philosophus cap. 10. huius scilicet, *Si affirmatio est causa affirmationis; negatio est causa negationis*, & è contra. Quod optimè exponit Caiet. ibidem cap. 13. §. *Circa illam regulam*. Est ergo intelligendum de causa propria, & conuertibili. Quia

D enim rationale respectu risibilis est causa propria, & conuertibilis, bene sequitur, quòd si affirmatio rationalis causet affirmationem risibilis; negatio rationalis causet negationem risibilis, & è contra. Quod non contingit in causis communibus, & inconuertibilibus, quia vt ibidem inquit Aristoteles, quamuis negatio animalis causet negationem respirationis; affirmatio tamen animalis non causat affirmationem respirationis; sicut etiam è contra, quamuis affirmatio hominis sit causa affirmationis sensitiui; non tamen propterea negatio hominis est causa negationis sensitiui; ac proinde in huiusmodi causis communibus, & inconuertibilibus non habet locum, dictum Axioma.

✠

QVÆSTIO X.

An diuisio demonstrationis in propter quid, & Quia sit adæquata, generisque in suas species.

CVM satis vsque modò dictum sit de quidditate demonstrationis, ad alteram disputationis partem, in qua de diuisione eiusdem agere promisimus, deueniendum est. Circa quod ignorandum non est, Aristotelem in hoc primo libro plures tradidisse demonstrationis diuisiones; nam cap. 10. eam diuisit in propter quid, & Quia, de quibus non pauca diximus quæst. 4. huius. Deinde cap. 20. eadem diuisit in demonstrationem vniuersalem, & particularem dixitque vniuersalem esse perfectiorem particulari, vt iam notatum est suprà quæst. 8. Item cap. 21. diuisit in affirmatiuam, cuius conclusio est affirmatiua, & in negatiuam, cuius conclusio est negatiua, in qua tamen si reddatur propria, & adæquata ratio, quare passio negetur de subiecto, erit demonstratio propter quid, sin autem *Quia*. Dixit insuper affirmatiuam esse perfectiorem negatiua, quod multis ostendit rationibus, quarum ista nobis sufficiet; videlicet quia negatio cognoscitur per affirmationem: ergo demonstratio in qua concluditur affirmatiuè est perfectior illa, in qua concluditur negatiuè. Consequentia patet ex axiomate illo, *Propter quod vnumquodque tale, &c.* Antec. verò probatur tum à priori, quia affirmatio est causa negationis; tum etiam inductione, quia priùs scimus hominem esse risibilem, quàm lapidem non esse risibilem, & sic de cæteris. Tandem cap. 22. diuisit demonstrationem in directam, siue ostensiuam, in qua directè concluditur propositio intenta, & inducentem ad impossibile, quando scilicet ex contraria, aut contradictoria propositionis negatæ, infertur aliquod impossibile, per quod constat propositionem negatam esse veram; quæ demonstratio ducens ad impossibile, si reddat causam, cur sequatur hoc impossibile, similiter erit demonstratio propter quid, sin autem; *Quia*. Qua de causa cùm secunda, tertia, & quarta diuisio reducantur ad primam, vt patet; hinc est quòd in præsenti, illis relictis, tantùm dubitatur de prima.

Quia verò titulus non tantùm procedit de adæquatione diuisionis demonstrationis, verùm etiam de qualitate eiusdem diuisionis, quærendo scilicet, an sit generis in suas species, nec ne; necessarium erit omnino aduertere, talem diuisionem non esse ex parte formæ, sed ex parte materiæ, ex superiùs dictis disp. 33. quæst. 1. Vnde non est propriè essentialis, nec generis in suas species, sed magis accedit ad diuisionem accidentis in subiecta (quidquid dicant Mastr. & Bell. disput. 13. quæst. 1. art. 2. quorum rationes iam suprà refutauimus disp. 33. quæst. 1. citata) quamuis ex communi vsu accipiatur vt diuisio essentialis, cùm etiam materia sit de essentia compositi; & ideò quæ-

A ritur, an vt talis sit generis in suas species, an potiùs analogi in sua analogata; quare huiusmodi quæsitum non parum habet de nomine, vt obseruat Sotus cap. 10. huius quæst. 3.

Circa primam igitur quæsiti partem, est duplex opinio; Prima est illorum, qui ad prædictam demonstrationis diuisionem in propter quid, & quia, addunt tertium membrum, propterea eam vocant inadæquatam, quamuis in illud assignando, non conueniant: nam Auerroes hìc commento 95 inquit esse demonstrationem simpliciter; seu potissimam, quæ scilicet non tantùm demonstrat quid res sit, vel propter quid sit; sed vtrunque, vt siquis ignoraret, e. g. & Lunæ eclipsim, & causam eclipsis, & per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam demonstraret lunam eclipsari, hac demonstratione sciret non

B tantùm propter quid sit, aut quid sit, sed vtrunque, ideòque dicitur potissima, & simpliciter demonstratio; quam opinionem secuti sunt Zimara theoremate 53. Balduinus quæst. de regressu demonstrationis, Petrella lib. 6. disp. logic. cap. 7. atque alii.

Themistius autem ibidem, vbi Auerroes cap. 29. pro tertio membro, eam demonstrationem assignat, qua ex vno effectu, probamus alium æqualem, quorum vnus non est causa alterius, sed ambo ex eadem causa procedunt, vt in hac demonstratione, Qui habet pulsum inæqualem afficitur calore immoderato; sed qui laborat febre putrida habet pulsum inæqualem; ergo afficitur calore immoderato.

Tandem Raimundus Lullius in sua arte magna parte 7. tertium membrum, quod addit, vocat de-

C monstrationem æquiparantiæ, siue æqualitatis quando scilicet per medium par, & æquale concludimus attributum aliquod de subiecto; vt si de homine concludamus esse animal, quia est sensibilis.

Secunda verò sententia est Aristotelis hìc cap. 10. D. Thom. ibidem lect. 13. quos sequuntur ferè omnes, docentium diuisionem demonstrationis in propter quid, & Quia esse adæquatam; quare superfluum erit omnium nomina recensere.

Circa secundam quæsiti partem, item duplex extat opinio. Prima docet talem diuisionem esse generis in suas species. Ita Scotus quodlib. 7. & 2. Post. quæst. 56. Auersa quæst. 28. sect. 2. Io. à S. Tho. quæst. 25. art. 4. Blancus disput. 5. de demonstratione sect. 2. Sanch. lib. 7. Logicæ quæst. 11. Ruuius cap. 10. huius

D quæst. 2. Didacus à Iesu, disput. 17. quæst. 1. & 2. Mastr. & Bell. disp. 13. quæst. 1. & 2. atque alii licèt non eodem modo se explicent.

Secunda verò opinio docet, talem diuisionem esse analogi in sua analogata. Ita Philosophus 2. cap. huius, vbi tantùm definit demonstrationem propter quid, nihil curans de demonstratione *Quia*. D. Tho. ibidem lect. 4. & alibi. Auicenna vt refert Auerroes hìc commento 95. fuitque constans, & perpetua sententia inter antiquos philosophos vt testatur Zabarella cap. 1. de speciebus demonstrationis. Masius cap. 10. huius, sect. 1. quæst. 1. & 2. Conimbr. quæst. 1. art. 3. Complut. disp. 18. quæst. 4. Bald-Gher. disp. 6. quæsito vnico in principio; atque alii permulti licèt similiter non se explicent eodem modo.

Notandum est primò ex dictis superiùs quæst. 4. citata, nimirum quòd quotiescunque in demonstrationibus non adducitur proprium propter quid conclusionis,

sionis, sed tantùm concluditur prædicatum conuenire subiecto, nullo pacto esse possunt demonstrationes propter quid, sed tantùm *Quia*. Ex quo profectò plura colligere licebit; & primò contra Auerroem, demonstrationem simpliciter, seu potissimam non esse aliud à demonstratione propter quid; nam esto demonstretur etiam quia, siue esse passionis de subiecto, hoc tamen se habet de consequenti; cùm id, quod est perfectissimum includat etiam ea, quæ non tantæ perfectionis sunt, vt de se patet. Secundò colligitur contra Themistium, quòd quando demonstratur vnus effectus de altero æquali, cuius non est propria causa, estò ab eadem causa vterque deriuetur, non poterit non esse demonstratio *Quia*, cùm in ea non exprimatur, neque ostendatur propter quid, seu causa propria, & adæquata talis effectus. Item colligitur tertiò contra Lullium, quòd cùm termini ex quibus fit demonstratio illa æquiparantiæ, & aliæ similes, non solùm identificentur inter se realiter, verùm etiam sint prædicata subordinata cuiusdam essentiæ, non potest esse inter eos propria ratio causæ, & effectus in essendo, etiam virtualiter; cùm sensibile de quo adducitur exemplum non contineat animal virtualiter, sed formaliter; atque ideò tales demonstrationes propriè loquendo, neque sunt à priori, nec à posteriori; nihilominùs sunt veræ demonstrationes *Quia*; nam ad hoc sufficit, quòd non dentur per propriam, & adæquatam causam, vt dictum est.

Notandum secundò; Demonstrationes propter quid, & Quia posse dupliciter considerari, vel vt scilicet versantur circa obiectum eiusdem scientiæ; vel vt versantur circa obiectum diuersarum scientiarum; primo modo per eas non producuntur distincti specie assensus, & consequenter neque distincti habitus, cùm assensus illi tantùm materialiter differant, & non formaliter (quidquid dicant ex propriis fundamentis, & principiis Aduersarii) nam vt ex dicendis in sequentibus ex professò constabit; quælibet scientia est vna, & simplex qualitas in specie infima, propter vnicam, & indiuisibilem rationem formalem obiecti inesse scibilis, ex qua sumitur vnitas scientiæ; quod etiam affirmandum est de aliis actibus intra eandem scientiam circa obiecta particularia eiusdem: nam quantùm ad specificationem, eadem omnino est ratio de scientia actuali, & habituali, vt constabit ex dicendis in sequentibus disputationibus. Si autem considerentur secundo modo, hoc est, quatenus versantur circa obiecta diuersarum scientiarum, vt contingit in scientia subalternante, & subalternata; per eas vtique producuntur diuersi assensus, & habitus, vt dicetur suo loco; at non ex eo procedit, quod vna scilicet sit demonstratio propter quid, alia vero *Quia* (sic enim siue in diuersa, siue in eadem scientia, semper producerent habitus distinctos) sed ex eo quòd tunc haberent diuersa obiecta in esse scibilis, vt suo loco videbitur.

Dicendum est ergo primò, quòd diuisio demonstrationis in propter quid, & Quia, est adæquata. Probatur, quoniam talis diuisio traditur per rationes oppositas, siue per membra contradictoria: nam demonstratio propter quid est illa, quæ demonstrat aliquam passionem conuenire subiecto, ostendendo propter quid illi conueniat: demonstratio verò Quia in tota sua latitudine probat passionem conuenire su-

A biecto, non ostendendo propter quid illi conueniat; quæ duo, vt constat, sunt contradictoria: ergo hæc diuisio est adæquata; nam inter contradictoria non datur medium; sicut nec inter esse, & non esse.

Dicendum est secundò quòd demonstratio propter quid, est simpliciter, & absolutè demonstratio: demonstratio verò Quia, tantùm secundùm quid.

Probatur primò auctoritate Philosophi, tum cap. 2. huius libri, vbi tantùm definit demonstrationem propter quid, relicta demonstratione Quia, de qua ibidem sic ait, quasi per conditionem, *Si igitur, & alius sciendi sit modus, posteriùs explicabimus*; quod tamen non fecit, cùm nullibi demonstrationem *Quia* definierit; satis esse fortasse putans se explicauisse præcipuam, vt ex eius similitudine, & attributione

B cognosceretur alia. Tum etiam quia definiens ibidem quid sit scire simpliciter, & absolutè inquit *Scire autem putamus vnamquanque rem simpliciter, & non sophistico modo, cùm putamus causam cognoscere, propter quam res est esse causam illius, neque posse aliter se habere*; vbi patet solùm intellexisse de demonstratione propter quid. Tum denique cap. 7. quando ait, *Quia difficile cognoscere est, si ex vniuscuiusque principijs scimus, aut non, quod est verè scire*; quod nihil aliud est, quàm affirmare, quòd scire ex propriis principiis, quod est scire propter quid; tantùm est verè, & propriè, & simpliciter scire: ergo demonstratio propter quid, ex Philosopho tantùm erit absolutè, & simpliciter dicenda demonstratio; demonstratio verò Quia, tantùm secundùm quid.

C Respondent Mastr. & Bell. loco suprà citato, quòd de demonstratione Quia dupliciter loqui possumus, vel absolutè, vel comparando illam ad demonstrationem propter quid. Primo modo est simpliciter demonstratio, quia parit cognitionem veram certam, & euidentem. Secundo modo potest negari demonstrationem esse propter imperfectionem, quam habet annexam, & perfectionem maiorem, quæ reperitur in demonstratione propter quid, sicut accidens in se est simpliciter ens, at relatum ad subiectum dicitur ens, quia entis est ens.

Contra tamen, nam demonstratio Quia, absolutè considerata, & vt talis demonstratio est, parit veram, certam, & euidentem cognitionem veritate, certitudine, & euidentia imperfecta, & secundùm quid, vt dicetur infra; ergo non est dicenda demonstratio

D absolutè, & simpliciter, sed secundùm quid; Probatur consequentia, nam sicut accidens, quod adducitur pro exemplo in argumento absolutè consideratum, & non comparatiuè ad subiectum, adhuc tamen non est nisi ens imperfectum, cùm non sit ens, sed entis ens, ita etiam demonstratio Quia, cùm non pariat scientiam, & certitudinem euidentia perfecta, sed imperfecta, & secundùm quid, non erit demonstratio absolutè, & simpliciter, sed secundùm quid. Quare si allata responsio aliquid facit, maximè secundùm principia, & fundamenta Scotistarum, minimè verò ad hominem, & secundùm nostra fundamenta, vt patet.

Probatur secundò ratione, nam demonstratio est medium, siue instrumentum ad acquirendam scientiã, vt constat ex eius definitione; sed per solam demonstrationem propter quid acquirimus simpliciter scientiam: nam ex Aristotele iam citato, tunc solùm dici-

mus

mur simpliciter scire, quando causam, cur ita sit, cognoscimus; & hoc in nobis experimur; nam quantumcunque concludamus hominem esse risibilem per effectum ridendi nobis notum, adhuc non quiescit intellectus, neque existimat id se absolutè scire, donec cognoscat propriam, & adaequatam causam, siue proprium propter quid risibilitatis: ergo sola demonstratio propter quid, est simpliciter demonstratio.

Respondent Mastr. & Bell. loco suprà citato, negando minorem; ad cuius probationem, ex ratione petitam (nam ex auctoritate iam responderunt suprà, vt visum est) dicunt de ratione scientiae esse, vt notat Io. à S. Tho. quòd perfectè quietet intellectum quoad proprium obiectum, quod attingit, & explicat; non in ordine ad obiectum, quod non attingit: modò obiectum demonstrationis Quia, est an sit, circa quod perfectè quietat intellectum, & solùm relinquit ipsum dubium circa propter quid, quod non explicat, nec est de ratione huius demonstrationis illud attingere, quare veram scientiam pariet; quia proprium obiectum scientificè attingit, scilicet certè, verè, & euidenter.

Contra tamen: nam eodem modo quietatur, & satiatur intellectus circa aliquod obiectum, quo modo tale obiectum potest illum satiare, & quietare; sed an est, seu quod est potest tantùm satiare, & quietare intellectum imperfectè, & dispositiuè, non autem perfectè; & per modum habitus: ergo intellectus circa tale obiectum, tantùm satiatur, & quietatur imperfectè, & dispositiuè, &c. Consequentia benè deducitur, Minor patebit ex statim dicendis. Maior verò probatur. Quia potentia totam actuationem, & terminationem habet à suo obiecto, ita ut si tale obiectum est intelligibile, vt duo, e. g. repugnet potentiam illud intelligere vt tria; aliter enim omnia intelligibilia eodem modo illam actuarent; & sic obiectum materialius, & potentialius, eodem modo actuaret, & terminaret intellectum, ac obiectum immaterialius, & actualius; quod est falsum: ergo eodem modo satiatur, & quietatur intellectus circa aliquod obiectum, quo modo tale obiectum illum potest satiare.

Dicendum est tertiò, quòd per demonstrationem propter quid generatur per se loquendo habitus scientiae verus, & perfectus in esse habitus. Per demonstrationem verò Quia, generatur aliquis habitus scientiae imperfectus, & in esse dispositionis, qui non assequitur statum habitus, donec accedat demonstratio propter quid.

Probatur conclusio quoad primam, & secundam partem simul. Quoniam in scientiis subalternatis, quantumcunque multiplicentur earum demonstrationes, quae sunt demonstrationes *Quia*: qualitas inde resultans, licèt habeat veram rationem scientiae, non tamen habet perfectionem, & statum scientiae, vt infrà dicetur, donec aduenientibus subalternantibus cognoscatur propter quid illarum conclusionum, vt probari potest inductione: ergo demonstratio propter quid producit verum, & perfectum habitum scientiae; demonstratio verò Quia, licèt producat habitum scientiae, non tamen illum producit, in statu, & perfectione habitus; vnde magis habet rationem dispositionis.

Nec aliquid facit contra istam rationem, id quod obiiciunt Mastr. & Bell. loco suprà citato, nempe,

A cùm habitus, & dispositio differant penes graduum intensionem, & remissionem, itaut eadem qualitas intensa dicatur habitus, quae priùs remissa dicebatur dispositio: poterit dari casus, quòd si demonstratio Quia, saepius reiteretur, iam generaret qualitatem intensam, nempe habitum, absque demonstratione propter quid.

Non itaquè vrget, quia ista perfectio, vel imperfectio habitus per demonstrationem producti, nō prouenit, ex intensione, vel remissione talis habitus, & qualitatis, in subiecto, sicut prouenit perfectio, & imperfectio qualitatis, quae est habitus, & dispositio; sed ex conditione ipsius medii, per quod procedit vtraque demonstratio; propterea, licèt multiplicentur demonstrationes Quia, & intensiùs cognoscantur

B earum conclusiones, qualitas tamen per illas producta nunquam perficietur illa perfectione, de qua hic loquimur, donec adueniat demonstratio propter quid. Quare exemplum adductum de intensione, & remissione qualitatis, ita intelligendum est, nimirum, quòd sicut eadem qualitas in specie habet esse dispositionis ex parte subiecti, quandiu est remissa, neque penitus firmatur in illo; assequitur tamen statum habitus, quando in illo intenditur, & firmiter inhaeret: ita per demonstrationem Quia, producitur quaedam qualitas imperfecta per modum dispositionis ex parte medii, quando verò adnenit demonstratio propter quid, eadem qualitas perficitur, & assequitur statum, ac perfectionem habitus.

Dicendum est quartò, quòd diuisio demonstrationis

C in propter quid, & Quia, non est diuisio generis in suas species, seu vniuoci in sua vniuocata; sed analogi in sua analogata.

Probatur breuiter, & facilè ex dictis; nam demonstratio, quae datur per membra inaequalia, seu per simpliciter, & secundùm quid, non est generis in suas species, &c. sed analogi in sua analogata, vt patet ex saepe saepius dictis: sed praedicta diuisio est huiusmodi, vt visum, & probatum est in antecedentibus conclusionibus; ergo, &c.

Obiicitur primò in oppositum primae conclusionis; Tum quia datur demonstratio signi, quando scilicet per aliquod signum probamus de subiecto aliquam passionem, quae non est demonstratio propter quid, nec quia, cùm non procedat per causam proximam, neque remotam, aut per effectum adaequatum: ergo

D talis diuisio non est adaequata. Tum quia syllogismus in quo colligitur propositio singularis ex aliqua vniuersali necessaria, cuiusmodi est iste, scilicet, Omne rationale est risibile; Petrus est rationalis: ergo Petrus est risibilis; est demonstratio distincta ab ea, in qua colligitur talis propositio vniuersalis necessaria, qualis est ista, scilicet, Omne admiratiuum est risibile, Omne rationale est admiratiuum: ergo omne rationale est risibile; & tamen non habet distinctum propter quid, aut distinctum Quia: ergo constituit speciale aliud genus demonstrationis.

Respondetur, & primò ad primam rationem; quòd demonstratio Quia, non solùm procedit per effectum, aut per causam remotam, verùm etiam per signum & per quodcunque aliud, quod potest demonstrare, passionem conuenire subiecto, non ostendendo propter quid illi conueniat. Ad secundam verò dicendum est, quòd eodem modo, quo demonstratio in qua colli-

colligitur propositio vniuersalis, distinguitur ab illa, in qua ex tali vniuersali colligitur propositio singularis, distinguuntur etiam propter quid, & Quia vtriusque: Cuius manifestum signum est, quòd in tali casu necessariò mutatur medium; siquidem quod in prima demonstratione erat maior, seu minor extremitas, assumitur vt medium in secunda, vt consideranti patebit.

Obiicitur secundò in oppositum quartæ conclusionis; nam vtraque demonstratio propter quid, & Quia, procedit ex principiis certis, & euidentibus, ac habet consequentiam euidentem in modo, & figura, vt patet; ac proinde vtraque facit scire simpliciter, siue producit habitum scientificum: non enim per assensum conclusionis procedentis ex talibus principiis producitur habitus principiorum, cùm talis assensus sit discursiuus; nec habitus opinionis, aut fidei, cùm assensus sit necessarius, & euidens: ergo vtraque demonstratio simpliciter participat rationem demonstrationis; ac proinde hæc diuisio est vniuoca, &c.

Respondetur negando consequentiam; scilicet quòd proinde faciat scire simpliciter. Ad cuius probationem dicimus, quòd per assensum conclusionis in demonstratione Quia, producitur quidem habitus scientiæ, sed valdè imperfectus, & non habens statum habitus, & scientiæ, sed dispositionis; & consequenter non facit scire simpliciter, sed inchoatiuè, vt explicatum est; ac proinde talis demonstratio in genere demonstrationis est quid imperfectum, non constituens veram speciem eius: sed reductiuè pertinens ad illud; vnde se habet vt Embrio respectu animalis.

Obiicitur tandem tertiò in oppositum eiusdem quartæ conclusionis. Tum quia per demonstrationem *Quia*, vt dictum est ex Philosopho producitur scientia subalternata, quæ est vera scientia: ergo demonstratio Quia, habet perfectè rationem demonstrationis, sicut demonstratio propter quid; & consequenter talis diuisio erit vniuoca. Tum etiam quia tales demonstrationes distinguuntur ab inuicem essentialiter, cùm principia, seu media per quæ procedunt distinguantur essentialiter: ergo est diuisio vniuoca; patet consequentia; Antecedens autem probatur; tum quia, alterum est propria, & adæquata causa conclusionis; alterum verò effectus eius, seu causa remota; tum consequenter, quia sunt diuersæ rationes assentiendi, & quasi obiecta formalia talium demonstrationum.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd scientia subalternata licèt sit verè scientia, tamen intra proprios limites est imperfecta: perficitur autem per coniunctionem ad suam subalternantem; & ita demonstratio per quam acquiritur, est etiam imperfecta in ratione demonstrationi vt dicetur infrà. Ad secundam verò rationem respondetur, tam assensus conclusionum, quàm habitum scientiæ, qui per illas producitur, sumere suam vnitatem, aut distinctionem ex vnitate, aut diuersitate principiorum; non inesse rei, sed inesse scibilis vt latè explicabitur in sequentibus; principia autem ex quibus procedunt demonstratio Quia, & propter quid, quando sunt intra eandem scientiam, licèt sint diuersa, in esse rei non tamen in esse scibilis, & sic non possunt causare diuersitatem essentialem in earum assensibus. Bene autem quando tales demonstrationes pertinent ad diuersas scientias; A quia tunc habent principia diuersa in esse scibilis; sed hoc conuenit talibus demonstrationibus per accidens, vt notatum est suprà, &c.

Ex quibus omnibus consequenter colligendum videtur contra Mastr. & Bell. aliosque Philosophos, prædictas demonstrationes, neque minùs esse species subalternas, itaut demonstratio propter quid diuidatur in alias species, nempe in demonstrationem potissimam, seu perfectissimam, & in demonstrationem non potissimam; & demonstratio Quia, in eam, quæ procedit per causam remotam inadæquatam, & in eam, quæ procedit per effectum; nam tam illæ, in quas diuiditur demonstratio propter quid, quàm istæ, in quas diuitur demonstratio Quia, se habent ad inuicem vt perfectum in eodem genere: cùm iam dictum sit, B demonstrationis gradus, à potissima declinare, aliquibus tantùm principiorum conditionibus deficientibus.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

An, & Quomodò liceat vti demonstratione circulari.

C QVIA superiùs quæst. 4 citata dixeramus, ex demonstratione Quia, aliquando fieri demonstrationem propter quid, quasi circulariter regrediendo de vna, ad aliam; explicandum ibi videbatur an, & quomodò liceat vti demonstratione circulari; quod cùm commodè ibidem facere nequiuerimus, ad hanc vltimam quæstionem, ne quidquam indigestum remaneat, consultò appendimus.

Notandum ergo est, demonstrationem circularem posse dupliciter fieri, vniformiter scilicet, & difformiter. Primo modo tunc fit, quando vtraque demonstratio est propter quid; quod tantùm euenire potest, dum ex conclusione, & altera præmissa simpliciter conuersa, alteram colligimus, & probamus, e. g. probanda sit ista demonstratio, quæ est propter quid, nimirum, Omne rationale est admiratiuum: omnis D homo est rationalis: ergo omnis homo est admiratiuus nam si probanda, v. g. est minor (de maiori enim proportione seruata, idem etiam dicendum est) & dicatur ex conclusione conuersa, Omne admiratiuum est homo: omne admiratiuum est rationale; ergo omnis homo est rationalis; sic enim ex conclusione præmissas, & ex præmissis conclusionem semper propter quid ostendemus; vt patet; & hæc circularis demonstratio, seu potiùs gyrus demonstrationum, propriè, & absolutè appellatur circulus formalis; cùm circulus tunc committatur, quando ex præmissis probatur conclusio, & ex conclusione præmissæ, eadem via, & modo formaliter. Secundo verò modo fit, quando altera demonstratio est à priori, altera verò à posteriori; vel si vtraque est à priori non tamen in eodem genere causæ; quod tantùm euenire potest, dum ex maiori simpliciter conuersa, & consequentia loco minoris transposita, demonstratur ipsa minor. Exemplum

plum igitur primæ circulationis est, si dicatur, Omne A
rationale est risibile, omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis; nam si demonstrandum est posteà à posteriori, hominem esse rationalem, quæ est minor propositio alterius demonstrationis per risibilitatem, quæ est maior propositio simpliciter conuersa, & consequentia transposita, & dicatur, Omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis; fiet vtique circulatio, à demonstratione propter quid, ad Quia, & viceuersa, vt patet. Exemplum autem secundæ circulationis in diuerso, scilicet genere causæ, erit si dicatur, Omne quod est propter Deum fruendũ est rationale; Omnis homo est propter Deum fruendum: ergo omnis homo est rationalis; nam si dicatur iuxta præfatam regulam conuersionis simplicis, & transpositionis consequentiæ, B
Omne rationale est propter Deum fruendum; Omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est propter Deum fruendum; fiet vtique in tali probatione minoris propositionis alterius demonstrationis circulatio ab vno genere causæ, scilicet finalis, ad formalem, & è contra per vtranque demonstrationem à priori, seu per causam, vt patet. Et hæc demonstratio circularis appellatur propriè regressus, siue circulus materialis; cùm regressus, &c. nil aliud sit, quàm reuersio effectus ad causam, & causæ ad effectum per aliam viam, & modum, siue demonstrandi, siue causandi.

Hoc autem adnotato tanquã inutilem ac iocosam, cum Philosopho, in hoc 1. libro cap. 3. debemus reputare circularem illam demonstrationem, quæ fit vniformiter, quam adstruebant antiqui. Tum quia idem esset notius, & ignotius eodem, scilicet causa C
esset notior, & ignotior effectu, vt de se patet. Tum etiam quia idem demonstraretur per se ipsum; nam si ex A, v. g. demonstretur B, & ex B demonstretur C, ex C autem demonstretur A; de primo ad vltimum sequetur, quòd ex A demonstretur A.

Manet tamen aliqualis difficultas de demonstratione circulari, quæ fit difformiter, an scilicet possit, & debeat admitti in demonstrando: quoniam Neritomensis, & Vgo senensis in artem paruam Galeni eam reiiciunt; approbant autem cæteri omnes, licèt non eodem modo se explicent, quando, & vbi possit adhiberi.

Sciendum itaque est pro resolutione huius difficultatis, quòd, cùm demonstratio sit cognitio discursiua, cuius proprium est procedere à notioribus ad minùs D
nota, & obscuriores propositiones ex aliis clarioribus ostendere; ideò demonstratione circulari materiali, seu regressu, & præcipuè in eadem disputatione, vel confirmatione, aut probatione alicuius veritatis vti non debemus; nisi fortè admisceatur aliquis alius discursus, vel quodcunque aliud adminiculum, quo augeatur cognitio conclusionis, à qua est regrediendum. Sic enim demonstrauit Philosophus 8 Physic text. 52. Æternitatem Motoris, ex motu æterno; & text. 53. motum æternum ex æternitate Motoris. Et 1. Physic. text 62. ex rerum corruptibilitate demonstrauit à posteriori existentiam materiæ; & primo de generatione cap. 1. ex materia demonstrauit à priori corruptibilitatem, &c.

DISPVT. TRIGESIMAOCTAVA.

De Scientia.



VM scientia sit proprius effectus demonstrationis, manet, vt explicatis essentia, & diuisionibus demonstrationis, ad maiorem eius euidentiam de scientia agatur.

QVÆSTIO I.

Vtrùm scientia rectè sit definita à Philosopho.



Ctualem scientiam definiuit Aristoteles hic cap. 2. in concreto: dicens *Scire autem putamus, vnamquanque rem simpliciter, & non sophistico modo cùm putamus causam cognoscere propter quam res est, eius rei causam esse, neque posse eam aliter se habere.* In qua definitione duo facit, primò per priores particulas nomen rei definiendæ declarat; secundò per posteriores, rei definitæ definitionem explicat; nam cùm scire, seu scientia, tam largè pro quacunque notitia etiam imperfecta, tum strictè pro sola perfecta, & distincta vsurpari possit; ideò Philosophus protestatur se sumere scientiam strictè pro ea, quæ vocatur simpliciter dicta; vnde dictio illa *simpliciter*, hic significat perfectè, & exquisitè, quòd magis declarat à contrario sensu, dum inquit, *Et non sophistico modo*, qui est secundùm quid, siue secundùm accidens; vnde particula illa, à qua incipit definitio, scilicet *cognoscere, &c.* stat loco generis: extenditur enim ad quamcunque cognitionem, etiam sensitiuam. Additur per *causam*; ad differentiam eorum, quorum cognitionem non habemus per causam, vt est cognitio principiorum, & cognitio per effectum. Additur *propter quam res est*, quia multæ sunt causæ, sed ad scientiam solùm concurrere debet illa causa, quæ est propria illius rei, & proxima; qua posita ponitur effectus, & qua remota remouetur. Subditur, *quod illius causa est*, quia ne dum oportet quòd illa causa sit causa proxima; sed requiritur quòd intellectus sciat effectum, à tali causa pendere. Tandem additur, *& non contingit aliter se habere*; quia requiritur vt intellectus nullatenus dubitet de effectu, quòd à tali causa proueniat, immo quòd sit prorsus impossibile, vt aliter se habeat.

Pro completa tamen notitia explicatæ definitionis debemus primò hoc diligenter adnotare, videlicet quòd

quòd Doctores ex eâ, varias colligunt scientiæ conditiones, quæ omnino necessariæ videntur ad rigorosam scientiam, de qua est sermo; quarum prima est, quòd sit *Vera*: error enim, & falsitas non sunt scientia, vt de se patet. Secunda, quòd sit *Certa*, aut certitudine intrinseca, scilicet proueniente ab ipsomet obiecto, quatenus ita se habet, vt simpliciter, & de potentia Dei absoluta nequeat aliter se habere; aut certitudine extrinseca, scilicet proueniente ex aliquo testimonio fide digni. Tertia verò, quòd sit *Euidens*, nisi actu, saltem aptitudine; scilicet pro quando erit in statu perfecto, vt inferiùs dicetur; Quarta, quòd sit *necessaria*, siue de necessariis, nisi simpliciter, saltem ex suppositione, & secundùm quid; vt de principiis demonstrationis dictum est suprà disput. 37. quæst. 6. Quinta conditio est, vt sit *de obiecto vniuersali*; eò quia de singularibus, vtpote incertis, & corruptibilibus nequeat esse scientia. Sexta tandem conditio est, quòd *sit causata per discursum syllogisticum*; quia scientia de qua in præsenti loquimur, & disputamus, non est quælibet rei cognitio, sed est cognitio rei per causam, discursiua, & illatiua.

Notandum secundò, quòd ex prædicta definitione scientiæ in concreto, duas in abstracto colligunt Doctores definitiones eiusdem, quarum prima est descriptiua; altera verò essentialis. Descriptiua est illa, quæ suprà disp. 1. quæst. 6. tradita, & explicata fuit, nimirum quòd *sit Habitus per demonstrationem acquisitus*; nam cùm detur per causam efficientem; quæ extrinseca est, erit definitio descriptiua, iuxta ea, quæ suprà diximus lib. 2. Instit. logic. cap. 3. Essentialis autem, quæ sumitur ex Philosopho 6. Ethic. cap. 6. talis est, nempe *scientia est habitus circa propositiones vniuersales necessarias, & mediatas*; datur enim per subiectum, seu materiam circa quam, quæ est illius differentia, & per prædicatum, seu gradum superiorem, qui est eiusdem genus: quemadmodùm ex dictis disp. 3. quæst. 1. conclusione 3. definiri solent abstracta accidentium. Quare priores particulæ, in ea exprimunt genus proximum, in quo scientia conuenit cum habitu principiorum, vt dicetur suo loco, & per vltimam ab eo distinguitur: est enim proprium habitus principiorum versari circa propositiones immediatas, atque indemonstrabiles, quæ scilicet non habent medium per quod probentur, sed per se ipsas cognoscuntur. Et ex his procedit scientia ad demonstrandum suas conclusiones, ac proinde versatur circa propositiones mediatas, siue per aliud notas. Vnde excludi videtur opinio illa Vasquez p. p. disp. 1. cap. 1. aliorumque Modernorum afferentium habitum scientiæ, non distingui ab habitu principiorum talis scientiæ; sed eundem habitum, quo assentimus principiis extendi ad assentiendum conclusionibus. Est enim talis sententia, tum contra Philosophum loco citato ex 6. Ethicorum 2. Post. cap. vltimo, & alibi; tum contra rationem rectam; nam cùm assensus principiorum, & conclusionum sint formaliter diuersi, non erit idem habitus, qui ab ipsis generatur. Sunt autem diuersi assensus, quia eorum ratio sub qua, diuersa formaliter est; assentimur enim principiis sub illa ratione formali, scilicet quatenus in eis est immediata connexio prædicati cum subiecto; assentimur verò conclusionibus sub alia ratione formali, nimirum propter connexionem extremitatum cum medio,

A visam in præmissis, vt diximus suprà disp. 36. quæst. 12. & alibi.

Dicendum est ergo, quòd scientia tam in concreto, quàm in abstracto, optimè per allatas definitiones definitur.

Probatur facilè tum ex dictis, tum ex regulis bonæ definitionis tam essentialis, quàm descriptiuæ. Tum etiam ex regulis definitionis concretorum accidentium siue in abstracto, siue in concreto; vt dictum est suprà disp. 3. citata, & 2. Instit. cap. 3. ergo bene definitur.

Obiicitur primò; Tum quia non rectè ponitur in illa priori definitione in concreto, illa particula *Quòd illius est causa*: nam si ad cognitionem conclusionis requiritur cognitio propriæ causæ, quatenus est

B causa; tunc omnis conclusio sciretur sub ratione relatiua, vt scilicet causata, & causæ effectus; non verò sub ratione absoluta talis conclusionis, quod non est dicendum. Tum etiam quia non rectè dicitur quòd non *contingat aliter se habere*; nam de effectibus per accidens, ac de fortuitis agit Philosophia: ergo mala prior illa definitio.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd conclusio cognoscitur sub propria ratione conclusionis, licèt dependenter à præmissis; quod est cognoscere absolutum cum relatione effectus saltem virtualiter, & implicitè; quod non implicat. Ad secundam verò rationem dicendum est; quòd de effectibus per accidens, &c. in particulari; quatenus scilicet iste, vel ille est, non potest quidem dari scientia, cùm possint ali-

C ter, & aliter se habere; at verò in vniuersali, & in communi, vt scilicet dicuntur casuales, & fortuiti, potest haberi scientia; quia ratio casualis, aut fortuiti in communi considerati, per se vna est, & per se considerabilis, & inuariabilis. Ideò Aristoteles de casu, & fortuna sic consideratis, egit 2. Physicorum.

Obiicitur secundò; quoniam ad scientiam requiritur euidentia, vt patet ex conditionibus, quas scientiæ assignant Doctores; sed in prædicta prima scientiæ definitione, ab Aristotele nulla fit mentio de euidentia: ergo vel talis conditio scientiæ est superflua, vel talis definitio est deficiens.

Respondetur, quòd euidentia datur intelligi à Philosopho per ly *Quòd illius est causa*: nam si intellectus percipit habitudinem causæ ad effectum, & necessitatem illationis vnius ex altero, habebit de illo euiden-

D tiam. Quod etiam satis declarauit, cùm definiens demonstrationem, dixit ex notioribus, & immediatis constare. Quare talis conditio, etsi explicitè à Philosopho non apponatur, tamen implicitè optimè intelligitur.

Obiicitur tandem tertiò, probando saltem primam definitionem scientiæ in abstracto non esse bonam; Quoniam per eam committitur circulus formalis; nam definitur per demonstrationem, quando demonstratio definita fuit per scientiam; demonstratio enim est syllogismus faciens scire: ergo est definitio circularis, & vitiosa.

Respondetur negando antec. Cuius ratio est, tum quia hæ definitiones traduntur in diuerso genere causæ; nam scientia definitur per demonstrationem, tanquam per causam efficientem; demonstratio verò per scientiam, tanquam per causam finalem, & sic vtraque secundùm se est conueniens; seruatis tamen his quæ

diximus suprà in appendice, &c. Tum etiam quia ex secunda definitione demonstrationis tradita per causam materialem cæterisque conditionibus præmissarum, de quibus suprà, redditur quoad nos sufficienter nota demonstratio, vt per eam possimus scientiam ipsam definire.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Scientia sit vnus simplex habitus, vnaque simplex qualitas in specie infima.

NON loquimur de scientia partiali; quæ videlicet determinatam partem totalis obiecti inquirit, vt in Logica e. g. est illa cognitio, quæ tantùm versatur circa propositiones, aut circa demonstrationem, vel aliquod aliud partiale obiectum; nam cùm sit vnicum, & simplex tale obiectum, non potest non esse, nisi vna, & simplex qualitas, vnus, & simplex habitus in specie infima, eiusdem scientia; sed loquimur de scientia totali, quæ scilicet totum aliquod, & vniuersale obiectum considerat, vt e. g. est tota scientia Logica, quæ versatur circa ens rationis, &c. nam cùm tale ens rationis habeat plura obiecta partialia, seu plures partes, vt explicatum est superiùs disput. 1. quæst. 3. remanet dubium, an quælibet scientia totalis sit vnus simplex habitus; & vna simplex qualitas ratione obiecti totalis; vel plures habitus, seu qualitates ex multiplicatione suorum obiectorum partialium, seu partium sui obiecti totalis.

Item scientia duplex est; actualis scilicet, & habitualis. Prima sunt omnes illi actus intellectus, qui ad vnam spectant scientiam. Secunda verò est ille habitus scientificus, à quo procedunt tales actus. De prima per se notum est, non posse dici, quòd sit, neque vnus simplex habitus, cùm sit actualis, seu plures actus; neque vna simplex qualitas, cùm actus qui dicuntur ad eandem scientiam pertinere, nullam in se habeant vnionem realem, & physicam: nunquam enim simul coexistunt, & quilibet illorum est integer conceptus formalis, & integra cognitio, quæ non ordinatur ad vnionem cum alio extremo eiusdem rationis: de secunda igitur tantùm potest esse quæstio.

Vt punctus autem difficultatis clarè constare possit; supponendum est, quòd licèt apud aliquos antiquos, scientia non ponebatur habitus distinctus à speciebus coordinatis inter se, & consequenter apud ipsos, scientia non erat vna simplex qualitas, sed plures ordinatæ; tamen nunc supponitur tanquam communiter receptum, habitum scientiæ esse qualitatem aliquam præter species, quæ importat rationem principiis, seu virtutem ex parte potentiæ se tenentem; licèt fundamentaliter, inchoatiuè, vel concomitanter; tales species præsupponat; nam species tenent se principaliter ex parte obiecti, & multiplicari possunt: sicut multiplicantur ipsa obiecta repræsentata per illas; atque ideò non de speciebus, sed de tali habitu se

A tenente ex parte potentiæ, procedit præsens difficultas.

Prima sententia tenet quamlibet scientiam non esse vnum simplicem habitum, vnamque simplicem qualitatem in specie infima; sed multiplicari ad multiplicationem conclusionum, & demonstrationum in scientia, itaut, quot sunt conclusiones demonstratæ, tot sunt habitus generati specie distincti. Ita Scotus 6. Metaph. quæst. 1. & quæst. 3. Prologi; & alibi; quem sequuntur omnes Scotistæ, & etiam Nominales, atque ferè omnes recentiores; vt Toletus, Onna; Niger; iste quæst. 13. Clypei; ille in procemialibus Logicæ. Suarez disp. 44. Metaph. Sect. 11. Fonseca 5. Metaphys. cap. 7 quæst. 5. sect. 2. Conimbr. 1. poster. cap. 23. quæst. vnica; art. 4. Hurt. disput. 16. de anima sect. 4. Arr. disp. 1. Logicæ sect. 3. Mastr.
B & Bell. disp. 12. quæst. 3. art. 2. Ouiedo controu. 1. procemialium puncto 3. §. 1. Granado prima secundæ controu. 4. disp. 10. sect. 2. & 3. atque alij; At non omnes eodem modo se explicant.

Nam Toletus, Onna, Niger, & aliqui alii dicunt scientiam constare ex pluribus habitibus specie distinctis, iuxta diuersitatem obiectorum materialium.

Alii verò vt Suarez; Fonseca, &c. dicunt, quòd scientia non est vnus simplex habitus, & qualitas se extendens ad omnes conclusiones; sed habitus quidam quasi compositus ex pluribus habitibus partialibus; qui licèt in se, & respectu suæ conclusionis sint verè completi, & specie distincti, censentur tamen incompleti respectu totius scientiæ; & hoc sufficit (inquiunt) vt non faciant plures scientias specie distinctas; sed
C omnes censentur vna specie scientia. Vnde addunt, quòd isti habitus partiales sunt vnum per subordinationem, aggregationem, & connexionem in ordine ad vnum obiectum, siue ad vnam rationem *qua*, in qua contineantur, vel ad quam ordinentur omnia, quæ tractantur in illa scientia.

Secunda verò sententia, docet scientiam esse vnum simplicem habitum de specie infima qualitatis per primam demonstrationem illius scientiæ acquisitum, facilitantem intellectum, non solùm circa illam demonstrationem, sed etiam circa omnes; quibus perficitur per quandam extensionem. Ita D. Tho. prima secundæ quæst. 54. art. 4. vbi Caiet. Medina, Vasq. ibidem disp. 80. Valentia quæst. 6. de habitibus puncto 3. Salas tract. 10. disp. 5. sect. 1. Ruuius quæst.
D 4 proæmialis logicæ Cælest. disp. 1. Logicæ sect. 4. Complut. disp. 19. quæst. 4. Io. de S. Tho. quæst. 27. art. 2. atque alii non pauci, sed valdè differunt in assignando, quo pacto habitus ille dicatur extendi ad alias conclusiones, postquam secundùm essentiam per primam demonstrationem fuit acquisitus.

Nam Vasquez, & salas dicunt extendi per acquisitionem nouæ entitatis, quæ tamen non sit eiusdem rationis cum entitate habitus, sed modus quidam. Ita referunt Mastr. & Bell. loco citato.

Ruuius autem vt magis se explicat lib. 1. de generatione cap. 4. tract. 3. quæst. 5. Cælest. atque alii asserunt, quòd noua entitas acquisita, sit omnino eiusdem rationis cum entitate habitus, sicut calor intensione acquisitus, est eiusdem rationis cum preexistente.

Io: verò à S. Tho. ait talem habitum non extendi per acquisitionem nouæ entitatis, sed per acquisitionem nouarum specierum.

Caieta-

Caietanus tandem, Medina atque alii, quos referunt, & sequuntur Complut. docent talem extensionem habitus, & qualitatis non fieri per acquisitionem nouæ entitatis, siue eiusdem, siue diuersæ rationis cum entitate habitus; sed per nobiliorem, & perfectiorem statum ipsius habitus iam acquisiti per primam demonstrationem; magis enim perficitur per subsequentes demonstrationes, quam per illam priorem, per quam supponitur productus, vt statim explicabitur à nobis, qui tali modo extensionem habitus, & qualitatis, cum prædictis Auctoribus defendere intendimus.

Notandum idcirco est primò, quòd sicut maior intensio habitus, & cuiuslibet qualitatis, ex his quæ dici solent 1. de Gener. non fit per aduentum nouæ entitatis illius nisi de materiali; sed tantùm per hoc, quòd præexistens magis perficitur, & radicatur in subiecto; ita maior extensio non debet fieri per nouam entitatem, nisi materialiter, non autem formaliter, & obiectiuè; sed per perfectiorem statum præcedentis; itaut idem habitus, eademque qualitas scientiæ generata, & producta per primam demonstrationem, per secundam demonstrationem acquirat maiorem perfectionem absolutè, quam perfectionem ante non habebat, etsic per tertiam, & quartam successiuè; nam vbi priùs intellectus tantùm erat actuatus imperfectè, per ordinem scilicet ad primam demonstrationem, tunc actuetur per ordinem ad secundam, & tertiam, & sic deinceps. Et licèt quilibet actus, siue assensus scientificus, seu per demonstrationem productus, quo effectiuè extenditur habitus ad diuersum obiectum, efficiat aliquod reale intrinsecum in potentia, producatque, in ea nouam entitatem, non tantùm materialiter, verùm etiam formaliter, & obiectiuè; hoc tamen intelligitur, quando non inuenit eam productam; quando autem inuenit eam productam prædicto modo per primam demonstrationem; tantùm eam perficit, & extendit. Sicut quælibet calefactio e. g. quantùm est ex se, est productiua caloris; si autem calor iam supponatur productus, non producit nouū alium calorem subsequens calefactio, sed tantùm perficiendo, quem intendit, atque extendit. Quare talis extensio nihil aliud erit, quàm perfectio ipsius habitus pertinens ad genus qualitatis, & scientię, idem tamen cum illa: nam etsi de nouo adueniat idem est cum habitu, quia est idem habitus extensus in ordine ad secundam, vel tertiam, aut quartam demonstrationem, seu conclusionem scientificam, quam extensionem non habebat anteà.

Notandum secundò, quòd tota ratio ob quam vnus actus, seu assensus scientificus ad alium subsequens, non producit nouam, & distinctam entitatem formalem in subiecto, ab ea, quam perficit, & extendit, est incapacitas eiusdem subiecti: nam cùm per primam entitatem habitus, & qualitas actuentur, & constituantur in aliqua specie determinata; non potest iterum atque iterum actuari, & constitui in eadem specie determinata; aliter enim respectu eiusdem, esset simul in actu, & in potentia; esset quidem in actu, vt supponitur; esset verò in potentia, quia posset recipere alteram actuationem per nouam entitatem formalem spectantem ad eamdem speciem. Per quam rationem etiam negamus absolutè duo accidentia solo numero distincta posse esse simul in eodem subiecto; quod certè

A eueniret, si entitas qualitatis, & habitus de nouo produceretur per actum, & assensum scientificum subsequentem ad alium. Vnde minimè effugiunt vim huius fundamenti, qui dicunt quòd tale subiectum esset in actu per hanc numero entitatem habitus, & esset in potentia ad aliam numero distinctam; nam subiectum non debet esse in potentia ad hanc numero entitatem habitus, sed ad entitatem habitus vt sic; nec potest recipere, aut respicere hanc numero entitatem habitus, nisi recipiat, & respiciat entitatem habitus, vt sic: quia ratio specifica non potest separari à parte rei ab indiuiduo; & sic respectu eiusdem, idem subiectum, scilicet intellectus, esset in actu, & in potentia quod repugnat.

B Dicendum est ergo, quòd quælibet scientia est vnus simplex habitus, & vna simplex qualitas in specie infima.

Probatur primò; Quoniam eadem proportionali ratione respicitur, & extenditur habitus scientificus ad suum obiectum, qua potentia intellectiua, in qua est, ad suum; sed potentia intellectiua respiciendo, & extendendo se ad suum obiectum, est semper eadem, & vna potentia: ergo habitus scientificus respiciendo, & extendendo se ad suum obiectum, erit pariter vna, & simplex qualitas. Consequentia bene deducitur. Maior patet ex eo, quòd habitus scientificus est perfectio quædam potentiæ intellectiuæ, in ordine ad attingendum eius proprium obiectum. Omnis autem perfectio proportionatur suo perfectibili; & ita debet habere modum attingendi obiectum proportionatum, modo, quo potentia suum attingit. Minor autem C probatur: nam licèt potentia intellectiua tendat, & extendatur ad plura, & diuersa obiecta materialia; nihilominùs respicit ea sub vna, & eadem ratione formali; sed quælibet potentia, quæ respicit suum obiectum prædicto modo, non est multiplex, sed vna, & eadem simplex potentia, vt magis patebit in sequentibus: ergo potentia intellectiua respectu omnium suorum obiectorum, erit vna, & simplex potentia.

Respondent Mastr. & Bell. ex Suarez, & Granado, locis in principio citatis, negando maiorem, ad cuius probationem dicunt, quòd licèt habitus sit perfectio potentiæ, &c. tamen magna disparitas est inter potentiam intellectiuam in ordine ad attingendum proprium obiectum, & eius habitum: nam cùm potentia D sit vniuersalior, & vniuersalius respiciat obiectum, non specificatur à quolibet obiecto inadæquato, & partiali, sicut specificatur habitus; vtpote tali potentia minùs vniuersalis, sed tantùm ab obiecto adæquato, & totali. Quapropter, estò potentia non multiplicetur, sed vna, & eadem sit respectu omnium obiectorum partialium, & inadæquatorum; non tamen videtur hoc posse affirmari de habitu; sed multiplicari debet ex multiplicatione eorundem.

Contra tamen; nam ideò per tales Auctores potentia intellectiua non specificatur à quolibet obiecto, inadæquato, & partiali, quia talia obiecta respicit sub eadem ratione formali magis ampla, quatenus scilicet sub ea considerantur omnia, & singula obiecta partialia, & inadæquata ipsius potentiæ, & ideò ex multiplicatione talium obiectorum non multiplicatur: sed etiam habitus respicit sua obiecta per diuersos actus attacta sub eadem ratione formali, licèt minùs

simplex, ex eo quòd sub ipsa non considerantur omnia obiecta partialia, & inadæquata potentiæ, sed tantùm ea, de quibus sunt assensus scientifici: ergo si potentia non specificatur, neque multiplicatur ad multiplicationem talium obiectorum, sed manet vna simplex qualitas, non est cur hoc habitui sit denegandum. Maior patet ex dictis; & Minor patebit ex dicendis; Consequentia verò, esto rectè inferatur, probari tamen potest. Quoniam si semel de ratione habitus est perficere potentiam, non vtcunque, sed proportionatè ad modum operandi ipsius: cùm ipsa operetur, & respiciat omnia sua obiecta partialia, & inadæquata sub eadem ratione formali, & per modum simplicis qualitatis; non videtur ratio cur habitus ipsius circa illa obiecta, respectu quorum perficit ipsā potentiam, non debeat operari simul cum ipsa, sub eadem ratione formali, & per modum simplicis qualitatis, non multiplicabilis ad multiplicationem talium obiectorum.

Confirmari etiam potest nostra ratio ex eo, quòd species intelligibiles vniuersaliores rerum, specie distinctarum, quas Theologi ponunt in Angelis superioribus, & perfectioribus (Angeli enim quò perfectiores, eò per pauciores, & vniuersaliores species intelligunt) habent semper obiectum minùs amplum, quàm habeat intellectus angelicus; & tamen quia earum quælibet perficit illum proportionatè ad eius naturam, ideò per modum simplicis qualitatis respiciunt omnia obiecta materialia, per eas repræsentata sub eadem ratione formali: ergo licèt habitus scientificus extendatur ad pauciora obiecta, quàm sua potentia, scilicet intellectus; attamen quia perficit potentiam proportionatè ad modum operandi ipsius; ideò respicit prædicta obiecta sub eadem ratione formali, & per modum simplicis qualitatis.

Nec aliquid facit id, quod ad talem confirmationem Mastr. & Bell. respondent; nimirum semel admissa doctrina de illis speciebus vniuersalioribus in Angelis (nam à scotistis negatur) magnā esse disparitatem inter species intelligibiles Angelorum, & habitus scientificos: nam species illæ, à Deo sunt infusæ: habitus verò quia generantur ex actibus, non nisi in similes actus, à quibus producuntur, possunt inclinare; & quia actus, specie distincti habent diuersas, specie actiuitates; idcirco non possunt dari habitus isti vniuersales ad modum specierum infusarum.

Non quidem vrget; quoniam si tales species vniuersaliores repræsentarent omnia illa obiecta sub diuersa ratione formali, non essent simplices qualitates, nec quid vnum in specie infima, sed adsummùm quid vnum genere, quemadmodùm essent species minus vniuersaliores inferiorum Angelorum repræsentantes reflexè species illas vniuersaliores superiorum Angelorum: ergo tota ratio istius vnitatis specificæ simplicis qualitatis non prouenit ex eo, quòd sunt infusæ, sed tantùm ex eo, quòd repræsentant talia obiecta sub eadem ratione formali.

Probatur secundò ipsa conclusio; Nam si scientia non est vna simplex qualitas, & vnus simplex habitus, erit aliquod aggregatum per accidens ex pluribus habitibus: non enim apparet quomodò illi habitus vniātur per se, cùm non dicant inter se rationem actus, & potentiæ per se, & ita efficient vnum per accidens; sed scientia cùm directè reponatur in prædicamento

A Qualitatis est vnum per se; entia quippe per accidens excluduntur à prædicamentis: ergo scientia est vnus simplex habitus.

Nec talem eneruat rationem id, quod ad ipsam respondent Mastr. & Bell. nimirùm tantùm valere de scientia partiali, & vnius conclusionis, & de vnitate intrinseca; nam de ista rectè infertur, quòd sit vna qualitas specificè; non verò de totali, & vnitate obiectiua, quæ solùm dicitur vna genericè, quod sufficit ad hoc, vt non sit ens per accidens, & reponatur in prædicamento qualitatis.

Non quidem debilitat, & eneruat rationem nostram, quæ supponit aliunde desumendam esse vnitatem scientiarum specificam, quam supponunt prædicti Auctores, vt videbimus in sequentibus; vnde in

B scientiis totalibus etiam ponimus vnitatem specificam modo tamen explicato, & vlterius explicando, quam ipsi negant. Præterquamquòd habitus scientiæ partialis, & habitus scientiæ totalis in diuersis potentijs distinguuntur ab inuicem, tanquam magis, & minùs perfectum in eadem specie: ergo vterque constituet vnam speciem infimam scientiæ, & habitus. Et consequenter, si per præfatos Auctores, habitus scientiæ partialis habet vnitatem specificam; eandem quoque habebit habitus scientiæ totalis. Antec. patet; nam qui habet demonstrationes circa omnes conclusiones, e. g. Philosophiæ naturalis, certè appellatur perfectior Philosophus naturalis alio, qui eas tantùm habet circa quatuor, aut sex; non quidem perfectione essentiali spectante ad aliam scientiam, specie distinctam, sed perfectione accidentali eiusdem scientiæ, seu

C philosophiæ naturalis, vt de se patet: ergo prædicti habitus per demonstrationem acquisiti distinguuntur ab inuicem sicut perfectum, & imperfectum intra eandem speciem scientiæ.

Obiicitur primò; Quoniam vnitas, & distinctio habituum desumitur ab obiecto, & à principiis, quibus procedit; sed in qualibet scientia, vt in Logica e. g. sunt plura obiecta inadæquata, & diuersa sunt principia, quibus procedit in demonstrandis proprietatibus definitionis; ab his quibus procedit in demonstrandis proprietatibus diuisionis, demonstrationis, &c. ergo scientia non est vna simplex qualitas, sed est aliquod aggregatum ex pluribus habitibus specie diuersis.

Respondetur, quòd quamuis propria principia

D per quæ probantur proprietates definitionis, diuisionis, demonstrationis, aut alterius, sint immediata, & simpliciter indemonstrabilia, quatenus non habent causam adæquatam, & conuertibilem, siue proprium propter quid, per quòd probentur: dependent tamen & deriuantur ex communibus principiis secundarum intentionum, quia gradus genericus est radix, & principium differentiarum contrahentium ipsum ad speciem; & harum passiones rectè probantur, & verè per principia generica tanquam per causam remotam, & inconuertibilem; quòd sufficit, vt principia specifica possint resolui in principia generica, & consequenter deriuentur ex eis, & ita ad multiplicationem principiorum specificorum, non multiplicantur habitus scientiæ; vt in sequentibus dicendum est.

Contra istam responsionē insurgunt acriter Mastr. & Bell. multis rationibus, quæ cum spectent ad sequentes difficultates, ibidem ex nostris fundamentis resol-

resoluendæ, ac diluendæ sunt.

Obijcitur secundò; Tum quia potest intendi scientia circa vnam conclusionem, & remitti, immo corrumpi circa aliam, cùm quis obliuiscitur illius: ergo signum est esse plures habitus in vna scientia; nam idem habitus, non potest simul intendi, & remitti. Tum etiam quia potest dari casus, quòd qui habet scientiam de vna conclusione, habeat errorem circa aliam, quod non potest esse, si idem habitus respiceret omnes conclusiones: ergo qualitas, & scientia extenditur per additionem nouæ entitatis, & consequenter non erit vnus simplex habitus, &c.

Respondetur, & primò ad priam rationem, negando consequentiam: quia non corrumpitur ipse habitus secundùm suam entitatem quando quis obliuiscitur alicuius conclusionis; sed tantùm secundùm illum modum extensionis; & similiter intenditur secundùm alium modum per ordinem ad alias conclusiones. Ad secundam dicendum est, quòd error non opponitur scientifico habitui, nisi sit in statu omnino perfecto, vel circa eandem conclusionem, siue obiectum materiale; quare potest reperiri vterque in eodem habitu, &c.

Contra istas responsiones acriùs insurgunt Mastr. & Bell. & primò contra primam sic. Nam habitus ex primò actu scientifico productus, non habet intrinsecè, hoc est secundùm suam entitatem vim facilitandi potentiam circa omnes conclusiones; ergo estò non corrumpatur, sed maneat secundùm suam entitatem, non tamen potest intendi circa aliquam conclusionem, vel extendi circa alias, nisi addatur ei noua entitas alterius habitus. Consequentia bene infertur. Antec. autem probatur; quia talis habitus, quidquid habet virtutis recipit à primo illo actu, ex quo producitur; sed actus ille nequit includere perfectionem omnium actuum scientiæ, neque maiorem intensionem, quam habet: ergo pariter nequit producere habitum intrinsecè, & secundùm suam entitatem includentem vim facilitandi potentiam erga omnes conclusiones, neque illi addere maiorem intensionem circa aliquam conclusionem.

Contra secundam verò sic insurgunt; Primò, Quia error, & scientia sunt diuersæ species essentialiter diuidentes habitū in communi: ergo non possunt eidem habitui conuenire, siue in ordine ad idem obiectum, siue respectu diuersorum; aliter idem habitus esset in duabus speciebus, quod repugnat.

Secundò, Tum quia adhuc esset error, & scientia respectu eiusdem; nam si quis eliceret loco erronei actus, actum oppositum scientificum; idem habitus inclinaret in illam oppositam conclusionem veram, & sic in se esset scientificus habitus illius conclusionis; & tamen idem omnino inclinabat in actum erroris oppositum: ergo esset habitus erroneus, & scientificus respectu eiusdem. Tum etiam, quia si admittetur tantùm respectu diuersorum: adhuc tamen sequeretur intentum, idest quòd non esset vnus, & idem habitus: nam error secundæ conclusionis e. g. est compossibilis cum scientia primæ, incompossibilis verò cum scientia secundæ: ergo habitus scientificus primæ, non est idem cum habitu scientifico secundæ. Probatur consequentia, habitus scientificus primæ est compossibilis cum habitu erroneo secundæ, cum quo est incompossibilis habitus scientificus secundæ.

A Respondetur tamen, & primò ad instantiam contra primam nostrā responsionem, ipsam tantùm probare habitum, vt productum præcisè per primum actum, seu assensum scientificum primæ conclusionis intrinsecè, & secundùm suam entitatem non facilitare potentiam erga cæteras conclusiones, nec addere maiorem intensionem circa primam, quàm addat; quod libenter concedimus, cùm de tali habitu scientiæ partialis præcisè vt talis, nulla sit difficultas, vt prænotatum est non verò probare habitum scientiæ totalis, scilicet per plures, & plures actus, seu assensus, extensum, & intensum, de quo præcipuè est sermo, non habere secundùm suam entitatem vim ad facilitandam potentiam circa omnes illas conclusiones, vel non includere maiorem intensionem circa B ipsas; quod vtique negamus. Neque hoc est intendi, & extendi per nouas entitates formales, & obiectiuas, seu sub diuersis rationibus formalibus consideratas, sed tantùm materialiter; vt primo loco suprà notatum est.

Ad primam verò instantiam contra nostram secundam responsionem, respondetur quòd tam scientia, quàm error possunt considerari dupliciter; vel simpliciter absolutè, atque in suis statibus perfectis, quando scilicet respiciunt totale, & formale obiectum; vel secundùm quid respectiuè, atque in suis statibus imperfectis, videlicet dum tantùm obiectum aliquod partiale, & materiale respiciunt. Primo modo vtique sunt species essentialiter diuidentes habitum in communi, & non possunt eidem habitui conuenire neque C in ordine ad idem, neque in ordine ad diuersum obiectum propter rationem adductam in argumento. Secundo verò modo nequaquam: nam ad summùm diuidunt habitum scientiæ particularis; vnde licèt hoc modo etiam nequeant conuenire eidem habitui respectu eiusdem obiecti partialis, & materialiter considerati propter eandem rationem: non verò respectu diuersorum obiectorum materialium, vt patet. Videri possunt ea quæ diximus suprà disp. 36. quæst. 8. not. 2.

Ad secundam denique instantiam contra eandem nostram secundam responsionem adductam, respondetur Vtranque illam rationem probare eundem habitum materialiter consideratum, hoc est secundùm diuersos actus erga obiecta materialia, tantùm esse simul scientificum, & erroneum; aut in ratione scien- D tifici esse diuersum à se ipso in ratione erronei considerato; Sed hoc nihil ad nos, qui dum ponimus vnitatem, & simplicitatem habitus, tantùm loquimur de habitu formaliter, hoc est in ratione habitus accepto, & erga obiectum sub eadem ratione formali inspectum.

Obijcitur tandem tertiò sic; nam habitus scientifici ponuntur ad facilè vincendas difficultates obiectorum, & actuum tendentium in illa: sed intra latitudinem eiusdem scientiæ sunt plures, & diuersæ difficultates, quæ vinci debent, ad hoc vt scientia perfectè acquiratur: ergo ad illam sic acquirendam debent dari plures habitus saltem partiales. Maior patet. Nam ideò acquisito perfectè habitu scientifico adest facilitas, & delectabilitas in operando, quia per habitum illum deuicta est illa difficultas, quæ antea præexistebat in operando circa illud obiectum. Minor verò probatur; nam acquisita scientia circa primam

mam conclusionem, superest adhuc, vt perfectè eadem scientia acquiratur, noua difficultas circa vigesimam, & hac per nouam demonstrationem scita, restat etiam noua alia difficultas circa quadragesimam, et sic de alijs.

Respondetur distinguendo maiorem; nam si sensus sit, quòd habitus scientificus datur ad facilè vincendas difficultates pertinentes ad diuersos actus, & obiecta formalia adæquata, concedenda est; secus verò si sensus fuerit, quòd detur ad vincendas difficultates pertinentes ad diuersos actus, seu obiecta materialia, & inadæquata; & eodem proportionali modo debet distingui minor, & concedi, si intelligatur de diuersis difficultatibus materialibus, negari verò si intelligatur de diuersis difficultatibus (vt sic dicamus) formalibus, quæ tantùm proueniunt ex sola ratione formali obiectiua, & adæquata. Et ad probationem minoris dicendum est solùm concludere, quòd acquisita scientia circa primam conclusionem superest noua difficultas materialis circa aliam, non verò formalis, & adæquata, ex qua sola prouenit distinctio, & multiplicatio habituum, vt statim dicetur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm vnitas generica scientiarum desumenda sit ex abstractione à materia.

SVpponit quæstio hæc contra Ægidium 1. Met. quæst. 22. Bernardum Mirandulanum lib. 15. de euersione singularis certaminis sect. 6. & 7. Iulium Syrenum, opusculo de obiecto Met. sect. 3. cap. 5. 6. & 7. atque alios; omnium rerum vnam non esse scientiam, sed multiplicem, & variam: negari enim non potest plures esse in intellectu scientias; sicut negari non potest plures esse virtutes in voluntate: hoc quidem Aristoteles, & omnes Principes Philosophiæ astruxerunt, & ridiculum esset (quidquid dicant Mastr. & Bell. disp. 12. quæst. 3. qui talem sententiam rationalem appellant) negare auctoritatem Principum alicuius scientiæ, vel artis; alias nihil firmum haberetur; quoniam cùm nihil tam absurdum sit, quod aliqualiter defendi nequeat, omnia euerterentur, si principiis traditis, & communiter receptis non crederetur. Vnde prædicti Auctores, qui dicunt non esse plures scientias, sed eandem se extendere ad omnia obiecta, possent etiam dicere non esse quinque sensus externos, sed vnum extensum per totum corpus, qui secundùm diuersa organa diuersas eliceret operationes: eodem enim modo probatur pluralitas vtriusque.

Supponit etiam vnitatem Scientiarum triplicem esse posse, numericam scilicet, specificam, atque genericam; ex quibus secunda ad sequentem quæstionem relicta; tantùm agetur de tertia, cùm de prima certum sit, saltem in nostra sententia, idem esse iudicium in scientiis, ac in alijs accidentibus, quæ à subiecto, A & non ab aliqua abstractione indiuiduantur.

Supponit insuper vnitatem, & distinctionem scientiarum vt sic, desumendam esse ex obiecto, vt docet Philosophus 2. de Anima text. 33. non quidem materiali, quemadmodùm putabant Nominales, teste Soto in prooemialibus Logicæ quæst. 3. sed formali: etenim obiectum materiale non respicitur per se ab habitu, vnde neque eius vnitas, aut diuersitas ad vnitatem, vel diuersitatem habitus potest cōducere, bene tamen respicitur per se obiectum formale; quare negandum non est vnam, & eandem scientiam ad plures conclusiones extendi, vt probatum est quæstione antecedenti; Vnde omnes asserunt vnam esse Geometriam, vnam Theologiam, &c. Quia cùm obiectum formale, ex dictis disp. 1. quæst. 2. dupliciter considerari possit, vel scilicet in esse rei, vel in esse scibilis, seu quod idem B est, quia in eo distingui possunt duæ formæ, seu duæ rationes formales, nempe *qua*, & *Sub qua*; tanquam certum etiam supponit neque prædictam vnitatem, & distinctionem esse petendam à ratione formali *qua*, seu ab obiecto formali in esse rei; sed à ratione formali *sub qua*, seu ab obiecto formali in esse scibilis. Ratio autem est, tum quia si sumeretur à ratione formali *qua*, multiplicarentur species scientiarum iuxta multitudinem rerum, quæ in eis considerantur, quod est absurdum. Tum etiam, quia de eadem ratione formali *qua*, dantur plures scientiæ, vt de hac propositione, *Terra est rotunda*, datur Astrologia, & Philosophia; ac de eadem Dei natura tractant Theologi, & Metaphysici: è contra verò eadem scientia considerat rationes formales *Quæ*, valdè diuersas, vt patet, C de Musica respectu vocis humanæ, & soni inanimatorum corporum. Ex quibus igitur non tantùm patet, verùm etiam ex doctrina Philosophi 6. Metaphys. text. 2. vbi hæc apertè docet, quàm decipiatur Vasq. p. p. disp. 7. quæst. 3. qui talem distinctionem obiecti formalis non admittit.

Supponit tandem, quòd cùm scientia ex Aristotele hic cap. 2. debeat esse de necessariis, & non de contingentibus; eius obiectum formale in esse scibilis debet esse quid abstractum à materia, quæ ex primo Phys. est prima ratio mutationis, & contingentiæ. Abstractio autem à materia duplex est, totalis vna, formalis alia. Prima est quando superius abstrahitur ab inferiori, vt Animal ab homine; secunda verò quando forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia D sensibili; quæ abstractiones in pluribus differunt, vt notat Caiet. de Ente, & Essentia cap. 1. quæst. 1. Primum igitur discrimen est, quòd in abstractione formali, tam forma, quæ abstrahitur, quàm materia à qua abstrahitur manet integra, & vna potest concipi sine alia: sed in abstractione totali non remanet integrum id, à quo fit abstractio; remota enim differentia rationalis ab homine, non remanet in intellectu homo, sed tantùm animal; neque potest vnum sine alio concipi quia licèt superius, quod abstrahitur, possit concipi absque inferioribus, cùm non sint de eius essentia, non tamen inferiora, à quibus abstrahitur, possunt concipi sine superiori. Secundum discrimen est, quòd per abstractionem formalem oritur in eo, quod abstrahitur actualitas, distinctio, & intelligibilitas; in abstractione verò totali, oritur in eo, quod abstrahitur potentialitas, confusio, & minor intelligi-

ligibilitas:vnde licèt quoad nos,id quod est abstractius abstractione vniuersali, sit quodammodò magis, & priùs notum; tamen secundùm se maior abstractio totalis causat maiorem potentialitatem, & confusionem: in abstractione verò formali,quantò magis id quod est formale abstrahitur à materia, tantò fit actualius, & magis intelligibile; ratio est quia abstractio formalis fit per separationem à materialibus, potentialibus, &c. abstractio verò totalis fit per separationem à specificis actualibus, à quibus quantò aliquod est abstractius, tantò est potentialius, & minùs intelligibile; cùm actus secundùm se sit notior potentia, ex 9. Metaph. text. 20.

Quibus igitur suppositis, & apprimè adnotatis; quæritur an vnitas generica scientiarum desumenda sit ab abstractione totali, an verò formali sui obiecti.

Prima sententia docet vnitatem, & distinctionem genericam scientiarum desumendam esse ab abstractione totali suorum obiectorum formalium, totalium, & adæquatorum; minimè verò ab abstractione formali. Ita Scotus multis in locis, sed præcipuè 6. Metaph. quæst. 1. quem sequuntur omnes Scotistæ, vt tradunt Mastr. & Bell.disp.12. tum articulo 1. tum articulo 3.& prçter Scotistas,Suarez disp. 44.Metaph. sect. 11, Fonseca 5. Metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 2. Hurt. disp. 1. Met. sect. 6. & 7. Auersa, q. 27. sect. 9. Arriaga disp. 1. Logicæ sect. 3. Morisanus disp. 12. Logicæ quæst. 3. Blancus disp. vltima sect. 5. & 7. atque alij.

Secunda verò sententia è contrà docet non sufficere ad vnitatem genericam, atque distinctionem scientiarum, talem abstractionem totalem suorum obiectorum totalium, & adæquatorum, sed insuper requiri abstractionem formalem; adeò ut illæ scientiæ sint vnum genere, quæ habent eandem abstractionem formalem; illæ verò diuersi generis, quæ habent diuersas abstractiones formales. Ita D. Tho. pluribus in locis, sed præcipuè hic cap. 23. lect. 41. quem sequuntur communiter omnes eius veri discipuli, vt obseruant,& sequuntur Complutenses disp. 19. quæst. 4. atque alii non pauci.

Notandum est primò ex Aristotele 6. Met. text. 2. quòd triplex est gradus abstractionis formalis, iuxta triplicem materiam, à qua potest aliqua res abstrahi, scilicet singularem, sensibilem, & intelligibilem. Materia singularis in præsenti dicitur omne illud, quod pertinet ad singularitatem rerum sensibilium, vt hæ carnes, hæc ossa, hæc albedo, &c. Vnde illa scientia abstrahit à materia singulari tantùm,quæ considerat res sensibiles e. g. hominem cum materia sensibili communi, nempe carne, ossibus; non tamen considerat singulariter hanc carnem, hæc ossa; & ista est Philosophia naturalis, quæ habet infimum gradum abstractionis; hæc enim ad minùs requiritur in obiecto, vt de illo possit esse scientia, vt iam suppositum est suprà. Materia verò sensibilis dicuntur omnes qualitates, quæ sensibus percipiuntur; vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia sensibili, quæ considerant suum obiectum sine istis qualitatibus, vt Mathematicæ, quæ agunt de quantitate, non curando an linea sit calida, superficies alba, &c. non tamen abstrahunt à materia intelligibili, quia non considerant quantitatem absque substantia materiali, cui inest, & à qua dependet in sui cognitione; & hic est se-

A cundus modus, siue gradus abstractionis. Tandem materia intelligibilis est ipsa substantia corporea, siue materia prima, quæ dicitur intelligibilis, quia solo intellectu percipi potest; vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia intelligibili, quæ tractant de rebus, quæ esse possunt sine materia prima, vel quia nunquam sunt in materia, vt Deus, & Angeli; vel quia in quibusdam sunt in materia in quibusdam verò non; & ideò secundùm se non dependent ab illa, vt substantia, qualitas, actus, potentia, &c. talis est Metaphysica, quæ etiam Theologia naturalis, & prima philosophia vocatur, ac obtinet inter scientias naturales supremum gradum abstractionis.

Notandum secundò, quòd prædicta abstractio formalis potest dupliciter sumi, vel actiuè, vel passiuè: B actiuè, & formaliter est ipsa operatio intellectus abstrahentis obiectum à materia, quæ abstractio est extrinseca obiecto, & ideò non potest esse distinctiua scientiæ, sed tantùm conditio necessaria, siue causa remouens prohibens. Passiuè autem, siue obiectiuè, & radicaliter sumitur abstractio formalis pro ipsa actualitate, & immaterialitate, quæ relinquitur in obiecto ex separatione materiæ, & propter quam fit actu intelligibilis; & hoc modo pertinet ad obiectum inesse scibilis, & consequenter ad rationem formalem constitutiuam, & distinctiuam scientiæ; nam actualitas rei est quoddam intellectuale lumen; per quod ipsa res cognoscitur, cùm ex Philosopho 9. Met. vnumquodque cognoscatur per id, quòd est in actu; Vnde cùm talis abstractio, seu immaterialitas, & actualitas non eodem modo reperiatur in omnibus C scientijs; vt patet; ideò potest ad distinctionem earum pertinere.

Dicendum est ergo primò; quòd vnitas generica scientiarum desumenda non est ab abstractione totali obiecti formalis adæquati, & totalis,tantùm.

Probatur; nam prædicta abstractio non est principium distinctiuum vnius generis scientiæ ab alio:ergo ab ipsa tantùm non est sumenda vnitas generica scientiarum. Patet antec. quia prædicta abstractio est quid commune omnibus scientijs, cùm solùm necessaria sit ad illas ex generali ratione, quia omnes excludunt indiuidua, & agunt de rebus in vniuersali, & consequenter, si vnitas scientiarum sumeretur à tali abstractione, non essent ad inuicem distinctæ, sed omnes scientiæ essent vna scientia, quemadmodùm asse- D rebat Bernardus Mirandulanus, quod est contrà commune dictum Philosophorum. Consequentia probatur, quia vnum siue genere, siue specie, vt dicitur in Metahaphysicis, est quid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; sed talis abstractio licèt sit quid indiuisum in se, non tamen est quid diuisum à quacunque alia abstractione ex enumeratis; cùm vnumquodque genus illam includat, vt patet: ergo, &c.

Respondent Mastr. & Bell. loco suprà citato in principio huius quæstionis, vbi rationalem putant sententiam Mirandulani, & aliorum, negando consequentiam; quia nullum absurdum videtur, scientias omnes esse quid vnum simpliciter, & quid diuersum secundùm quid; simpliciter quidem, quia simpliciter vnum est scibile, secundùm quid verò, quia secundùm diuersas considerationes diuersa sunt scibilia, & genera subalterna scientiarum.

Contra tamen; Quoniam hic ex communi sensu docto-

doctorum, non est sermo de genere remoto scientiarum; nam secundùm hanc considerationem, certum est dari vnicam tantùm scientiam totalem, quæ collocatur sub specie habitus; sed de genere proximo, ac de scibili immediatè specificatiuo, seu dante speciem subalternam scientijs: ergo talis responsio nihil ad nos, qui cum omnibus loquimur de tali genere proximo, &c.

Dicendum est secundo, quòd vnitas generica scientiarum debet sumi ex abstractione formali, hoc est ex abstractione à materia, ac proinde ex obiecto formali in esse scibilis, siue à ratione formali sub qua; vnde illæ scientiæ erunt vnum genere, quæ habent eandem abstractionem; illæ verò diuersi generis, quæ habent diuersas abstractiones.

Probatur; Quoniam ex eo est sumenda vnitas scientiarum, ex quo sumitur scibilitas obiecti: sed hæc sumitur ex abstractione formali, idest ex abstractione à materia: ergo ex eadem desumenda est vnitas scientiarum; sed talis abstractio non est specifica, sed generica; ergo, & vnitas ex illa desumpta. Maior communiter recipitur. Minor verò probatur; nam in tantùm res est scibilis, & intelligibilis, in quantùm est à materia separabilis, eò quòd intelligibile idem est, ac spirituale; & spiritualitatis principium est à materia denudatio: ergo scibilitas obiecti ex abstractione à materia desumenda est. Minor verò subsumpta liquet, quoniam intra eandem abstractionem à materia continentur scientiæ specie distinctæ, vt patet in Mathematicis scientiis: ergo talis abstractio non est specifica, sed generica.

Respondent Mastr. & Bell. loco citato, negando minorem, ad cuius probationem negant assumptum, dicendo, quòd, & ipsa indiuidua materialia sunt intelligibilia, immo per ipsa intelligimus spiritualia; vnde iuuamur pro statu isto in cognitione à rebus materialibus; & quamuis in scientijs debeat fieri abstractio ab indiuiduis, hoc nō est, quia indiuidua sint prorsus inintelligibilia, nam actus ipse abstractionis non præsupponit obiectum abstractum; sed quia scientia est tantùm vniuersalium; vnde hæc abstractio etiam in spiritualibus fieri debet, & propriè est abstractio superioris ab inferioribus. Falsum etiam dicunt esse, quod intelligibile idem sit ac spirituale; nam entia materialia, cùm sint essentialiter talia, non possunt vt spiritualia concipi.

Contra tamen; nam scibile, seu obiectum de quo directè, & non quasi reflexè habetur scientia, ex his quæ dici solent secundùm nostram sententiam in libris de Anima, non solum debet esse vniuersale, sed etiam ab aliqua materia abstractum; cùm materia semper sit radix variabilitatis: ergo licèt prædicta responsio in sententia Scoti, & Scotistarum tollat difficultatem, quia docent intellectum directè cognoscere singulare materiale; non autem in nostra sententia, quæ est D. Thomæ, qui docet singulare materiale tantùm indirectè, & quasi reflexiuè cognosci ab intellectu. Nec inde sequitur falsum esse, quod intelligibile idem sit ac spirituale; quoniam licèt entia materialia in esse entis sint essentialiter talia, in esse verò repræsentatiuo, & intellectuali spiritualia sunt, & vt spiritualia concipiuntur.

Obijcitur primò in oppositum secundæ conclusionis; nam contra primam, vel paruam afferunt argumenta difficultatem, vel aliqua ex parte probant nostram secundam conclusionem. Contra igitur sic; Quoniam sacra Theologia distingitur genere ab aliis scientijs inferioribus, quia istæ procedunt sub lumine naturali, illa verò sub lumine diuinæ reuelationis, aut lumine Gloriæ, vt contingit in Beatis: ergo falsum est vnitatem, & distinctionem genericam scientiarum sumendam esse ex abstractione à materia. Consequentia bene deducitur. Antec. verò probatur; quia saltem conuenit sub eodem genere abstractionis cum Metaphysica, cùm vtraque abstrahat à materia intelligibili; ergo saltem ab illa non distinguetur genere, quod est falsum, cùm sit ordinis supernaturalis; ergo aliunde petenda est eius vnitas, & distinctio generica, nempe ex prædicto lumine, cùm ex alio non videatur posse desumi.

Respondetur distinguendo Antec. vel enim est sermo de genere subalterno, & remoto scientiarum, vel de genere infimo, & proximo; si sermo est de primo genere, vtique verum est, Sacram Theologiam distingui genere, vel quasi genere, quinimmo plusquàm genere à scientijs naturalibus, & inferioribus, ex eo, quia istæ lumine naturali, supernaturali verò illa procedit; nam talis distinctio penes diuersum lumen, est distinctio penes obiectum potentiæ, nempe penes intellectum, qui potest tendere ex lumine supernaturali perficiente ipsummet intellectum etiam ad obiectum supernaturale, cùm tale lumen non detur tantùm ad facilè, verùm etiam ad simpliciter operandum; non autem est distinctio penes obiectum habitus, idest ipsius scientiæ. Cùm igitur generaliùs, & vniuersalius sit obiectum potentiæ, quàm habitus; hinc est, quòd videtur concedendum, quòd Theologia penes lumen supernaturale, non tantùm distinguatur genere remoto, sed plusquam genere ab aliis scientiis inferioribus; sed de tali genere remoto non est sermo in præsenti, vt iam dictum est. Si autem sermo sit de genere secundo modo considerato, idest de genere proximo, & infimo, negandum est antec. videlicet quòd ratio illa adducta, sit ob quam Theologia distinguatur genere ab alijs scientijs inferioribus Ad cuius probationem dicendum est, Sacram Theologiam habere proprium modum abstractionis distinctum ab alijs, atque excellentiorem illis; quia Deitas, quæ est ratio formalis *quæ* obiecti eius, est simplicior, actualior, & immaterialior, quàm rationes entis, & substantiæ, quas considerat Metaphysica, & ideò hæc solùm excludit à suo obiecto materiam corporalem admittens in illo realem compositionem ex potentia, & actu. Theologia verò excludit omnem potentialitatem, & materiam etiam metaphysicam; & ideò habet specialem abstractionem, per quam constituitur in proprio genere ab alijs condistincto.

Si autem dicatur, quod si staret hæc responsio, falsum esset illud, quod communiter, & vniuersaliter dici solet; nimirum tantùm triplex esse genus abstractionis, cùm adderetur quartum; ergo, &c.

Respondetur commune illud dictum debere intelligi de scientiis merè naturalibus, quæ respiciunt obiecta naturalia, & procedunt lumine naturali: inter ipsas quippe, quæ procedunt eodem lumine naturali intellectus agentis; illæ sunt eiusdem generis, quæ habent eandem abstractionem; secus verò, quæ diuersam sortiuntur abstractionem.

Obij-

Obijcitur secundò; nam Scientia diuina, & angelica distinguuntur ab humana genere; sed distinguuntur ab ea penes hoc, scilicet quòd diuina, & angelica tendunt in obiectum per simplicem intelligentiam; humana verò per discursum: ergo vnitas, & distinctio scientiarum potiùs sumenda videtur ex diuerso modo tendendi in obiectum, quàm ex diuersa abstractione.

Respondetur concedendo maiorem, quinimmo addendum insuper videtur, quòd diuina, ab humana differat plusquam genere, cùm tantùm analogicè conueniat. Ad minorem verò dicendum est, quòd si loquamur de distinctione remota, & vniuersaliori proueniente à principio distinctiuo remoto, & magis vniuersali, vtique vera est, & debet concedi: si autem loquamur de distinctione proxima, & immediata, quæ petitur ex principio proximiori, & immediatiori, nempe ex abstractione obiecti, vt dictum est; vtique falsa est, & debet negari. Et de hac distinctione, & vnitate est sermo tantùm in præsenti.

Obijcitur tandem tertiò, quia scientiæ speculatiuæ distinguuntur genere à practicis propter diuersum finem: nam speculatiuæ habent pro fine cognitionem veritatis; practicæ verò praxim, & operationem: ergo vnitas, & distinctio generica scientiarum potiùs à fine, quàm ab abstractione sumenda est.

Respondetur, argumentum tantùm probare distinctionem, & vnitatem remotam, & vniuersaliorem esse petendam ex fine scientiarum, cùm finis sit quid remotius, & vniuersalius respectu scientiæ, quàm sit ipsummet obiectum, quod dicitur finis proximus: non verò probare vnitatem, & distinctionem proximam, non esse ab abstractione obiecti desumendam.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm vnitas, & distinctio specifica scientiarum desumenda sit tam ex abstractione formali radicaliter, & passiuè sumpta, quàm ex medijs, seu principijs demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur.

SVpponendum est tanquam certum apud omnes (vno tamen Vasquez excepto p. p. disp. 7. cap. 4. & 5.) quòd illud, quod est propriè specificatiuum respectu alicuius, debet præhabere eandem vnitatem, quam habet res specificata: & ratio est, quia res specificata, totam suam vnitatem sumit à specificatiuo: & ideò est vna, quia specificatiuum est vnum; ac proinde res specificata non potest esse magis vna, quàm sit specificatiuum: vnde si hoc fuerit vnum tantùm genericè, res specificata non poterit esse vna specificè. Hoc autem est vniuersaliter verum in potentijs, habitibus, & actibus; licèt sæpe sit difficillimum in eorum obiectis assignare aliquam rationem formalem habentem tantam vnitatem, quantam habent res specificatæ; & ideò, licèt ad rationem formalem *quæ* obiecti sufficiat vnitas generica, aut etiam analoga ex Arist. 4. Metaph. tamen ratio sub qua semper debet esse vna in specie infima, quando potentia, aut habitus est vnus specificè, quia per illam specificatur.

A

Prima igitur sententia docet prædictam vnitatem, & distinctionem desumendam tantùm esse ex obiecto in esse scibili, hoc est secundùm abstractionem totalem tantùm. Ita Scotus cum Scotistis, atque alij, quos retulimus pro prima sententia, quæstione antecedenti.

Secunda verò Sententia docet prædictam vnitatem, & distinctionem sumendam esse tum ex abstractione formali radicaliter, tum etiam passiuè sumpta; tum ex mediis, seu principiis demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur: ita vt illa scientia sit specificè vna, cuius media, & principia deriuantur ex aliquo primo, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia; è contrà verò, illa scientia sit specificè multiplex, cuius media, & principia non deriuantur ex alio primo, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia. Ita D. Tho. cum Thomistis, quos antecedenti quæstione, pro secunda retulimus sententia.

B

Notandum tamen est primò, quòd ad rationem formalem obiecti *qua*, consequitur velut effectus, & passio, ratio formalis sub qua, quæ comprehendit tam abstractionem obiecti à materia, quàm media, siue principia, quibus procedit scientia ad demonstrandas suas conclusiones, & etiam lumen, quodcunque illud sit, quo cognoscuntur talia principia. Quæ ratio sub qua, vocatur etiam absolutè ratio formalis obiecti vt obiectum est: quia obiectum vt obiectum est, siue vt scibile, dicit respectum rationis ad ipsam scientiam; & ideò talis ratio sub qua, tam se tenet ex parte obiecti, quàm ex parte scientiæ; ex parte quidem obiecti, quia per additionem talis rationis obiectum non solùm habet quod tali modo abstrahat à materia, vel singulari, vel sensibili, vel etiam intelligibili, verùm etiam habet sua principia determinata, quæ sunt quædam proprietates obiecti. Ex parte verò scientiæ, quia considerat obiectum sub illa abstractione, & procedit ex talibus principiis in eius consideratione, deducendo, mediis illis, suas conclusiones: principia enim demonstrationis gerunt vicem luminis; per quod cognoscitur, & illuminatur conclusio; nam sicut per lumen corporale, non solùm colores redduntur visibiles actu, sed etiam visus ipse confortatur ad videndum; sic per media, & principia demonstrationis non solum fit nobis aliquid notum, sed etiam intellectus ipse confortatur ad intelligendum id, quod priùs intelligere non valebat. Præterquàm quòd ipsa principia demonstrationis includunt in se quoddam intellectuale lumen participatum ab intellectu agente, qui est fons totius luminis intellectualis: sunt enim prima principia, vt ait Commentator 3. de Anima, quasi instrumenta intellectus agentis, & similiter omnia principia secunda, quæ continent propria media demonstrationum; ac proinde possunt in virtute ipsius intellectus agentis illuminare conclusiones; vnde videntur omnino pertinere ad rationem formalem specificatiuam scientiæ.

C

D

Notandum secundò, quòd quando principia, quæ sunt intra vnam abstractionem deriuantur ex princi-

piis alterius abstractionis; id non tollit, quo minus illa sint verè prima in esse scibilis, cùm sint prima intra propriam abstractionem; nam cùm genus scientiæ sumatur ex abstractione à materia, differentia verò ex primis principijs; proprium autem differentiæ sit distinguere rem, quam constituit, non à quibuscunque, sed ab his tantùm, cum quibus conuenit in genere; inde fit, vt principia ad diuersificandas specificè scientias non debeant esse prima absolutè; sed intra illud genus, sub quo continentur tales scientiæ: vnde licèt principia Physicæ e. g. deriuentur à principijs Metaphysicæ; quia tamen sunt in diuersa abstractione, constituunt diuersas scientias non solùm genere, sed etiam specie distinctas.

Dicendum est ergo, quòd Vnitas, & distinctio specifica scientiarum desumenda est ex vnitate, vel distinctione specifica principiorum intra idem genus scibilis, siue intra eandem abstractionem: ita ut illa scientia sit vnius speciei, cuius media, & principia deriuantur ex aliquo primo, vel ex alterutris, intra eandem abstractionem à materia; è contrà verò, illa scientia sit diuersæ speciei, cuius media, & principia non deriuantur ex aliquo primo, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia.

Probatur prima pars; nam ab eo desumenda est vnitas, & distinctio specifica scientiarum, à quo earum conclusiones, quæ de ipsis demonstrantur obiectis, non in esse rei, sed in esse scibilis, suam sortiuntur vnitatem, & specificam distinctionem; sed hanc sortiuntur ex vnitate, & distinctione specifica principiorum intra eandem abstractionem: ergo vnitas, & distinctio specifica scientiarum desumenda est, &c. Maior patet ex dictis, Minor verò probatur, nam conclusiones, quæ de obiectis scientiarum in esse scibilis, seu cognoscibilis demonstrantur, suam sortiuntur vnitatem, & distinctionem ex vnitate, & distinctione luminum, quibus illuminantur, seu cognoscuntur; sed principia, seu media demonstrationis sunt illa, quæ gerunt vicem luminum, quibus conclusiones illuminantur, & cognoscuntur, vt notatum est: ergo conclusiones suam sortiuntur vnitatem, & distinctionem ex principiis, & mediis demonstrationis, &c.

Probatur secunda pars. Quoniam principia, & media, quorum vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex tertio, non habent diuersam vim illuminandi; bene autem principia, & media, quæ nec deriuantur ex alterutris, neque ex aliquo tertio: ergo illa scientia erit vna, cuius principia, & media, &c. Consequentia bene deducitur, Minor verò probatur; nam secunda principia, & media sortiuntur à primis virtutem inferendi, & illuminandi conclusiones: ergo quando vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex alterutro; omnia reducuntur in vnam primam radicem luminis, ac proinde pertinebunt ad eandem rationem scibilis; quando verò neque deriuantur ex alijs, neque ex alterutris, reducuntur in virtutes illuminandi diuersas; & consequenter constituent diuersas rationes scibilis intra eandem abstractionem.

Obiicitur primò; quia res relatiua quemadmodùm est scientia, sumit suam vnitatem; & distinctionem specificam ab illo, quod essentialiter respicit: sed hæc tantùm essentialiter respicit suum obiectum, vt patet: ergo ab illo, & non ab alio desumit vnitatem, & distinctionem. Maior probatur, nam vnitas, & distinctio specifica consequuntur essentiam: ergo res relatiua debet sumere vnitatem, & distinctionem specificam ab illo tantùm, quod essentialiter respicit.

Respondetur, quòd res relatiua quemadmodùm est scientia, non respicit essentialiter suum obiectum in esse rei, sed in esse obiecti consideratum; vnde adsummùm concluditur, quòd debeat ab ipso accipere vnitatem, & distinctionem specificam, vt considerato in esse obiecti: obiectum autem in esse obiecti licèt pro materiali connotet se ipsum in esse rei consideratum; tamen pro formali dicit seipsum, vt substat modo tendendi. Quare cùm modus tendendi scientiarum in sua obiecta includat principia, quibus ipsæ scientiæ procedunt in cognitionem suorum obiectorum, ab ipsis vtique accipient suam vnitatem, & distinctionem specificam: diuersa enim principia important diuersum modum tendendi, ac proinde distinctionem specificã: eadem verò principia important eundem modum tendendi, & consequenter vnitatem specificam.

Obiicitur secundò; nam, non est assignabile aliud, præter obiectum vnde sumatur vnitas, & distinctio scientiarum specifica. Non quidem ab abstractione, cùm ab illa sumatur vnitas, & distinctio generica; nec à principiis, cùm ipsa principia sumant suam specificationem ab obiecto, à quo dimanant; & ita semper obiectum erit radix talis vnitatis, & distinctionis specificæ: ergo vnitas, & distinctio specifica scientiarum ab obiecto tantùm sumenda est.

Respondetur falsum esse, quòd principia sumant suam vnitatem, & distinctionem specificam ab obiecto, cùm de eodem obiecto etiam formali possint esse diuersa principia, etiam in specie; vt dictum est suprà de rotunditate terræ. Quapropter debent habere talem vnitatem ex hoc, quòd intra vnum genus abstractionis, vel ab alterutris deriuentur, vel omnia ab aliquo primo intra idem genus: distinctionem autem specificam ex hoc, quòd intra idem genus abstractionis, nec ex alterutris, nec omnia ab aliquo primo deriuentur.

Obiicitur tandem tertiò, nam principia quantitatis continuæ, quæ est obiectum Geometriæ; & principia quantitatis discretæ, quæ est obiectum Arithmeticæ, deriuantur ex principiis communibus quantitatis intra eandem abstractionem; & tamen sunt scientiæ, specie distinctæ: ergo vnitas, & distinctio specifica scientiarum, non est desumenda ex vnitate, vel distinctione specifica principiorum intra eandem abstractionem. Maior probatur, nam quantitas non abstrahit à materia intelligibili, sed tantùm à sensibili, sub qua conueniunt tam principia magnitudinis, quæ consideratur à Geometria, quàm principia numeri, & multitudinis, quæ consideratur ab Arithmetica.

Respondetur, Arithmeticam, & Geometriam non disputare de numero, & magnitudine secundùm essentiales eorum rationes, scilicet in ratione quantitatis; non enim curant, an prędictæ res, positæ sint in extensione, aut diuisibilitate, vel aliquo alio, sed sub ratione mensuræ: vnde licèt principia illarum conueniant in ratione essentiali quantitatis; non tamen conueniunt in ratione mensuræ, sed maximè inter se discrepant, cùm non possint habere aliquam mensuram communem, per quam regulentur; quia vnitas per quam procedit Arithmetica mensurat numerum, vt pars eius; punctus verò per quem procedit Geometria

metria mensurat magnitudinem, vt nexus, aut terminus illius; vnde cùm talia puncta non fiant ex aliis, neque ex alterutris intrà eandem abstractionem, hinc est quòd per ea constituuntur diuersæ specie scientiæ.

COROLLARIVM.

EX generali doctrina specificationis scientiarum, non tam facilè quàm oportet quis descendere valet ad particularem pro singulis applicationem: quare ne aliqua circa præsens negocium contingat hallucinatio; quid pro qualibet dicendum sit, veluti complementum quoddam examinatæ quæstionis, addendum putamus.

Sacra igitur Theologia (vt à nobiliori capiamus initium) cùm sit scientia supernaturalis, ac supernaturali innitatur lumini; abstrahit non solùm à materia naturali, verùm etiam à quacunque potentialitate creata, nam ratio *quæ* obiecti illius, nempe Deitas est simplicissima, actualissima, & immaterialissima, quaproter ratio sub qua illius erit prædicta abstractio, non solùm ab omni materia naturali, sed etiam à quacunque potentialitate creata, vnde à qualibet scientia naturali differt genere subalterno, vt dictum est suprà. Quia tamen omnia, quæ tractantur in ipsa referuntur in eandem Deitatem, vel tanquam in propriam essentiam, vt quæ de Attributis, & Personis disputantur; vel tanquam ad principium efficiens, seu vltimum finem, vt quæ de creaturis dicuntur: Dicendum est omnia illa fieri ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem, cùm omnia reducantur ad diuinam reuelationem, & consequenter sacram Theologiam esse simplicem quandam qualitatem, & habitum in specie infima, vt habetur ex D. Tho. quæst. 1. Prologi sententiarum art. 2. & p. p. quæst. 1. art. 3.

Metaphysica, siue prima Philosophia, cùm non abstrahat à materia naturali, neque à quacunque potentialitate (includit enim compositionem saltem ex esse, & essentia) sed tantùm abstrahat à materia intelligibili; hinc est quòd genere subalterno differt à Theologia; à cæteris verò scientiis naturalibus genere infimo, quia non conueniunt sub eadem abstractione, licèt in naturalitate conueniant. Quia verò omnia principia illius per quæ procedit ad suas conclusiones demonstrandas, resoluuntur in communia principia entis realis, quod est obiectum eius, & deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia intelligibili; hinc est quòd constituunt vnam scientiam in specie infima, vt ex D. Tho. opusculo 42. cap. 3. habetur.

Arithmetica, & Geometria communiter abstrahunt à materia sensibili, & ideò sub communi abstractione conueniunt; vnde distinguuntur à Metaphysica, & aliis scientiis, naturalibus genere infimo. Quia tamen earum principia prima non fiunt ex aliis, vel ex alterutris: nam omnia, quæ tractantur in Arithmetica resoluuntur in vnitatem, quæ est prima omnium mensura; omnia verò quæ tractantur in Geometria resoluuntur in punctum, quod est prima mensura quantitatis continuæ; quapropter, cùm ista duo prima principia sint primo diuersa, cùm non habeant aliquod commune intra eandem abstractionem, vt dictum est suprà, constituunt diuersas species scibilium. Quælibet autem earum scientiarum est vna simplex qualitas in specie infima, quia quæcunque in qualibet illarum tractantur, reducuntur ad sua prima principia, scilicet vel ad vnitatem, vel ad punctum intra eandem abstractionem, vt docet D. Tho. hic lectione 41. & prima secundæ quæst. 35. art. 8.

Physica, seu philosophia naturalis, quæ complectitur 8. libros physicorum 4. de Cælo, & mundo, 2. de generatione, & corruptione, 3. de Anima, &c. abstrahit à materia singulari, & consequenter differt ab aliis scientiis naturalibus genere infimo. Quia tamen omnia principia illius deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra propriam abstractionem à materia singulari: siquidem saltem dependent, & probantur per communia principia motus, scilicet per naturam, seu mobilitatem radicalem, quæ traditur in libris physicorum; reducunturque tandem in materiam, & formam, quæ sunt prima principia entis mobilis; hinc est, quòd omnia quæ tractantur in illa constituunt vnicam speciem scibilis, & consequenter pertinent ad eandem speciem atomam scientiæ, vt ex D. Thoma de sensu, & sensato lect. 2. & opusc. 42. cap. 14. habetur.

Musica verò, Perspectiua, Astrologia, Cosmographia, Geographia, Hydrographia, Machinatiua, & similes, quæ subalternantur Mathematicis, & solent appellari mediæ inter illas, & scientias purè naturales, cùm contrahant obiecta subalternantium addendo illis differentiam accidentalem, seu quod idem est, cùm applicent obiecta subalternantium ad materiam extraneam, vt dicetur ex professo disput. sequenti: hinc est, quòd earum obiecta, & principia semper sunt sub abstractione diuersa ab ea, sub qua considerantur obiecta, & principia scientiarum subalternantium: numerus enim e. g. & linea in Mathematicis, quæ sunt scientiæ subalternantes, abstrahunt à materia sensibili; Sonorus, autem, & visualis, in Musica, & in Perspectiua, quæ Mathematicis subalternantur, abstrahunt à materia singulari. Cæterùm, quia tales scientiæ subalternatæ considerant obiecta subalternantium in obliquo, & de connotato; differentiam verò accidentalem, seu materiam extraneam, ad quam applicant prædictum obiectum in recto, illius erunt generis, cuius est differentia illa accidentalis, vel materia extranea, quam in recto considerant: vnde omnes, & singulæ distinguentur genere infimò à suis subalternantibus; erunt autem eiusdem generis cum philosophia naturali, cùm abstrahant ab eadem materia ratione illius differentiæ accidentalis, seu materiæ extraneæ, quam in recto considerant.

Vnitas tamen, & distinctio specifica earum licèt desumenda pariter sit ex principijs: nihilominùs non debet desumi ex principijs, quæ sunt prima intra eandem abstractionem sui obiecti considerati in recto (nulla enim talia principia sunt in his scientiis; vt patet in Musica, cuius prima principia sunt vnitates, quæ non ad Musicam spectant, sed ad Arithmeticam) sed ex principijs, quæ sunt prima intra abstractionem obiecti subalternantium considerati tantùm in obliquo; quod non est absurdum, cùm scientiæ mediæ sint, quibus licet quodammodò descendere de genere in ge-

genus, vt dicetur in sequentibus; vnde Musica erit vna simplex qualitas in specie infima, quia omnia, quæ in illa tractantur, resoluuntur in vnitatem, quæ est primum principium Arithmeticæ. Cæteræ verò mathematicæ mediæ, quæ subalternantur Geometriæ, quia contrahunt principia geometrica ad diuersas materias sensibiles; & cùm omnia, quæ in ipsis tractantur, reducantur ad punctum, quod est primum principium Geometriæ, erunt pariter singulæ, vna simplex qualitas, & vnus simplex habitus in specie infima, nam earum principia fiunt ex alijs, vel ex alterutris, licèt sub diuersa abstractione, ab abstractione obiecti proprij, & in recto considerati; vt docet D. Tho. lect. 25. huius libri, & 2. physic. lect. 2. A

Logica tandem, licèt de ea satis dictum sit disp. 1. quæst. 5. tamen ad vberiorem doctrinam tradendam, videtur contineri sub eodem genere cum Metaphysica, quia pariter abstrahit à materia intelligibili; specie tamen differt ab ea, quia principia, per quæ procedit Logica, quæ sunt principia secundarum intentionum non fiunt ex principiis entis realis, neque hæc ex illis. Est tamen vna simplex qualitas in specie infima; nam omnia, quæ in ipsa tractantur resoluuntur in communia principia secundarum intentionum: vnde cùm fiant ex aliis, & alterutris intra eandem abstractionem, vt dictum est; maximam habebit vnitatem constituentem vnum simplicem habitum in specie infima, vt cum D. Tho. 1. Post. cap. 22. & alibi diximus loco suprà citato disputationis, primæ. B

DISPVTATIO TRIGESIMANONA.

De subalternatione Scientiarum.




QVIA scientiarum, quædam disparatæ, quædam verò ad inuicem subordinatæ sunt, hoc est quarum vna ponitur sub alia, & quæ sub alia ponitur, & collocatur, appellatur subalternata, quæ verò alteram ponit, & collocat, subalternans; idcirco post disputationem de scientiis vt disparatis, & vt sic; disputandum pariter videtur de ipsis vt subalternatis, & ad inuicem positis, & subordinatis.





QVÆSTIO I.

Vtrùm ad perfectam, & rigorosam subalternationem scientiarum; obiectum scientiæ subalternatæ debeat contineri sub obiecto scientiæ subalternantis, tantùm contracto per differentiam accidentalem.



TRES assignari solent communiter conditiones veræ, & propriæ subalternationis, ad quas tanquam ad præcipuas reducuntur si quæ aliæ adinueniantur à Dialecticis; quarum prima est, quòd obiectum scientiæ subalternatæ contineatur sub obiecto scientiæ subalternantis, ita vt illud contrahat, & se habeat ex additione ad illud. Secunda verò, quòd illud contrahat per differentiam accidentalem. Tertia tandem, quòd principia subalternatæ probentur in subalternante à priori, & per propriam causam, & per consequens sint conclusiones ipsius scientiæ subalternantis. De hac tertia, vt tollatur prolixitas, disputabitur in sequentibus quæstionibus; de prima verò, & secunda, modò agendum est.

C Pro qua, cum maiori parte Philosophorum debemus supponere, quòd hæc continentia obiecti vnius scientiæ sub obiecto alterius, quæ dicitur subalternans, est duplex; prima est continentia essentialis, & contingit quando obiectum subalternatæ addit obiecto subalternantis differentiam essentialem, & est species illius: & hoc modo omnes scientiæ dicuntur subalternari Metaphysicæ, cuius obiectum est ens, sub quo continentur essentialiter obiecta cæterarum scientiarum. Secunda verò est continentia accidentalis, & contingit quando obiectum subalternatæ continetur accidentaliter sub obiecto subalternantis; per hoc quòd addat illi differentiam omnino accidentalem, & extraneam; & comparatur ad illud sicut formale ad materiale (quidquid dicant Zabarella libro de tribus præcognitis cap. 12. & alii) & hoc D modo Musica e. g. quæ agit de numero sonoro, subalternatur Arithmeticæ, quę agit de numero, respectu cuius, sonus, siue sonoreitas est differentia omnino accidentalis, & extrinseca. Ad constituendam verò scientiam subalternatam hoc modo, non sufficit quæcunque differentia accidentalis addita obiecto superioris; aliàs in infinitum multiplicarentur scientiæ subalternatæ, & daretur scientia de numero colorato, &c. sed requiritur, quòd differentia illa accidentalis, sit talis naturæ, vt ex coniunctione ad obiectum superioris scientiæ habeat speciales passiones, siue proprietates, quæ possint de ipsa demonstrari; & consequenter constituere speciale genus scibilis; vt patet in exemplo adducto: sonus enim sic est materia accidentalis, & extranea respectu numeri, vt tamen ex coniunctione ad ipsum resultent in sonis speciales passiones, nempe consonantiæ, quæ neque oriuntur à sonis secundùm se, neque à numero secundùm se, sed à nume-

numero applicato sonis, seu à sonis, vt habentibus in se numerum.

Quo igitur supposito; Prima Sententia docet, non esse necessariam talem continentiam obiecti; sed sufficere, quòd vna scientia ordinetur ad aliam per hoc quòd finis eius referatur in finem illius; ita Durandus quæst. 7. prologi n. 11. quem referunt Mastr. & Bell. disp. 12. quæst. 4.

Secunda verò Sententia docet ad veram, & rigorosam subalternationem sufficere continentiam essentialem obiecti, dummodò principia subalternatæ demonstrētur, vel saltem sint euidentia in subalternante. Ita aliqui, quorum meminit Suarez disp. 1. Met. sect. 5. n. 45. & Soncinas etiam hoc docuit 4. Metaphys. quæst. 9. vt referunt Mastrius, & Bell. loco citato art. 1.

Tertia tandem sententia docet ad veram, perfectam, & rigorosam subalternationem scientiarum necessariò requiri continentiam accidentalem obiecti subalternatæ, ab obiecto subalternantis; ita vt obiectum subalternatæ contrahat obiectum subalternantis per differentiam accidentalem habentem ex coniunctione ad tale obiectum subalternantis, speciales passiones demonstrabiles: ita Aristoteles hic cap. 10. & D. Tho. ibidem lect. 25. & ferè omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd licèt ex Philosopho hic cap. 10. & 30. obiectum subalternantis scientiæ propter continentiam, quam habet obiecti subalternatæ, & subordinationem istius ad illud, debeat esse aliquo modo idem cum eo; nihilominùs impossibile est, vt sit omnino eadem cum ipso: nam cùm obiectum subalternatæ contineatur sub obiecto subalternantis, & quod continetur sub alio, sit contractius, & limitatius illo; idem simul esset continens, & contentum, limitatius, & illimitatius; quod repugnat: quoniam non est necesse vt scientiæ considerent omnes rationes, quæ possunt reperiri in suo obiecto, vel fundari in eo etiam materialiter sumpto, & considerato; aliter enim nulla esset scientia perfecta intra propriam speciem, cùm nulla sit quæ tales rationes consideret; sed sufficit, quòd eas considerent, quæ sunt intra proprios limites, & continentur sub ratione formali sui obiecti: ex quo apparet obiectum formale scientiæ subalternatæ, semper debere esse contractius, & limitatius obiecto scientiæ subalternantis, quod respectu scientiæ subalternatæ tantùm se habet, de materiali, & de connotato.

Notandum secundò; quòd obiectum, & differentia accidentalis illi superaddita in subalternatione scientiarum possunt tripliciter sumi. Primò ita ut vtrunque in recto, & æquè constituant aliquod tertium; & hoc modo ad nullam pertinent scientiam, quia non faciunt vnum per se. Secundò itaut vnum sit per se consideratum, aliud verò per accidens, & neque taliter videatur spectare ad scientiam quamuis subalternatam, cùm talis scientia vtrunque consideret per se; aliter enim posset dari scientia subalternata absque eo, quod est per accidens, quia quod est per se potest dari absque eo quod est per accidens; quod tamen impossibile est in scientia subalternata, vt patet. Tertiò tandem possunt accipi, quatenus vnum est de ratione alterius non in recto, sed in obliquo; & hoc modo possunt à scientia considerari, quod tali exemplo manifestari potest; nam sonus secundùm se, vt præscin-

A dit ab harmonia, spectat ad Philosophiam sicut numerus secundùm se ad Arithmeticam; at si consideretur sonus in ordine, ad harmoniam, & concentum, tali modo dependet à numero, qui se habet vt principium, & radix talis concentus, & in hoc sensu vtrunque consideratur à Musica; quo pacto obiectum subalternatæ, scilicet Musicæ, est vnum per se, quia vnum per se in recto considerat, nempe sonum harmonicum, licèt ad numerum in obliquo, vt principium, causam, & radicem soni harmonici, etiam attendat: & hoc pacto vtique possunt formari de ipso propositiones per se, & passiones demonstrari: nam sicut linea, vt est principium superficiei ponitur in obliquo in definitione eius essentiali (superficies enim est quantitas continuata lineis) & propterea talis prædicatio reducitur ad primum modum dicendi per se, &
B consequenter est necessaria: sic numerus vt est principium sonori, & similiter proportiones, vt sunt principia consonantiarum ponuntur in definitionibus earum, ac proinde non contingenter, sed necessariò prædicantur de illis in primo modo dicendi per se.

Dicendum est ergo primò; quòd subalternatio scientiarum, quæ habetur præcisè ratione finis, est imperfecta, & incompleta.

Probatur; nam quòd finis vnius scientiæ ordinetur ad finem alterius, siue obiectum vnius aliquo modo referatur ad obiectum alterius, non importat tantam subordinationem, quantam importat, quando obiectum vnius est sub obiecto alterius; tunc enim obiectum inferioris est aliquo modo obiectum superioris, & principia eius deriuantur à principiis superioris;
C quod non contingit, quando est solùm subordinatio ex parte finis: ergo subalternatio scientiarum ex parte finis præcisè, est imperfecta, & incompleta: vnde per hunc modum subalternationis, dicitur potiùs vna scientia, aut ars, alteri deseruire, quàm subalternari, vt se habet Prænefactoria respectu Equæstris.

Dicendum est secundò, quòd subalternatio scientiarum, quæ tantùm est ratione subalternationis principiorum, pariter imperfecta est, & incompleta.

Probatur; nam hæc subalternatio, ratione principiorum præcisè considerata, indicat tantummodò scientias esse connexas, ac se inuicem iuuare: & sic vna perfectior, etiam potest ab imperfectiori dependere, vt Theologia in materia de vitiis, & virtutibus, supponit multa probata in Philosophia morali,
D & ab illa mutuantur multa principia: ergo subalternatio, ratione principiorum tantùm, est etiam imperfecta, & incompleta; maximè cùm sit impossibile in scientiis, vt omnia principia vnius dependeant ab alia, nisi adsit etiam subalternatio ex parte obiecti.

Dicendum est tertiò, quòd licèt scientiæ, quarum obiectum essentialiter continetur sub obiecto alterius, vt sunt cæteræ respectu Metaphysices, possint impropriè, & secundùm quid appellari subalternatæ propria tamen subalternatio solùm inuenitur, quando obiectum vnius scientiæ continetur accidentaliter sub obiecto alterius, modo tamen superiùs explicato.

Probatur pars prima; quoniam si sufficeret talis continentia essentialis obiecti: scientia subalternata non dependeret à subalternante, nec esset quid distinctum ab ea; sed hoc est falsum; ergo, &c. Maior liquet; etenim non dependeret, quia haberet propria principia immediata, & per se nota, absque eo, quòd à sub-

à subalternante reciperet; quia passiones de illo obiecto demonstrabiles adæquatè dependerent ab illo, cum tali differentia essentiali, vt patet in scientia de homine, quæ habet propria principia immediata, non autem probata in alia scientia: risibilitas enim adæquatè, & primò ab hominis quidditate fluit. Item non esset scientia distincta à subalternante, quia scientia de specie non distinguitur à scientia de genere, sed vnam totalem constituit, vt patet in scientia e. g. de demonstratione, quæ non distinguitur à Logica, sed vnam logicam totalem integrat cum scientia de syllogismo, &c. Minor autem sic probatur; Quia illa scientia dicitur propriè, & in rigore subalternata, quæ ita intrinsecè dependet ab alia scilicet à subalternante, vt si illi non subalternaretur, non esset scientia, neque haberet vim ad probandas suas conclusiones; vnde etiam prouenit, quòd accipiat à subalternante, tanquam ab aliquo à se distincto, principia per quæ procedat ad tales conclusiones cognoscendas: ergo falsum est, quòd non dependeat à subalternante, tanquam ab aliquo à se distincto.

Probatur secunda pars; nimirùm quòd vera, & rigorosa subalternatio consistat in illa continentia accidentali superiùs explicata. Tum quia scientia, cuius obiectum addit differentiam omnino accidentalem, pendet à superiori scientia in ipsa ratione formali sub qua obiecti, quæ ratio, vt dictum est suprà, sunt prima principia per quæ procedit, ac proinde propriè illuminatur à superiori: ergo talis scientia propriè, & in rigore erit subalternata, cùm de ratione talis scientiæ non sit subordinari proximè, & per se habitui principiorum, sed alteri scientiæ, vt dictum est. Tum etiam, quia scientia propriè subalternata tantùm demonstrat de suo obiecto quid est; propter quid autem pertinet ad scientiam subalternantem; sed hoc tantùm verificatur in scientijs, quarum obiecta addunt differentiam accidentalem: ergo, &c. Maior est expressa Aristotelis hic cap. 10. satisque ex dictis disp. 37. quæst. 4. not. 2. liquet. Minor verò patet inductione. Nam de Logica, Philosophia, Arithmetica, &c. quæ continentur sub Metaphysica, absurdum esset dicere quòd non demonstrant propter quid; sed tantùm *quia*; & tamen id necessariò asserendum est de Musica, Perspectiua, Machinatiua, & aliis huiusmodi, quarum obiecta addunt differentiam accidentalem: ergo, &c.

Obijcitur in oppositum primæ conclusionis; Nam subalternatio scientiarum est subordinatio vnius scientiæ sub alia, vt communiter docent Philosophi, & constat ex etymologia nominis: sed quando vna scientia ordinatur ad aliam, per hoc quòd finis eius referatur in finem illius, est subordinatio, seu ordinatio vnius scientiæ sub alia vt patet: ergo subalternatio scientiarum consistit in hoc, quòd vna ordinetur ad aliam.

Respondetur, quòd datur quidem subalternatio ex parte finis præcisè, quam non negamus; sed est valdè imperfecta, vt dictum est.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis. Quoniam Theologia in sententia probabili Thomistarum est subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, sed eius subalternatio in hoc præcisè consistit, quòd eius principia sint euidentia in scientia Dei, & Beatorum, vt consideranti patet (habet enim idem obiectũ) ergo subalternatio scientiarum nõ consistit in A hoc, quòd principia vnius demonstrentur, vel saltèm sint euidentia in alia.

Respondetur, quòd Theologia nostra non solùm subordinatur scientiæ Dei, & Beatorum ratione principiorum, verùm etiam ratione obiecti: obiectum enim illius, scilicet Deitas consideratur ex additione ad obiectum Theologiæ Dei, & Beatorum per hoc, quod consideratur, vt sub est reuelationi obscuræ, siue non claræ; quando vt obiectum ipsius scientiæ diuinę, & Beatorũ cõsiderabatur, quatenus clarè visũ, siue sub lumine gloriæ. Quarè argmentum ad summum probat prædictam subalternationem esse imperfectam, cùm non habeat totum suum complementum requisitum.

Obiicitur tandem in oppositum tertię conclusionis. B Quoniam Theologia nostra addit supra obiectum scientiæ Dei, & Beatorum, cui subalternatur, reuelationem obscuram ad modum differentiæ, vt nuper dictum est; sed Deus petit ab intrinseco sic reuelari, cùm lucem inhabitet inaccessibilem: ergo differentia, quam addit scientia subalternata supra obiectum subalternantis, non est accidentalis, sed essentialis.

Respondetur quòd illa reuelatio obscura est merè accidentalis respectu Dei; nam in cælo reuelatur clarè: dicitur tamen inhabitare lucem inaccessibilem respectu viatorum, qui ambulant in fide.

QVÆSTIO II.

C

Vtrùm Principia Scientiæ subalternatæ sint conclusiones propter quid demonstratæ à scientia subalternante.

QVæstio hæc sub aliis verbis, licèt eundem retineat sensum ab aliquibus tractari solet; nimirùm An subalternata inter suos limites tantùm demonstret *Quia*; subalternans verò propter quid: Nam hoc ipso, quòd subalternata tantùm demonstret *Quia*, in idem redit, quòd eius principia per quæ procedit D sint extra proprios limites, & consequenter conclusiones propter quid demonstratæ à subalternante; nam si non essent conclusiones prædicto modo à subalternante demonstratæ, iam essent prima principia intrà proprios limites; atque ita non tantùm *Quia*, verùm etiam propter quid, subalternata demonstraret. Placuit tamen nobis non sub posteriori, sed sub priori eam examinare titulo vtpote vniuersaliori, ac tertiæ conditioni rigorosæ subalternationis, de qua in præsenti tantùm est sermo, magis congruente.

Supponendum tamen videtur, ne in ipso statim limine offendamus, quòd dum quærimus, an principia subalternatæ sint conclusiones propter quid demonstratæ à subalternante; non loquimur absolutè, ita vt indispensabiliter hoc illis conuenire debeat; sed ex suppositione, quòd demonstrabilia sint, atque ex alio inferantur: nam si natura sua essent indemonstrabilia, atque ex alio nequirent formaliter, aut saltem virtualiter

liter inferri; hoc illis omnino repugnaret, vt patet, & tunc satis esset ad hoc vt dicerentur subalternata, quòd clariora, & euidentiora in subalternante, quàm in subalternata apparerent scientia. Patet hoc manifestissimè in aliquibus nostræ Theologiæ principijs, quæ ex his, quæ dici solent suo loco, subalternatur scientiæ Dei, ac Theologiæ Beatorũ vt e.g. quòd Deus sit vnus, quòd sit trinus, quòd sit suum esse, &c. nam cùm Theologia Dei, ac Beatorum non sit illatiua, & discursiua, & talia principia non habeant causam etiam virtualem vt patet, non erunt vtique conclusiones illius propter quid demonstratæ; sed tantùm quid clarius, & euidentius in subalternante, quàm in subalternata; vt fides docet ex illo Pauli 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Quo igitur supposito: Prima sententia docet principia subalternatæ non esse conclusiones propter quid demonstratas à scientia subalternante, cùm ipsa subalternata optimè possit demonstrare propter quid illorum intra latitudinem propriam. Ita Scotus, & Venetus hic cap. 10. & B. Albertus Magnus tract. 2. de vsu principiorum cap. 7.

Secunda verò sententia, è contrà docet talia principia esse conclusiones propter quid demonstratas à subalternante, cùm subalternata tantùm intra proprios limites demonstret *Quia*. Ita Philosophus hic cap. 10. vbi asserit demonstrationem *Quia*, tunc fieri, quando propter quid spectat ad diuersam scientiam, vt explicatum est suprà disp. 37. quæst. 4. & cum eodem ferè omnes Doctores.

Notandũ tamen est ex Scoto in Prologo sub quæst. 3. quæst. 5. laterali, quòd vbi definit subalternans, ibi incipere debet subalternata. Quare formalis ratio subalternationis nil aliud videtur esse, quàm continuatio inferioris scientiæ cum superiori. Continuationum autem prædictarum est medium scientiæ superioris, seu subalternantis, vt coniunctum in præmissis cum extremitatibus, ex quibus componuntur principia scientiæ inferioris, seu subalternatæ: nam extremitates inter se coniunguntur in conclusione ratione medii cum quo coniunguntur in præmissis, seu principiis. Exemplificatur hoc totum in hac demonstratione Perspectiuæ, quæ est scientia subalternata Geometriæ, nempe, Quæ minorem habent angulum apparent minora: sed res à longè visæ minorem habent angulum: ergo apparent minores. Vbi vt cernitur per consequentiam illam Perspectiuæ, *ergo apparent minores*, continuantur ratione illius medii, nempe, *Quæ habent minorem angulum*, ea principia, quæ sunt conclusiones quædam demonstratæ in Geometria per propriam, & adæquatam causam, vt cùm dicitur; illa seu illæ lineæ, quæ longiùs protrahuntur, minorem habent angulum; sed res à longè visæ videntur per lineas longiùs protractas: ergo minorem habent angulum. Cùm autem medium in demonstratione propter quid debeat esse causa conclusionis; dubio procul subalternata scientia, scilicet Perspectiua, cuius est illa conclusio, nequibit demonstrare per causam, & propter quid intra proprios limites, cùm medium illud, & principium secundùm se sint scientiæ subalternantis, scilicet Geometriæ, & ab ipsa tantùm propter quid possint demonstrari vt exemplificatum est. Ex quibus profectò communiter dici solet, scien-A tias subalternatas quodammodò descendere de genere in genus, hoc est non simpliciter, itaut omnes termini, qui in ipsis ponuntur in recto, sint diuersorum prædicamentorum; sed secundùm quid, & ex parte, vt inquit Philosophus cap. 7. huius libri, ita vt tantùm illi termini, qui in obliquo considerantur pertineant ad diuersa prædicamenta.

Dicendum est ergo, quòd principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones propter quid demonstratæ à scientia subalternante.

Probatur primo inductione: Nam hoc principium Medicinæ e.g. Contraria contrariis curantur, est conclusio Physicæ, cui Medicina subalternatur: nam probantur hoc medio, scilicet contraria se mutuò expellunt ab eodem subiecto; propterea dicitur, quòd vbi definit Physicus ibi incipit Medicus, & sic de alijs: B ergo principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis, &c. Antecedens autem ex professò explicatur in Physicis.

Probatur secundò. Quia principia subalternatæ scientiæ debent esse euidentia in subalternante intra proprios limites: sed non possunt esse prædicto modo euidentia, nisi sint conclusiones eius propter quid demonstratæ: ergo principia scientiæ subalternatæ, &c. Maior patet, ac in sequentibus magis, ac magis patebit; quia subalternata credit omnino principijs subalternantis, tanquam certissimis, & euidentissimis; & hoc scilicet modo ab ea illa recipit. Minor verò probatur; etenim solæ conclusiones alicuius scientiæ dicuntur euidentes, & propter quid demonstratæ: principia enim euidentia sunt per habitum primorum C principiorum; ergo si principia subalternatæ euidentia esse debent intra proprios limites scientiæ subalternantis, non poterunt non esse conclusiones illius propter quid demonstratæ.

Obiicitur in oppositum primò; nam si staret conclusio, sola scientia subalternans demonstraret à priori conclusiones scientiæ subalternatæ: consequens est falsum: ergo &c. Probatur falsitas consequentis; nam Antec. non indiget probatione, cùm debeat admitti; quia in tali casu solus Arithmeticus diceretur Musicus & solus Geometra, Perspectiuus: quod patet esse falsum. Probatur autem talis sequela: quia sciens, & scientia demonstrationem accipiunt à conclusionibus, quas demonstrant, cùm in eis consistat vera, & propria ratio scientiæ: ergo sicut dicitur Philosophus D qui scit demonstrare conclusiones Philosophiæ; ita dicetur Perspectiuus, qui scit demonstrare conclusiones Perspectiuæ; præsertim si à nullo alio demonstrentur, sed ab eo solo.

Respondetur, quòd ad hoc vt aliquis dicatur Musicus, & Perspectiuus, non sufficit quòd tantùm demonstret propter quid conclusionis Musicæ, & Perspectiuæ, sed insuper requiritur, vt easdem demonstret intra suos proprios limites, hoc est intra latitudinem suorum propriorum obiectorum formalium, de quibus fiunt. Cùm igitur nec Arithmeticus, nec Geometra demonstrent conclusiones Musicæ, & Perspectiuę intra latitudinem suorum propriorum obiectorum, de quibus fiunt (abstrahunt enim prædicti scientifici à materia sensibili; Musica verò, & Perspectiua nequaquam) hinc est, quòd Arithmeticus non appellatur Musicus, nec Geometra Perspectiuus.

Obijcitur secundò; quia subalternantis conclusiones

nes abstrahunt à materia e. g. sensibili, vt patet in Geometria, quam materiam, Perspectiua illi subordinata concernit, & sic de cæteris: ergo principia subalternatæ nequeunt esse conclusiones subalternantis. Consequentia patet: quoniam principia alicuius scientiæ debent esse in eadem abstractione à materia, à qua abstrahit prædicta scientia; cùm igitur subalternata abstrahat à materia sensibili, eius principia nequibunt esse conclusiones Geometriæ.

Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt conclusiones Geometriç abstrahant secundùm se, à materia sensibili; attamen vt contractæ, & applicatæ materiæ sensibili, & secundùm id, quòd in eis consideratur in recto, sunt in eadem abstractione illius conclusionis, cui deseruiunt vt principia. Quare si deseruiant vt principia hoc modo contractæ, conclusiones e. g. Perspectiuæ, erunt in eadem abstractione cum illa, non autem cum Geometria, cuius secundùm se, & non vt contractæ, sunt conclusiones.

Obijcitur tandem tertiò: Quia si principia inferioris scientiæ essent conclusiones superioris, sequeretur quòd non essent distinctæ scientiæ inferior, & superior, sed eandem prorsus efficerent; hoc non est dicendum: ergo, &c. Probatur sequela; nam conclusiones ad eam scientiam pertinent, in qua demonstrantur: sed principia inferioris, sunt conclusiones demonstratæ à superiori: ergo ad hanc pertinebunt, & non efficient scientiam subalternatam distinctam.

Respondetur negando sequelam, ad cuius probationem dicendum est, quòd conclusiones subalternantis, quando per contractionem ad materiam extraneam fiunt principia scientiæ subalternatæ, licèt secundùm se pertineant ad scientiam subalternantem, in qua demonstrantur à priori; attamen vtsic applicatæ in ratione principiorum spectant ad subalternatam, cùm sint sub eadem abstractione cum illa. Vnde ex superiùs dictis in antecedenti disputatione optimè saluatur distinctio generica inter eas.

QVÆSTIO III.

Vtrùm scientia subalternata sit verè scientia etiam in eo, qui non habet subalternantem.

QVæstio hæc supponit cum omnibus Philosophis ex dictis in antecedentibus quæstionibus Scientiam subalternatam in eo, qui simul habet subalternantem verè, & propriè esse scientiam, cùm acquiratur per veram demonstrationem; & licèt primo aspectu videatur esse de ente per accidens, & descendere de genere in genus, attamen re vera, hæc si rectè perpendantur, in ea non habent locum: etenim numerus, & sonus e. g. in Musica non considerantur secundùm se, quatenus alter ad quantitatem, alter verò ad qualitatem spectat; sed quatenus vnus est principium alterius, eoque terminatur, vt diximus de linea, quæ licèt secundùm se sit diuersæ speciei à superficie; attamen vt est principium latitudinis, eiusque terminus, idem est, ac superficies ipsa, estò in obliquo significetur. Quare simpliciter, & propriè in ea non descenditur de genere in genus, cùm numerus non consideretur secundùm se, nec cum sonoro faciat propositionem contingentem, vt euenit in Logica vtente, (quando applicat secundas intentiones ad ens reale; sed tantùm secundùm quid, & ex parte, ratione scilicet numeri considerati secundùm se; vt dictum est suprà; nam simpliciter vt sonorus est, spectat ad tertiam speciem qualitatis, nempe ad passibilem qualitatem.

Vnde solùm est difficultas in eo, qui non habet scientiam subalternantem; An scilicet Musicus non habens Arithmeticam, sed procedens ex principiis eius per fidem à Magistro acceptis, habeat veram scientiam Musicæ.

Prima Sententia est negatiua, quæ defenditur à Scoto quæst. 3. Prologi, & in 3 dist. 24. §. *Ad primum pro prima opinione*. Aureolo, Gregorio, Gabriele, Durando, Argentina in prologo. Vasq. 1. parte disp. 4. cap. 5. & 6. Valentia disp. 1. quæst. 1. puncto 3. Molina ibidem quæst. 1. art. 2. Soncin. 4. Met. quæst. 9. Suarez disp. 1. Metaphys. sect. 5. Conimbric. Morisano, Blanco, Auersa, Amico, Ruuio hic, atque Mastrio, & Belluto disp. 12. quæst. 4. art. 2. & alijs.

Secunda verò sententia est affirmatiua, licèt doceat subalternatam absque subalternante non habere perfectionem, & statum scientiæ vsque dum actu illi coniungatur. Ita S. Tho. p. p. quæst. 1. art. 1. & quæst. 14. de Veritate art. 9. ad tertium. Caietanus cap. 13. huius libri; & p. p. quæst. 1. art. 2. Nazarius ibidem controu. 1. Zumel quæst. 2. Nauarrete controu. 4. Arauxo lib. 1. Metaph. quæst. 69. art. 6. & quæst. 4. art. 1. Flandria ibidem quæst. 8. art. 4. & lib. 4. quæst. 1. art. 1. Zanardus lib. 6. quæst. 7. Sotus hic quæst. 5. Sanch. lib. 7. quæst. 12. Complut. disp. 19. quæst. 3. atque alii non pauci.

Notandum est idcirco primò, quòd credere fide humana aliquid ita esse, stat dupliciter, vel scilicèt cum hæsitatione, & formidine, vt quando credimus esse Phœnicem; nam quamuis eam existere aliqui afferant, non tamen omnes, vel absque hæsitatione, & formidine, & cum quadam quasi euidentia, vt quando credimus Romam esse, quia id omnes afferunt, vnde habetur aliqua quasi euidentia in attestante. Primo modo acquiritur opinio, secundo verò modo scientia. Ex quo fit vt bene notat Nazarius loco citato, quòd talis fides simpliciter non est humana, quia non est in ordine ad hominem, vt homo est, sed vt scientificus est: nam in tantùm aliquid attestanti credimus, in quantùm credimus ipsum scire, & de illo habere euidentiam.

Notandum est secundò; quòd dicta fides non concurrit ad efficiendum habitum scientificum quasi per se, & in virtute propria, sed quasi per accidens, seu per aliud, nimirum in virtute scientiæ subalternantis concurrendo loco illius (hæc enim est per se habitus principiorum subalternatæ) eo modo quo in Theologia nostra, fides diuina substituitur loco luminis Gloriæ, quod est proprius, & per se habitus principiorum ipsius. Quapropter Scientia à tali fide producta, erit

erit quidem propter certitudinem substantialiter scientia, estò non possit habere perfectionem, & statum scientiæ, vsque dum actu coniungatur illi; eodem modo, quo suprà disp. 37. quæst. 10. diximus de demonstratione *Quia*, quæ parit scientiam per modum dispositionis, & imperfectè; non autem per modum habitus, & perfectè; sicut demonstratio propter quid.

Dicendum est ergo, quòd scientia subalternata absque subalternante est substantialiter scientia, licèt imperfecta.

Probatur primò; Quoniam ratio substantialis scientiæ per se primò solùm attenditur penes certitudinem, qua intellectus adhæret scibili, neque requiritur, quòd actu habeat eius euidentiam, sed satis est quòd ex natura sua postulet illam, & habeat quando est in statu perfecto: sed totum hoc habet scientia subalternata absque subalternante: ergo est substantialiter scientia licèt sub statu imperfecto, vsque dum habeat prædictum actum euidentiæ, quando scilicet coniungitur subalternanti. Consequentia bene deducitur. Minor patet ex eo, quòd fides humana potest pertingere vsque ad certitudinem, quæ excludat omnem hæsitationem, vt dictum est supra de eo, qui credit Romam esse. Maior autem præterquam constat in Theologia nostra, in qua cum sola certitudine absque actuali euidentia saluatur ratio scientiæ iuxta communiorem Theologorum sententiam; probatur tamen hoc modo. Quia euidentia, & claritas datur propter certitudinem, in quam primò, & principaliter tendunt intellectus, & habitus eius: ergo ratio substantialis scientiæ attendenda est penes certitudinem, cum aptitudine tamen ad euidentiam, quando est in statu perfecto.

Duobus modis conantur impugnare prædictam rationem Mastr. & Bell. loco citato; Primo quidem probando falsum esse, euidentiam non esse de intrinseca, & essentiali ratione scientiæ. Tum quia claritas in cognitione, non solum exigitur propter certitudinem, sed propter seipsam, quia est intrinseca perfectio cognitionis; vnde intrinsecè perfectior est cognitio clara, quàm obscura, quamuis vtraque certa; quod non esset verum; si esset tantùm accidentalis conditio; quod enim est de per accidens, non distinguitur essentialiter; at euidētia essentialiter facit distinguere scientiam à fide. Tum quia hæc certitudo non excedit limites fidei, quantumuis maxima: ergo non poterit causare certitudinem scientificam, ad quam aliquid plus requiritur. Tandem si cognitio conclusionis subalternæ erit scientia, dummodò ipsarum principia apprehendantur vt vera; idem de qualibet scientia dici poterit, scilicet quòd si principia alicuius conclusionis credantur sine formidine, cognitio conclusionis erit scientifica; non ergo peculiariter de subalterna hoc esset asserendum.

Respondetur & primò ad primam rationem, euidentiam duplicem esse, radicalem scilicet, & actualem. Prima quidem est intrinseca perfectio cognitionis scientificæ, quæ facit distinguere essentialiter scientiam à fide, quæ nunquam postulat ex sui natura euidentiam; sicut ipsam postulat scientia, quando est sub statu perfecto: minimè verò secunda, quæ tantùm est perfectio accidentalis, scilicet illi competens non secundùm se, & vt scientia est, sed quatenus est

A sub statu perfecto; & de hac tantùm intelligitur, dum in adducta ratione statuitur non attendi per se primò in ratione substantiali scientiæ, sed tantùm propter certitudinem. Ad secundam verò rationem dicendum est, certitudinem hanc, scilicet prout de suo intrinseco conceptu includit radicalem euidentiam, excedere limites fidei, quæ de suo intrinseco conceptu non includit talem euidentiam radicalem, quinimo omnino illam excludit, cùm ex natura sua nunquam postules, etiam in statu perfectissimo euidentiam. Quare optimè poterit talis certitudo causare certitudinem scientificam. Ad tertiam tandem rationem respondetur concedendo sequelam; dummodò talis scientia non sit sub statu perfecto, & se habeat per modum habitus; sed sub statu imperfecto, & se habeat per modum dispositionis, & talia principia habeant radica-

B lem saltem euidentiam spectantem ad habitum principiorum.

Secundo verò modo impugnant prædicti Auctores nostram rationem probando talem euidentiam radicalem non esse admittendam. Tum quia cognitio principiorum in casu nostro etiam radicaliter considerata non habet certitudinem, & euidentiam scientificam, quia spectat ad fidem: ergo non poterit causare notitiam conclusionis secundùm substantiam, certam, & euidentem; nam effectus non excedit suam causam in perfectione: conclusio enim est effectus principiorum. Tum quia quælibet vera opinio esset secundùm substantiam scientifica, quia licèt non probet per propria, & euidentia principia, ex se tamen esset demonstrabilis; nam proprias causas habet à

C parte rei, quamuis ignorentur. Tum quia sicut non datur cognitio aliqua, quæ sit radicaliter certa, & non actualiter, quia statim ac non est actualiter certa, est essentialiter, dubia, & opinio; ita neque dabilis est cognitio radicaliter euidens, & non actualiter. Paritas patet, quia non minùs certitudo est essentialis differentia cognitionis, quàm euidentia. Tandem sequitur, quòd cùm principia subalternatæ ex se sint resolubilia in principia subalternantis, quamuis non habens subalternantem actu non cognoscat illa, scientifica cognitione formaliter, cognoscet tamen cognitione scientifica radicaliter; immo notitia cuiuslibet conclusionis quamuis non habeatur per premissas, posset adhuc dici scientia radicaliter, quia est taliter illa conclusio cognoscibilis.

D Respondetur tamen, & primò ad primam rationem, negando consequentiam; nam licèt cognitio principiorum in scientia subalternata absque subalternante non habeat certitudinem, & euidentiam scientificam, non solùm formalem, & actualem, verùm etiam radicalem; quia non est circa conclusiones, circa quas tantùm debet esse cognitio scientifica: habet tamen certitudinem, & radicalem saltem euidentiam intelligentiæ; cùm prima principia non per habitum scientificum, sed per habitum primorum principiorum, qui dicitur intelligentia, vt videbitur suo loco, cognoscantur. Quapropter conclusiones ex illis illatæ, tanquàm effectus à suis causis, non excedent in perfectione talia principia, cùm certior, & euidentior sit habitus primorum principiorum, seu intelligentia, quàm habitus conclusionum, siue scientia: conclusionibus enim assentimur propter principia; & propter quod vnumquodque tale, & illud magis;

Quòd autem prædicta cognitio primorum principiorum subalternatæ spectet ad fidem, non arguit obscuritatem, quoniam talis fides non concurrit per se, seu ratione obscuritatis, quam importat, sed per accidens, hoc est loco scientiæ subalternantis, de cuius ratione est importare euidentiam, & claritatem; cui licèt in tali casu non coniungatur, attamen quia ex natura sua illi petit coniungi, quando scilicet est sub statu perfecto, hinc est, quòd non importat euidentiam actualem, sed tantùm radicalem, quam pariter communicat cognitioni scientificæ conclusionum, vt causa suis effectibus.

Ad secundam verò rationem respondetur negando sequelam; nam licèt dicta cognitio opinatiua ex se possit demonstrari, & aliquando possit fieri scientifica; hoc tamen non petit ex natura sua, & quatenus opinio est, quinimmò per aduentum demonstrationis, & euidentiæ actualis non perficitur, quemadmodum perficitur scientia per aduentum actualis euidentiæ; sed omninò destruitur, vt dicetur in sequentibus.

Ad tertiam verò rationem negatur antec. nam licèt cognitio illa, cùm sit actio intellectus, qui est potentia naturalis, positis omnibus requisitis non possit per se non reduci ad actum certitudinis, atque ita non esse radicaliter, quin simul sit actualiter certa, vt inquiunt Aduersarij; attamen per accidens, supposito scilicet aliquo impedimento, quemadmodùm supponitur inter euidentiam radicalem, & actualem, potest esse radicaliter certa, absque eo quòd sit actualiter; quemadmodùm contingeret in eo, qui cognosceret inuariabilitatem alicuius rei, quæ inuariabilitas est radix certitudinis, & impediretur ne præstaret illi firmum, & inuariabilem assensum: nam licèt non perueniret ad actum secundum, inclinaret tamen ad illum, & non ad actum oppositum, si perficeretur aliquando sua cognitio. Vnde ad probationem dicendum est, quòd verum quidem est, quòd cognitio quæ statim non est actualiter certa, est essentialiter dubia, & opinio, si actualiter est incerta; minimè verò, si tantùm sit radicaliter certa: nam illa cognitio quæ actualiter non est certa, quia actualiter est incerta, est etiam radicaliter incerta, cùm actus secudus debeat esse eiusdem speciei cum actu primo, atque ideò non potest non esse essentialiter opinio; quod non sequitur de cognitione illa, quæ licèt actualiter non sit certa, tamen radicaliter, & in actu primo habet certitudinem, & inuariabilitatem.

Ad quartam tandem, & vltimam rationem respondetur negando sequelam: nam cognitio illa cùm formaliter non sit cognitio conclusionis, sed principiorum; neque formaliter, neque radicaliter erit cognitio scientifica; cùm talis cognitio scientifica tantùm detur circa conclusiones formaliter, non autem materialiter (hoc est, quæ aliàs possunt esse conclusiones, licèt de facto non sint) consideratas. Vnde ad illud, quod insuper additur, nimirum, quòd non cognoscens conclusiones per principia, seu præmissas, adhuc tamen haberet cognitionem radicalem scientificam de illis, dicendum est hoc fore impossibile, cùm cognitio scientifica tam formalis, siue actualis; quàm radicalis non versetur circa conclusiones materialiter consideratas, sed tantùm formaliter, scilicet vt ex præmissis vel inferuntur, vel iam illatæ sunt, vt dictum est; nam scire non est rem vtcunque

A cognoscere, sed per causas, & principia, vt patet ex dictis.

Probatur secundò conclusio. Quoniam scientia subalternata ex natura sua inclinat ad assensum euidentem, cùm ex se petat coniungi cum subalternante; ergo etiamsi pro statu separationis, & imperfectionis, non possit elicere talem assensum euidentem, non desinet esse verè, & substantialiter scientia; nam ratio scientiæ, & cuiuscunque virtutis non sumitur ex actu, quem habet secundùm statum imperfectionis, sed ex illo ad quem ex natura sua inclinat.

Respondent Mastr. & Bell. loco citato negando consequentiam; quia sicut illa conclusio non est scientifica, quæ de facto non procedit ex præmissis necessariis, & actu in aliqua demonstratione coniungatur cum illis, licèt ad eas dicat ordinem, & inclinaB tionem, vt per eas demonstrari possit; ita subalternata, està inclinet in subalternantem, & cum ea petat coniungi in statu perfecto; separata tamen, & non actu cum illa coniuncta, non poterit esse substantialiter scientia.

Contra tamen; nam actu coniungi cum subalternante non est ratio, & essentia scientiæ subalternatæ formaliter sumptæ; sicut actu coniungi in aliqua demonstratione cum præmissis necessariis est tota ratio, & essentia conclusionis scientificæ formaliter acceptæ; sed est quædam perfectio illi tantùm conueniens in statu perfecto: ergo non currit paritas prædicta de conclusione scientifica, & scientia subalternata. Consequentia patet: Antec. autem probatur; nam aliqua res, non potest dari absque eo quod C est de illius essentia, vt patet; sed absque actuali coniunctione cum subalternante, potest dari scientia subalternata, quia in tali casu habet omne id, quod est, de ratione, & essentià scientiæ subalternatæ, & imperfecto, nempe certitudinem actualem per demonstrationem acquisitam, ut dictum, & probatum est, suprà; secùs verò eueniret in conclusione scientifica absque actuali coniunctione cum præmissis necessarijs in aliqua demonstratione; nam in tali casu non fieret per demonstrationem, quod omnino ei repugnat, cùm scientia sit habitus per demonstrationem acquisitus: ergo actu coniungi cum subalternante, non est ratio formalis, & essentialis subalternatæ; sicut est ratio formalis, & essentialis conclusionis scientificæ actu coniungi cum præmissis necessarijs in aliqua demonD stratione: Essentia enim subalternatæ est, quòd demonstret, & procedat ex principijs, quæ aliàs sint conclusiones scientiæ subalternantis, vt ex professò probatum est suprà.

Obijcitur in oppositum primò; nam Aristoteles cap. 2. huius libri, reddens rationem quare demonstratio debeat procedere ex primis, & immediatis, inquit: *Quia non sciet non habens demonstrationem ipsorum; scire enim non per accidens ea, quorum est demonstratio, nihil aliud est sanè, quàm demonstrationem habere*: hoc est, non potest quis habere scientiam de aliquo, nisi habeat demonstrationem eorum, quorum potest esse demonstratio; quia aliàs non posset resoluere conclusiones vsque ad prima principia: sed carens scientia subalternante, non scit per demonstrationem præmissas subalternatæ, neque potest illas resoluere vsque ad prima principia, vt patet; ergo non habet veram scientiam.

Respon-

Respondetur, Aristotelem per illa verba tantùm docuisse, quòd per se loquendo non contigit aliquem habere scientiam, nisi habeat etiam demonstrationem principiorum, quorum potest esse demonstratio: per accidens tamen non negat id posse contingere, si alia via talia principia certò cognoscantur: atque adeò non temere, sed consultò dixit, *Non per accidens*; & hoc accidit in præsenti; nam conclusio scientiæ subalternatæ per se petit procedere à subalternante; per accidens autem (quia supponitur impedita à coniunctione subalternantis) petit à fide, vt ex dictis patet. Ex quo tamen non sequitur conclusiones scientię subalternatæ non haberi per veram demonstrationem, vt fortasse aliquis putaret: nam licèt earum principia actu non demonstrentur, tamen demonstrantur conclusiones, licèt demonstratione imperfecta, imperfectam producente scientiam propter rationem adductam in argumento. A B

Obiicitur secundò; quia de ratione scientiæ est, quòd sit virtus intellectualis, vt patet 6. Ethic. & consequenter, quòd sit dispositio perfecti ad optimum actum, quæ est definitio virtutis ex 7. Physicorum: sed habitus qui non potest prodire in assensum euidentem conclusionis, non est virtus intellectualis: ergo neque erit scientia. Maior constat. Minor verò probatur, quia optima dispositio intellectus circa conclusionem est illa, quæ proximè disponit ipsum ad euidentem assensum, qui est optimus illius actus: ergo habitus, qui non potest in talem assensum prodire, non est virtus intellectualis.

Respondetur, quòd scientia non habens perfectionem, & statum scientiæ, sicut non tam dicitur habitus, quàm dispositio; sic non tam dicitur virtus intellectualis, quàm inclinatio quædam virtutis; quia quamuis sit substantialiter virtus, deficit tamen illi status, & perfectio virtutis. Et ideò non est necessarium, vt dum est sub tali imperfectione, sit proximè potens elicere optimum actum: sed satis est, si illum ex natura sua possit elicere, & de facto eliciat quando ad statum virtutis, seu ad suæ subalternantis coniunctionem peruenerit. C

Obiicitur tandem tertiò; nam si staret conclusio, sequeretur nostram Theologiam conuenire vniuocè in ratione scientiæ cum alijs scientijs naturalibus; nam si ipsa est verè, & substantialiter scientia, estò subalternata sit Theologiæ Beatorum; nulla potest esse ratio ad negandam conuenientiam vniuocam inter illas: sed hoc est contra id, quod dictum est suprà disp. 38. quæst. 3. ad secundum: ergo vel falsa conclusio, vel falsa responsio. D

Respondetur, Theologiam nostram posse dupliciter considerari, vel scilicet vt scientia, vel vt scientia reuelata est: hoc secundo modo non potest vniuocè conuenire cum scientijs naturalibus, sed adsummùm analogicè; & hinc est, quòd disput. citata quæst. 4. in corollario diximus, eam differre ab illis genere subalterno. At verò vt scientia est conuenit vniuocè sub eodem genere generalissimo scientiæ, propter rationem adductam in argumento. Quare loco citato tantùm locuti sumus de ea, vt scientia reuelata est; quemadmodùm ibidem patere poterit.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA.

De Opinione, & Solertia.



IN ea lece huius primi libri cap. 26. & 27. incipit Aristoteles agere de cæteris habitibus intellectualibus ab scientia; & remissis Sapientia ad Metaphysicam considerationem; Intelligentia seu habitus primorum principiorum ad sequentem librũ; statim tractat de Opinione, & Solertia ostendens in quo ab ipsa scientia differant, & distinguantur, de qua vsque modò disputauerat. Quare, & nos, eiusdem vestigia tenentes, hoc idem in præsenti disputare statuimus.

QVÆSTIO I.

An Formido ita sit de intrinseca, & essentiali ratione Opinionis, vt tantùm per eam à scientia distinguatur.



QVæstio hæc, multa, tanquam certa, & indubitata apud omnes supponit; primum scilicet dari habitum opinatiuum, seu opinionem; quod docuit, & probauit Aristoteles hic cap. 28. tali pacto: nam præter propositiones necessarias dantur etiam contingentes: sed hæ non possunt cognosci per scientiam, vel habitum primorum principiorum, cùm obiecta horum habituum sint propositiones necessariæ, vt ex dictis, & ex dicendis videri poterit: ergo cognoscuntur per alium habitum, qui dicitur opinio.

Supponitur secundò ex eodem Philosopho loco citato, text. 44. *Opinionem esse existimationem, seu assensum immediatæ propositionis, & non necessariæ.* Pro cuius intelligentia addit Philosophus, quòd sicut in propositionibus necessarijs duplex assignatur habitus, vnus qui dicitur intellectus, seu intelligentia, & versatur circa propositiones immediatas; alter qui versatur circa mediatas, & dicitur scientia; ita etiam in propositionibus contingentibus, duplex debet assignari habitus opinionis; unus qui circa immediatas, alter qui circa mediatas propositiones versetur; quia sicut datur status in prædicatis essentialibus, ita & in accidentalibus; & ideò cùm in probatione contingentium mediatarum, non deueniatur ad propositiones neces-

necessarias, quia ex necessario non sequitur contingens; perueniemus vtique ad aliquas contingentes primas, & immediatas, quibus assentiamur ex probabili connexione terminorum, qualis erit hæc, Omnis mater diligit filium; ista enim in serie contingentium ab omnibus acceptatur vt vera. Itaque allata definitio erit tantùm illius opinionis, quæ circa immediatas propositiones, & sine discursu habetur; non autem eius, quæ circa mediatas propositiones, & cum discursu habetur, vt patet.

Ex qua definitione tamen facilè formatur definitio alterius opinionis, quæ correspondet scientiæ, & habetur per discursum, hoc modo; scilicet, *quod est acceptio seu assensus propositionis mediata, & non necessaria*; à quibus si auferantur illæ particulæ *Immediata, & mediata*, remanet essentialis definitio opinionis in communi, prout comprehendit vtramque, scilicet *Acceptio propositionis non necessariæ*, idest existimatio, seu assensus determinatus propositionis, quæ potest aliter se habere. Quare hoc modo solet passim ab auctoribus explicari: hempe quòd sit *Actus intellectus qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius*; dicitur *existimatio, assensus, seu actus intellectus*, vt opinio conueniat cum scientia, & alijs cognitionibus necessariis. Additur autem *determinatus*, siue *in alteram partem contradictionis*, vt excludantur dubium, & suspicio; quia vt inquit D. Tho. secunda secundæ quæst. 2. art. 1. Dubitans in neutram partem declinat, sed manet anceps; suspicans autem, magis declinat in vnam, quàm in aliam, non tamen assentitur illi determinatè; quia tantùm fertur ex leuibus indicijs; at verò opinans assentitur ex fortioribus indiciis, & ideò vni parti determinatæ adhæret, sed *cum formidine alterius*, per quod distinguitur opinio à scientia, & aliis assensibus necessariis; ad quod significandum ponitur illa vltima particula, scilicet *propositionis non necessariæ*: nam eo ipso, quòd opinio versetur circa obiectum, quod potest aliter se habere, non repugnat illi subesse falsum; ac proinde assentitur tali obiecto cum formidine alterius partis, quod non conuenit aliis habitibus necessariis, vt ex se patet.

Quare in dubium tantùm vocatur, an formido prædicta ita sit de intrinseca, & essentiali ratione opinionis, vt per eam tantùm à scientia essentialiter distinguatur.

Prima sententia docet, formidinem non esse de intrinseca, & essentiali ratione opinionis; sed tantùm per accidens interdum aliquam opinionem comitari; nimirum vel ex dispositione recipientis medium, sic non adhærendo firmiter, vel ex æqualitate rationum ad partes opinatas, vel ex aliquo alio accidente. Vnde pariter tenetur docere opinionem, per formidinem tantùm distingui accidentaliter à scientia; pro qua opinione referuntur à Mastr. & Bell. Maior in 3. Sentent. dist. 24. quæst. vnica art. 6. Bassolius quæst. 1. prologi, & quamplures moderni.

Secunda verò sententia è contrà docet formidinem ita esse de essentiali, & intrinseca ratione opinionis, vt per ipsam essentialiter distinguatur à scientia. Ita Philosophus 7. Ethic. cap. 3. & ferè omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd formido, quæ consequitur opinionem, potest prouenire ex duplici capite. Primo, quando propositiones sunt in se, & ab intrinseco contingentes; & tunc repugnat, quòd

A cognoscantur per scientiam, licèt de earum veritate non dubitemus: ratio est, quia formido, quæ ab intrinseco conuenit opinioni, & est necessariò annexa illi, & vocatur formido radicalis, non sumitur ex parte cognoscentis, sed ex parte obiecti contigentis, quod potest aliter esse, ac est, & consequenter aliter esse, ac cognoscitur: vnde semper cognoscitur cum formidine intrinseca, & radicali alterius partis. Secundo verò, quando propositiones licèt sint necessariæ, accipiuntur tamen ab opinante, vt contingentes, quia non penetrat connexionem prædicati cum subiecto; & tunc formido non est ex parte obiecti secundùm se, sed ex parte cognoscentis illud; & hanc frequentiùs vocamus formidinem, & dicitur formido actualis, quæ consistit in quodam metu, si fortè altera pars sit vera; B etsic potest contingere, quod per idem medium vnus habeat scientiam, & alius opinionem; quia vnus agnoscet propositionem vt necessariam, alius verò non.

Notandum secundò, quòd multis modis contingit etiam generari in intellectu opinionem. Primo quidem, quando per medium probabile assentimur conclusioni probabili, siue contingenti; Secundo, quando per medium probabile assentimur conclusioni necessariæ, si nondum habeamus scientiam de illa. Tertio quando assentimur conclusioni necessariæ per medium, quod in rei veritate est contingens, existimamus tamen esse necessarium. Quarto tandem, quando assentimur conclusioni necessariæ per medium necessarium, & cognitum vt necessarium, non tamen certò, & euidenter, sed tantùm probabiliter, & cum formi- C dine; in his enim casibus non potest generari scientia; quia cùm scientia habeat rationem boni, opinio verò rationem mali, illa non consurgit nisi ex integra causa; hæc autem generatur ex quocunque defectu.

Dicendum est ergo; quòd formido ita est de intrinseca, & essentiali ratione Opinionis, vt per ipsam à scientia tantùm, essentialiter distinguatur.

Probatur prima pars, nimirum, quòd formido sit de intrinseca, & essentiali ratione opinionis; nam illud est de intrinseca, & essentiali ratione alicuius rei, sine quo talis res inueniri nequit; sed absque formidine nequit inueniri opinio: ergo, &c. Maior patet. Minor verò probatur; quoniam vbi non potest subesse falsum, siue ratione obiecti siue ex modo tendendi in ipsum, inueniri nequit opinio, cùm sit circa D contingentia, vel secundùm se, vel secundùm quòd accipiuntur à cognoscente, quibus potest subesse falsum, nisi pariter interueniat formido de opposito, vt consideranti patere poterit: ergo absque tali formidine opinio inueniri nequit.

Dicet fortasse aliquis, quòd propositionibus contingentibus immediatis assentimur absque vlla formidine, ac etiam quibusdam historijs. Immo, quidam suis opinionibus ita firmiter adhærent, vt oppositas prorsus falsas existiment; ergo opinio inueniri potest absque formidine.

Respondetur; opinionem quidem inueniri posse aliquando absque formidine actuali, vt probat argumentum, nunquam verò sine formidine radicali, quam dicimus esse de intrinseca, & essentiali ratione illius.

Contra tamen quis instare poterit probando opinionem aliquando etiam reperiri posse absque formidine

dine radicali, & consequenter non esse de illius essentia. Nam quando habetur assensus opinatiuus quarto illo modo, ex notatis secundo loco; idest dum assentimur conclusioni necessariæ per medium necessarium, & cognitum vt necessarium, non tamen certò, & euidenter, sed tantùm probabiliter, & cum formidine; tunc reperitur opinio absque formidine radicali, idest ratione obiecti, & modi tendendi in ipsum considerata, sed tantùm ex parte cognoscentis, vt patet: ergo poterit aliquandò reperiri opinio absque tali radicali formidine; vnde non erit de illius essentia.

Respondetur, quòd licèt in illo casu reperiatur opinio absque formidine radicali formaliter accepta propter rationem adductam in argumento; non autē sine formidine radicali materialiter, & entitatiuè considerata: nam cùm actus sit perfectio potentiæ, non ipsam excludit, sed perficit; vnde semper ipsam importat de materiali, & de connotato. Quapropter non poterit dari formido actualiter sumpta, quin detur formido etiam radicalis, non vt sic, sed vt reducta ad actum.

Probatur secunda pars, nimirum quòd per formidinem essentialiter distinguatur opinio à scientia; quoniam, illud ab alio essentialiter distinguitur, quandò distinguitur per id, per quod constituitur in esse; sed per formidinem prædicto modo explicatam, opinio constituitur in esse: ergo per ipsam essentialiter distinguitur à scientia, quæ constituitur in esse per certitudinem, vt suprà dictum est.

Obijcitur in oppositum primò; quia potest esse opinio de aliqua conclusione necessaria, cùm nimirum proceditur ad eam per medium topicum; sed in tali opinione nequit esse formido; quia talis conclusio nequit esse falsa; ergo formido non est de intrinseca, & essentiali ratione opinionis, vt per eam tantùm distinguatur à scientia.

Respondetur, quòd licèt ex parte conclusionis non possit subesse falsitas, & consequenter nequeat esse formido radicalis; bene tamen ex parte medii Topici, & probabilis, quòd sufficit adhoc, vt detur formido sufficiens ad constituendam opinionem, vt dictum est.

Obijcitur secundò; quia potest augeri opinio non augmentata formidine; multiplicatis enim rationibus probabilibus augetur opinio, & minuitur formido, ac incertitudo: ergo formido non est de intrinseca, & essentiali ratione, &c.

Respondetur, quòd argumentum concludit tantùm de formidine actuali, quæ eò magis minuitur, quò plures afferuntur rationes probabiles; radicalis tamen semper inuariata manet, nec tolli potest per multiplicationem rationum probabilium, sed solùm magis, ac magis impediri, ne exeat in actum.

Obijcitur tandem tertiò; quoniam non minùs est de essentia opinionis formido, quàm determinatio ad alteram partem: nam si talem non haberet determinationem, ampliùs non esset opinio, sed dubium, & suspicio, vt dictum est: sed formido tollit talem determinationem, vt patet: ergo si talis determinatio est de essentia opinionis, non erit prædicta formido; & consequenter per eam non distinguitur essentialiter à scientia.

Respondetur negando minorem, quoniam hoc tantùm facit formido, nimirum, quòd cùm assensus

A determinatus alterius partis non sit cum euidentia, & certitudine, ita assentitur determinatè intellectus parti illi, vt iudicet tamen formaliter, vel virtualiter obiectum illud probabile, posse aliter se habere: vnde propriè formido tollit firmitatem assensus, non autem determinationem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Scientia, & Opinio possint esse simul de eodem obiecto.

B SVpponendum est primò, quòd præsens difficultas non procedit de eadem re incomplexa, seu de eodem subiecto secundùm diuersa prædicata, seu propositiones: nullus enim dubitat, quin de eodem homine e. g. possimus scire quòd sit risibilis, & opinari quòd sit doctus: hoc enim modo est tantùm dari scientia, & opinio de eodem secundùm quid, quia licèt fiat de eodem, non tamen secundùm idem prædicatum. Quare præsens quæstio solùm procedit de re complexa, seu de eadem propositione, siue de eodem subiecto secundùm idem prædicatum simpliciter, & vt sic.

Secundò etiam supponendum est tanquam certum posse esse scientiam, & opinionem in diuersis hominibus, aut etiam in eodem homine pro diuersis temporibus: sæpe enim contingit, quòd eadem propositio ab vno cognoscatur scientificè, & ab alio opinatiuè; aut quòd circa propositionem, de qua nunc habet aliquis opinionem, quia nondùm penetrauit medium necessarium, posteà illo inuento, habeat scientiam. Quare prædicta propositio debet supponi semper necessaria, cùm de contingenti nullo modo possit haberi scientia, quæ solùm versatur in materia necessaria; vnde præsupponi debet probatio per demonstrationem, & per argumentum probabile, quæ sunt media diuersa: implicat enim idem argumentum in se esse demonstrationem, & argumentum tantùm probabile; ac proinde eundem per idem medium posse simul habere scientiam, & opinionem.

D Erit igitur tota difficultas, an idem homo in eodem tempore possit habere scientiam, & opinionem de eadē propositione necessaria per diuersa media. Sed cùm scientia, & opinio sumi possint, vel pro actibus, vel pro habitibus, in vtroque sensu examinanda videtur præsens quæstio.

In primo autem sensu est triplex opinio; & prima quidem affirmat eundem hominem posse per diuersa media, & de eadem propositione necessaria, habere simul actum scientiæ, & actum opinionis. Ita aliqui Nominales cum nonnullis modernis, quos sine nomine referunt Complutenses hic disp. 20. quæst. 4. § 1.

Secunda verò opinio idem docet, non tamen ita absolutè, sed cum hac limitatione nimirum, quòd licèt de potentia, & lege ordinaria hoc fieri nequeat, bene tamen per absolutam Dei potentiam euenire potest. Ita Mastr. & Bell. disp. 14. quæst. 2. §. *Queras* vn

an saltem, &c. qui pro se alios adducunt, licèt non expressè citati Auctores id astruant.

Tertia denique sententia non solùm naturaliter, & regulariter illud totum negat, verùm etiam supernaliter, & per absolutam Dei potentiam. Ita communiter veri Thomistæ, vt referunt Complut. loco citato, & etiam antiquiores Scotistæ, vt testatur Camerarius quæst. 14. & 15. Logicæ.

In secundo verò sensu, est prima opinio affirmans non solùm supernaturaliter, verùm etiam naturaliter, & regulariter de eadem propositione necessaria posse simul esse habitum scientæ, & habitum opinionis; & habitum opinionis cum actu scientiæ. & è contrà. Ita sentiunt Alensis 3. parte, quæst. 75. membro 3. D. Bonau. in 3. dist. 25. quæst. 1. Argentina quæst. 3. prologi, art. 2. Marsilius art. 3. & alii veteres, quos sequuntur recentiores quam plurimi, vt Hurt. disp. 10. de anima sect. 5. Arriaga disput. 6. sect. 6. Amicus tract. 27. Logicæ disp. 2. quæst. 7. dubio 5. Mastr. & Bell. loco citato § *Ex dictis facilè est resoluere, &c.* atque alij.

Secunda sententia, hoc totum negat. Ita Aristoteles hic cap. 26. D. Tho. ibidem, & 2. 2. quæst. 1. art. 5. & 3. p. quæst. 9. Sotus hic cap. 26. quæst. 8. art. 2. concl. 5. Masius ibidem sect. vnica quæst. 5. Sanch. lib. 7. quæst. 13. Complut. loco citato, atque alij permulti.

Notandum est idcirco primò; quòd sicut quando ignis e. g. disponit lignum introducendo in illo calorem aliquem, qui est dispositio vt ibi generetur forma substantialis ignis; talis calor imperfectus deperditur, quando corrumpitur lignum, & subsequitur alius calor perfectus consequens, & concomitans formam substantialem ignis nouiter introductam in materia ligni; quia vt dici solet 1. de Genereatione, non manent in genito eadem numero accidentia, quæ erant in corrupto. Ita quando per aliquod signum, seu medium probabile disponitur intellectus, & introducitur in ipso opinio, quæ est dispositio, & via ad scientiam (qui enim per aliquod signum, seu medium probabile cognoscit aliquam conclusionem proprius accedit ad cognitionem scientificam illius; quam qui nondum assecutus est talem opinionem) talis opinio per aduentum scientiæ deperditur, cùm non ampliùs intellectus assentiatur tali conclusioni cum formidine, & in tali casu per idem medium probabile subsequitur alia perfectior cognitio eiusdem conclusionis consequens habitum scientiæ de nouo acquisitum, quæ tamen cognitio ampliùs non est opinio, quia intellectus iam non iudicat prædicatum contingenter conuenire subiecto, sicut anteà, sed est cognitio quædam perfectior præcedenti, procedens ab ipso habitu scientiæ iam acquisito, quia tamen est per medium probabile non pertingit vt sit cognitio scientifica.

Notandum secundò, quòd ex tradita doctrina optimè possumus inferre, quòd quando, acquisita scientia de aliqua conclusione, insuper cognoscitur eademmet conclusio per medium probabile, non generatur habitus opinionis, sed habitus scientiæ iam acquisitus quodammodò firmatur; non quia re uera intendatur, aut simpliciter fiat maior, sed quia aliquo modo extenditur ad iudicandum de eadem conclusione per signa probabilia; nam ille qui per scientiam

A cognoscit causam, ex hoc magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit syllogismus probabilis. Neque nouum, & inauditum videri debet, actus qui alias producerent habitum opinionis, si non adesset scientia ipsa præsente, non producere illum, sed potiùs quodammodò firmare, & extendere ipsum habitum scientiæ; nam idem videtur proportionabiliter contingere in actibus habituum infusorum e. g. fidei, aut Charitatis, per quos non acquiritur aliquis alius habitus, quemadmodùm deberet acquiri; sed infusus extenditur, & confirmatur, vt valdè probabiliter docet D. Tho. cum suis discipulis prima 2. quæst. 5. art. 4. ad 3. & quæst. 1. de Virtutibus art. 1. ad. 19.

Dicendum est ergo primò, quòd actus scientiæ, &
B actus opinionis neque naturaliter, neque supernaturaliter possunt esse simul in eodem intellectu de eadem propositione.

Probatur prima pars, quòd scilicet naturaliter non possint esse simul: quia assensus, scientificus, & opinatiuus de eadem propositione habent proprietates, & effectus omnino repugnantes, & vnus intrinsecè includit priuationem alterius: ergo saltem naturaliter non possunt esse simul in eodem subiecto, &c. Consequentia patet, quia quæcunque se habent prædicto modo, verè sunt opposita, & vnum destruit aliud. Antec. verò probatur: quia assensus scientificus est iudicium, quo res non potest aliter se habere; opinatiuus verò iudicat eandem posse aliter se habere; ille est, qui determinat intellectum, illumque conuincit circa veritatem; iste verò non conuincit;
C ille est euidens; iste ineuidens: sed euidentia, & ineuidentia, firmitas, & formido, esse conuictum, & non esse conuictum, &c. inter se omnino pugnant, & contradictoriè, seu priuatiuè opponuntur: ergo assensus scientificus, & opinatiuus de eadem propositione habent proprietates, &c.

Respondent Aduersarij, hæc omnia inter se pugnare quidem, si assensus fiat per idem medium; cæterùm quando habentur per diuersa media, nullum esse inconueniens quòd intellectus sit simul certus, & incertus de eadem propositione; seu quòd simul iudicet eam posse aliter se habere formaliter, vt respicit medium contingens, & non posse aliter se habere, vt deducitur ex medio necessariò.

Contra tamen est, tum quia, quando intellectus post
D assensum præmissarum assentitur conclusioni, assentitur ei absolutè sumptæ, & in se ipsa consideratæ; non verò in causa, siue formaliter vt continetur in medio, quia hoc iam factum est in præmissis; immo in hoc consistit tota ars syllogistica, vt intellectus ex eo, quòd videat duo extrema absolutè vniri cum quodam tertio iudicet absolutè eadem vniri inter se: ergo semper in conclusione iudicat intellectus prædicatum absolutè conuenire subiecto; sed impossibile est, quòd de eodem prædicato absolutè sumpto simul iudicet intellectus conuenire contingenter, & non conuenire contingenter eidem subiecto: ergo etiam per diuersa media non potest simul habere assensum opinatiuum, & scientificum: nam affirmatio, & negatio, quæ includuntur in his assensibus, non feruntur in ipsa media, sed in subiectum, de quo affirmatur, & negatur tale prædicatum, & consequenter non obstante diuersitate mediorum, verè datur ibi affirmatio, & negatio eius-

dem

dem de eodem, ac proinde vera oppositio contradictoria.

Tum etiam, quia sequeretur actum fidei, & Visionis posse esse simul, quod est contrà omnes, & implicat: nam eadem res esset visa, & non visa: & tamen si essent simul, essent per diuersa media, vt patet: ergo implicantia, quæ in præsenti reperitur, non desumitur ex mediis, sed ex identitate subiecti, circa quod feruntur.

Tum denique, quia pariter sequeretur ex prædicta responsione posse simul in eodem intellectu de eodem, respectu eiusdem dari assensum scientificum, & erroneum per diuersa media, quod est falsum; nam opponuntur sicut lux, & tenebræ; & ita posito vno destruitur alius. Sequela autem patet; nam opinio intrinsecè est lux adumbrata, siue mista tenebris, quod non potest ab ea auferri nisi destruatur propria ratio opinionis: ergo adueniente assensu scientifico verè corrumpitur opinatiuus: quoniam non minus se habent lux, & tenebræ, quàm assensus scientificus, & erroneus.

Respondent Aduersarii ad istam vltimam rationem negando paritatem de assensu scientifico, & erroneo, ac de assensu scientifico, & opinatiuo; nam assensus scientificus non comparatur ad opinatiuum, sicut lux ad tenebras, quemadmodùm comparatur ad erroneum; sed sicut lumen maius ad lumen minus, quæ quidem possunt esse simul, vt patet de lumine solis, & candelæ, vnde nihil sequitur.

Contra tamen: Quia assensus opinatiuus licèt ex parte perfectionis, quam includit habeat aliqualem rationem luminis, & quodammodò disponat ad scientiam, vt dictum est; tamen ex intrinseca imperfectione sua intimè habet annexam ineuidentiam, & obscuritatem, sicut scientia claritatem: ergo non se habent quoad omnia, sicut lumen maius, & minus; sed verè comparantur tanquam lux, & tenebræ, quod non contingit in adducto exemplo de lumine solis, & candelæ. Patet consequentia, quia lumen candelæ non est intrinsecè obscurum, sed in se est verè lux, quamuis parua, absque vlla mistione tenebrarum, & propterea non pugnat cum lumine solis. Opinio verò intrinsecè est lux adumbrata, seu mista tenebris, quæ non possunt ab ea auferri, nisi destruatur propria ratio opinionis, vt patet: ergo adueniente assensu scientifico, verè corrumpitur opinatiuus, & per consequens non possunt esse simul.

Probatur secunda pars conclusionis; nimirum quòd nec etiam supernaturaliter, & per absolutam Dei potentiam actus scientiæ, & actus opinionis possint esse simul in eodem intellectu de eadem propositione, seu conclusione: quoniam quæ inuoluunt contradictionem nequeunt esse obiectum diuinæ omnipotentiæ, cùm tantùm sit circa possibilia, vt communiter docent Theologi; quæ autem implicant, impossibilia sunt; sed prædicti assensus scientiæ, & opinionis respectu eiusdem propositionis intellectus inuoluunt contradictionem, vt probatum est supra: ergo per absolutam Dei potentiam nequeunt stare simul, &c. Consequentia patet; nam si prædicti actus ob rationem assignatam nequeunt esse obiectum diuinæ omnipotentiæ per eandem diuinam omnipotentiam nequibunt stare simul, cùm non sit circa ea, quæ non habent rationem proprii, & adequati obiecti.

Respondent Mastr. & Bell. distinguendo minorem:

A nam si actus, & assensus opinionis sumatur pro actuali formidine de opposito, & positiua incertitudine de proposito, tunc quidem actus scientiæ, & opinionis includunt contradictionem ad inuicem: si autem sumatur cū præcisione ab actuali formidine de opposito, & negatiua tantùm incertitudine de proposito; tunc actus scientiæ, & actus opinionis optimè saltem supernaturaliter possunt stare simul, & non important contradictionem. Quam doctrinam hoc modo explicant, videlicet, cùm ad probandum hominem esse risibilem assumitur medium necessarium, & probabile, potest intellectus vti probabili dupliciter, vt expressè iudicet ex vi talis medij non esse necessariam connexionem inter subiectum, & prædicatum; vel vt absolutè iudicet ex vi talis medii hominem esse risibilem, abstrahendo à necessaria connexione, vel non necessaria; primo

B modo assensus opinatiuus est positiuè incertus, quia adest iudicium expressum de variabilitate obiecti, & sic est incompossibilis cum scientifico, qui oppositum formaliter iudicat, nempe prædicatum esse necessariò connexum cum subiecto; secundo modo est tantùm negatiuè incertus, quia iudicat tantùm prædicatum esse cum subiecto connexum præscindendo à necessitate, & contingentia connexionis, et sic est cum scientifico compossibilis.

Contra tamen est; Tum quia non potest dari opinio absque formidine, & incertitudine saltem radicali, quam indispensabiliter importare debet incertitudo ipsa negatiua, cum tam formido radicalis, quàm incertitudo pariter radicalis sint de essentia opinionis, vt dictum est suprà: ergo etiam accepta opinione cùm

C præcisione actualis formidinis, & cum incertitudine tantùm negatiua; nihilominùs incompossibilis est cum scientia actuali, quæ de sua intrinseca ratione importat radicalem, & actualem firmitatem, & certitudinem; aliter enim sequerentur duo iudicia repugnantia, vnum scilicet formale ex parte scientiæ, nimirum quòd res nequeat aliter se habere; alterum verò saltem virtuale ex parte opinionis, videlicet quòd aliter se habere non repugnet. Tum etiam quia adhuc non euitarentur omnia contradictoria, quæ inferebantur per nostram rationem; nam per assensum scientificum maneret conuictus intellectus; per opinatiuum verò nequaquam: ergo, &c.

Respondent nihilominùs Mastr. & Bell. & primò ad primam rationem, negando consequentiam; nam

D calor e. g. (inquiunt ipsi) compossibilis est cum siccitate, humiditas verò incompossibilis; & tamen stant simul calor, & humiditas. Iudicium est falsitatis capax, apprehensio incapax, & tamen stant simul in eodem intellectu, & de eodem obiecto; solùm ergo inde deducitur, quòd scientia cum opinione coniuncta impedit formidinem, ne in actum erumpat. Itidem per hoc, quòd opinio dicatur non certa, & scientia certa, talis infertur contradictio, quæ arguat earum incompossibilitatem; quia quælibet forma disparata dicit negationem alterius in hoc sensu; vt albedo negationem dulcedinis, & dulcedo negationem albedinis; & tamen sunt in eodem lacte.

Ad probationem verò consequentiæ, videlicet de illis duobus iudiciis repugnantibus, dicunt; quòd sicut non repugnat in physicis vinum esse formaliter frigidum, & virtualiter calidum: & in moralibus, qui cum aliqua indebita circunstantia elicit actum dilec-

dilectionis Dei, esse formaliter ad Deum conuersum, & virtualiter ab eo auersum; ita non repugnat duo iudicia, quorum vnum dicat formaliter rem ita se habere, & aliud dicat oppositum non formaliter, sed virtualiter tantùm.

Contrà tamen hoc est, quòd Calor de sui intrinseca ratione non importat negationem humiditatis, neque iudicium negationem falsitatis formaliter, vel virtualiter consideratum, sicut scientia de sui ratione formali importat negationem, & priuationem formidinis, tum formaliter, tum virtualiter, & radicaliter consideratæ. Itidem formæ disparatæ, vt albedo, & dulcedo nullam pariter important negationem ad inuicem neganter, & priuatiuè sicut scientia, & opinio, sed tantùm infinitanter, vt patet. Tandem, vinum estò formaliter sit frigidum, & virtualiter calidum, non tamen virtualiter est non frigidum, sicut duo illa iudicia, quorum vnum esset formaliter de ijs, quæ aliter se habere nequeunt, alterum verò de ijs, quæ aliter se habere queunt saltem radicaliter, & virtualiter; nam calidum, & frigidum, cùm apponantur contrariè, in gradibus remissis, vel vnum in forma, alterum in virtute saltem possunt stare simul; quod repugnat in ijs, quæ contradictoriè, vel priuatiuè opponuntur, vt scientia, & opinio; vel frigidum, & non frigidum, non infinitanter, sed neganter accepta, &c.

Qui autem cum aliqua indebita circunstantia elicit actum dilectionis Dei, non est formaliter ad Deum conuersus, sed ad summùm tantùm materialiter, cùm omnis actus qui afficitur mala cirunstantia fiat malus ratione prædictæ circunstantiæ; vnde formaliter censendus est ille talis à Deo auersus, minimè verò ad ipsum conuersus, vt expressè docent omnes illi Theologi, qui negant voluntatem posse versari circa duos vltimos fines totales, estò vnus appetatur formaliter, alter verò habitualiter, aut virtualiter; ergo vel adducta exempla pro nobis faciunt, vt patet de hoc vltimo morali; vel non currit paritas illorum cum scientia, & opinione.

Ad secundam verò rationem respondent prædicti Doctores negando sequelam; ad cuius probationem dicunt, quòd cùm conuinci intellectum pendeat præcisè ex conditione medii, nullum videtur inconueniens dicere, quòd conuincatur per vnum medium, & non per aliud; sicut conueniens erat, quòd esset certus, & incertus de eadem conclusione; nam illa duo contradictoria enunciantur de intellectu respectu diuersorum, ista verò respectu eiusdem.

Contra tamen est, quòd non minùs remanet certus, & incertus intellectus ex conditione medij, quàm remaneat conuictus, & non conuictus, cùm assentiatur connexioni necessariæ, vel contingenti prædicati cum subiecto, propter necessariam, vel contingentem connexionem eorundem cum medio; sed non obstante diuersitate mediorum, intellectus nequit remanere certus, & incertus de eadem conclusione, nisi in ipsis præmissis tanquam in causa, vt explicatum est supra; ergo pariter nequibit remanere conuictus, & non conuictus, nisi antecedenter in præmissis tanquam in causa, non autem circa eandem conclusionem.

Dicendum est secundò, quòd de eadem conclusione non possunt esse simul scientia, & opinio, etiam quoad rationem habitus.

A Probatur; tum quia habitus scientiæ, & opinionis habent eandem repugnantiam, ac eorum actus: nam habitus habet eandem rationem formalem attingendi obiectum, ac actus; & ita si actus horum habituum propter diuersum modum attingendi obiectum inter se repugnant, ita etiam habitus. Tum etiam quia habitus proximè specificantur per actus, sicut actus per obiecta: ergo sicut ex obiecto sumitur intrinseca oppositio actuum, sic etiam ex actibus sumitur intrinseca oppositio habituum; ac proinde, si actus ex natura sua sunt incompossibiles secundùm quòd versantur circa obiectum; ita erunt incompossibiles habitus; sed actus scientiæ, & opinionis in eodem de eadem propositione sunt incompossibiles, vt dictum est: ergo, & habitus.

B Obijcitur primò in oppositum secundæ conclusionis; nam contra primam dictum est satis. Quoniam dum quis habet habitum e.g. intemperantiæ valdè intensum, & acquirit habitum temperantiæ remissum, non statim destruitur ille, vsque dum iste paulatim crescat, & superet, corrumpatque contrarium; ergo dato quòd habitus scientiæ, & opinionis de eadem conclusione sint oppositi, tamen pro aliquo saltem tempore in gradu remisso poterunt stare simul in eodem intellectu, sicut possunt stare simul in gradu remisso habitus temperantiæ, & intemperantiæ in eadem potentia.

Respondetur negando paritatem de habitibus voluntatis, & intellectus: Nam cùm ratio non possit totaliter superare appetitiuam potentiam in vnico actu, eò quòd per vnum actum non possunt proponi

C voluntati omnes rationes, & motiua diligendi aliquid; ideò non potest habitus virtutis per vnicum actum generari. Quapropter cùm pro tunc non habeat rationem habitus, potest cum habitu vitij permanere. Habitus verò scientiæ è contra se habet; nam cùm unico actu circa aliquàm propositionem possit acquiri, quamuis etiam sit in gradu remisso propter euidentiam, & certitudinem, quàm habet, superat, & expellit habitum opinionis, quantumuis intensum.

Obijcitur secundò; quoniam habitus scientiæ, & fidei supernaturalis possunt esse simul de eadem propositione: nam Philosophus catholicus simul credit, & scit, quòd est vnus Deus; quia de hoc habet demonstrationem, & firmiùs assentitur quàm Philosophus gentilis, ac proindè habet etiam fidem, cùm non possit amitti circa articulum semel creditum,

D nisi amittatur circa alios, vt docent Theologi: sed non est maior difficultas, quòd scientia, & opinio sint simul, quàm scientia, & fides; nam si scientia opponitur opinioni ratione certitudinis, opponitur etiam fidei ratione euidentiæ: ergo scientia, & opinio possunt esse simul, &c.

Respondetur, quòd in Catholico, qui acquirit scientiam de aliqua propositione formaliter non remanet fides respectu eiusdem propositionis; idest habitus fidei non inclinat ad assentiendum illi sub ratione formali reuelationis obscuræ, sicut inclinat ad assentiendum alijs articulis: similes autem propositiones, vt quod sit Deus, &c. non tam per se pertinent ad fidem, quàm præsupponuntur ad fidem: vndè licèt ille qui amittit fidem circa vnum articulum, si hoc faciat discredendo, amittat fidem simpliciter; non tamen illam amittit simpliciter, si assentiatur vni articulo

culo per medium euidens. Fides autem ex qua parte dicit certitudinem, iuuat scientiã, & ideò Philosophus Christianus licèt non habeat fidem de aliqua propositione, nisi in præparatione animi, quia tamen illam scit pluribus medijs, ideò habet de illa maiorem certitudinem, quàm rusticus fidelis eiusdem meriti: Sicut ille, qui eandem conclusionem scit per medium demonstratiuum, & probabile, certiùs scit, cæteris paribus, quàm ille, qui solùm scit per medium demonstratiuum, & ideò scientia quæ dicit euidentiam, non potest esse cum fide de eodem; bene tamen potest esse Theologia cum fide, quia procedit ex principijs fidei, & dicit ineuidentiam.

Obiicitur tandem tertiò; quia habitus fidei potest esse cum actu claræ visionis; vt patet de D. Paulo, quando raptus fuit ad Cælum; nam in tali casu vidit quidem diuinam Essentiam, & tamen non amisit fidem, vt cum D. Tho. 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 3. docent plerique Theologi: ergo similiter potest esse habitus opinionis cum actu scientiæ, & è contra; non enim plùs opponuntur scientia, & opinio; quàm fides, & clara Visio.

Respondetur, D. Paulum in illo raptu non vidisse omnes articulos fidei, etiamsi viderit Diuinam Essentiam; quia illa visio fuit per modum raptus, & per modum transeuntis, nec concessa illi, vt simpliciter esset beatus: atque ita mansisse habitum fidei tantùm respectu articulorum, quos non vidit; non verò respectu eorum, quos vidit, nisi in præparatione animi.

Ex dictis autem patet, fidem non posse esse simul cum scientia de eadem propositione, si scientia tamen dicat euidentiam; quia tunc idem subiectum haberet euidentiam, & ineuidentiam respectu eiusdem, quod implicat; nam opponuntur ex parte subiecti priuatiuè; & ideò si proponatur medium fidei alicui de propositione, de qua habet scientiam; non eliciet actum fidei, nec generabitur habitus fidei; sed eliciетur actus perfectior fide, vt dictum est suprà de opinione.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Solertia sit distincta à Scientia.

QVæstio hæc, solertiæ explicata natura, facillimè, ac breuissimè ex dictis resolui potest, cùm vnanimiter DD. conueniant. Quare hoc tantùm ex Philosopho in hoc 1. lib. cap. 27. supponere debemus, nimirum, *quòd Solertia est bona coniectatio medij in tempore admodum breui*; vel vt habet translatio antiqua, *Subtilitas quædam inueniendi medium in nonperspecto tempore*; seu, quod idem est, *Quædam vis, facilè, ac de repentè inueniendi causam rei*; quæ vtique descriptio cùm de se pateat, non indiget explicatione. Eam autem declarat Philosophus aliquibus exemplis, hoc modo scilicet, vt si quis videns lucidam illam partem Lunæ quæ est versus Solem, statim perciperet, id euenire ex eo, quòd Luna recipiat lucem à Sole: vel si quis viso paupere altercante cum aliquo diuite, statim cognosceret, diuitem mutuasse illi pecuniam, de cuius solutione altercantur; Aut si quis videns aliquos, qui cùm anteà inimici essent, posteà amici facti sunt; statim intelligeret hoc ideò esse, quia ambo euiusdam alterius sunt inimici; quod in tantùm fecit in quantum voluit docere solertiam posse deseruire diuersis habitibus intellectualibus tam speculatiuis, quàm practicis, in quibus talia attulit exempla.

Dicendum est ergo, quòd solertia est distincta à scientia. Probatur, nam scientia est habitus, quo certò, & infallibiliter conclusionem deductam ex principijs necessarijs cognoscimus, vt dictum est suprà: solertia verò est cognitio, qua solùm coniecturaliter vnum ex alio inferimus: sed coniecturalis cognitio distinguitur ab illo, quod inclinat ad cognitionem certam, & infallibilem, vt ex se patet: ergo Solertia est distincta à scientia.

Obiicitur primò; quoniam solertia se habet ad facilè inueniendi media in demonstrationibus; sed hoc pertinet ad scientiam; ipsa quippe inuenit media demonstrationum, & conficit demonstrationes: ergo solertia non est distincta à scientia.

Respondetur, quòd solertia non se habet circa inuentionem medii in demonstratiuis sic, quòd ex illis procedat certò, & infallibiliter, vt facit scientia, sed tantùm coniecturaliter: licèt enim principia, ex quibus procedit, possint esse necessaria, et si rectè applicarentur possint pariter inferre cognitionem necessariam; tamen quia non cognoscuntur euidenter vt necessaria, ideò solùm inferunt cognitionem coniecturalem, in qua esse potest deceptio, vnde deficit à scientia.

Obiicitur secundò, Solertia aliquando procedit ex propositionibus necessariis, vt patet ex Philosopho, qui afferens exemplum solertiæ, dicit; Si quis videns lucidam illam partem lunæ, quæ est versus solem, statim perciperet, id euenire ex eo, quòd luna reciperet lucem à Sole; sed procedere ex necessariis est proprium scientiæ, vt dictum est suprà: ergo, &c.

Respondetur vt suprà; nimirùm quòd procedere ex necessariis certò, & infallibiliter, est proprium scientiæ; non autem tantùm coniecturaliter, atque extemplò: hoc enim est proprium solertiæ.

Obiicitur tandem tertiò: nam solertia est de specie virtutis intellectualis: ergo debet ad aliquam ex enumeratis à Philosopho 6. Ethic. cap. 3. spectare: sed ad nullam aliam nisi ad scientiam: ergo ab ipsa non distinguitur. Vtraque consequentia bene deducitur. Antec. videtur certum; nam cùm virtus intellectualis sit dispositio perfecti ad optimum, quod in intellectu reperitur; non est cur ratio virtutis intellectualis solertiæ sit deneganda; quæ ex dictis est vis, & facultas facilè, ac de repentè inueniendi causam rei, quod est finis ipsiusmet intellectus, ad hoc vt per modum habitus assequatur rei veritatem. Minor verò probatur à sufficienti virtutum intellectualium diuisione: non enim ad Artem videtur reduci, quia Ars diuiditur tanquam in species, in septem Mechanicas (liberales enim secundùm quid tantùm dicuntur artes). Non ad Prudentiam, quia tantùm diuiditur in monasticam, & gubernatricem, tanquam in suas species subiectiuas, ad quas non videtur posse reduci solertia. Non ad Habitum principiorum, quia solertia non uersatur

tantùm circa causas immediatas quemadmodùm versatur talis habitus. Non denique ad Sapientiam, quæ tantùm procedit per altissimas causas, quia Solertia inuenit etiam causas inferiores; ergo spectabit ad Scientiam, quæ per causas inferiores videtur procedere.

Respondetur tamen, negando antec. nam cùm solertia sit vis quædam facilè inueniendi causam rei, non euidenter, sed coniecturaliter; non erit vtique dispositio perfecti ad optimum, quod in intellectu reperitur; nam tale optimum non est coniecturatio in qua deceptio contingere potest; sed certitudo, & euidentia; vnde per talem rationem à numero virtutum intellectualium cum fide humana, & opinione communiter excludi solet. Qua de re, mirum non est, si ad nullas ex enumeratis virtutis intellectualis reducatur species, seu partes subiectiuas, sed tantùm reducitur ad partes integrales Prudentiæ, quia est species, seu pars Eustochiæ, seu facultatis bene coniecturandi de quibuscunque; nam partes integrales alicuius virtutis non sunt species illius, sicut partes subiectiuæ; sed tantùm quædam conditiones, aut dispositiones, functiones, vel actus, quæ adesse oportet, vt opus virtutis perfectum euadat, quemadmodùm ex professo docent Morales. Et hæc de primo Posteriorum libro dicta sufficiant.

LIBER SECVNDVS
POSTERIORVM, EIVSQVE SYNOPSIS.



Xplicata, in primo Posteriorum, natura, & essentia tum demonstrationis, tum Scientiæ, quæ est præcipuus illius effectus, meritò in hoc secundo incipit Philosophus agere de medio, seu causa, & principijs, ex quibus procedit ipsamet demonstratio: Cùm autem definitio possit esse medium, & causa demonstrationis; hinc est, quòd de ea multa tradit. Et tandem ne principia ipsa ignorentur, de habitu quo cognoscuntur, hoc est de Intellectu, seu Intelligentia vltimo loco differit.

Diuiditur autem huiusmodi secundus liber in 18. capita, in quorum primo docet Philosophus, quatuor esse quæstiones, quæ de rebus moueri solent; scilicet, An sit, Quid sit, Quale sit, & Propter quid sit. In secundo verò demonstrat omnem quæstionem esse de medio. In tertio probat diuersis rationibus demonstrationem, & definitionem non esse idem, & eiusdem rei, quod prosequitur vsque ad septimum inclusiuè; Ab octauo autem vsque ad 18. exclusiuè agit de definitione. In 18. autem, & vltimo tradit quomodò principia cognoscantur, & quid principiorum sit habitus.

DISPVT. QVADRAGESIMAPRIMA
De Medio, seu Causa Demonstrationis Propter quid.



VM multa diuersis in locis, tum de definitione substantiæ, tum accidentis dicta sint; ac non pauca in libris Topicorum insuper sint addenda; ac in disputatione, in qua de medio, & causa demonstrationis intendimus disputare, nihil de ipsa definitione, secundùm se agetur, sed tantùm vt potest esse medium demonstrationis. Consultò autem dictum est in titulo de medio, seu causa; quia mens nostra non est agere de medio termino vtcunque, videlicet etiam demonstrationis *Quia*; sed de illo medio, qui simul est causa proxima, & adæquata solius demonstrationis propter quid.

QVÆSTIO I.
An Quodlibet genus Causæ possit esse medium demonstrationis Propter quid.



Vpponimus ex his, quæ dici solent secundo Physicorum quatuor esse genera causarum, nempe genus causæ materialis, formalis, efficientis, & finalis. Causa materialis est primum subiectum ex quo aliquid fit, aut resultat: Formalis est quidquid erat esse, idest actus ipsius materiæ, vel potentialitatis; Efficiens autem est à qua primò incipit motus, seu operatio: Finalis tandem cuius gratia cætera fiunt. De quibus omnibus pro nunc non quæritur coniunctim,

tim, ita vt sit sensus, quòd quælibet conclusio sit per omnium causarum genera demonstrabilis; sed disiunctim, itaut aliquando causa finalis, aliquando formalis, & sic de singulis apta sit ad inseruiendum pro medio in demonstratione propter quid, & ad essendum ratio, & causa adæquata, & proxima in suo genere, inhærentiæ prædicati cum subiecto, seu maioris, & minoris extremitatis in conclusione.

Prima sententia docet, per finalem causam tantùm non posse fieri demonstrationẽ, neque eadẽ vti vt medio in ipsa. Ita B. Alb. Magnus 2. Poster. tract. 2. cap. 11.

Secunda verò sententia tenet, per omne genus causæ posse fieri demonstrationem, præterquàm per genus causæ formalis. Ita aliqui, quos sine nomine referunt Mastr. & Bell. disp. 13. quæst. 2. art. 1.

Tertia sententia è contrà suadet solam causam formalem inseruire posse pro medio demonstrationis; pro qua sententia citatur Philosophus 2. Post. comm. 23. vt videre est apud Mastr. & Bell. loco citato.

Quarta tandem sententia communis est inter cæteros Philosophos, qui vnanimiter docent, omnia causarum genera apta esse ad demonstrationem propter quid; atque pro medio, & causa eidem inseruire; licèt non eodem modo omnes se explicent: Nam aliqui docent saltem hæc genera causarum, nempe materialis, formalis. & efficientis propriè, scilicet in esse metaphysico, seu physico considerata non inseruire pro medio demonstrationis; sed tantùm impropriè, hoc est in esse logico, vt solùm respiciunt instrumentum cognitionis. Ita Zabarella cap. 8. huius, quem sequuntur Baldius-Gher. ibidem quæst. 2. difficult. 1. & 2. atque alij. Cæteri verò omnes concedunt absolutè omnia genera causarum tam in esse physico, quàm metaphysico, & logico considerata inseruire posse pro medio demonstrationis propter quid.

Notandum est idcircò primò; Causam demonstrationis propter quid posse dupliciter considerari, vel quatenus est causa illius vtsic, nempe nulli rei applicatæ; sed in esse logico, & cognoscitiuo tantùm consideratæ; vel quatenus est causa eiusdem, vt rei applicatæ; scilicet in esse physico, vel metaphysico, aut alterius facultatis consideratæ. Primo modo non est dicenda propriè causa, cùm non constituat in esse, sed tantùm in cognosci. Secundo verò modo verè, & propriè causa est, seu physica, siue metaphysica respectu sui effectus, tam quoad esse, quàm quoad cognosci. Ex quo apertè sequitur, quòd etsi Philosophus videatur fortasse esse locutus cap. 8. huius, de causis demonstrationis in primo sensu, dum causas largè, & impropriè accipit pro medio demonstrationis propter quid, vt subtiliter obseruat Zabarella: minimè verò in secundo; Quinimmo 2. Physicorum tex. 68. dicit, quòd quatuor sunt genera causarum, quæ tot numero ipsum propter quid comprehendit. Et 7. Metaphys. text. 59. & 60. ait quæstionẽ propter quid moueri, & resolui per omnia causarum genera. Et tandem 8. Metaph. text. 12. & 1. Physic. tex. 70. docet Physicum per omnia quatuor genera demonstrare; quæ vtique loca intelligenda videntur de causis propriè, & in rigore acceptis; cùm de his hoc modo consideratis, tam physicus, quàm metaphysicus agant, vt patet.

Notandum est secundò; medium, seu causam demon- A strationis propter quid propriè, & in rigore acceptam adhuc dupliciter attendi posse; vel scilicet vt respicit subiectum, vel mediante subiecto, vt respicit passionem ipsam, quæ de subiecto demonstratur; seu, quod idem est, vt causat subiectum, vel illo mediante etiam passionem ipsam. Primo modo, cùm multoties respiciat, & causet talem effectum per verum, & proprium motum, vtique in tali casu est causa physica: secundo verò modo, scilicet vt respicit passionem ipsam, mediante subiecto (nam quando respicit ipsam immediatè, & secundùm se, aliter dicendum est, vt patebit infra) cùm respiciat, & causet suum effectum per naturalem emanationem, & resultantiam (passiones enim non fiunt, sed emanant ab essentia) est tantùm causa metaphysica respectu eiusdem effectus.

B Vnde aperte sequitur, quòd etiam essentia rei exercet suo modo omnia genera causarum circa suas passiones, & proprietates: sunt etenim passiones, & proprietates propter essentiam rei, cuius sunt proprietates, & passiones, & consequenter dependent ab ea in genere causæ finalis. Deinde vel formaliter, vel virtualiter ab ea dimanant, formaliter quidem, quando distinguuntur realiter ab ea, sicut distinguuntur passiones, & proprietates hominis, vel Angeli: virtualiter autem, quando solùm distinguuntur ab essentia, ratione ratiocinata, sicut sunt passiones entis ab ente, & proprietates Dei, à Deo; quapropter cùm causa dimanatiua, ex ijs, quæ dici solent in physicis, ad efficientem reducatur, passiones pendebunt ab essentia, cuius sunt passiones, tanquàm à causa, formaliter, vel virtualiter effectiua. Tertio dependet etiam C ab ea in genere causæ formalis; quia passiones, & proprietates sunt participationes formales illius essentiæ, cuius sunt passiones, & propterea per ordinem ad illam definiuntur tanquàm per ordinem ad suam formam: illud enim per ordinem ad quod aliquid definitur, habet rationem formæ respectu eius, quod definitur. Quarto tandem, & vltimò dependent ab ea tanquàm à subiecto in quo recipiuntur; & consequenter essentia habet rationem causæ materialis respectu eorum.

Dicendum est ergo, quòd quodlibet genus causæ potest esse medium demonstrationis propter quid. Probatur, nam quidquid potest respondere ad interrogationem factam per propter quid, potest esse medium demonstrationis, cùm medium in quantùm D huiusmodi dicatur propter quid: sed quodlibet genus causæ potest respondere ad talem interrogationem: ergo, &c. Minor probatur; nam si quæratur propter quid homo est necessariò corruptibilis; responderi potest per genus causæ materialis, quia scilicet est quoddam compositum ex contrariis. Si autem quæratur propter quid homo est risibilis, responderi potest per causam formalem, quia scilicet est rationalis. Item si quæratur propter quid actus liberi sunt vitales, responderi potest per causam efficientem, quia scilicet proueniunt à principio vitali. Tandem si quæratur propter quid aliquis ambulat post cænam; optimè responderi potest per causam finalem; quia nimirum cupit habere sanitatem: ergo, &c.

Obiicitur in oppositum primò, probando causam materialem non posse inseruire demonstrationi propter quid pro medio. Tum quia medium est necessarium: materia autem est causa contingentiæ, & corruptibi-

ruptibilitatis, & est in potentia contradictionis ad esse, & non esse. Tum etiam quia passio non egreditur a materia, sed à toto composito, aut saltem ratione formæ; etsi per impossibile à materia pullularet, ipsa materia non se haberet vt causa materialis; sed potiùs vt efficiens metaphysicè, seu per emanationem.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt materia sit causa corruptionis, & contingentiæ realis, & incomplexæ, vt dicitur 1. Physic. cùm hoc tamen stat, quòd simul sit causa necessitatis complexæ, seu propositionis sempiternæ veritatis: nam verè demonstratur corruptibilitas, de composito ex contrariis, vt dictum est. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd licèt passiones totales, seu totius compositi non egrediantur à materia, sed à toto composito; tamen aliquæ ab ipsius natura proueniunt, ratione materiæ, aliquæ ratione formæ, vt patet. Ad illud verò quod additur; quòd si per impossibile à materia pullularet, ipsa materia non se haberet vt causa materialis, sed potiùs vt efficiens metaphysicè; dicendum est, quòd cùm in accidentibus eadem sit causa efficiens, & materialis, vt dictum est suprà disp. 3. quæst. 1. not. 2. impossibile est, quòd materia sit causa efficiens passionis, & non sit causa materialis eiusdem.

Obijcitur secundò, probando causam formalem non posse esse medium demonstrationis propter quid. Tum quia Philosophus hoc in loco, nempe cap. 8. huius, vbi docet, quidquid est, hoc est definitionem causalem esse medium demonstrationis propter quid, nullum dedit exemplum de definitione, quæ habetur per causam formalem, sed tantùm de alijs definitionibus, quæ habentur vel per causam materialem, vel efficientem, vel finalem: ergo signum est, formam non posse esse demonstrationis medium. Tum etiam, quia si causa formalis esset medium demonstrationis propter quid, vel esset causa formalis subiecti, vel causa formalis ipsius passionis, quæ de subiecto demonstratur. Hoc secundum non potest dici, quia forma passionis est ipsamet essentia passionis, vnde si passio per suam formam demonstraretur, idem demonstraretur per seipsum, quod non est admittendum, cùm foret petitio principij. Neque primum, quia non solùm rarò euenit, quòd forma subiecti sit causa passionis, verùm etiam, quia contingeret eadem petitio princicipij, cùm subiectum, & propria forma sint idem.

Respondetur, & primò ad auctoritatem Philosophi ex Soto ibidem, quòd de demonstratione per causam formalem, idest per definitionem formalem ex genere, & differentia, excusat se Aristoteles ponere exemplum, eò quòd in superioribus, hoc est in principio huius libri secundi, satis abundè constat, dicens: *At verò quidditatem, etiam causam esse medium anteà demonstrauimus*.

Inculcat autem huiusmodi responsionem Iacobus Zabarella lib. 1. de medio demonstrationis cap. 4. dicens, quòd Philosophus cap. 8. citato, non à causa formali ad alias tres transitum facit, sed à causa latè accepta ad singulas 4. causas sigillatim considerandas: aliter enim ibidem non diceret, *Quoniam autem opinamur non scire, dum causam scimus; causa autem sunt quatuor*; nam quemadmodum suprà docuerat; me-

A dium demonstrationis debere esse causam, seu definitionem causalem, ita etiam doceret cuius nam generis causa sit; quare cùm ibidem primùm faciat diuisionem causarum, non potest antè de vllo causæ genere particulatim sermonem facere, sed solùm de causa latè accepta. Igitur non de causa formali in specie, seu de definitione formali ex genere, & differentia locutus priùs fuerat Philosophus, vt dicebat Sotus; sed de causa generaliter sumpta, seu de definitione causali vt sic, vt patet.

Contra tamen: nam à principio huius secundi libri vsque ad caput octauum eiusdem, Aristoteles locutus est de illa causa, seu de definitione causali, quæ debet esse medium demonstrationis potissimæ, quemadmodum, & ipsemet Zabarella lib. 1. de medio demonstrationis cap. 20. & 21. libenter concedit, vt testatur

B Faber theoremate 13. cap. 4. sed nequit causa aliqua esse tale medium, nisi sit causa formalis; ergo, &c. Minor probatur, nam illud est medium in potissima demonstratione, quod est causa proxima, immediata, & per se, propriæ affectionis, quæ demonstratur; sed sola definitio formalis, seu forma saltem subiecti est talis: ergo, &c. Maior conceditur libenter a Zabarella lib. 1. de medio demonstrationis cap. 13. vt refert Faber loco citato. Minor verò sic probatur; quoniam illud est causa proxima, immediata, & per se propriè affectionis, quo posito ponitur propria affectio, & quo ablato aufertur propria affectio; sed sic est, quòd posita formà subiecti, ponitur propria passio, & illa ablata aufertur propria affectio: ergo forma subiecti est propria, immediata, & per se causa

C affectionis propriæ. Maior est euidens: quando enim causa non est per se proxima, & immediata, sed remota, posita causa non ponitur effectus, vt animal est causa remota risibilitatis; & ideò posito animali non ponitur risibile; sed quia rationale est causa proxima risibilitatis, ideò posito rationali, ponitur risibile: ergo propria affectio perpetuò comitatur suam causam proximam, & immediatam. Minor autem probatur, quia posita forma subiecti statim consequitur propria affectio immediatè absque vlla alia causa, quòd si requireretur aliqua alia causa ad hoc vt passio inesset subiecto, illa passio non esset propria passio illius subiecti, sed esset illi accidens commune: nam proprium est illud, quod inest alicui subiecto soli, omni, & semper; ideò si posito illo subiecto, & forma essentiali

D illius subiecti, non inest ei passio propria, non inest ei semper, & sic est accidens commune, non proprium: ergo à primo ad vltimum, cùm Philosophus à principio huius secundi libri vsque ad octauum caput locutus sit de illa causa, quæ debet esse medium demonstrationis potissimæ; dubio procul ibidem exemplificauit de causa formali in specie, non autem generaliter de causa in ratione definitionis vt sic.

Nec aliquid facit, quòd idem Philosophus in principio capitis octaui faciat diuisionem causæ vt sic in quatuor genera: quoniam tunc non diuidit causam formalem, seu definitionem formalem, de qua superiùs egerat, sed causam, seu definitionem causalem vt sic; & ratio est, quia superiùs docuit, quòd non possit esse medium demonstrationis potissimæ, & perfectissimæ, quod solùm ex dictis, & ex dicendis potest esse forma, seu causa formalis; modò docet quòd possit esse medium demonstrationis tantùm propter quid,

quid, & admistæ cum aliqua imperfectione, vt patet; quod potest esse quodlibet genus causæ, vt probatum est.

A

Ad rationem verò argumenti respondetur negando minorem, nam estò forma, seu definitio formalis subiecti (quidquid sit de definitione formali passionis, de qua in sequentibus) sit ipsummet subiectum secundùm se; quia in rei veritate nihil mediat inter prædicta; cùm definitio sit idem secundùm se cum definito; tamen quia per intellectum distinguimus definitionem à definito, cùm vtrunque secundùm nos, non sit æque notum, secundùm nos pariter non erunt prædicta omnino idem, sed vnum poterit assumi vt medium ad demonstrandùm aliquid de alio, hoc est conuenientiam, & connexionem, quam habent inter se, vt supra tetigimus disp. 37. quæst. 3. in principio, vbi egimus de propositione per se nota. Quapropter licèt talia secundùm se considerata idem sint, atque principium petant; minimè verò secundùm nos. Illud autem, quod in fine additur, nimirum quòd rarò euenit vt forma subiecti sit causa passionis; apertè falsum est, si sermo sit de causalitate metaphysica; cùm sæpe sæpius hoc accidat in demonstrationibus potissimis, vt patet quando de homine demonstratur risibilitas per rationalitatem, &c.

B

Obiicitur tertiò, probando causam efficientem non posse esse medium demonstrationis propter quid: quoniam non adest inter efficientem causam, & effectum necessaria connexio; nam potest efficiens esse sine effectu, vt ædificator sine domo. Accedit insuper, quòd medium debet esse intrinsecum, quia demonstratio est ex proprijs, quæ sunt intrinseca; at efficiens est extrinsecum: ergo, &c.

C

Respondetur quòd licèt efficiens in potentia possit esse absque effectu in actu, non tamen in potentia: sicut estò prædictum efficiens in actu possit, & debeat esse absque effectu in potentia, non tamen absque effectu in actu. Vnde apparet inter prædicta esse semper necessariam connexionem, proportione tamen debita seruata. Neque requiritur medium semper esse intrinsecum rei, quamuis dicatur esse proprium: non enim intrinsecum, & proprium latè acceptum, scilicet vt contradistinguitur ab alieno, & communi, & vt ad rationem causæ vt sic, seu in genere spectat, conuertuntur; cùm causæ propriæ alicuius effectus, aliæ intrinsecæ, vt materia, & forma; aliæ extrinsecæ, vt efficiens, & finis, vtique sint.

Obiicitur tandem quartò, probando causam finalem non posse esse medium demonstrationis propter quid: quoniam finis non præcedit effectum nisi intentionaliter, & consequenter effectus ab ipso realiter, & propriè non dependet.

Respondetur admittendo maiorem, de qua ex professo agitur 2. Physic. Ad minorem verò dicitur, quòd licèt medium demonstrationis debeat præcedere realiter effectum in esse medij; minimè verò in esse rei, sed sufficit, quòd in esse rei præcedat effectum, eo modo, quo potest. Cùm igitur finis vt medium demonstrationis in esse rei tantùm præcedat effectum in intentione, & non in executione; hoc etiam modo sufficit, vt antecedat effectum; nam eodem modo debet assumi vt medium in esse rei, quo assumitur vt causa physica.

QVÆSTIO II.

Vtrum in vnaquaque Demonstratione propter quid, omnia causarum genera assumi possint.

DEmonstrationem ingredi posse omnia causarum genera contingit dupliciter; vel collectiuè, vel distributiuè; & quidem distributiuè id fieri posse, iam manifestum est ex dictis; collectiuè autem, an idem valeat contingere, difficultatem habet.

Circa quam est prima sententia docens, vnius conclusionis vnicam tantùm esse causam proximam, & adæquatam, qua potest ostendi ipsamet conclusio in demonstratione; quam sententiam defendunt Auerroes hic comm. 46. 95. & 97. Zabarella lib. de speciebus demonstrationis cap. 2. & lib. 2. de medio demonstrationis cap. 8. Baldius-Gherard. quæst. 2. difficult. 4. atque alij.

Secunda verò sententia communissima est inter Philosophos, quæ docet plura genera causarum posse eandem conclusionem demonstrare; quapropter superfluum erit illius Auctores recensere.

Notandum est idcirco primò, quòd conclusio alicuius demonstrationis dupliciter accipi potest; formaliter, scilicet, vel materialiter; formaliter accipitur, vt dicit ordinem ad sua principia, ex quibus procedit, & à quibus habet tale esse, hoc est esse demonstratam per talem determinatam causam, seu determinatum medium. Materialiter verò accipitur, vt est vna propositio demonstrabilis, per quamlibet causam, seu per quodlibet medium. Primo modo cùm diuersificetur ad diuersitatem suorum principiorum, repugnat quòd sit vna, & eadem, seu quòd demonstretur vnica demonstratione per diuersas causas, & media. Secundo verò modo nulla est repugnantia, cùm idem effectus materialiter sumptus possit pendere à pluribus causis totalibus, & adæquatis diuersi generis, vt dici solet 2. Physic. nam licèt effectus causæ formalis e. g. reduplicatiuè vt sic, non sit effectus causæ materialis;

D

non est tamen cur entitatiuè, & materialiter sumptus non possit ab omnibus causis pendere; vt patet in homine e. g. de quo potest demonstrari, quod sit elicitiuus actuum moralium per causam materialem, ex eo scilicet, quòd est compositus ex materia, & anima rationali; per causam formalem, quia nimirum est animal rationale; item per efficientem, quia est agens liberè; per finalem tandem, quia est ordinatus ad præmium.

Notandum secundò, quòd cognitio complexa perfecta, de qua tantùm est sermo in præsenti, potest esse duplex in intellectu, scilicet perfecta simpliciter, & perfecta in genere. Prima est, qua cognoscitur res quantùm ad omnem modum, quo cognoscibilis est, & quantùm ad omnia prædicata quæ per se ei competunt, siue sumantur ab extrinseco, siue ab intrinseco, & in quocunque modo per se ei conueniant. Secunda verò est, qua cognoscitur res quoad determinatum

minatum prædicatum sibi per se, vel in primo modo, vel in secundo conueniens, vt quando intelligitur homo, vt sensitiuus, vel vt risibilis, vel vt productus à sibi simile in specie. Ad hanc quidem cognitionem habendã non est necesse cognoscere omnes causas rei, sed sufficit, quòd per illam cognoscatur, quæ conuenit per se prædicato secundùm quòd cognoscitur. Ad primam verò cognitionem habendam necesse est cognoscere omnes causas per se intrinsecas, & extrinsecas, propinquas, & remotas ipsius rei, de qua habetur talis cognitio, vt expressè docuit Philosophus 1. physic. dicens: *Tunc putamus cognoscere vnumquodque, cùm causas primas cognouerimus, & principia prima, vsque ad elementa.*

Dicendum est ergo, quòd eademmet conclusio potest per plura, immò per omnia genera causarum demonstrari. Probatur primò auctoritate Philosophi hic text. 53. docentis posse eundem effectum esse propter finem, & ex necessitate materiæ; ergo potest eademmet conclusio demonstrari per plura genera causarum; etsi per plura; ergo per omnia, cùm non sit maior ratio. Vtraque consequentia patet; Antec. verò probatur: Sepia nanque atramentum emittit ex necessitate materiæ: siquidem illi necessarium est generare excrementum, & generatum emittere; sed hoc etiam euenit ab aliquo fine, nempè vt se abscondat, & tueatur à pisce inimico se persequente. Idem dicitur de Boue, & similibus habentibus cornua ex necessitate materiæ: est enim animal illud temperaturæ valdè terrestris, vnde in illo gignitur excrementi plurimum, quod eijcere opus est; vnde ex ipso cornua fiunt; illa tamen vertit natura ad animantium defensionem: ergo idem effectus potest esse propter finem, & ex necessitate materiæ.

Respondent Aduersarii, semper alteram illarum causam præcipuam esse, alteram verò secundariam, modò finalem, materialem modò; siquidem natura in aliquibus finem præcipuè respicit; & ideò ad hoc materiam præparat, vt sunt animalis partes, siquidem crura, quæ ad ambulandum natura tradit, ideò è durioribus partibus aliquo ordine constructis, confecit, in quibus necessitas materiæ omnino ordinatur in finem; in aliquibus autem, præcipuè materiæ necessitatem respicit, finem verò secundariò considerat, quòd euenit in extrementis omnibus; illa igitur causa, quæ principaliter est, vtimur veluti adæquata pro demonstrationis medio in demonstratione conficienda.

Contra tamen; quoniam effectus ille respicit vnam causam primariò, cæteras verò secundariò, qui pendet ab eâ tantùm in tali genere determinato; cùm ex iis, quæ dici solent 2. Physic. quælibet causa in suo genere præcipua, & potior est; sed in præsenti non accipitur effectus tali modo, sed vt pendens à causis, & vt demonstrabilis per ipsas vt sic, vt patet ex notatis: ergo responsio nulla, cùm non sit ad rem.

Probatur secundò conclusio, ratione: quoniam de vna, & eadem conclusione, de qua habebatur cognitio perfecta in genere determinato, potest haberi cognitio perfecta simpliciter: sed hæc haberi nequit, nisi demonstretur talis conclusio per omnia genera causarum; ergo eademmet conclusio poterit per omnia genera causarum demonstrari. Maior de se patet Minor verò probatur; quoniam talis cognitio non potest stare cum dubitatione intellectus; nec cum

A ignorantia solutionis cuiuscumque quæstionis, quæ possit moueri de re causata. Sed si non posset demonstrari conclusio, de qua habetur talis cognitio per omne genus causæ, non quiesceret intellectus, sed staret cum dubitatione, &c. nam circa quancunque eius causam posset formare quæstionem: ergo talis cognitio simpliciter perfecta nequibit haberi, nisi demonstretur conclusio, cuius est cognitio, per omne genus causæ.

Obijcitur primò ex Aristotele, qui scientiam demonstratiuam definiens, loquendo de medio, & causa ait: *Scire est rem per causam cognoscere, &c.* non verò inquit per causas sufficit: ergo adducere vnam tantùm causam, quæ illius affectionis sit adæquata, non verò plures, &c.

B Respondetur, Aristotelem, tunc docere, quòd ad habendam cognitionem perfectam in tali determinato genere, sufficit vt habeatur saltem per vnam ex causis; non autem negare; quia plures possunt dari, eiusdem conclusionis causæ, ad hoc vt eiusdem cognitio crescat in perfectione, fiatque perfecta simpliciter, vt patet.

Obiicitur secundò; nam medium demonstrationis non debet esse aggregatum per accidens; nam ex eo sequeretur conclusio vna per accidens; atque ita de ente per accidens daretur scientia; sed si demonstraretur conclusio per omne genus causæ, medium esset aggregatum per accidens, cùm esset aggregatum ex rebus diuersorum generum: ergo, &c.

Respondetur negando minorem, quæ vtique esset vera, si conclusio illa per vnicam demonstrationem C demonstraretur; sed cùm demonstretur in tali casu per tot demonstrationes; quot sunt genera causarum; & cùm quælibet demonstratio vnicum habeat mediũ, non videtur quomodò prædictum medium possit esse aggregatum per accidens.

Obiicitur tandem tertiò; quoniam vnius rei vnica tantùm causa est, quæ dicitur propter quam res fit; tum quia hæc causa in definitione locum tenet vltimæ differentiæ, & vltima differentia vnius rei vnica est: definitio autem est demonstrationis medium, vt dicetur infrà. Tum etiam quia si plures ponerentur, nulla illarum assignari posset pro causa, quia quælibet posita, & ablata, non necessariò effectus ponitur, vel aufertur.

D Respondetur, argumentum tantum probare vnius rei in determinato genere causæ vnicam esse causam; aliter enim non daretur propria, & vltima differentia in tali genere, vt optimè insinuat argumentum adductum, non autem vnius rei simpliciter vt sic, cùm effectus materialiter sumptus non magis ab vna, quàm ab alia causa procedat. Vnde absolutè negandum est, quòd qualibet illarum causa posita, & ablata, non necessariò effectus ponatur, vel auferatur; quia ablata vna tollitur effectus saltem secundùm illam rationem, & ablatis omnibus, vndæquaque tollitur effectus, vt luce clarius est.

✠

QVÆSTIO III.

Vtrum medium demonstrationis potissimæ sit sola causa formalis.

CAusam formalem medium esse demonstrationis potissimæ, seu perfectissimæ, nemo est qui neget; esse autem solam, propter textum 11. huius secundi libri, quo in loco Philosophus, omne genus causæ pro medio enumerauit, non omnes admittunt.

Nam Iacobus Zabarella lib. 2. de medio demonstrationis cap. 3. quem sequuntur Baldius Gherard. quæsito 2. quæst. 2. difficult. 3. atque alii, docet medium in demonstratione potissima non posse esse solam causam formalem; Cæteri verò omnes è contra, hoc libentissimè concedunt.

Notandum vnde est, Aristotelem varijs in locis huius secundi libri, variè de medio demonstrationis esse locutum; nam text. 56. & 57. ait, quòd illa causa est medium in demonstratione, quæ respondet suo effectui, & sic vnusquisque effectus ostenditur per propriam causam; itaut ille effectus, qui est sæpe, debet demonstrari per causam, quæ est sæpe; effectus qui est semper, per causam, quæ est semper; qui rarò, per causam, quæ est rarò. In cap. verò 16. & 17. postquàm compleuit tractationem de definitione, quam inseruit tractationi de causis (est nim definitio medium, & consequenter causa, atquè ita pertinebit ad eandem tractationem) textu 90. qui est principium cap. 17. & sequentibus, & maximè textu 94. docet causam debere reciprocari cum suo effectu, & ratio est; quia problema debet esse vniuersale, & propria affectio debet apponi proprio subiecto, quod etiam asserit in præcedenti cap. 16. Texru denique 96. mouet dubitationem, an si problema non esset vniuersale, medium debeat esse vniuersale; & respondet quòd non, sed quale est problema, tale debet esse medium. Ex quibus locis apertè conspicitur, quòd licèt Philosophus textu 11. dicat posse demonstrari per omne genus causæ, non tamen intelligit, quòd per omne genus causæ fiat demonstratio vniuersalis, & perfectissima, quæ sola est potissima, sed quòd fiat demonstratio propter quid perfectior, vel imperfectior iuxta minoritatem, aut majoritatem perfectionis medij; nam re vera in scientijs, paucæ admodum sunt demonstrationes potissimæ, sed plurimæ imperfectiores, & imperfectiores, vt passim conspicitur: vnde per accidentia generum sæpe ostendimus passiones de speciebus, quia natura specierum est ignota.

Dicendum est ergo, quòd medium demonstrationis potissimæ est sola causa formalis. Probatur; quoniam demonstratio potissima debet habere terminos conuertibiles; sed sola causa formalis facit esse in demonstratione terminos conuertibiles, quoniam sola causa formalis cum suo effectu reciprocatur: ergo demonstratio potissima debet habere pro medio solam causam formalem.

Respondet Baldius Gherard. loco citato, semper

A in demonstratione terminos reciprocabiles esse, quando assignatur proxima, & adæquata causa illius effectus, qua posita ponitur, qua sublata aufertur, in quocunque genere causa illa sit.

Contra tamen est id, quod dictum est suprà disput. 37. quæst. 8. nimirum terminos reciprocabiles in demonstratione illos propriè esse, qui æquales sunt, & conueniunt ad inuicem, seu ad inuicem prædicantur secundùm quòd ipsos; sed in cæteris demonstrationibus ab illa, quæ habetur per causam formalem, termini non sunt æquales, nec prædicantur ad inuicem secundùm quòd ipsos: ergo prædicti termini non sunt reciprocabiles; neque in demonstratione, cuius sunt termini, assignari potest proxima, & adæquata causa, qua posita ponatur, &c. nisi sit causa formalis. Maior

B patet ex dictis. Minor verò probatur; nam illi termini ex dictis, loco citato tantùm sunt æquales, atque ad inuicem prædicantur secundùm quòd ipsos, qui prædicantur in primo, aut secundo modo dicendi per se; sed termini demonstrationis habitæ per cæteras causas a causa formali, non sunt huiusmodi, cùm vnus prædicetur de alio tantùm in quarto modo dicendi per se, quæ est prædicatio accidentalis, & contingens, vt contra Zabarellam, & Baldium, atque alios dictum est supra disput. citata, quæst. 7. ergo, &c.

Nec aliquid facit, si dicatur, quòd etiam in demonstratione, quæ habetur per causam formalem, termini prædicantur ad inuicem in quarto modo, cùm in ratione causæ, & effectus exprimant causalitatem, & dependentiam à prædicta causa.

C Non quidem aliquid facit: nam cùm in demonstratione per causam formalem terminus, qui prædicatur de subiecto, sit vel de essentia eius, vt contingit in demonstratione per causam formalem physicam; vel eius passio, vt patet in demonstratione, quæ habetur per causam formalem metaphysicam; nullo pacto potest prædicari verè, & propriè, etiam vt effectus causæ formalis est, in quarto modo dicendi per se, non enim est prædicatio accidentalis, & contingens, sed essentialis, & necessaria, vt patet. Cæterùm verò, cùm in demonstratione per reliquas causas à forma, terminus, qui prædicatur de subiecto, sit tantùm accidens commune illius, quia non conuenit illi secundùm quòd ipsum; non potest prædicari nisi in quarto modo dicendi per se; quod adeò verum est, vt dum prædictus terminus ex alia ratione induit rationem

D passionis, & proprietatis; non ampliùs in quarto, sed in secundo modo dicendi per se videatur prædicari, vt quæst. 7. citatæ disputationis visum, & explicatum est suprà.

Obiicitur in oppositum primò; Quoniam demonstratio potissima non est distincta a demonstratione propter quid, vt docet Aristoteles hic dicens; Per eandem demonstrationem notificari quid est, & propter quid est, eamque esse potissimam; quod etiam suprà à nobis admissum est disp. 37. quæst. 10. not. 1. & alibi: sed in demonstratione propter quid, medium potest esse quod libet genus causæ: ergo etiam in demonstratione potissima.

Respondetur demonstrationem potissimam non distingui quidem essentialiter à demonstratione propter quid, vt nos cum Philosopho iam concessimus suprà loco citato; distingui tamen accidentaliter tanquam perfectissimum à perfecto, quod sufficit ad hoc vt per-

fectio.

fectiorem postulet causam, vti est causa formalis, quàm A cæteræ demonstrationes propter quid minùs perfectæ, quibus satis est habere pro medio cæteras causas imperfectiores.

Obiicitur secundò ex Aristotele hic, vbi ait, quòd vnius rei vnica est causa, quæ tradit cognitionem propter quid est, eamque vult cum effectu suo reciprocari: ergo fieri non potest, quòd idem effectus per causam formalem potissimè demonstretur, per aliam verò causam demonstretur propter quid tantùm; quia tunc vnius rei essent plures causæ, per quas potest demonstrari.

Respondetur concedendo, quòd vnius effectus sit vnica causa proxima, & necessaria, & per eam solam possit demonstrari potissimè; non tamen est inconueniens, quòd demonstratio minùs perfecta possit demonstrari per alias, non ita proximas, & maximè B cùm multæ causæ requirantur ad vnum effectum causandum. Illæ ergo possunt esse medium, eo modo, quo sunt causæ, vt dictum est suprà.

Obiicitur tandem tertiò; quia illa debet dici potissima demonstratio, quæ perfectissimam parit scientiam, ita vt de re nil ampliùs quæri possit, sed quælibet causa proxima apta est talem parere scientiam: ergo quælibet potest esse medium, &c. Minor probatur ex Aristotele 2. Post. cap. 1. vbi docet per causam satisfacientem quæstioni propter quid satis fieri omnibus aliis quæstionibus; & patet exemplo; nam per interpositionem terræ inter solem, & lunam potest satis fieri omnibus quæstionibus de Eclipsi; An sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit, & idem de aliis demonstrationibus, quas adducit ibidem Aristoteles.

Respondetur maiorem illam esse insufficientem, C nam vltra illud requiritur, vt quietet intellectum per causam proximam, & immediatam formaliter, non autem virtualiter, & per causam necessariam necessitate simpliciter, ita ut nullo modo possit non esse, immo implicet contradictionē, quòd non sit; non autē necessitate complexa, tantùm in aliqua suppositione; quæ omnia sola causa formalis complectitur; ideòque negari debet demonstrationes, quas affert Philosophus loco citato, esse potissimas, quia non sunt per causam omnino necessariam: vnde dato quòd procedant per veram, & potissimam causam, quia tamen est accidentalis, vt dictum est, ideò necessaria non potest esse. Diximus autem, *Dato quòd procedant per veram causam proximam*; quia re vera procedunt per causam re D motā, licèt nobis videātur procedere per causā proximā & hoc euenit, quia naturas rerum non optimè cognoscimus, si enim optimè cognosceremus lunam e. g. videremus aliam esse immediatiorem, & proximiorem causam in luna, propter quam ipsa Eclipsatur, quàm interpositio terræ: hæc enim est accidentalis, & remota secundùm se; sed quia potiorem non habemus, eam vt proximam iudicamus; vnde propriè reduci debent prædictæ demonstrationes ad demonstrationem per causam remotam.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm medium demonstrationis potissimæ sit definitio subiecti, aut definitio passionis.

CAusam formalem, quam pro demonstrationis potissimæ medio, iure, positam esse cognouimus, idem esse ac definitionem, nemo suspicari debet; tum quia ita esse, apertè docuit Philosophus hic text. 41. 95. & 97. dum dixit, *Primum autem medium est primi extremi oratio*, hoc est definitio, quod liquidò constat ex sequentibus verbis, dum addit, *Omnes enim scientiæ sunt per definitiones*. Tum etiam, quia vniuscuiusque rei forma est præcipua pars propriæ definitionis, cùm sit eiusdem rei differentia; vnde absolutè loquendo pro eodem communiter accipiuntur ratio, quidditas, forma, & definitio.

Quia verò definitio aliquando est formalis, idest constans ex genere, & differentia, vel ex iis, quæ stant loco generis, & differentiæ; aliquando tantùm causalis, idest solummodò explicans causam propriam rei definitæ, vt quando definitur Eclipsis per interpositionem terræ inter solem, & lunam: aliquando verò simul formalis, & causalis, vt dicetur infrà; quod vtique non potest dici de forma, quæ semper est causa formalis; vel formalis, & causalis simul: hinc est, quòd ad hoc, vt titulus quæstionis plura comprehendat, ac magis ac magis se extendat, non sub nomine formæ, vel causæ formalis; sed sub nomine definitionis expositus est, quærendo scilicet, an definitio subiecti, vel passionis, quæcunque illa sit ex assignatis, sit medium in demonstratione potissima.

Circa quam difficultatem, ita varia extant placita, vt nullus ferè inueniatur Doctor, qui non aliquid ex proprio sensu promat; sed vt breuitati ac facilitati consulamus, principaliora tantùm referemus; quorum primum fuit quorundam Thomistarum, ipsum etiam tribuentes S. Præceptori hic lect. 1. sed immeritò quidem, vt ibidem diligenter obseruat Dominicus de Flandria; qui docebant vtranque definitionem formalem, subiecti scilicet, & passionis, esse medium demonstrationis potissimæ; at non omnes eodem modo se explicant; aliqui enim volunt, tale medium esse aggregatum quoddam prædictarum definitionum, vt Caiet. hic. cap. 10. Paulus venetus ibidem, & alii; quos approbant Conimbric. cap. 26. quæst. vnicā art. 3. Alii verò etiam vtranque definitionem admittunt, non quidem vt quoddam aggregatum, sed vt quid distinctum, tamen ordine quodam, ita vt prius accipiatur definitio passionis, deinde subiecti; vt Iauellus hic tract. 11. cap. 13. Petronius ibidem quæst. 1. art. 2. atque alii.

Secundum verò placitum fuit quorundam, qui pro medio demonstrationis potissimæ tantùm ponebant definitionem causalem passionis, siue prædicati: Ita Auerr. 1. Post. commento 11. Ægidius hic quæst. de me-

medio. Zabarella lib. 1. de medio demonstrationis cap. 3. quos sequuntur Baldius-Gherard. quæsito 2. quæst. 1. difficult. 5. atque alii.

Tertium tandem placitum, & vltimum est D. Thomæ hic lect. 1. & opusculo 38. Scoti variis in locis, tum quarti sentent. tum 2. dist. 3. quæst. 6. tum 3. sentent. distinct. 14. quæst. 2. quos secuti sunt Dominicus de Flandria loco suprà citato quæst. 1. art. 5. Faber theoremate 13. & 14. Mastr. & Bell. disp. 13. quæst. 2. art. 2. atque alii non pauci, qui omnes docent medium demonstrationis potissimæ esse definitionem formalem subiecti, seu, quod idem est, definitionem causalem passionis.

Notandum est idcirco primò, in hoc præcipuè differre accidens commune, & accidens proprium, seu passionem, quòd hæc sequitur compositum ratione formæ, itaut forma sit prima radix illius: illud verò ratione materiæ, itaut materia sit pariter prima eius radix. Ratio enim est, quia passio sequitur essentiam ratione differentiæ specificæ, quæ habetur à forma compositi; accidens verò commune sequitur eandem essentiam ratione differentiæ indiuidualis, quæ habetur à materia compositi, vt ex professo dicitur in Metaphysicis. Quare forma ipsa compositi erit causa proxima, & immediata passionis, & proprietatis, & consequenter definitio formalis ipsius compositi erit definitio causalis passionis, cùm alia causa immediatior assignari non liceat; nam posita forma compositi ponitur proprietas, & ablata aufertur, quod maximè signum immediationis est causæ, & effectus, vt dictum est suprà; aliter enim Philosophus nō diceret textu 11. primi de anima; Quòd sicut quodquid est (nempe quidditas, & forma compositi) est vtile ad cognoscenda accidentia, ita accidentia magna parte conferunt ad cognoscendum ipsum quodquid est: oportet enim quòd hæc accidentia immediatè fluant ab ipso quodquid est substantiæ, seu compositi alioquin non possent conferre maximè ad cognitionē definitionis substantiæ; quia effectus remoti nihil ferè conferunt ad cognoscendam definitionem subiecti, à qua radicaliter prodeunt. Item non adderet ibidem, Quodquid est, est principium demonstrationis respectu accidentium: non enim huiusmodi accidentia debent esse remota, quia tunc respectu illorum definitio subiecti non posset esse principium demonstrationis, quia principia demonstrationis non debent esse remota, sed proxima, & immediata. Et hinc quidem fit, quòd forma, seu definitio formalis compositi, siue subiecti, semper ponitur in definitione propriæ passionis tanquam causa ipsius ad perfectè quietandum intellectum nostrum, vt patet quando dicitur, Risibile est quid aptum ridere, seu quòd potest ridere; nam quid aptum ridere, quod idem est secundùm rem, & secundùm rationem, vt statim dicetur, cum risibile, importat rationalitatem, quæ est forma, seu definitio formalis compositi, puta hominis, & simul propter quid, seu causa propter quid propriæ passionis, nempe risibilitatis.

Notandum est secundò, quòd quando plures passiones essentialiter ad inuicem ordinatæ proueniunt ab eadem essentia, vt puta ab homine esse discursiuum, admiratiuum, & risibile; nulla de se, & præcisè ab alia, & essentia considerata potest esse verè, & propriè medium demonstrationis potissimæ, de qua tan-

A tùm est sermo in præsenti: ratio enim est, quia talis demonstratio nec esset per totalem, & adæquatam causam, vt diximus suprà disp. 37. quæst. 9. in probatione secundæ partis tertiæ conclusionis: nec ex immediatis, quod omnino repugnat ex dictis, tali demonstrationi. Non esset quidem per totalem causam, quia passio prior, non est de se tota causa posterioris, cùm posterior ab ipsa præcisè non pendeat, sed ab ipsa simul cum essentia: non enim inter ipsas est propriè ordo causæ, & effectus, sed tantùm ordo effectuum ab eadem causa. Nec minùs esset propter eandem rationem ex immediatis, quia principium, à quo prædictæ passiones immediatè fluunt, tantùm est essentia, cùm inter passiones, seu proprietates, & essentiam nihil mediet. Ex quo etiam apertè sequitur,

B quòd dum tertia passio definitur per secundam, aut secunda per primam, tales definitiones non sunt veræ, & propriè definitiones formales, cùm non explicent vndequaque propter quid rei definitæ (non enim explicant veram, & totalem causam). Vnde Philosophus 1. de Anima textu 11. citato, aiebat, quòd illæ definitiones; quæ non faciunt innotescere accidentia, hoc est scire scientifico modo per verum, & proprium propter quid rei eorundem, non sunt veræ definitiones, sed inanes. Quòd si ita est sicut indubitanter debet esse, quomodo aptum natum ridere e. g. erit vera, & propria definitio formalis, vel causalis risibilis, cùm præcisè sumptum, non afferat immediatam, & adæquatam causam, sed tantùm explicet quid nominis ipsius definiti: patet enim, quòd aptum natum ridere, seu posse ridere idem est secundùm rem, & se-

C cundùm rationem cum risibile cùm tam secundùm se, quàm secundùm nostrum modum intelligendi, æquè notum sit cum definito.

Dicendum est ergo primò, quòd medium demonstrationis potissimæ non est aggregatum ex vtraque definitione, subiecti scilicet, & passionis.

Probatur primò auctoritate Philosophi tum secundo Post. cap. 10. tum 1. Post. cap. 22. definitionem diuidentis in illam, quæ est principium, seu medium; in illam, quæ est conclusio; & in eam, quæ sola positione differt à demonstratione: sed definitio aggregata ex definitione subiecti, & passionis continetur sub illo tertio membro; ergo non potest esse medium demonstrationis, & multò magis demonstrationis potissimæ. Consequentia patet; nam aliter tertia defi-

D nitio coincideret cum prima. Probatur autem minor; nam cùm demonstratio propter quid vtranque definitionem contineat suo modo, & ex illis fit, & sic dispositis & distributis coalescat; definitio ex vtraque definitione aggregata nihil aliud erit, quàm ipsa demonstratio materialiter sumpta, hoc est nondum disposita, & aptata, atque ita sola positione, à demonstratione formaliter accepta differens.

Probatur secundò ratione; quoniam medium in demonstratione potissima, sicut in cæteris demonstrationibus debet esse quid vnum: sed talis definitio aggregata, non est quid vnum, cùm subiectum, & passio non sint vnum essentialiter, & formaliter, licèt sint quid vnum entitatiuè; ergo non potest esse medium. Maior patet ex superiùs dictis. Minor verò probatur, quoniam definitio, quæ est quid vnum, debet esse vnius definiti: sed definitio talis aggregata est duorum definitorum, subiecti scilicet, & passionis; ergo non

est quid vnum.

Dicendum est secundò; quòd medium demonstrationis potissimæ, non est vtraque definitio, subiecti scilicet, & passionis, ordine quodam.

Probatur: quoniam medium demonstrationis potissimæ debet esse indemonstrabile, saltem in eo genere scientiæ particularis, de qua habetur demonstratio: sed si vtraque definitio prædicta, ordine quodam esset medium, tale medium posset demonstrari; ergo, &c. Maior patet ex dictis superiùs, cùm vtraque præmissa demonstrationis potissimæ debeat esse immediata, & quid primum. Minor verò probatur; nam cùm in tali ordine, vt videre est apud Iauellum, qui hoc præ cæteris sustinet; priùs accipienda sit definitio passionis, deinde definitio subiecti ad probandam minorem propositionem; certum est prædictam minorem propositionem saltem non esse immediatam, & quid primum, cùm per aliam demonstrari possit; & consequenter medium illius demonstrari de subiecto conclusionis per definitionem priorem videlicet per definitionem subiecti, vt patet in hac demonstratione; scilicet, Omne aptum ridere est risibile: omnis homo est aptus ridere: ergo omnis homo est risibilis; nam cùm aptum ridere, quod est medium, optimè demonstrari queat de homine, qui est subiectum in tali demonstratione, per definitionem ipsius subiecti, nempe per rationalitatem, vtique non est medium indemonstrabile, immediatum, & quid primum. Prᴂterquamquòd ex tali ordine non tolleretur quin esset duplex medium, & consequenter duplex demonstratio.

Dicendum est ergo tertiò; medium demonstrationis potissimæ non potest esse definitio formalis passionis.

Probatur; quoniam sicut passio est demonstrabilis de subiecto, ita & definitio passionis, cùm etiam talis definitio sit accidens proprium eiusdem subiecti; tam enim risibilitas, quàm posse ridere est propria passio hominis. Sed definitio passionis nequit demonstrari de subiecto per definitionem passionis, aliter enim idem demonstraretur per seipsum: ergo talis definitio formalis passionis (si tamen definitio formalis est propter ea, quæ secundo loco adnotauimus) non potest esse medium demonstrationis potissimæ.

Dicendum est quartò, quòd medium demonstrationis potissimæ tantùm est definitio formalis subiecti.

Probatur primò ex Aristotele in Prologo primi de Anima textu 11. vbi inquit, quòd ipsum quodquid est, principium est omnis demonstrationis; quod etiam repetit secundo de Anima textu 12. Sed per tale quodquid est, tantùm intelligit definitionem formalem subiecti: ergo talis definitio debet esse medium in demonstratione. Minor patet ex contextu ibidem. Consequentia etiam liquet, cùm idem sit dicere principiū, ac medium; nam Aduersarii, & præcipuè Zabarella pluribus in locis suæ doctrinæ admittunt, quòd tractatio de principiis sit tractatio de medio.

Confirmatur primò ex eodem Philosopho hic cap. 10. textu 46. dicente; quòd illa definitio est medium demonstrationis, quæ est immediatorum, & indeterminabilium definitio, in aliqua determinata arte, vt docet etiam ibidem Commentator; sed sola definitio formalis subiecti est huiusmodi, (definitio enim formalis passionis demonstrari potest, vt patet de

A posse ridere, quod demonstratur per rationalitatem) ergo sola definitio formalis subiecti est indemonstrabilis, & consequenter erit medium in demonstratione potissima.

Confirmatur secundò ex eodem Philosopho lib. 1. Post. cap. 20. text. 39. dicente: Medium demonstrationis potioris esse illud, quod ad initia propriùs accedit; sed sic est, quòd definitio subiecti propriùs quàm definitio passionis ad principia, cuius est medium, accedit: ergo, &c.

Probatur secundò ratione; nam definitio subiecti est causa prima, & immediata, cur passiones insunt subiecto, quia ab ipsa, tanquam ab adæquato principio fluunt, & qua posita ponuntur passiones, & qua ablata auferuntur; sed hæc omnia sunt munera medii

B demonstrationis potissimæ; vt patet ex superiùs dictis, ergo talis definitio tantùm erit medium in demonstratione potissima.

Dicendum est quintò, quòd Definitio formalis subiecti, idem est ac definitio causalis passionis.

Probatur primò auctoritate Philosophi hic text. 37. dicentis: *Quoniam scientia de quid est, & scientia per causam quid est, quemadmodum diximus, est vnum, & idem;* vbi Commentator sic explicat: *Intendit quòd iam commonstratum est, quòd scientia quid res sit, & scientia cur sit, est scientia de vna eadem re: qui enim quærit quid res sit, quærit causam inferentem ipsam esse, & hoc est vna duarum præmissarum, quas supponit, qui facit scrutinium, & est præmissa per se nota.* Ex quibus omnibus patet, medium indemonstrabile, quòd debet esse medium de-

C monstrationis potissimæ, esse simul quid sit subiecti, seu definitionem formalem illius, & cur passio insit illi, hoc est definitionem causalem passionis: ergo, &c.

Probatur secundò ratione. Quoniam causa passionum est ipsamet essentia subiecti, à qua fluunt; sed definitio formalis subiecti est ipsamet essentia illius, cùm definitio formalis prædicetur de definito in primo modo dicendi per se, vt dictum est suprà quæst. 7. disp. 37. ergo definitio formalis subiecti idem est ac definitio causalis passionis.

Respondent Zabarella, eiusque Sectatores, quòd duo sunt genera accidentium, quæ ex suis causis demonstrantur, quorum alia internam causam habent, & hæc est, quæ in eodem subiecto inest, in quo accidens est, sicut figura sphærica est causa accretionis

D luminis in luna; alia verò externam, & est illa, quæ loco disiuncta est ab accidentis subiecto, vt interpositio terræ est causa eclipsis lunæ: In illa ergo demonstratione, in qua medius terminus est causa externa, definitionis formalis subiecti, & causalis accidentis, idem non sunt; in illa verò, in qua medius terminus est causa interna aliquandò, sed non semper, idem sunt. *Aliquando* dicunt, quia cùm vnum accidens non semper demonstretur per formam subiecti, sed aliquando per aliud accidens, vt quando demonstratur risibilitas per admiratiuum; tunc definitio formalis subiecti nequit esse definitio causalis, saltem proxima accidentis, siue passionis.

Contra tamen; nam cùm sermo in præsenti sit tantùm de demonstratione potissima, in qua demonstratione, solùm propria passio, nunquam accidens commune demonstratur de subiecto, non potest demonstrari per causam intrinsecam, à qua fluit immediatè, quæ

quæ est forma, & quidditas subiecti: nam licet aliquando vna proprietas per aliam, seu per superiorem gradum demonstretur; semper tamen ille gradus superior concurrit simul cum essentia, cùm de se non sit tota, & adæquata ratio, vt notatum est suprà. Quare exempla illa ex Aristotele hic text. 41.95.&c. adducta non sunt exempla demonstrationis potissimæ, cùm in illis non demonstretur propria passio, vt præ cæteris strenuè defendit Faber theoremate 13. & 14. ergo semper, & indispensabiliter in demonstratione potissima, definitio formalis subiecti est definitio causalis passionis.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis. Quia illa definitio est medium in demonstratione potissima, qua accepta propositiones sunt magis immediatæ, cùm demonstratio potissima procedat ex immediatis; sed definitio aggregata ex vtraque definitione est huiusmodi; nam ratione, qua accipitur definitio passionis, est maximè propria, & immediata passioni; ratione verò qua accipitur definitio subiecti, illa definitio est maximè propria, & immediata subiecto: ergo talis definitio aggregata ex vtraque debet esse medium, &c.

Respondetur, quòd licèt definitio subiecti non sit maximè propria, & immediata passioni quantùm ad eius essentialitatem, idest tanquam pertinens essentialiter ad essentiam, & formalitatem eius; tamen est maximè ei propria quantùm ad causalitatem propter quid; quia in definitione subiecti exprimuntur causæ dicentes propter quid passionis, quæ tamen in definitione passionis non exprimuntur; & causa est id, quod requiritur adhoc, quòd aliquid sit medium in demonstratione potissima simpliciter.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis. Tum quia medium in demonstratione potissima dicit quid, & propter quid secundùm Aristotelem hic cap. 2. sed aggregatum ex vtraque definitione ordine quodam est huiusmodi: ergo, &c. Tum etiam quia medium est adæquata causa connexionis passionis cum subiecto; ergo vtranque definitionem saltem ordine quodam continebit. Probatur consequentia: connexio pendet à subiecto, & passione, vt ab extremis: ergo definitio subiecti, & definitio passionis inter se ordinatæ, erunt causa huius connexionis.

Respondetur ad vtranque rationem, quòd cùm definitio formalis subiecti simul sit definitio causalis passionis, si accipiatur pro medio, optimè explicabit quid, & propter quid, idest quidditatem, & formalitatem subiecti, quæ est tota, & adæquata ratio, cur passio illi inest. Ex quo etiam sequitur, quòd talis definitio formalis subiecti sit tota, & adæquata causa connexionis extremorum: nam tota, & adæquata ratio connexionis risibilitatis, cum homine e. g. est rationalitas, vt patet ex suprà adnotatis 2. loco cæteræ enim proprietates intermediæ, sunt tantùm causæ inadæquatæ, seu potiùs ordinationes plurium effectuum formalium inadæquatorum, vt dictum est.

Obiicitur tertiò contra tertiam, & quartam conclusionem. Tum quia Philosophus hic text. 41. 95. &c. dicit, quòd medium demonstrationis est ratio, idest definitio primi termini; sed primus terminus, vt patet 1. Priorum est maior extremitas; maior autem extremitas est passio ipsius subiecti: ergo, &c. Tum etiam quia demonstrationes Mathematicæ sunt potissimæ,

A cùm secundùm Commentatorem 2. Metaphys. sint in primo gradu certitudinis; sed tales assumunt pro medio definitionem passionis, vt patet ex Geometria Euclidis: ergo &c. Tum denique quia medium in demonstratione potissima, quæ habet fieri in prima figura, dicitur esse medium, positione: sed talis est definitio passionis, quæ prior est passione, & sequitur subiectum, non autem sic est definitio subiecti, quæ tam subiectum, quàm passionem præcedit: ergo, &c.

Respondetur, & primò ad primam rationem; Aristotelem vel non loqui de demonstratione potissima, vel si loquitur intelligere de definitione causali passionis; minimè verò de formali. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd illæ demonstrationes mathematicæ,

B in quibus non proceditur per definitionem formalem subiecti, & causalem passionis, licèt sint certissimæ, non verò sunt potissimæ; collocantur autem in primo gradu certitudinis propter euidentiam sensibilem, & quoad nos; non autem propter euidentiam secundùm se, & immediationem, & prioritatem medij: nam multæ demonstrationes potissimæ sunt, quæ tamen secundùm sensum, & quoad nos euidentissimæ non sunt, vt patet. Ad tertiam tandem rationem respondetur, quòd non oportet in demonstratione, vt medium sit verè positione medium secundùm ordinem subijcibilitatis, & prædicabilitatis; sed sufficit quòd mediet inter extrema, videlicet inter subiectum, & passionem in ratione notificantis, in quantùm scilicet ipsum medium notiori modo dicatur de subiecto, quàm ipsa passio: aliter enim nec effectus, qui semper

C est posterior, posset esse medium in demonstratione *Quia*; quod tamen apertè est falsum.

Obijcitur tandē quartò contra quintā conclusionē. Tum quia demonstratio dirigitur solùm ad tradendam scientiam maioris extremi, non minoris: ergo per accidens est quòd medium, quod est definitio causalis passionis, sit definitio formalis subiecti. Tum etiam quia medium vt medium, est causa; quia scire est rem per causam cognoscere: ergo per accidens est, quòd simul sit definitio formalis subiecti.

Respondetur, & primò ad primam rationem; demonstrationem dirigi ad cognoscendam, non quidem passionem vt sic, sed passionem in subiecto, idcirco requiri, quòd medium cognoscatur, vt idem cum passione, & subiecto; quod vtique non potest fieri, si

D medium sit tantùm definitio causalis passionis, & non formalis subiecti. Ad secundam verò rationem respondetur, medium vt medium, non esse causam vt sic, sed causam connexionis prædicati cum subiecto, ne cuiuscunque connexionis; sed illius, quæ est necessaria; ad quod exigitur vt sit essentiale subiecto; ideòque medium demonstrationis potissimę vt medium, debet esse definitio subiecti formalis, & causalis passionis.

DISP. QVADRAGESIMASECVNDA


De Habitu Principiorum.



Aximam affinitatem habet demonstrationis medium cum eiusdem demonstrationis principijs; eò quòd in ipsis inueniatur; vnde, vt dictum est supra, tractatio de principijs est tractatio de medio. Quapropter Philosophus, postquam egit de medio, iterum agit de principijs, non vt sic, cùm iam suprà id fecerit; sed quatenus per aliquem habitum debeant cognosci, quo inuento, eum appellat Intelligentiam, seu Intellectum, siue Habitum principiorum. Nos igitur, ne quid irresolutum maneat circa textum, in fine huius secundi libri idipsum cum eodem Philosopho intendimus examinare.

QVÆSTIO I.

An Præter intellectum, & speciem intelligibilem detur habitus Principiorum.



ARI qualitatem aliquã, per quam principia, seu propositiones immediatæ cognoscuntur, omnes admittunt; nam sicut ad cognoscendas propositiones necessarias, & mediatas, seu per aliud notas, necessaria est scientia: sic ad cognoscendas causas, quę nullum habent medium, per quod probentur, & ideò appellantur immediatæ, siue prima principia; necessaria est virtus aliqua, seu habitus intellectualis. Quia verò ad talia principia cognoscenda indispensabiliter requiritur tum facultas, seu potentia intellectiua, tum species intelligibilis, seu qualitas obiectiuè repræsentans intellectui talia principia: meritò dubitant Doctores, an habitus principiorum sit ipsamet potentia intellectiua, specie intelligibili informata, an aliquid aliud ab ipsis distinctum; hoc enim inuento, facile eius quidditas, & definitio inueniri poterit.

Prima sententia docet habitum primorum principiorum non esse quid distinctum ab intellectu, specie intelligibili fulcito, sed esse ipsummet lumen naturale intellectus, quo fertur in assensum primorum principiorum ex sola terminorum apprehensione. Ita Ariminensis 1. dist. 1. quæst. 1. art. 1. Durandus 2. dist. 24. quæst. 1. & 3. dist. 33. quæst. 1. ad secundum, A Soncin. 4. Metaph. quæst. 33. Soto lib. 1. de Iustitia, & Iure quæst. 4. art. 1. D. Bonauentura 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2. Palacius 1. dist. 23. quæst. 2. Valentia prima secundæ disp. 4. quæst. 3. puncto 1. Cauellus disp. 3. de anima sect. 5. & Poncius 3. parte sui cursus disp. 14. quæst. 1. conclus. 3.

Secunda verò sententia ex opposito docet esse qualitatem quandam intellectui, specie imbuto superadditam, qua inclinamur in principiorum assensum. Ita Henr. Gand. quodlib. 5. quæst. 18. Buridanus 6. Ethic. quæst. 11. art. 3. Maior 2. distinct. 23. quæst. 2. Maironus 3. dist. 33. quæst. 1. art. 8. Conimbr. disp. 7. Ethic. quæst. 6. art. 1. Fonseca primo Metaph. cap. 1. quæst. 4. sect. 4. Caietanus 1. 2. quæst. 51. art. 1. & ibidem Conradus. Ferrara primò contra gentes cap. 98. Medina 1. 2. quæst. 49. art. 1. Suarez tomo B 1. Metap. disp. 1. num 15. Vasq. 1. 2. disp. 74. cap. 3. Ruuius, & Complut. in Logica, atque alij, licèt non eodem modo talem sententiam defendant, vt obseruant Mastr. & Bellut. 1. tomo Metaph. disput. 3. quæst. 3.

Notandum est idcirco, quòd natura, & essentia habitus indaganda est ex proprio actu, & obiecto circa quod versantur, cùm ab his potentiæ, & habitus specificentur, teste Philosopho 2. de Anima cap. 4. Obiectum autem proprium, & adæquatum habitus principiorum aliud non videtur esse, vt ex terminis constat, quàm euidens, & immediata veritas, siue vniuersalis sit illa, siue particularis; nam si circa prima principia complexa versatur, non potest non respicere veritatem vt sic, cùm detur tantùm ad bene esse, de cuius C ratione non potest esse falsitas. Actus verò, seu proprius modus tendendi in obiectum, à quo formalis, & vltima ratio habitus desumitur, est per immediatam comparationem ad ipsam veritatem euidentem, quam sine vllo medio respicit. Vnde sicut alij habitus intellectus constituuntur, & distinguuntur specie per tale, vel tale mediũ assentiendi; vt scientia per medium demonstratiuum; opinio per medium probabile; & fides per testimonium; ita habitus principiorum, qui dicitur intellectus, talis est in propria specie, & à cæteris habitibus distinguitur, quia per se immediatè comparatur ad euidentiam veritatis. Vnde proprius actus eius est, sine vllo medio ei assentire; sicut actus scientiæ, assentire per medium demonstratiuum.

Dicendum est ergo primò, quòd habitus principiorum non est ipsa potentia intellectiua, specie informata; sed verus habitus ipsi superadditus, & ab illa D distinctus.

Probatur primò ex Aristotele hic cap. vltimo, vbi ait, Habitum principiorum in nobis generari experimento, & memoria, quod non potest intelligi de potentia intellectiua. Item 6. Ethic. cap. 3. numerat ipsum inter virtutes intellectuales, quæ sunt veri habitus: ergo est aliquid distinctum ab ipsa potentia.

Probatur secundò ratione, quia potentia rationalis, qualis est intellectus, & voluntas secundùm se est indifferens, & se habet ad opposita, vt dicitur 9. Met. potest enim voluntas ferri in bonum, & malum, & intellectus intelligere verum, vel falsum; sed habitus principiorum non se habet ad opposita, neque indifferenter inclinat in verum, vel falsum; sed infallibiliter attingit verum, & determinat intellectum ad cognoscendas propositiones necessarias immediatas, ipsum-

ipsumque bene disponit secundum suam naturam in ordine ad aliquam operationem: ergo non est ipsa potentia intellectiua, sed verus habitus illi superadditus. Maior, & consequentia constant. Minor verò probatur ab Aristotele loco suprà citato, hac ratione; quia tota certitudo, determinatio, & necessitas assensus scientifici, sumitur ex certitudine, determinatione, & necessitate assensus principiorum; ergo certiùs firmiùs, & magis immobiliter assentitur intellectus, ipsis principijs: sed habitus scientiæ, quo cognoscuntur conclusiones non est indifferens ad verum, vel falsum; sed omnino determinatus ad cognitionem veri: ergo multò magis determinatus est habitus principiorum.

Dicendum est secundò, quòd habitus principiorum versatur tam circa dignitates, quàm circa propositiones, hoc est tam circa principia vniuersalissima, quàm circa principia particularium scientiarum.

Probatur; Tum quia Aristoteles agens de huiusmodi habitu, non distinguit principia communia, & principia particularium scientiarum, sed absolutè docet versari circa prima principia. Tum etiam quia, vt sumitur ex eodem Aristotele loco citato, propria ratio, per quam habitus principiorum distinguitur à scientia, est quòd versetur circa propositiones medio vacantes, & per se notas, quod æque conuenit tam principiis communibus, quàm particularium scientiarum; siquidem vtraque sunt propositiones immediatæ. Tum denique, quia necessitas ponendi hunc habitum superadditum intellectui æquè procedit in omnibus; siquidem ex vtrisque deriuatur cognitio scientifica, & ad omnia requiruntur species intelligibiles: ergo pro omnibus necessaria est virtus intellectualis, vt illi firmiter adhæreat intellectus, & determinetur sufficienter ad veri cognitionem.

Dicendum est tertiò, quòd habitus principiorum est habitus circa propositiones vniuersales necessarias immediatas, & speculatiuas.

Probatur; nam priores particulæ exprimunt genus proximum, in quo talis habitus conuenit cum synderesi, quæ est habitus principiorum practicorum: vltima verò particula ponitur loco differentiæ; quia penes practicum, & speculatiuum distinguuntur isti duo habitus: ergo est bona, & essentialis definitio, cùm constet ex genere, & differentia.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis. Tum quia Aristoteles 6. Ethic. & alibi appellat talem habitum, intellectum: ergo ab ipso non distinguitur. Tum etiam quia ex dictis, habitus superadditur intellectui ad tollendam indifferentiam; sed intellectus circa prima principia non habet indifferentiam cùm sit naturaliter determinatus; nam explicatis terminis, non potest illis dissentire: ergo habitus principiorum non distinguitur ab intellectu.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd habitus principiorum vocatur ab Aristotele intellectus, vel intelligentia per suam excellentiam; quia per ipsum elicitur actus primarius cognitionis intellectiuæ, quæ fit sine discursu. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd habitus principiorum est necessarius, tùm quia intellectus secundùm se est indifferens ad eliciendum assensum, vel principiorum, vel conclusionum. Tum deinde quia licèt explicatis principijs vniuersalissimis, intellectus naturaliter determinetur ad assentiendum illi; tamen respectu aliorum minus vniuersalium potest habere falsam cognitionem. Tum denique quia intellectus in omni suo actu indiget speciebus intelligibilibus, nec habet ex se sufficientem determinationem etiam respectu principiorum vniuersalissimorum, neque ex se est facilis ad assentiendum illis.

Obijcitur secundò contra eandem primam conclusionem; nam sicut se habet voluntas circa finem sibi proportionatum, sic se habet intellectus circa prima principia naturaliter cognita: nam ex communi Philosophorum doctrina, sicut se habet finis in practicis, ita principium in speculatiuis: sed voluntas non indiget vllo habitu ad finem sibi proportionatum, ergo nec intellectus circa prima principia.

Respondetur, quòd cùm voluntas in sua operatione non requirat speciem, sed eius operatio sit pura inclinatio in obiectum, quod ad se voluntatem attrahit, ipsa voluntas est in se sufficienter determinata ab Auctore naturæ, vt absque vlla difficultate feratur in finem, in quem naturaliter inclinatur, vt docent Morales.

Obijcitur tandem tertiò in oppositum secundæ conclusionis; nam si statet prædicta conclusio, posset eadem propositio cognosci simul, habitu scientifico, & habitu primorum principiorum: sed hoc non est dicendum, quia eademmet propositio esset simul conclusio, & principium: ergo non versatur tam circa dignitates, quàm circa positiones.

Respondetur concedendo sequelam, nam eademmet propositio realiter cognoscitur, habitu principiorum prout est principium; prout vero est conclusio, cognoscitur, habitu scientiæ, & ita est eadem materialiter, sed non formaliter: esse enim propositionem immediatam, vel mediatam mutat formalitatem. Habetur de hoc manifestum exemplum in conclusione Theologica, quæ vt talis non est de fide, & cognoscitur habitu Theologico, vt verò aliunde determinata ab Ecclesia, cognoscitur habitu fidei.

QVÆSTIO II.

Vtrùm habitus Principiorum sit à natura inditus, vel acquisitus.

PRæsens difficultas oritur ex antecedenti: nam si talis habitus non est ipsa potentia intellectiua, sed aliquid illi superadditum, statim videtur quærendum, an sit aliquid superadditum potentiæ ab ipsa natura, vel potiùs proprijs ipsius potentiæ actibus acquisitum.

In hac quæstione duæ sunt opiniones extremæ, & vna media. Prima extrema docet habitum principiorum esse quid acquisitum à potentia per proprios actus, quibus primis principiis assentitur. Ita Alex. 4. Met. text. 8. Henr. Gand. quodl. 3. q. 18. Ægidius, & Venetus 2. Post. in fine. Maior in 3. dist. 28. quæst. 2. Vasq. disp. 49. cap. 3. Ruuius tract. de habitu principiorum, num. 14. Azorius lib. 3. cap. 21. quæst. 1. Sua-

Suarez tomo 1. Metaph. disp. 1. num. 15. quos referunt, & sequuntur Mastr. & Bell. tomo 1. Metaph. disp. 3. quæst. 3. num. 30. licèt non eodem modo ab omnibus prædictis talis defendatur sententia.

Secunda verò opinio extrema è contrà docet esse à natura inditum, & infusum. Ita Conradus, & Medina 1. 2. quæst. 11. art. 1. Bannes p. p. quæst. 1. art. 6. not. 3. Sanchez lib. 7. Logicæ quæst. 15. B. Albertus Magnus 2. post. tract. 2. cap. 1. Buridanus lib. 6. Ethic. cap. 6. in fine, atque alij, licèt diuersimodè se explicent.

Tertia tandem sententia, quæ mediat inter relatas, asserit habitum principiorum partim dici naturalem, & partim acquisitum. Ita D. Tho. 1. 2. quæst. 51. art. 1. Caiet. ibidem Ferrariensis secundo contra gentes cap. 78. Nazarius p. p. quæst. 58. art. 1. controu. 1. atque alij, quos referunt, & sequuntur Complut. hic disp. 20. quæst. 2. num. 12. quamuis omnes eodem modo non conueniant in explicatione.

Notandum est idcirco, quòd prout ad præsens spectet, habitus intellectuales sunt in duplici differentia; nam aliqui producuntur ab intellectu possibili per actus, seu assensus, & iudicia eiusdem, & in eodem subiectantur, concurrente etiam virtute intellectus agentis, quemadmodùm est scientia, & opinio, &c. Alij verò producuntur ab intellectu agente, posita terminorum notitia extrinsecùs acquisita mediantibus sensibus ad præsentiam specierum intelligibilium, vnde virtute ipsius intellectus agentis statim resultant in intellectu possibili, de quorum numero est ipsemet habitus principiorum. Quare inter eos hæc duo præcipua solent assignari discrimina. Quorum primum est, quòd priores habitus omnino dicuntur acquisiti ab intellectu possibili proprijs actibus; posteriores verò nequaquam, sed partim infusi, & partim acquisiti; non quidem quòd vna pars sit à natura, & alia ab illo exteriori principio, ratione cuius dicuntur acquisiti; sed quia posita terminorum notitia extrinsecus acquisita mediantibus sensibus ad præsentiam specierum intelligibilium, virtute intellectus agentis resultat in intellectu possibibili talis habitus, vt dictum est. Atque ita eadem qualitas simul dicitur naturalis, quia fluit per modum naturæ posita notitia terminorum, eo modo, quo nutrire, & augere e. g. dicuntur actus naturales animæ, posito alimento decocto; & simul dicitur acquisita, quia supponit operationes sensuum, per quas acquiruntur species intelligibiles. Alterum verò discrimen quod assignari solet, est quòd priores habitus possunt corrumpi vel per se, vel per accidens vel per accidens, & per se simul; posteriores verò nequaquam. Tunc autem priores habitus corrumpuntur per se, quandò à suo contrario corrumpuntur; tunc verò corrumpuntur per accidens quando per obliuionem, aut dissuetudinem suorum actuum corrumpuntur: tunc denique, & per se, & per accidens corrumpuntur, quando ex vtroque capite corrumpi possunt. Posteriores autem habitus cùm resultent per modum naturæ, non habent contrarium a quo possunt corrumpi; & cùm non acquirantur ab intellectu possibili proprijs actibus, & iudicijs, non subduntur obliuioni, & amissioni prædictorum actuum; vnde nec corrumpi possunt per accidens.

Dicendum est ergo, quòd habitus principiorum est partim naturalis, & partim acquisitus.

A Probatur primò ex Aristotele in hoc 2. libro cap. vltimo, vbi non dixit habitum principiorum fieri *assensu*, idest per assensum intellectus, vt non satis accuratè legit Ruuius: *sed à sensu*, idest à potentia sensitiua, vt habent omnes translationes, & legunt ibi cæteri Interpretes. Dicit autem cognitionem principiorum fieri ex sensu, & non ex alijs habitibus notioribus, vt ostendat non esse reducendam in alios priores assensus, seu iudicia intellectus, sed immediatè desumi ex ipsis sensibilibus, modo tamen explicato.

Probatur secundò conclusio ratione; quoniam ille habitus dicitur naturalis, & acquisitus, modo explicato, qui non acquiritur ex frequentatis actibus, neque amittitur, & augetur ex amissione, vel intensione eorum, sed statim ac habetur notitia terminorum per B species à sensibus accepta, acquiritur per naturale lumen intellectus agentis: sed huiusmodi est habitus principiorum; ergo, &c. Consequentia de se est manifesta. Minor patet ex dictis; nam repetantur assensus principiorum non magis assentitur ipsis principijs intellectus in secundo, & tertio actu, quàm in primo: ergo non generatur ex frequentatione eorum. Maior verò probatur; nam in hoc contradistinguuntur habitus naturales, & acquisiti, quòd acquisiti per multos actus generantur; naturales verò nequaquam: ergo qui per multos actus non generatur, sed per assensus externos acquiritur, erit naturalis, ratione carentiæ frequentationis actuum, & erit acquisitus ratione sensuum externorum.

C Respondent primò Fonseca, Ruuius, & quidam alij defensores primæ sententiæ negando minorem, quare adducunt contrariam experientiam: Videmus enim (inquiunt ipsi) àliquos ab initio non facilè assentiri primis principijs, & post repetitionem probationum, & assensuum facilè assentiri; vnde qui admittunt infinitum in actu, negant illud principium, Omne totum est maius sua parte; & per rationes sophisticàs in contrarium, infirmatur assensus, & minuitur habitus, nunquam tamen ex toto corrumpitur ob maximam eorum euidentiam; quare si admittitur habitus principiorum, actibus nostris acquiri, idem iudiciū de ipsis ferendum est, quod fertur à quibusdam de habitu Luxuriæ; quia enim natura nostra maximè in Venerem procliuis est (inquiunt) vnum, vel alium actum sufficere venereum pro generatione habitus in- D tensi venerei; atque ideò facillimè generari, sed difficillimè corrumpi ob fomentum, quod habet ab ipsa inclinatione naturæ; sic in proposito, quia intellectus, suo naturali lumine maximè propendet in principiorum assensum, facillimè ex tali assensu generatur habitus, sed semel genitus difficilè corrumpitur ob fomentum, quod habet ab ipso naturali lumine intellectus, & euidentia terminorum, illa principia constituentium.

Contra tamen est; quòd dum in tali casu non tam facilè assentitur ab initio primis principiis, quàm post repetitionem probationum, & assensuum eorum; non vtique assentitur illis, vt principia prima sunt, cùm per alia priora supponantur probata, & consequenter non erit habitus principiorum, sed vel scientiæ, vel saltem opinionis, vt optimè probat exemplum adductum de opinantibus dari infinitum in actu; & exemplum de eo, qui decipitur per rationes sophisticai

cas in contrarium adductas; quem habitum, & nos concedimus per repetitos actus, & assensus acquiri: ergo præsens euasio nihil ad nos, qui tantùm loquimur de habitu principiorum, vt principia sunt.

Respondent secundò Mastr. & Bell. loco suprà citato, num. 43. concedendo minorem, sed negando, quòd ex hoc sequatur talem habitum non esse acquisitum; cùm habitus principiorum non ponatur ad superandam difficultatem, quam ab initio habemus circa eorum assensum, cùm nulla sit; sed tantùm ad saluandam intensionem assensuum, quam experimur post multam repetitionem illorum, quod sufficit ad hoc vt talis habitus dicatur acquisitus proprijs actibus ab Intellectu possibili; vnde per eorum repetitionem, vel cessationem, non augetur, vel minuitur facilitas circa eorum credulitatem; sed tantùm fit maior, vel minor intensio ipsius assensus.

Contra tamen est id, quod superiùs ex sententia probabili D. Thomæ de habitibus supernaturaliter infusis tetigimus disp. 40. quæst. 2. not. 2. nimirum quòd ex actibus fidei, & charitatis quantumuis intensis, non acquiruntur noui habitus, neque priores infusi intenduntur effectiuè, sed tantùm dispositiuè, & meritoriè, quod est intendi secundùm quid, & impropriè; sed tantùm confirmantur, & extenduntur; ergo à pari, estò per illam repetitionem, actus siue assensus intellectus possibilis intendantur, non tamen ex hoc sequitur quòd habitus principiorum ratione cuius prædicti actus fierent intensiores, non sit infusus, & congenitus. Consequentia patet, cùm non sit maior ratio de habitibus infusis supernaturaliter, quàm de habitibus infusis naturaliter.

Obiicitur primò pro prima opinione probãdo talem habitũ esse tantùm acquisitum. Tum quia sic expresse docet Aristoteles hic cap. 27 & 3. de Anima 40. vbi ait Intellectum nostrum ab initio esse tanquam tabulam rasam, in quá nihil est depictum. Tum etiam, quia tunc quilibet deberet cognoscere principia immediata scientiarum omnium; cùm à natura supponatur habere congenitum habitum illorum; absurdum enim foret, ait Aristoteles, esse nobis nobilissimos habitus, & latere; ergo, &c.

Respondetur ad primum concedendo talem auctoritatem, & ideò dicimus ex parte intellectus agentis depurantis phantasmata, & accipientis species intelligibiles, esse habitum acquisitum, licèt ex parte intellectus possibilis, in quo naturaliter ex lumine intellectus agentis posteà resultat, & congenitus, & naturalis. Ad secundum verò dicitur; esse à natura congenitum, posse dupliciter intelligi, primò ita vt in prima rerum molitione sit à natura concessum. Secundò verò vt ex aliquo auxilio posteà naturaliter resultet. Primo modo falsum vtique est, habitum principiorum esse inditum, & à natura congenitum, vnde ponimus ex aliqua parte esse acquisitum. Secundo autem modo verum est, cùm virtute intellectus agentis resultet in intellectu possibili, vt dictum est. Ex quo sequetur, quòd quilibet deberet cognoscere principia immediata scientiarum omnium, non absolutè, & simpliciter, sed tantùm supposito auxilio ex industria intellectus agentis, vt patet.

Secundò Obiicitur, probando idem. Quoniam natura non concedit rebus, nisi quæ necessaria sunt ad simpliciter agendum, quæ verò ad meliùs, vel facilè

A operandum, relinquit acquirenda propria industria, & labore; & hac de causa non concessit hominibus habitus virtutum, quia non requiruntur ad operandum simpliciter, sed ad meliùs, vel cum facilitate: sed habitus principiorum non est necessarius ad assentiendum primis principiis simpliciter, sed solùm cum facilitate: nam talis assensus principiorum non excedit facultatem intellectus, cùm per species intelligibiles, virtute propria possit idemmet intellectus iudicare de veritate eorum, illisque assentiri: ergo cùm non detur ad simpliciter operandum, sed ad facilè, erit acquisitus, sicut cæteri habitus

Respondetur concedendo argumentum in illo sensu, in quo, & nos concedimus esse habitum acquisitum; sed negatur, quòd acquiratur eodem modo sicut, & cæteri habitus, scilicet per suos proprios actus prop-
B ter rationem adductam in fundamento; & hinc est quòd cùm fluat in nobis per modum naturæ, asserimus etiam esse à natura inditum, modo tamen superiùs explicato.

Obijcitur tandem tertiò, probando esse dumtaxat à natura inditum. Quoniam in homine cognitio principiorum est veluti quoddam seminarium totius cognitionis sequentis; ergo sicut in aliis naturis sequentium operationum, & effectuum præexistunt quędam naturalia semina; sic etiam cognitio principiorum debet naturaliter inesse homini, ac proinde, & habitus principiorum, quo fit talis cognitio; Maximè quia facilitas, & promptitudo in operando est indicium habitus præsentis: sed explicatis terminis ita facilè, &
C promptè assentimur cùm primùm proponuntur prima principia, ac postquam habuerimus circa illa plures actus: ergo ante primum assensum, iam existit habitus, à quo causatur talis facilitas; & per consequens est inditus à natura.

Respondetur, quòd vt habitus principiorum sit seminarium totius cognitionis sequentis, & præueniat assensus, seu iudicia intellectus circa illa: sufficit, quòd sit naturalis modo explicato, vt ex dictis patet, & ideò præfatum argumentum solùm probat nostram conclusionem.

QVÆSTIONIS APPENDIX.

D *An habitus principiorum sit idem secundùm speciem pro omnibus principijs, siue dignitates, siue positiones fuerint; vel diuersus pro diuersis.*

CVM ad euitandam prolixitatem, non tam commodè in explicata quæstione huiusmodi dubium resolui potuerit; ad ipsam tamen, ne maneat irresolutum, meritò appendimus.

Dicendum est ergo primò, habitum principiorum speculatiuorum distingui specie ab habitu principiorum practicorum, qui vocatur Synderesis. Circa hoc omnes conueniunt affirmando; quod tamen probatur ex eo, quòd actus, & habitus destinguuntur specie per diuersa obiecta: sed veritas practica, quam continent prin-

principia practica, & circa quam versatur habitus tanquam circa proprium obiectum, est diuersa specie à veritate speculatiua: cùm illa ex propria natura ordinetur ad operandum; hæc verò non: ergo habitus isti distinguuntur specie. Principia enim practica sunt hæc, & similia: Bonum est prosequendum, & malum fugiendum. Virtus est amplectenda, & Vitium est fugiendum; quę per se patent ordinari ad operandum. Speculatiua autem sunt: Totum est maius sua parte; Homo est animal rationale, & similia, de quibus manifestum est, nullum ordinem dicere ad operandum.

Dicendum est secundò, eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculatiuis (quod etiam dicendū est de habitu pro omnibus principiis practicis) siue dignitates, siue positiones fuerint; & consequenter non esse multiplicandum iuxta numerum scientiarum, vt docent Ruuius hìc tractatu de habitu principiorum. Mast. & Bell. loco suprà citato, n. 44. & alii. Defenditur tamen hæc sententia à Complutensibus disp. 20. Logicæ quæst. 1. num. 7. atque ab alijs; vnde probatur primò ex Aristotele hìc cap. vlt. vbi docet habitum istum esse veritatem intellectualem certiorem, & altiorem habitu scientiæ, in quam iste resoluitur, tanquam in principium efficiens præhabens in se quidquid perfectionis est in scientia: ergo vnitas eius sumenda est ex altiori, & vniuersaliori radice, ac proinde non est multiplicandus iuxta numerum scientiarum.

Respondent Mastr. & Bell. loco citato parùm ad hoc referre, quòd habitus principiorum sit altior, atque nobilior habitu scientifico, ideòque sumendam esse eius vnitatem ex altiori, & vniuersaliori radice; licèt enim ob id habeat quasdam præeminentias, quibus caret habitus scientificus: attamen in ordine ad vnitatem, & distinctionem ita se habent, quòd tam hic, quam ille habitus distinguantur per actus, & actus per obiecta.

Contra tamen est, quòd tam actus, quàm obiecta, ex quibus talis habitus principiorum debet accipere vnitatem non sunt actus, & obiecta ex quibus scientiæ propriam accipiunt vnitatem, sed quid altius, & vniuersalius, nempe id, quod est principium efficiens conclusionum, per quod intellectus exercet suos actus, seu assensus circa illas: ergo estò vnitas prædicti habitus accipienda sit ex actibus, & obiectis, non erit tamen multiplicatus talis habitus ad multiplicationem actuum, & obiectorum scientiarum, sed tantùm ad multiplicationem formalem proprij obiecti, & actuum circa illud exercitorum, quod est quid altius, & vniuersalius obiectis, & actibus scientiarum, vt patet; & consequenter quid simplicius.

Probatur nostrum dictum secundò. Quoniam propria ratio formalis sub qua habitus iste tendit in principia, vt in proprium obiectum, nempe immediata connexione prædicati cum subiecto, eadem est in omnibus principijs scientiarum, quamuis pro diuersitate materiali eorum, sæpe interueniat maior, aut minor difficultas in explicatione terminorum, vt dictum est suprà: ergo idem habitus in specie infima sufficit pro omnibus principijs speculatiuis v. g. tam vniuersalibus, quàm specialibus, & proprijs scientiarum.

A

Respondent prædicti Auctores vbi suprà, quòd talis ratio falsum assumit: quoniam licèt sit eadem ratio formalis generica, est tamen specie diuersa pro diuersitate scientiarum, & principiorum, quia diuersa est veritas immediata vnius principij à veritate immediata alterius, nedum materialiter, sed etiam formaliter; quia vnicuique assentitur intellectus, & propter seipsū sine medio à priori. Immo si prædicta ratio vrget, nedum probabit eundem specie infima habitum sufficere pro omnibus principijs speculatiuis, sed etiam pro omnibus, & singulis in vniuersum, tam practicis, quàm speculatiuis; quia eadem est ratio formalis assentiendi in omnibus, quia omnibus assentitur sine medio, habita solùm significatione terminorū. Immo idipsum concluderetur etiam de quocunque habitu scientifico, quòd omnes essent eiusdem infimæ speciei, quia eadem est ratio formalis assentiendi in omnibus, quatenus

B

omnibus cōclusionibus assentitur per medium demonstratiuum: sicut ergo ad hoc argumentum diceretur, quòd vtique in omnibus scientijs est eadem ratio formalis assentiendi generica, scilicet per medium demonstratiuum, sed est diuersa specificè pro diuersitate mediorum, & principiorum demonstrationis, ita pariter dicendum est in proposito.

Contra primam, & secundam rationem responsionis tamen est, id quod suprà quæst. 1. concl. 3. dictum est; nimirum, rationem specificam, & differentialem constituentem habitum principiorum, non esse assensum propositionis immediatæ vtcunque, cùm hoc stet loco generis, sed tantùm propositionis immediatæ speculatiuæ: ergo nostrà ratio non assumit falsum, neque probat eundem specie esse habitum principiorum tam practicorum, quàm speculatiuorum.

Contra tertiam verò rationem eiusdem responsionis est id, quod suprà de specificatione scientiarum disp. 38. quæst. 3. dictum est; nimirum scientias proximè, & immediatè non accipere suam vnitatem genericam ex assensu conclusionis per medium

C

demonstratiuum, sicut eam accipit habitus principiorum, cùm sit quid altius, & vniuersalius scientia; sed aliunde, vt ibidem probatum est: ergo ex nostra ratione non sequetur omnes scientias fore eiusdem speciei infimæ.

D



IN

IN OCTO TOPICORVM LIBROS

DISPVTATIONES, ET QVAESTIONES.





PRæsens opus varium sanè est, hoc est multæ eruditionis, & obseruationis rerum diuersarum, cùm rerum ferè omnium argumenta doceat inuenire. Perpaucos tamen habet ex Dialecticis expositores: causa fortasse ignoratur, an scilicet locorum multitudo, ex quibus talia erui possunt argumenta, vel tenebricosa extiterit confusio; quare Rhetoribus multùm debent Dialectici, qui dispersa collegerunt, & obscuritatem hanc illustrauerunt, tradendo quis esset istius materiæ vsus, quod Cicero præstitit in Topicis ad Trebatium: nam partem hanc de Dialectica inuentione, & Rhetores auidè occupauerunt tanquam suam, & Dialectici verecundè cesserunt, tanquam alienam. Proprio tamen nomine *Dialectica* dicitur antonomasticè; vulgò enim receptum fuit, vt orationes siue collocutiones illas inter duos, quorum alter alterum vincere nitebatur, dialecticas appellarent; hinc nomen istud ad hanc artem Aristoteles, teste Auerroe transtulit, in qua viam monstrat, de quauis re proposita cum quouis differendi; vnde alio nomine Topica à *Topos* græcè, quod est locus latinè, & *Icos*, seu scientia; quasi scientia de locis, quia tradit locos probabilium propositionum, insuper vocatur.

Cùm autem omnia, quæ hic tractantur, vel sint partes syllogismi dialectici, seu probabilis, vel loci ex quibus argumentorum probabilium copia deduci possit; quæ omnia ad compositionem eiusdem syllogismi ordinantur: Scopus, & obiectum totius operis idem syllogismus erit, cuius naturam, & proprietates intendit in eo Aristoteles explicare; nam præcipuæ conditiones obiecti istæ sunt. Quoniam verò syllogismus dialecticus natura, & ordine dignitatis, demonstra- A tiuo posterior est; meritò his, Posteriorum libri (quidquid reclamet Boetius) anteferuntur.

Vtilitatem verò istius facultatis explicat ipse Philosophus cap. 2. vel vt alij volunt secunda parte capitis primi: ait enim conducere ad exercitationem: deinde ad colloquia, honestosue congressus denique ad Philosophiæ disciplinam. Per exercitationem intelligit, vel gymnasticos conflictus, vel eam rationem disputandi, quæ apud veteres in vsu fuit; proposita enim quæstione in Gymnasio afferebantur pro vtraque parte probabiles rationes, vt Scholastici de quacunque re disputandi copiam compararent. Huic exercitationi conducit ars topica, quoniam qui illa sunt instructi, facilè ex locis argumenta depromunt. Per colloquium intelligunt Alexander, & Auerroes congressus cum multitudine, apud quam similitudinibus vtendum est ex rebus vulgo notis; nam quæ ex intimis artium penetralibus eruuntur, miratur potiùs multitudo, quàm credit; in his verò abundat Dialecticus. B Demum est vtilis ad Philosophiæ partes, quia hac arte instructi, cùm de quauis re, in vtranque partem disputamus, quid verum sit, quid falsum meliùs percipimus; tum etiam quia probabiles rationes ad veram principiorum cognitionem manu ducunt.

Duo facit Philosophus vt vniuersalem istius operis, quod in 8. libros distribuitur, diuisionem intelligamus. Primò explicat naturam syllogismi dialectici, & partes ex quibus componitur; quod facit per totum primum librum. Secundò verò, quia syllogismus iste topicus, hoc est localis dicitur, locos omnes, ex quibus argumentorum probabilium copiam deducere possimus, copiosè tradit, & explicat, vt ita instructus Dialecticus quancunque disputationem de rebus probabilibus instituere possit, quod per cæteros sequentes libros, absoluit.

LIBER PRIMVS TOPICORVM,

EIVSQVE SYNOPSIS.



AGitur in hoc libro de ratiocinandi speciebus, eiusque partibus, ac instrumentis; qui diuiditur in 14. capita, vel vt alii antiquiores compendiariùs legunt, in quinque; in quorum primo ponit philosophus suum intentum, & finem, describit que diuersas syllogismorum species. In secundo dat ordinem dicendorum, & determinat C quot, & quæ sint prædicata dialectica. In tertio agit de reductione aliorum prædicatorum ad definitionem. In quarto ostendit quid est propositio dialectica, quid problema dialecticum; & etiam determinat de positione, & de speciebus argumentationis dialecticæ. In quinto tandem, & vltimo determinat de instrumentis abundandi in syllogismis dialecticis. Quæ omnia sequentibus disputationibus examinabimus.

DISP. QVADRAGESIMATERTIA.

De Prædicatis Dialecticis.



Ialecticus, seu probabilis syllogismus, cuius est præcipua cura in hac topica facultate; vnde, & Epicherema, hoc est Aggressio in octauo huius à Philosopho vocatur, eò quòd ad dialecticam disputationem cum altero ineundam, est maximè promptus, & idoneus; materialiter proximè componitur ex dialecticis propositionibus, remotè verò ex dialectis, seu topicis prædicatis, ex quibus deinde propositiones dialecticæ proximè componuntur. Quapropter vt de ipso, ordine, & methodo compositiua disputemus; de prædicatis dialecticis primo loco agendum est.

QVÆSTIO I.

Quid, & Quotuplex sit Prædicatum dialecticum.



D euitandam amphibologiam supponere debemus hoc nomen Prædicatum, triplicem habere acceptionem; primam generalem, itaut ad quodlibet, quacunque ratione de subiecto enunciatum, se extendat. Secundam verò non tam amplam, quatenus scilicet significat ipsum actum prædicabilitatis. Tertiam denique contractiorem; quatenus tantùm dicit ordinem ad propositionem, siue problema constituendum. De prædicato in prima acceptione, non est sermo in præsenti; cùm per ipsius illimitationem ad omnes propositiones se extendat. Neque minùs in secunda, cùm referatur ad prædicabile, cuius est actus, & totidem modis videatur multiplicandum, quot prædicabile ipsum. Quare in præsenti tantùm erit sermo de prædicato in tertia acceptione.

Circa primã quæsiti partem, omnes Dialectici conueniunt, licèt alii fusiùs, alii protractiùs prædicati explicent definitionem. Circa verò secundam partem, Rodulphus agricola lib. 1. de inuentione dialectica cap. 3. ait Aristotelem errasse in assignando numerum prædicatorum, cùm plura quatuor, esse videantur. Cæteri verò Dialectici communiter docent cum Philosopho prædicta prædicata tantùm esse quatuor.

Notandum est idcirco primò, quòd vt aliquod prędicatum sit dialecticum, de quo in præsenti tantùm est sermo, tres conditiones habere debet, quarum prima

A est, quòd natum sit prædicari de aliquo, prædicatio-
ne directa, & ordinata, quæ fit quando superius præ-
dicatur de suo inferiori, vel saltem de æquali: quo
pacto nullum indiuiduum potest esse prædicatum dia-
lecticum, cum non habeat inferiora, &c. Secunda verò
conditio est, vt propositio, in qua reperitur huiusmodi
prædicatum sit terminabilis, seu probabilis per artem
dialecticam; quod fit, dum probatur per aliquem lo-
cum dialecticum; defectu cuius, nullum prædicatum
in propositione demonstratiua, & necessaria vt sic,
erit prædicatum dialecticum. Tertia denique con-
ditio est, quòd tale prædicatum non sit reducibile ad
aliud prius ipso secundùm easdem considerationes, ex
quo capite excluduntur à numero prædicatorum dia-
lecticorum annexa eorundem, quemadmodùm est
idem, & diuersum, respectu generis, & definitionis;
B magis, & minùs, respectu accidentis: nam in tantùm
aliqua sunt inter se eadem, vel diuersa genere, vel de-
finitione, in quantum idem, vel diuersum habent ge-
nus; aut eandem, vel diuersam definitionem, ad quæ
reducuntur; atque ità in tantùm aliqua inter se admit-
tunt magis, & minùs, in quantùm participant de
eadem qualitate, ac perfectione, vt ex professo dicetur
infra. Ex quibus omnibus talem colligunt Dialectici,
Prædicati definitionem; nimirùm *Prædicatum est ter-*
minus prædicabilis de aliquo inferiori in propositione termi-
nabili seu probabili per artem dialecticam, nõ reducibilem ad
aliquod prius, eò quòd de eodem subiecto potest ostendi se-
cundùm easdem considerationes.

Notandum secundò, quòd licèt hæc tria, nempe
prædicabile, prædicamentum, & prædicatum si largè
C sumantur, se habeant ad inuicem, sicut potentia,
actus, & operatio; strictè tamen considerata inter se
valdè discriminantur, cùm diuerso modo in suo esse
constituantur: nam Prædicabile constituitur in esse
per ordinem, & respectum ad sua inferiora, idest ad
naturas, quas denominat genus speciem, &c. in qui-
bus est vt vnum in multis, & de quibus in quid, vel in
quale prædicatur: est enim prædicabile, quoddam
natum aptum dici de pluribus: atque ideò debet esse
terminus vniuersalis incomplexus, &c. vt iam dictum
est suprà, suo loco. Prædicamentum verò constituitur
per ordinẽ ad primã substantiã, cuius prædicata tam
essentialia, quàm accidentalia coordinat, & distribuit
in ratione superioritatis, & inferioritatis: est enim
prædicamentum series, & dispositio prædicatorum
D essentialium seu generum, & specierum sub vno quo-
dam supremo genere, quo nihil est superius vsque ad in-
diuiduum, quo nihil est inferius; vnde pariter debet
esse terminus incomplexus, vniuocus, &c. vt expli-
cauimus suprà suo loco. Prædicatum denique, prout
ad præsens spectat constituitur per ordinem ad diuer-
sos modos, quibus formari potest problema dialecti-
cum; vt dictum est disp. 2. quæst. 6. ad primum; cùm
in dialecticis fiat disputatio frequens, an hoc sit illius
accidens, an genus, &c. est enim prædicatum termi-
nus prædicabilis in aliquo problema, vel propositio-
ne dialectica, seu quod in alterutram partem disputari
potest, ad quod sufficit vt sit terminus communis,
cùm syllogismus dialecticus, vt notat B. Alb. Magnus
1. top. tract. 1. cap. 2. ex communibus terminis con-
ficiatur; estò aliàs sit complexus, dummodò essentia-
liter, vel accidentaliter, conuertibiliter, vel incon-
uertibiliter prædicetur.

Dicen-

Dicendum est ergo primò, quòd definitio assignata prædicati dialectici est bona.

Probatur: nam licèt non sit rigorosa, & essentialis definitio; describitur tamen ad modum definitionis concretorum accidentalium, cùm detur per communia loco generis, nempe per *terminum prædicabilem*, ratione cuius, prædicatum dialecticum conuenit suo modo cum cæteris terminis prædicabilibus: & per propria, nempe per cæteras particulas, ratione quarum distinguitur tum à cæteris prædicabilibus terminis, & ab vniuersali; tum à proprijs annexis, vt notatum est: ergo prædicta definitio est bona. Consequentia patet ex regulis bonæ definitionis.

Dicendum est secundò; quòd prædicata dialectica sunt tantùm quatuor; videlicet Definitio, Genus, Proprium, & Accidens.

Probatur à Philosopho cap. 3. vel vt Iuniores legunt cap. 7. huius, dupliciter. Primò, quia omnis propositio dialectica seu omne problema est de genere, aut proprio, aut de accidente, cùm de aliquo alio non possit quæri, & interrogari, quod non reducatur ad ista quatuor: ergo prædicata dialectica tantùm erunt quatuor. Consequentia patet, nam prædicatum dialecticum est de quo tantùm potest fieri quæstio, & interrogatio ad disputationem dialecticam instituendam. Antecedens autem probatur: nam præter assignata, ad summùm potest fieri interrogatio de specie, vel de differentia siue atoma, siue subalterna; sed sic est quòd species reducitur ad differentiam atomam ipsam constituentem, & differentia atoma ad definitionem sicut differentia subalterna ad genus: ergo, &c.

Probatur secundò ibidem ab eodem Philosopho; nam omne, quod prædicatur de aliquo, vel conuenit illi conuertibiliter, vel inconuertibiliter, cùm inter contraditoria nequat dari medium, vt dictum est suo loco. Si primum, hoc est dupliciter, aut enim indicat quid est esse rei, & sic est definitio; aut non indicat, & sic est proprium. Si secundùm, aut ponitur in definitione speciei, et sic est genus; aut non, & sic est accidens: ergo tantùm quatuor erunt prædicata dialectica, nempe Accidens, Proprium, Genus, & Definitio, quam appellat idem Philosophus terminum, sumpta metaphora ex terminis agrorum: nam ad quemlibet solum, & totum pertinet illud, quod intra se clauditur, itaut nihil eius extra sit, sed totum quod habet intra se comprehendatur; sic definitio continet quidquid pertinet ad essentiam rei, itaut nihil eius sit extra, nec aliquod sit eius, quod intra illam non comprehendatur.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis. Quoniam prædicta dialectici prædicati definitio non conuenit omni contento sub definito, cùm non conueniat Generi, Proprio, & Accidenti; sed tantùm definitioni: ergo non erit bona. Probatur antecedens nam sola definitio non reducitur ad aliquid prius ipsa secundùm easdem considerationes; cùm ex Aristotele hic cap. 6. illa tria, nempe Genus, Proprium, & Accidens reducantur ad definitionem, quòd optimè probat per partes, à destructione vnius ad destructionem alterius, hoc pacto; nam si quis ostendit, quòd aliquid non conuenit alicui conuertibiliter, sicut est proprium, non tantùm euertit ipsum proprium, sed etiam definitionem: quando quidem etiam definitio soli definito attribuitur. Et si quis ostendat, quòd aliquid non conueniat alteri essentialiter; sicut est genus; non tantùm euertit ipsum genus, verùm etiam definitionem, quæ ex genere constare debet. Et si quis ostendat aliquid non inesse, quòd accidenti repugnat, non tantùm ipsum accidens euertit, verùm etiam definitionem, cum nihil conueniat, quod definito non insit: ergo illa tria ad definitionem reducuntur secundùm easdem considerationes.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicendum est ex eodem Philosopho ibidem, qui sibi talem fecit instantiam, vt videretur perperam assignasse numerum prædicatorum dialecticorum: quòd scilicet illa tria non reducantur ad definitionem secundùm easdem considerationes, seu, quod idem est, secundùm eandem communem rationem; sed tantùm secundùm diuersas, & particulares rationes, quod vtique non inficit rationem, & essentiam prædicati dialectici, quod tantùm postulat, vt non sit reducibile ad aliud prius ipso secundùm eandem communem rationem, seu considerationem. Ratio autem cur tria illa nequeant reduci ad definitionem secundùm vnam, & eandem rationem communem, est, quia talis ratio esset omninò inutilis, difficilis, & obscura, quare potiùs confunderentur, quam ad aliquod principale caput, talia reducerentur prædicata. Patet hoc manifestissimè; nam vel talis ratio communis esset inhærentia prædicati in subiecto tanquam in suo inferiori, seu subiecto prædicationis, vtsic; vel talis, & talis inhærentia, puta conuertibiliter, essentialiter, &c. à cuius destructione in cæteris prædicatis concluditur etiam destructio in definitione. Si hoc secundum, certè non esset ratio communis, cùm ex destructione singulorum, destruatur quidem definitio, sed minimè destruuntur ad inuicem: nam si quis probet, e. g. tale prædicatum non inesse soli subiecto, seu conuertibiliter; destruet vtique definitionem, & proprium, minimè verò genus, & accidens; & sic de cæteris. Si autem sit primum, cùm talis inhærentia communissima sit, & tam prædicabilibus, quàm prædicamentis conueniat, confusionem, non autem distinctionem omnino inducet.

Obiicitur secundò in oppositum secundæ conclusionis, probando prædicata dialectica esse plura quatuor: Nam plures sunt termini prædicabiles in propositione dialectica, non reducibiles ad quatuor illos assignatos, cùm non prædicentur eodem modo cum ipsis: ergo plura quatuor. Probatur antecedens in huiusmodi prædicatis, Homo est ens, est substantia, est qualis, &c.

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicendum est, prædicta, & similia prædicata conuenire in modo prædicandi cum aliis ex quatuor enumeratis: nam genera superiora, & prædicata analogica, quæ pertinent ad rei essentiam, cùm latiùs pateant, reuocantur ad genus; cùm reciprocantur, ad definitionem: quod si extra essentiam manent, & cum subiecto non conuertuntur, vt quale; prædicantur vt accidentia. Quarè falsum est, vt quòd sint termini non reducibiles ad priores alios secundũ easdem omnino considerationes.

Obiicitur tandem tertiò contra eandem secundam conclusionem, probando prædicata dialectica esse pauciora quatuor: Quoniam prædicata dialectica

sunt probabilia; quæ ideò dialectica dicuntur, sed Genus, Definitio, & Proprium sunt prædicata necessaria, cùm conueniant necessariò, & essentialiter suis inferioribus: ergo tantùm Accidens, quod conuenit contingenter, erit prædicatum dialecticum; & consequenter non erunt quatuor, sed vnum tantùm.

Et si dicatur, prædicata necessaria sumi posse etiam vt probabilia, quemadmodùm in præsenti sumuntur, cùm non amittant verisimilitudinem, & probabilitatem, eò quòd habeant necessitatem.

Contra tamen est, quòd Philosophus distinguit prædicata dialectica penes essentialia, & accidentalia: ergo non solùm considerat probabilitatem, sed multò magis necessitatem. Vnde falsum est, quòd hic sumi possint prædicata necessaria, vt probabilia tantùm.

Respondetur vt suprà, admittendo scilicet illud dictum. Ad instantiam verò dicendum est, quòd Philosophus distinguit quidem prædicata dialectica in essentialia, & accidentalia, non quòd attendat necessitatem, & contingentiam ex hoc: sed tantùm vt ostendat essentialia prædicari vt partes subiecti, accidentalia verò nequaquam; & vtraque probabiliter.

QVÆSTIO II.

Vtrùm quodlibet prædicatum dialecticum habeat annexum.

QVæstio hæc oritur ex eo, quòd Philosophus cap. 5. huius secundùm diuisionem iuniorum) quibusdam prædicatis dialecticis assignauit annexa, quibusdam verò non: etenim definitioni, & generi tribuit idem, & diuersum, vt quæ habent eandem, vel diuersam definitionem; idem, aut diuersum genus: accidenti verò comparationem secundùm magis, & minus, vt quæ magis, vel minùs participant de eodem accidente, qualitate: proprio tandem nihil annexuit. Quare dubitatur, an proprij annexa; quasi parui negocii reticeantur, vel potiùs nulla inueniri queant.

Omnes Interpretes docent, quòd esto aliis prædicatis dialecticis tribui possint annexa, proprio verò nequaquam propter rationem inferiùs assignandam.

Notandum tamen est primò, quòd illud communiter dicitur annexum, prout ad præsens spectat, quod est *prædicatum minùs principale prædicato cui annectitur, non totaliter idem, nec totaliter diuersum, terminabile tamen, seu probabile conuenire subiecto, per easdem, seu similes considerationes, & rationes, quibus probatur, & ostenditur principale* e. g. Prædicatum huiusmodi propositionis dialecticæ, videlicet, *Vita secundùm virtutem est magis vita, illa, quæ est secundùm brutalitatem*, dicitur annexum prædicato accidentis, quia accidit vitæ viuere secundùm virtutem, vel brutalitatem, cùm nec virtus, nec brutalitas conuertantur cum vita, neque illius quidditatem significent, vt patet: constitutiuum enim vitæ tantùm est esse animatum. Quare cùm ad ipsum prædicatum accidentis; tanquam ad principale caput reducatur, erit vtique ipso minùs principale; nec cum ipso erit totaliter idem, cùm in plus se habeat

A prædicatum accidentis vt sic, quàm prædictum prædicatum; neque erit totaliter diuersum propter rationem communem accidentis: quòd si tandem debeat ostendi, & probari conuenire suo subiecto, scilicet vitæ per talem rationem, e. g. quia vita rationalis est vita perfecta; vtique tale medium si non erit omnino idem cum medio, quo absolutè probatur accidens conuenire subiecto, puta contingenter, & inconuertibiliter; nihilominùs erit simile, cùm etiam contingat vitæ, suipsius perfectio, vt inconuertibiliter de ea prædicetur. Et sic de cæteris annexis reliquorum prædicatorum dialecticorum, proportione tamen seruata affirmari poterit, vt patet.

Notandum secundò, quòd ex his, quæ dicta sunt, tres requiruntur conditiones ad annexa prædicatorum dialecticorum; quarum prima est, quòd propositiones, & problemata, quæ fiunt de annexo, ferè

B sint terminabilia, & probabilia, non per easdem omnino rationes, & considerationes, sed per similes: nam si prædicata annexa debent probari conuenire suis subijcibilibus secundùm similes considerationes, etiam propositiones, & problemata, in quibus prædicantur, debent simili modo ostendi, & probari. Secunda verò conditio est, quòd illud prædicatum, cui dicitur annexum, sit quid eo principalius: aliter enim non esset maior ratio, cur ad ipsum tale annexum esset referendum. Tertia tandem conditio est quòd prædicatum principale, & annexum, non habeant omnino similes modos prædicandi, sed ad proportionem: nam tunc magis dicerentur vnum, & idem prædicatum, quàm prædicatum, & annexum.

C Dicendum est ergo, quòd Genus, & Accidens habent prædicata annexa; Proprium autem nequaquam.

Probatur; nam illa prædicata dialectica tantùm habent annexa, quibus primò, & immediatè possunt referri aliqua alia prædicata ipsis similia: sed huiusmodi tantùm est definitio, genus, & accidens: ergo, &c. Maior patet: aliter enim non illis, sed alijs prædicatis essent annexa; & consequenter respectu eorum prædicata illa quibus referrentur, non essent quid principalius, quod est secunda conditio requisita, &c. Minor verò probatur; quoniam illis prædicatis aliqua alia similia referuntur primò, & immediatè; quæ ratione sui, & non alterius ab illis terminantur: sed hoc modo, tantùm se habent prædicta illa tria, vt de se patet, non autem proprium, cùm omnia terminet

D non ratione sui, sed ratione essentiæ, cuius est proprium, & à qua fluit: proprietas enim mediatè, hoc est ratione essentiæ de suis subiectis prædicatur, vt patet de risibilitate, quæ priùs dicitur de specie, quàm de indiuiduis.

Obijcitur in oppositum primò, probando etiam proprium habere sua annexa: quoniam non minùs terminantur per similes considerationes, ac terminentur sua prædicata principalia, idem, & diuersum definitione, vel genere, quàm idem, & diuersum proprietate: etenim illa terminantur per prædicari essentialiter, siue conuertibiliter, siue inconuertibiliter; ista verò per prædicari accidentaliter conuertibiliter: sed illa sunt annexa definitionis, & generis: ergo ista erunt annexa proprii.

Respondetur negando paritatem; nam idem, vel diuersum definitione, vel genere, immediatè primò, & ratione definitionis, vel generis dicuntur talia: idem

verò,

verò, & diuersum proprietate, non dicuntur talia primò, & immediatè ratione proprij, sed ratione speciei: etenim Petrus, & Paulus, non dicuntur idem risibilitate primò, & immediate ratione proprij, sicut dicuntur idem specie, & definitione, sed tantùm ratione speciei; quoniam nihil dicitur primò idem, vel diuersum cum risibili, nisi quia primò est idem, vel diuersum cum specie, scilicet cum homine, vt probatum est suprà.

Obijcitur secundò ex Philosopho, qui cap. 7. huius tradendo, & docendo quot modis dicatur idem, sic ait: *Solet autem, & hoc dici multis modis, sed maximè propriè. & primò, quando nomine, aut definitione eadem dicuntur, vt indumentum, & vestimentum; nec non animal pedestre, bipes, & homo. Secundò cum proprio eadem dicuntur, vt scientiæ capax, & homo; vel quod natura sursum fertur, & ignis*: ergo ex Philosopho sicut idem, & diuersum definitione sunt annexa definitionis; ita idem, & diuersum proprietate erunt annexa pariter proprij.

B

Respondetur, intentionem Philosophi non esse in tali loco assignare annexa prædicatorum dialecticorum; nam hoc fecit superiùs cap. 5. sed tantùm assignare, quot modis dicatur idem. Ex quo non sequitur, quòd si valet dicere aliqua esse idem proprietate, hæc ipsa sint annexa proprij, cùm proprium talia non terminet ratione sui, sed ratione speciei: vnde consultò posuit Philosophus exemplum de specie, dicendo vt *scientiæ capax, & homo*: non enim dixit, vt scientiæ capax, & Petrus, vel Paulus. Neque minùs sequitur propter eandem rationem, quòd si idem definitione, est annexum definitionis, idem proprietate sit annexũ proprij; quoniam ex verbis ipsius Philosophi colligitur potiùs contrarium, dum cautè apposuit *eadem definitione, maximè, propriè, & primò, esse eadem*; quasi consequenter diceret eadem proprietate, non proximè, immediatè, & ratione sui, hoc est ipsius proprij, sed ratione speciei, esse eadem, vt iam multoties dictum est.

C

Obijcitur tandem tertiò: quoniam ex Philosopho cap. 5. citato contingit accidens commune per *Quando*, & *Relationem* fieri accidens proprium; vt sedere tunc temporis, quando aliquis solus sedet, est proprietas illius; similiter habita relatione ad non sedentem, dum aliquis solus sedet, est accidens illius proprium: sed accidens commune vt sic, habet ex dictis sua annexa: ergo etiam dum factum est accidens proprium.


Respondetur ex eodem Philosopho ibidem, quòd tale proprium non est simpliciter proprium, de quo tantùm est sermo in præsenti, cùm non conuertatur cum specie, sed tantùm cum illo indiuiduo; vnde est simpliciter accidens commune, & ad summùm accidens proprium secundùm quid: quare non est mirum, quòd retineat eadem annexa, quæ habet in ratione accidentis.

D

DISP. QVADRAGESIMAQVARTA.

De Propositionibus, ac Problematibus dialecticis.

A



Actenus cum Philosopho exposuimus rationum, & disputationum dialecti carum materiam, idest quatnor illa attributa, seu prædicata, ex quibus propositiones, & de quibus problemata dialectica cóficiuntur: deinceps, eodem seruuando ordine compositiuo, de ipsis propositionibus, & problematibus debemus agere.

QVÆSTIO I.

An propositio dialectica sit bene à Philosopho definita.



Vpponendum est, Propositiones esse in triplici differentia; nam quædam sunt euidenter veræ, & quarum veritas est euidenter cognita: aliæ euidenter falsæ, & quarum etiam falsitas euidenter cognoscitur: aliæ verò medium tenent, quia verę sunt, aut falsæ, sed veritas, vel falsitas earum non est euidenter nota, quia causa earum aut ignoratur, aut non plenè cognoscitur, & ideò pluribus apparent veræ, alijs verò etiam contingit apparere falsas, quia verisimilis ratio pro vtraque parte esse solet; & istæ dicuntur probabiles, de quibus tantùm est sermo in præsenti: nemo enim mentis compos, inquit Philosophus hìc cap. 10 aliquid proponet, quod nemini videtur, nec in quæstionem sumet, quod videtur omnibus, aut plerisque; quoniam hoc dubitatione caret, illud verò à nemine conceditur. Quo fit, vt non omnis propositio (quod pariter dicendum est de Problemate) habenda est pro dialectica, sed tantùm ea, quæ aliqualem dubitationem admittit. Ex quibus omnibus talem propositionis dialecticæ, siue probabilis definitionem colligit ibidem idem Philosophus, nempe quòd sit *Interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus; atque his, vel omnibus vel plurimis, vel nobilissimis à communi opinione, non abhorrens*; vt dùm proponitur aduersario, e. g. an putet animal rationale esse definitionem hominis. Et de huiusmodi definitione procedit præsens quæstio, quæ cùm nullum habeat contradicentem, tantùm indiget explicatione.

Notandum est idcirco primò, propositionem probabilem, quatuor modis contingere posse. Primo, quandò videtur vera aut omnibus hominibus, aut plerisque, aut sapientibus; sapientibus quidem, aut omnibus, vel plerisque, vel celeberrimis, dummodò à communi opinione non abhorreat, vt quòd prædicamenta sint decem, prædicabilia verò quinque. Secundo, quando propositio, probabili similis est; vt quòd Tibiarum ars sit vna, cum vna sit Grammatica: nam si quid est probabile; id quod ei simile est, probabile etiam videtur. Tertio quando per contradictionem, vel per oppositum subiectum, & prædicatum, propositioni probabili contrariatur; vt quòd de

de inimicis secundùm Philosophos non sit benemerendum; & de amicis non sit malèmerendum; vel quòd de inimicis sit malèmerendum, cùm tales propositiones contrarientur isti, nempe quòd de amicis est benemerendum; nam contrariorum eadem est ratio, & disciplina. Quarto tandem, & vltimo quando talis propositio ad aliquam artem pertinet, & à peritis in ea arte confirmatur; sic Paulus iuris consultus auctoritate Hippocratis probat perfectum partum nasci septimo mense. Ex omnibus autem istis propositionibus probabilibus potest formari dialecticus syllogismus, cùm ratio probabilitatis omnibus indifferenter conueniat.

Notandum secundò, quòd propositio probabilis vt sic, adhuc dupliciter considerari potest. Primò, quatenus est immediata, & per se; secundò, quatenus mediata est, & propter aliam ex qua deducitur. Primo modo propositio probabilis illa dicitur, cuius probabilitas ex sola terminorum notitia absque alia ratiocinatione per quam probetur, euidens est, itaut intellectus non possit non iudicare esse probabilem. Talis est, Omnis mater diligit filium; aut omnis amicus diligendus est, &c. cuius propositionis mentionem fecit Philosophus 1. Post. dicens; *Opinio est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ*; opinionis nomine assensum talis propositionis immediatæ intelligens, hoc est, quæ sine medio iudicatur probabilis ex sola notitia terminorum. Et assensus huius propositionis per se probabilis vocari potest intellectus intra genus probabilis propositionis; sicut intra genus euidentis, vocatur intellectus assensus propositionis necessariæ, qui sine medio habetur, sola significatione terminorum cognita. Secundo verò modo illa propositio probabilis dicitur, quæ ex alia per se probabili colligitur per euidentem, aut probabilem consequentiam; aut ex euidenti alia per consequentiam solùm probabilē. Et hæc est similis conclusionibus scientificis, quas ex euidentibus præmissis, & per euidentem syllogismum deducimus. Ex vtraque tamen propositione probabili potest fieri syllogismus dialecticus, vt per se est manifestum.

Dicendum est ergo, quòd Definitio probabilis, siue dialecticæ propositionis est optimè tradita a Philosopho.

Probatur; quoniam particula illa *Interrogatio* stat loco generis, cùm interrogationibus non dialecticis, idest non habentibus alteram partem contradictionis, probabilem, siue non præbentibus aduersario num valeat affirmare, an negare, etiam conueniat: vt quid sit Mundus, aut quid accidat mundo; nam per talem interrogationem non relinquitur locus aduersario probabiliter negādi, aut affirmandi, sed tantùm cogitur ad respondendum determinatæ, ac limitatæ illi interrogationi per adæquatam, & necessariam responsionem. Quare particula illa *probabilis* ponitur ad differentiam prædictarum interrogationum. Cæterę verò particulæ ponuntur ad differentiam propositionum illarum, quæ non sunt probabiles apud sapientiores, vel non conueniunt vel opinione communi: e.g. Migratio animarum in alia corpora, quam ponebat Pythagoras; aut vxorum, ac liberorum communio, quam probat Plato; aut nihil moueri, vt affirmabat Zeno; non sunt propositiones probabiles quamuis celebres Philosophos habeant auctores.

A Obiicitur primò, quoniam propositiones, ex quibus constat syllogismus dialecticus, & probabilis; sunt dialecticæ, & probabiles: sed istæ non sunt interrogationes: ergo malè ponitur illa particula *Interrogatio*, &c. Maior patet ex definitione ipsius syllogismi dialectici, quam attulit Philosophus cap. 1. huius videlicet quòd *dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus*; idest qui ex probabilibus propositionibus procedens, probabilem etiam conclusionem colligit. Minor verò probatur; nam si propositiones ex quibus componitur syllogismus dialecticus essent interrogationes, modo suprà explicato, idest quæ interrogarent alteram partem contradictionis, & darent optionem aduersario, vtram contradictionis partem velit respondendi; non essent determinatæ, & consequenter determinatam non causarent consequentiam:
B sed hoc est falsum, vt patet in quouis syllogismo dialectico: ergo, &c.

Respondetur distinguendo minorem; sed istæ non sunt interrogationes, si considerentur sub proprijs rationibus formalibus, & differentialibus, concedenda est propter rationem adductam in eius probatione. Si verò considerentur sub propriis rationibus materialibus, & generalibus, hoc est, antecedenter, & quasi præsuppositiuè ad ipsum actualem argumentum, & syllogismum, neganda est. Nam particula illa *Interrogatio* formaliter tantùm dicitur de propositione dialectica in initio disputationis, dum Dialecticus percunctatur, vt responsum ab Aduersario eliciat, quo mediante, quid de re proposita sentiat explicet, & ex data responsione possit interrogans sumere occasio-
C nem disputandi in vnam per alteram partem propositę quæstionis. Postquàm verò aduersarius respondit, & ex ea responsione Dialecticus sumit propositionem, atque extruit syllogismum, tunc non est ampliùs interrogatio formaliter, sed materialiter tantùm, & præsuppositiuè, nam solùm est sumptio eius, quod probabile est.

Obiicitur secundò; quoniam in tali definitione committitur tantologia, quæ latinè dicitur nugatio, elocutionis vitium, cùm idem per idem explicetur: ergo non est bona. Consequentia patet; nam cùm definitio debeat dari per notiora definito, in tali casu idem esset simul notius, & ignotius, quod est contra regulas bonæ definitionis, vt dictum est in nostris Instit. lib. 2. cap. 3. Antec. autem probatur: nam explicatur
D propositio probabilis per interrogationem probabilem, quæ idem est cum propositione dialectica, quæ nil aliud est, quàm propositio probabilis.

Respondetur; quòd probabile sumitur dupliciter; primò entitatiuè, & vt quid proprium propositionis dialecticæ, conuertibile cum ipsa; & hoc modo non capitur in præsenti, quia vtique committeretur nugatio, vt probat argumentum. Secundò verò sumitur formaliter reduplicatiuè, vt probabile; & hoc modo cùm magis notum sit, quàm propositio dialectica, per ipsum non committitur tantologia, sed habetur illa maior notitia, quam addit definitio supra definitum. Explicatur hoc manifestissimo exemplo, de eo, quod est disciplinæ capax, quod si sumatur entitatiuè, idem est cum homine, cum quo conuertitur vt proprietas illius; si autem sumatur formaliter reduplicatiuè vt tale, maiorem notitiam affert, quàm afferat terminus ille *Homo*; vnde per disciplinæ capax optimè definiri potest.

Obi-

Obiicitur tandem tertiò: quia propositio ab omnibus recepta, & secundùm communem hominum opinionem manifesta, non est dialectica: ergo malè definitur, quòd sit interrogatio probabilis, aut omnibus, &c. Probatur antecedens; nam propositio omnibus accepta, est propositio certa, & euidens, & consequenter scientifica: ergo non erit dialectica, quæ tantùm est opinabilis.

Respondetur, quòd aliquid esse omnibus manifestũ potest intelligi dupliciter; vno modo certitudinaliter, & indubitanter; et sic propositio, quæ ita est manifesta, non est dialectica, sed scientifica propter rationem adductam in argumento: alio verò modo potest intelligi cum formidine de opposito; et sic propositio, quæ videtur omnibus manifesta, tali modo dicitur dialectica; & in hoc sensu intelligenda sunt verba allatæ definitionis; vt patet.

QVÆSTIO II.

An Problema dialecticum sit bene definitum à Philosopho.

Svpponendum est in primis, Problema dialecticum duobus modis capi posse. Primo determinatè, & limitatè, prout scilicet est quædã propositio ad vtrumlibet ex solis terminis logicalibus coalescens, veluti si dicatur num vniuersale logicum sit genus ad quinque prædicabilia, vel non. Secundò verò modo indeterminatè, & illiminatè pro propositione similiter ad vtrunlibet, siue ex terminis logicalibus, siue physicis, siue metaphysicis, &c. coalescat. Primo modo tantùm consideratum, certum est non esse definitum, & descriptum hic à Philosopho, cùm pro membro, & parte definiti ipsum acceperit, vt constat cap. 9. vel 11. huius, dùm dixit, *Vel quia adiumentum affert ad aliquod quidquam eiusmodi*; ex quibus verbis intelligunt omnes Interpretes problema dialecticum primo modo acceptum. Vnde apertè constat tantùm esse definitum in secundo sensu.

Supponendum est secundò, tale problema dialecticum, hoc est, indeterminato, & illimitato modo acceptum, item duobus modis sumi posse; vel scilicet ex parte nostræ cognitionis, vel ex parte finis, ad quem ordinatur. Primo modo adhuc multipliciter considerari potest: primò quatenus de ipso neutro modo opinamur, ex quo etiam vocari solet Problema neutrũ, eò quia nullam rationem habemus ad alteram partem contradictionis, vt dum quæritur an astra sint paria, vel imparia. Secundò quatenus de ipso habemus rationes æquè fortes ad vtranque partem contradictionis, vt dum quæritur an mundus sit æternus, vel non. Tertiò verò modo, quatenus de ipso sunt contrariæ opiniones, quod fit, vel quando sapientes contendunt cum vulgaribus, vt dum quæritur vtrùm sapientia sit melior diuitiis, nec ne, uel quando vulgares inter se rixantur, an, e.g. ars sutoria sit præstantior frenefactoria: vel quando sapientes dissident inter se, vtrùm scilicet materia cæli sit eiusdem rationis cum elementari,

A Ex parte autem finis, ad quem ordinatur item multipliciter dialecticum problema considerari potest nam aliquando ordinatur ad electionem, vel fugam, vt vtrũ oporteat amicis benefacere, vel non: aliquando ordinatur ad operationem, vt an voluptas sit eligenda, an non: aliquando tandem ordinatur ad cognitionem, vt an principia entis naturalis sint tria, vel non; & cętera similia problemata.

Pro omnibus ergo istis, Aristoteles loco suprà citato talem definitionem descriptiuam, seu potiùs vt Tullio placet in Topicis, definitionem diuisionis, à partibus sumptam, itaut diuisionem quamdam rei definitę contineat, tradidit: videlicet. *Problema dialecticum est theorema, siue speculatio, aut contemplatio pertinens vel ad electionem, & fugam, vel ad veritatem, & cognitionem; idque, vel per se, vel quia adiumentum affert ad aliud quidpiam* B *eiusmodi; de quo autem neutram in partem sentiunt, aut multi contra ac sapientes; aut sapientes contra, ac multi; aut vtrique dissentiunt ipsi inter se.* Quæ descriptio, cùm ab omnibus communiter recipiatur tantùm indiget explicatione, vt tandem resoluatur an bona sit

Notandum igitur est primò, quòd licèt hæc tria, nempe Problema, Propositio, & Thesis, siue Positio dialectica, quoad substantiam propositionis rei probabilis conueniant; quoad modum tamen pronunciandi valdè discrepant: etenim Problema, cùm sit speculatio de eo, de quo vel nulla est opinio, aut sententia, vel si aliqua est, repugnantium, & diffidentium sit, pronunciatur per modum quæstionis. Propositio verò cùm proponat aduersario aliquam determinatam partem quæstionis, vt ipsum cogat respondere, quid sen- C tiat, pronunciatur per modum interrogationis. Thesis tandem, siue Positio, cùm prout ad præsens spectat, sit existimatio, seu sententia alicuius sapientis præter communem opinionem (est enim secundùm Philosophum loco suprà citato, *Opinio extranea alicuius famigeratorum in philosophia*) pronunciatur per modum sententiæ, & responsionis; e.g. disputandum est, Vtrùm mundus sit æternus, vel non: usquequo de hoc non adest determinata sententia, sed hinc inde habeantur probabiles rationes, est simplex quæstio, seu problema dialecticum; dum uerò una pars contradictionis accipitur, ut cogatur aduersarius ad dicendam sententiam, uidelicet sciscitando ab illo, an tantùm sit æternus; est duntaxat propositio, siue interrogatio dialectica. Quando uerò aduersarius respondet ex D sententia alicuius periti præter vulgarem, & communem opinionem; e.g. quòd non sit æternus (supposito tamen quòd communis, & vulgaris opinio sit mundum esse æternum) est dialectica positio, siue sententia. Quare se habent ad inuicem ista tria, sicut superius & inferius; nam cùm tam propositio, quàm positio dialectica sint problemata, non tamen problema sit semper dialectica propositio, aut positio; problema non minùs erit quid superius ad propositionem, & positionem, quàm Animal ad hominem, & leonem. Quòd autem propositio, & positio sint problemata, probat Philosophus, loco superiùs citato, ex eo quia omne illud, de quo contrarii opinantur, est problema; sed propositio & positio sunt huiusmodi, vt patet: ergo sunt problemata dialectica. Quod tandem non omne Problema sit propositio, vel positio dialectica, item probatur eodem loco à Philosopho ex eo, quia problema dialecticum non tantùm complectitur

illas quaestiones de quibus est contraria opinio, vti sunt propositio, & positio dialectica; sed etiam alias, veluti de quibus in neutram partem est opinari; vt dictum est.

Notandum secundò; quòd ad hoc, vt problema dialecticum rectè instituatur; idest, vt rectè de aliqua re dubitetur, & disputetur, tria à Philosopho, loco suprà citato, assignantur requisita, quorum primum est, vt is qui dubitat, non mereatur pœnam: veluti si quis dubitet, an Deus sit colendus, vel an Parentes sint diligendi, pœnam meretur. Secundũ verò est, vt res de qua quaeritur, non sit sensui manifesta, e. g. non debet proponi problema, an nix sit alba, nec ne. Tertium tandem requisitum est, quòd ipsum problema nec facillimè possit demonstrari, nec difficillimè: nam nimia facilitas reddit problema inelegans, & disputationem infructuosam; nimia verò difficultas facit, vt veritas dialecticis disputationibus inueniri non possit, adeò vt oporteat confugere ad methodum analyticam, & demonstratiuam: sicut enim Medici, extremis morbis adhibent extrema remedia, ita Philosophi debent rebus obscurissimis adhibere maximum demonstrationis lumen.

Dicendum est ergo, quòd problema dialecticum optimè definitum fuit à Philosopho.

Probatur ex regulis bonae definitionis, saltem descriptiuae. Nam *contemplatio, siue speculatio*, stant loco generis, cùm conueniant omnibus his, quae sunt consideratione digna, siue problemata, aut propositiones ethicae, siue physicae, siue logicae sint; contemplatio enim, siue speculatio, cùm hic accipiantur largè, idem valent ac consideratio. Caeteras verò particulae stant loco differentiae, vel illarum rerum, quae sunt consideratione dignae, & tamen problemata non sunt, quemadmodum sunt omnes illae quaestiones, & propositiones, quae dialecticae non sunt; vel vnius problematis ab alio; nam illae particulae, scilicet *pertinens ad electionem, & fugam*, quae debent intelligi tantùm disiunctiuè, & non collectiuè distinguunt problema ethicũ, & practicum, à speculatiuo, & physico. *Vel ad veritatem, & cognitionem*, quae similiter intelligi debent disiunctiuè; distinguunt problema speculatiuum, & physicum, ab ethico, & practico. *Id quo vel per se*, distinguunt problemata practica, & speculatiua, à problemate logico, cùm logica non sit propter se, sed propter alias scientias. *Vel quia adiumentum affert ad aliud quidpiam huiusmodi*, distinguunt problema logicum, à praedictis. *De quo aut neutram in partem sentiunt*, idest de quo nulla est opinio; distinguunt problema neutrum, ab illis problematibus, quae habent opinionem, & sententiam pro vtraque parte; *Aut multi contra ac sapientes aut sapientes contra, &c.* hoc est, de quo dissentit vulgus à sapientibus, & è contrà. *Aut vtrique dissentiunt ipsi inter se*; idest de quo dissentiunt, vel sapientes, aut vulgares homines inter se: tales enim particulae distinguunt caetera problemata dialectica à problemate neutro, vt patet: ergo est bona definitio, & descriptiua.

Obiicitur primò; Tum quia speculatio est actus interior intellectus; sed problema dialecticum non est actus interior intellectus, cùm sit enunciatio uocalis: ergo malè dicitur, quòd sit *speculatio*. Tum etiam quia ex tali particula sequeretur, quòd omne problema esset speculatiuum, quod tamen est falsum, cùm ex dictis aliqua dentur problemata practica, ut sunt illa, quae

A pertinent ad electionem, uel fugam.

Respondetur, quòd illa particula *speculatio* potest capi dupliciter, rigorosè scilicet, ut distinguitur à praxi, uel latè, ut tantùm importat propositionem uocaliter enunciatam alicuius rei non firmiter cognitae, sed considerabilis, & speculabilis, siue talis res practica sit, siue speculatiua. In hac igitur definitione *Speculatio*, non capitur in primo sensu propter rationes adductas in argumentis, sed in secundo, ut dictum est in probatione conclusionis. Vnde non sequitur, quòd tantum sit actus interior intellectus speculatiui, seu quòd problema sit tantùm speculatiuum, vt patet.

Obiicitur secundò; nam problema, quod tendit ad electionem, & fugam, &c. est morale vt dictum est: ergo non potest esse dialecticum; & consequenter, definitio tradita non erit definitio problematis dialectici,

B de quo tantùm est sermo in praesenti; Probatur consequentia, nam problema dialecticum non est morale, cùm dialectica sit de genere speculatiuorum, ut dictum est in proœmialibus.

Respondetur, quòd duobus modis potest intelligi, quòd aliquod problema sit dialecticum; vno modo, quia ex terminis logicalibus constituitur; et sic verum est, quòd nullum problema dialecticum est morale: alio verò modo, quia per rationes dialecticas, hoc est probabiles & non per rationes demonstratiuas determinatur, seu probatur; et sic aliquod problema dialecticum est morale, & aliquod non; problema autem dialecticum hic intelligitur secundo modo, vt iam suppositum est in principio quaestionis.

C Obiicitur tandem tertiò; nam si problema dialecticũ ordinaretur *ad veritatem, & cognitionem*; ut docent illae particulae, non esset dialecticum: ergo malè ponuntur praedictae particulae. Probatur sequela, nam quod ordinatur ad ueritatem, & cognitionem, ordinatur ad scientiam; sed problema dialecticum non ordinatur ad scientiam, sed ad opinionem: ergo si ordinaretur ad ueritatem, non esset dialecticum.

Respondetur negando sequelam; ad cuius probationem dicendum est, quòd id, quod ordinatur ad veritatem, & cognitionem, ordinatur etiam ad scientiam, potest intelligi dupliciter; vel ita ut immediatè ordinetur ad scientiam, vel tantùm mediatè, & de consequenti; primò modo nullum problema dialecticum potest ordinari ad scientiam propter rationem adductam in argumento, videlicet, quia immediatè

D ordinatur ad opinionem, etsic vtique esset, & non esset problema dialecticum: secundo verò modo non implicat, quòd aliquod problema ordinetur ad scientiam, cùm possit quod probabile est, & opinabile, etiam de consequenti demonstrari, & certò sciri.

QVAESTIO III.

An Genera quaestionum, seu problematum dialecticorum sint tantum quatuor.

DIxerat superiùs Philosophus cap. 3. secundùm Iuniores, propositiones, theses, quaestiones, & proble-

blemata; de quibus omnibus indifferenter procedit præsens quæstio, licèt tantùm excitetur de problematibus; esse numero paria cum his, hoc est cum prædicatis dialecticis, ex quibus, aut de quibus fiunt: sed quia hoc non ita certum est, vt omnino difficultate careat; hinc est, quòd in quæstionem vertimur, quærendo scilicet an quatuor sint, sicuti prædicata dialectica quatuor sunt.

Notandum est ergo, quæstiones dialecticas tribus modis proponi posse: primo exprimendo nomen alicuius prædicati dialectici, vt si quæratur an animal rationale sit definitio hominis; an risibile sit proprium hominis, nec ne; et sic de cæteris. Secundo verò modo, non exprimendo nomen alicuius prædicati dialectici, licèt ex ipsa rogandi forma subintelligatur; vt si quæratur an animal rationale sit idem ac homo; B an solus homo sit disciplinæ capax; an homo sit quoddam animal; an qui cæcus est, possit aliquando videre vel non. Tertio tandem, quando proponuntur absolutè, & simpliciter, quærendo scilicet, an aliquid alicui conueniat; vnde etiam quæstiones simplicis inhærentiæ ex ipsa quærendi forma vocari solent; vt dum quæritur, an Apes sint prudentes; vel Angeli vtantur ratione, vel non. Primo autem & secundo modo, prædictæ quæstiones dicuntur pertinere ad prædicatum definitionis, generis, proprii, & accidentis, idque siue prædicata sint re vera definitiones, genera, proprietates, & accidentia, siue non; vocabulum enim prædicati, explicitum, siue implicitum, ad proprium genus ipsas quæstiones trahere debet. Tertio verò modo prædictæ quæstiones si proponantur, ad prædicatum accidentis, tantùm videntur pertinere, C quatenus accidens ad omnia se extendit, quæ alicui contingunt. Vnde accidentis interrogatio duo genera quæstionum, ac propositionum continet; alterum cùm accidens expressè, vel tacitè rogatur; alterum verò, cùm simpliciter aliquid interrogatur, siue illud sit definitio, siue genus, siue aliud prædicatum.

Dicendum est ergo, quòd genera quæstionum. seu problematum dialecticorum sunt tantùm quatuor; scilicet, quæstio de definitione, de genere, de proprio, & de accidente.

Probatur; quoniam quæstiones, & problemata dialectica tantùm interrogant de prædicatis dialecticis, cùm sint quæstiones, quæ de ipsis tantùm proponuntur: sed prædicata dialectica ex superiùs dictis tantùm sunt quatuor: ergo & quatuor quæstiones, seu problemata dialectica. Consequentia patet, nam quæstiones tot debent esse, quot res de quibus fiunt.

Dicet fortasse aliquis, quòd ex hac probatione conclusionis committitur formalis circulus, cùm vniformiter fiat cum illa, qua suprà probauimus prædicata dialectica esse quatuor; nam præmissæ huius rationis sunt conclusio superioris, cum ibidem dictum sit prædicata esse quatuor, quia quatuor sunt quæstiones; hic autem dicatur quæstiones esse quatuor, quia prædicata quatuor sunt.

Nihilominùs in rei veritate non committitur formalis circulus, sed tantùm materialis, qui propriè regressus dicitur, cùm hic ostendatur effectus per causam ibi verò causa per effectum; quæstiones enim effectus sunt prædicatorum dialecticorum, prædicata verò causa materialis earundem; cùm ex ipsis, vel circa A ipsa quæstiones fiant. Quare cùm in eodem discursu non ostendantur, sed aliquibus intermissis rationibus, & quæstionibus, vnum de alio vicissim probentur; vllum non erit absurdum, si tali regressiua ratione, ad probandam nostram conclusionem in præsenti etiam vtemur: Videantur interim ea, quæ disp. 37. superiùs diximus in appendice quæstionis decimæ.

Obiicitur primò; nam Aristoteles 2. lib. post. cap. 1. tradit quatuor quæstionum genera longè diuersa ab his, quæ numerata sunt cùm non coincidant cum eis, scilicet An sit, Quid sit, Quale sit, & Propter quid sit: ergo vel octo genera quæstionum sunt, vel Aristoteles sibi contradicit.

Respondetur negando consequentiam: nam Aristoteles, 2. Post. numerauit quæstiones ad demonstrationem spectantes, non verò ad artem topicam, licèt quæstio *An sit* reuocetur ad quæstionem accidentis, sicut, & aliæ quæstiones, dummodò accipiantur in actu exercito, & nullius prædicati nota, siue explicitè, siue implicitè afficiantur.

Obiicitur secundò; quoniam illæ quæstiones, in quibus petitur prædicatum, quod falsò, aut negatiuè conuenit subiecto, etiam adducuntur in disputationem, & sunt dialecticæ: sed prædictæ non sunt de numero assignatarum: ergo quæstiones, & problemata dialectica sunt plura quatuor. Probatur minor; nam quæ sunt de numero quæstionum assignatarum debent illorũ prædicata omnino verè, & affirmatiuè conuenire subiectis, vt patet ex exemplis adductis: ergo cùm in prædictis prædicata falsò, & negatiuè conueniant subiectis, non erunt de numero istarum quatuor.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd non est necesse ad hoc, vt quæstiones sint de aliquo prædicato dialectico, vt in illis re vera, & affirmatiuè prædicatum conueniat subiecto, vt notatum est; sed satis est vt nomine explicito, vel implicito alicuius prædicati dialectici, proferatur; quòd si nullo ex prædictis modis quæstiones proponuntur, sed absolutè, & simpliciter, erunt de prædicato accidentis affirmatiuè, vel negatiuè resoluendæ.

Obiicitur tandem tertiò; nam in antecedenti quæstione dictum est ex Philosopho, Problemata in plus se habere, quàm propositiones, & Theses, seu positiones, cùm non omnia problemata sint propositiones, & theses, licèt propositiones, & theses sint problemata: ergo D saltem istæ non erunt numero pares cum problematibus; & consequenter vel istæ erunt pauciores quatuor, vel problemata erunt plura quatuor. Probatur consequentia; nam ex eo quòd genus, e. g. animal in plus se habet, quàm species, scilicet homo; homo, & animal non sunt numero paria: ergo à pari, cùm in plus se habeat problema, quàm theses, & propositiones; non poterunt esse numero paria.


Respondetur, quòd propositiones, theses, & problemata dupliciter possunt considerari; materialiter scilicet, & in specie, nempe quatenus illius, aut istius speciei problemata sunt; vel formaliter, & in genere, quatenus scilicet problemata dialectica sunt. Si considerentur primo modo, vtique inter se paria non sunt, propter rationem adductam in argumento. Secundo verò modo paria omnino sunt; quia propositiones, & theses illius generis, seu illorum generum prædicatorum dialecticorum sunt, de quibus etiam problemata

 fiunt.

sunt. Sicuti (permanendo in exemplo adducto loco citato, de animali) si consideretur animal materialiter, & in specie, quatenus scilicet contractum est per rationalitatem in homine, non est par cum animali vt sic, vt de se patet. Si autem consideretur formaliter, & in genere, vt scilicet importat tantùm prædicatum essentiale sensibilitatis æquale est cum animali vt sic, cùm præscindat à differentia specifica ipsum contrahente.

DISP. QVADRAGESIMAQVINTA.

De Syllogismo topico, ac de Instrumentis, quibus abundare debemus, in eiusdem inuentione.



Xplicatis his, ex quibus dialecticus syllogismus tam proximè, quàm remotè componitur, ac etiam quæstionibus, & problematibus, circa quæ exerceri solet, diligenter enumeratis; æquum est, vt tandem de ipso syllogismo disputationem instituamus. Quia verò tota difficultas in ipsius prompta, & facili inuentione consistit, de illis instrumentis ad hoc præcipuè inseruientibus, quibus maximè abundare debet perfectus Dialecticus, pariter agendum est; non quidem in specie, quatenus scilicet ad singula problematum genera distinctè pertinent (hoc enim ordine in sequentibus libris sunt explicanda) sed in genere, in quantùm scilicet communia sunt omnibus problematibus, siue definitionis, siue generis, siue proprii, siue accidentis sint.

QVÆSTIO I.

Vtrùm syllogismus dialecticus sit tantùm generatiuus opinionis.



VM dialecticus syllogismus, ex Philosopho hic cap. 1. sit, *qui ex probabilibus est collectus*, idest qui ex propositionibus probabilibus procedens probabilem etiam conclusionem colligit: meritò dubitatur, an tantùm generet opinionem, quę tunc fit in nobis ex dictis disp. 40. quæst. 1. not. 2. quando per medium probabile conclusioni probabili, siue contingenti assentimur. Pro

A qua re, etiam non erit superfluum, quidquid loco citato de opinione assertum est, in præsenti supponere. Item supponendum necessariò videtur, quòd probabile, prout facit ad rem, duobus modis accipi solet. Primo largè, pro eo scilicet, quod non est euidens, sed omnibus, vel pluribus ex sapientioribus probatur, siue certum, & necessarium, siue incertum, & contingens fuerit. Secundo verò modo accipitur strictè, pro eo similiter quod nō est euidens, sed omnibus, vel pluribus ex sapientioribus probatur, nō tamen est certū, & necessariū, sed incertū, & cōtingēs. Quādo ergo dicitur in definitione syllogismi dialectici, quòd ex probabilibus est collectus, nō debet intelligi de probabilibus in primo sēsu; nā tūc frustra quæreretur an sit tātùm generatiuus opinionis, cùm de rebus non euidentibus, sed certis, & necessarijs, possit haberi scientia, licèt in statu imper-
B fecto, vt de his quæ spectant ad fidem dictum est suprà disp. 39. quæst. 3. sed intelligitur tantùm in secundò sensu. Circa quod, cùm omnium sit affirmatiua sententia.

Notandum est primò, quòd probabile in prædicto secundo sensu, prout scilicet est quid ineuidens, incertum, & contingens, adhuc dupliciter considerari potest; vel vt tale secundùm se, & a parte rei: vel secundùm existimationem illorum, quibus videtur tale, licèt secundùm se, & à parte rei sit euidens, certum, & necessarium. In vtroque sensu, cùm excludat certitudinem, & inuariabilitatem ex parte opinantis, includit hæsitationem, & formidinem: quare ex eo non potest oriri nisi opinio, quæ est actus intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alte-
C rius, vt dictum est suprà loco citato disp. 40. nam licèt aliqua propositio secundùm se, & in rei veritate sit certa, & euidens, atque necessaria, quia in rei veritate necessariam, certam, & euidentem continet connexionem prædicati cum subiecto; nihilominùs quia plerunque non ita penetratur talis connexio, sed tantùm vt contingens, ineuidens, & incerta accipitur; hinc est, quòd saltem apud eos, qui ita cogitant, semper accipitur cum formidine de opposito, & consequenter tantùm opinionem parit, estò apud eos, qui talem connexionem rectè penetrant, scientiam generet. Vnde fit, quòd per idem medium alii scientiam, alii opinionem de eadem re percipiunt, vt diximus suprà loco citato disp. 40.

Notandum secundò, quòd licèt intellectus quandoque non penetret necessariam connexionem; quæ
D in rei veritate est inter prædicatum & subiectum alicuius propositionis, sed reputet eandem esse contingentem; non tamen ob id dicitur erroneus, dummodò talis conceptus non sit improbabilis; non enim quælibet veritas apparens causat errorem, sed solùm illa, quæ apparet probabilis, in se tamen est improbabilis: nam quæ in se est probabilis, licèt ita non se habeat à parte rei, causat tamen opinionem probabiliter veram. Et ratio est, quia ex Aristotele hic cap. 1. probabile illud dicitur, quod creditur ab omnibus sapientibus, aut plurimis, aut quibusdam in scientiis excellentibus: improbabile verò est, quod à sapientibus falsum censetur, licèt rudibus appareat verum, vt quòd sol, & astra sint exiguæ quantitatis, &c. Quando igitur aliquid censetur verum aut ab omnibus, aut ab aliquibus sapientibus, quamuis non ita se habet à parte rei; assensus circa illud non dicetur erroneus, sed opinatiuus,

natiuus, & probabilis, neque hæc apparentia excludit probabilitatem; quando verò apud omnes sapientes est falsum, & solùm rudibus videtur uerum, tunc assensus erit error, quia quod est improbabile apparet probabile. Vnde ex his manifestè apparet distinctio inter errorem ex una parte, & scientiam, & opinionem ex altera; scientia enim est cognitio uera, ueritate necessaria, cui nequit subesse falsum, certa, & euidens: isti autem accedit opinio, quæ est cognitio uera, ueritate probabiliter apparente, habetque aliqualem euidentiam saltem probabilem. Error tandem tanquam aliud extremum est cognitio falsa omnino, quia nec necessariò, nec probabiliter apparet uera.

Dicendum est ergo, quòd syllogismus dialecticus tantùm generat opinionem. Probatur; quoniam syllogismus dialecticus procedit saltem ex una propositione probabili, & contingente: ergo tantùm generat opinionem. Antecedens patet; nam per talem rationem distinguitur à demonstratiuo, qui ex utraque propositione necessaria debet procedere; nam si in ipso admitteretur aliqua propositio contingens, & probabilis, eiusdem consequentia non foret scientifica, cùm de ratione consequentiæ sit, ut sequatur debiliorem partem, quod syllogismo demonstratiuo repugnat, ut patet. Consequentia uerò probatur; quia tunc aliquis syllogismus generat opinionem, quando per assensum præmissarum producitur assensus conclusionis cum formidine de opposito: Sed quando producitur ex vna saltem probabili, & contingenti, producitur assensus conclusionis prædicto modo, cùm id quod est probabile, & contingens, non tantùm possit habere veritatem circa vnam partem contradictionis, quàm falsitatem: ergo syllogismus procedens saltem ex vna probabili generat opinionem.

Obiicitur primò; nam prima principia probantur à Philosopho 4. Met. text. 9. ergo probantur vel dialectico, vel demonstratiuo modo: non modo demonstratiuo, quia prima principia indemonstrabilia sunt: ergo dialectico modo; sed talia principia sunt certa, & euidentia: ergo syllogismus dialecticus, per quem probantur parit scientiam, quæ tantùm est de rebus certis, & euidentibus; & non solam opinionem.

Respondetur ex eodem Philosopho ibidem, negando primam consequentiam; quoniam probantur tantùm elenchicè, hoc est redarguitiuè, argumentando scilicet ex concessis, & ad hominem contra negantes ipsa, inducendo eos ad sibi contradicendum: elenchus enim græcè, idem est quòd latinè redargutio, seu reprehensio: e. g. si quis negaret huiusmodi principium, Impossibile est idem simul esse, & non esse; potest reprehendi, & redargui per hoc, quod sequeretur duas opiniones contrarias posse esse simul in eodem intellectu, quod non est probare tale principium demonstratiuè, vel dialecticè: non primum: quia non probatur ex prioribus, & notioribus simpliciter, sed adsummùm tantùm ex prioribus, & notioribus ipsi aduersario, qui aliàs talia concessit repugnare: non secundum, quia non ostenditur per aliquod medium probabile, sed per medium certum etiam ipsi aduersario; certum est enim apud omnes repugnare duas opiniones contrarias, esse simul in eodem subiecto, seu intellectu. Quinimmo tantùm abest, vt ibidem Philosophus, prima probauerit principia demonstratiuè, aut topicè, quod expresè ait: *Etenim omnino impossibile est* A *omnium esse demonstrationem, in infinitum nanque progrederetur; quare nec hoc modo esset demonstratio; si autem aliquorum, non oportet quærere demonstrationem; quòd magis principium esse tale indicarent, dicere non haberent. Est autem etiam de hoc demonstrare redarguendo, quod impossibile est, dummodò aliquid dicat, qui dubitat, &c.*

Obijcitur secundò; quoniam idem syllogismus potest esse vni, & eidem successiuè simul dialecticus, & demonstratiuus, vt de se patet: ergo syllogismus dialecticus non solùm erit generatiuus opinionis, sed potiùs scientiæ. Probatur consequentia, nam si priùs generaret opinionem, deinde scientiam, eadem causa esset successiuè generatiua contrariorum assensuum, aut saltem repugnantium.

B Respondetur ex superiùs dictis disp. 40. quæst. 2. distinguendo antecedens; Idem syllogismus respectu eiusdem intellectus successiuè potest esse simul dialecticus, & demonstratiuus, itaut dum demonstrat simul retineat probabilitatem cum hæsitatione, negatur propter ea, quæ ibidem dicta sunt: ita vt dum demonstrat, destruat talem probabilitatem conceditur. Vnde in eodem sensu qui suprà neganda est consequentia. Ad cuius probationem dicendum est, nullam esse repugnantiam, quòd eadem causa secundùm diuersas rationes producat, & generet diuersos, & repugnantes assensus.

Obiicitur tandem tertiò; quoniam syllogismus dialecticus est generatiuus fidei: ergo non opinionis tantùm. Patet consequentia, quia fides, & opinio sunt incompossibiles respectu eiusdem. Antecedens autem C probatur; nam auctoritas eorum, quos credimus esse veraces, est fidei generatiua, & tamen talis auctoritas solùm est probabilis: ergo ratio probabilis est fidei generatiua.

Respondetur ex dictis superiùs disput. 39. quæst. 3 not. 1. quòd syllogismus dialecticus tantùm est generatiuus illius fidei humanæ, quæ simul stat cum hæsitatione, & formidine de opposito; non autem illius fidei humanæ, quæ includit firmitatem, & certitudinem. Vnde neganda est consequentia, admisso antecedenti in sensu explicato; ad cuius probationem dicendum videtur, fidem cum certitudine, & firmitate esse incompossibilem cum opinione respectu eiusdem, non verò fidem cum hæsitatione, & formidine: nam auctoritas illorum tantùm est probabilis, & producit opinionem, quibus creditur cum hæsitatione, & for-D midine de opposito; quibus autem creditur firmiter, & absque hæsitatione, est certa, & habet quasi euidentiam in attestante; vnde producit scientiam saltem imperfectam, vt loco citato dictum est suprà.

QVÆSTIO II.

Vtrùm tantùm sint quatuor instrumenta abundandi in syllogismis dialecticis.

Licèt simpliciter in sapientum præceptis, dialecticè inuentio syllogismi, ingenij absque promptitudine tanquam gladius in vagina reconditus, hebescet

nihilominus ad eam fulciendam illa recolere, quæ passim assignari solent inutile non erit; maximè, cùm inuenire rationis quidem, & ingenij sit, facilè, autem inuenire, opus sit artis. Quatuor autem pro ipsa ex Philosopho hic cap. 13. communiter traduntur, nempe, sumptio propositionum, distinctio multiplicis, siue plura significata habentis, siuè æquiuocum, siuè analogum sit; inuentio differentiarum, & consideratio similitudinis; quæ ideò instrumenta vocantur, quia facilitatem, & promptitudinem summoperè ferunt; sunt enim quædam regula per quam abundamus, vel scimus inuenire promptè plures dialecticas propositiones; nam cùm aliqua dialectica conclusio multifariè probari possit, ideò peritus dialecticus pluribus indiget instrumentis, quibus facilè syllogizare, & syllogizando probare talem conclusionem valeat.

Hoc autem aduertendum est, quòd sumptio propositionum ponitur primo loco, quia huiusmodi instrumentum immediatè est propter syllogismum; cætera verò mediatè, cùm immediatè tantùm inseruiant propositionibus; nam re bene inspecta per vnumquodque ipsorum possunt fieri propositiones; si enim distinguimus hoc multiplex, nempe *bonum*, in utile, & delectabile; iam fit ista propositio; Bonum aliud est vtile, & aliud delectabile. Similiter inuenta differentia inter hæc duo, e. g. inter sensum, & disciplinam, & quòd amisso sensu non possumus ipsum recuperare, amissa verò disciplina iterum possumus eam recipere; iam fit altera propositio, nimirum quòd amissa disciplina iterum possumus eam recuperare, minimè verò sensum. Tandem considerata similitudine, quam habent inter se. g. e. sensus respectu sensibilis, & intellectus respectu intelligibilis, similiter conficitur ista propositio, sicut se habet sensus ad sensibile, ita intellectus ad intelligibile.

His itaque prælibatis, quia Philosophus talia tradendo instrumenta dixerat, tria vltima quodammodò reduci ad primum; hinc est quòd quæritur in præsenti, an tantùm quatuor sint, vel potiùs pauciora; stante enim tali asserto posset fortasse quis dubitare, vtrùm ad primum reducantur formaliter, itaut cum eo vnum formaliter constituant instrumentum; vel potiùs ordinatiuè tantùm, vt adeò formaliter sint distincta tum ad inuicem, tum à primo, licèt ad primum omnia indifferenter sint ordinata.

Prima sententia docet, tria posteriora instrumenta non distingui a primo, sed esse quid vnum formaliter cum eo, & consequenter, nec distingui inter se, cùm sint eadem vni tertio. Ita Augustinus Niphus in præsenti cap. 13, atque alij, qui eum sequuntur.

Secunda verò sententia è contrà docet talia instrumenta distingui tum ab inuicem, tum à primo, ad quod ordinantur, & consequenter esse quatuor. Ita Alexander, Tataretus, & ferè omnes in hoc citato capite.

Notandùm est idcirco primò, quòd hæc assignantur præcepta, ad hoc vt propositiones dialecticæ rectè sumantur; quorum primum est, vt eligantur probabiles, vel omnibus pluribus, aut sapientibus, aut his pluribus, aut maximè notis, vt in definitione propositionis dialecticæ dictum est suprà. Secundum, vt etiam sumantur illæ, quæ secundùm contradictionem, probabilibus contrariæ sunt; nam si vna contrariarum est probabilis, erit & altera; si enim probabilis est ista, A nimirum, Dialectica est simpliciter necessaria, erit etiam probabilis hæc contradictoria, Dialectica non est simpliciter necessaria. Tertium præceptum est, vt pariter eligantur illæ, quæ probabilibus similes sunt; nam si probabilis ista est, nempe, quòd audimus, species non emittentes, sed tantùm recipientes, probabilis erit & ista, quòd videndo recipimus, non autem species emittimus. Quartum verò est, vt sumantur ex communibus opinionibus, nam respondentes ad huiusmodi propositiones facilè concedunt, nec ad eas multùm aduertunt. Quintum vt accipiantur ex definitionibus, vel descriptionibus eorum, de quibus disputamus, nam, ut post Platonē in Phędro, aiebat Cicero lib. 1. de Officiis, & primo de Oratore, à definitione, inchoanda est omnis disputatio. Sextum autem præceptum est, ut desumantur ex sententiis peritorum in B aliqua arte, nam illis creditur quam plurimum. Septimum ut sumantur ex aliquo determinato genere artis uel scientiā; nam uel debent esse physicę, uel logicæ, uel alterius cuiusdam generis propositiones. Octauū tandem præceptum est, ut initio disputationis sumantur propositiones maximè uniuersales, adeò ut sub ipsis aliæ particulares sumi queant, ut e. g. omnium oppositorum eadem est disciplina: nam sub ista possunt accipi aliæ particulares, ut omnium contrariorum eadem est disciplina, omnium priuatiuè oppositorum eadem est disciplina, & sic de cæteris.

Notandum secundò; quòd multiplex, cuius distinctio est secundum instrumentum abundandi in syllogismo, siue æquiuocum, siuè analogum sit, varijs modis contingere potest. Primò quando aliquid habet con- C trarium, quod varia habeat significata, vt patet e. g. de acuto; nam cùm habeat pro suo contrario obtusū, quod potest significare tam angulum, quàm vocem; acutum pariter erit multiplex, cùm de contrariis eadem sit ratio. Secundò quando aliquid secundùm vnā considerationem non habet contrarium, illud tamen habeat secundùm aliam; vt patet de verbo *Amare*: nam licèt prout significat actum corporis, nempe osculari, amplecti, &c. non habeat contrarium saltem positiuè (priuatiuè enim aliter dicendum est, vt patet) prout verò significat passionem animæ, habet odisse, quod ei positiuè contrariatur. Tertio quando aliqua contraria in vna significatione habent medium, in altera verò nō; vt patet de claro, & obscuro; quæ licèt secundùm quòd significant colorem, habeant medium, nempe fuscum; D non autem secundùm quòd significant vocem, vt docent aliqui. Quarto, quando aliqua contraria, estò in vtraque significatione habeant medium, non tamen idem in vtrisque, vt patet ex eodem exemplo de claro, & obscuro; nam licèt secundùm aliquos in vtraque significatione coloris scilicet, & vocis habeant mediū non tamen, idem est, cùm respectu vocis non dicatur fuscum, sed raucum. Quinto verò accidit multiplex, seu multiplicitas, quando aliqua contraria in vna significatione habent plura media, in alia verò vnum tantùm, vt patet eodem exemplo; nam clarum, & obscurum in significatione coloris, habent plura media, scilicet fuscum croceum, &c. in significatione verò vocis tantùm habent raucum. Sexto quando duorum contradictoriorum vnum est multiplex; nam si videre intelligi potest tam pro potentia, quam actu, & vsu videndi; etiam non videre eodem modo intelligi poterit. Septimo, quando duorum priuatiuè oppositorum, vnum est mul-

multiplex; sensibile enim e. g. quia potest intelligi vel secundùm animam, vel secundùm corpus; etiam & insensibile. Octauo, quando aliquod principale multiplex est; etiam suum coniugatum, seu ab ipso deriuatum fit multiplex; vt patet de sanitate, & sanatiuo, quæ tam respectu corporis, quàm animæ intelligi queunt. Nono, quando res significatæ per aliquam vocem sunt in diuersis prædicamentis; vt patet de acuto, quod dicitur tam de linea, quæ est in prædicamento quantitatis, quàm de voce, quæ est in prædicamento qualitatis. Decimo, quando res significatæ per vocem, sunt in diuersis generibus non subalternatim positis; vt patet de voce Carmen, quæ conuenit instrumento carminatorio, & versibus poetarum, quæ res sunt in diuersis generibus non subalternatim positis: nam prædictum instrumentum est in genere substantię; versus verò in genere qualitatis, quæ genera non sunt subalternatim posita. Multis aliis modis, vt videre est apud Philosophum cap. 15. huius, contingere potest multiplicitas, sed quia ad præfatos facilè reduci possunt, breuitatis gratia relinquuntur.

Notandum est tertiò, quòd pro differentiarũ inuentione tria præcepta traduntur, quorum primum est, vt quærantur differentiæ eorum, quę sub eodem genere continentur, e. g. Iustitiæ, & Fortitudinis, quæ continentur sub eodem genere virtutis moralis. Secundum verò est; vt pariter considerentur differentiæ eorum, quæ licèt non contineantur sub eodem genere, tamen videntur inter se habere aliquam affinitatem; vt sensus, & scientia, quæ licèt non sint sub eodem genere, attamen inter se habent aliquam similitudinem, & conueniẽtiam. Tertium tandem præceptum est, vt omittãtur ea, quæ plurimùm inter se discrepant; quoniam eorum discrimen est euidens, nec vlla eget disquisitione. Item pro similitudinis consideratione, tria alia præcepta tradi solent; quorum primum est, quòd similitudo quærenda est in illis, quæ sunt diuersorum generum propinquorum, respiciendo vtrùm vnum se habeat ad aliud eodem modo sicut reliquum; vt sicut se habet disciplina ad disciplinatum, ita sensus ad sensatum; vel sicut se habet visus in oculo, ita intellectus in anima. Secundum verò est, ut maximè nos exerceamus in eorum, quæ maximè differunt, similitudinibus eruendis: ubi enim maior est difficultas, ibi maior exercitatio requiritu. Tertium tandem præceptum est, ut notentur similitudines etiam eorum, quæ sub eodem genere continentur, ut hominis, æqui, canis &c.

Dicendum est ergo, quòd quatuor tantùm sunt instrumenta abundandi in syllogismis; videlicet Propositionum sumptio, Multiplicis diuisio, Differentiarum Inuentio, & similitudinis Consideratio.

Probatur; quoniam instrumenta abundandi in syllogismis dialecticis debent sumi, uel ex parte rei, uel ex parte uocis, illius problematis, cuius est disputatio: nam disputatio uel est de re, uel de uoce. Si autem sumantur ex parte rei, dupliciter euenire potest; scilicet uel ex parte conuenientiæ, & sic est consideratio similitudinis; uel ratione differentiæ, & sic est differentiarum inuentio. Si uerò sumantur ex parte uocis, hoc similiter potest fieri dupliciter, uel scilicet ex parte uocis complexæ, et sic est sumptio propositionum; uel ex parte uocis incomplexæ, et sic est distinctio multiplicis. Cùm autem præter istas rationes non sint aliæ generaliter assignandæ, vt patet: ergo quatuor tantùm erunt prædicta instrumenta.

Obijcitur primò; quoniam si tria illa posteriora instrumenta abundandi, formaliter distinguerentur a primo, & cum eo componerent numerum quaternarium; sumptio propositionum, quæ est tale primum instrumentum in ordine, non esset instrumentum dialecticũ seu, quo abundare debemus in syllogismis dialecticis inueniendis; sed hoc non est dicendum, quia repugnaret dictis, cùm sit principale instrumentum, ad quod cætera alia ordinantur: ergo formaliter non distinguuntur ab ipso, nec cum eo componunt numerum quaternarium. Sequela maioris probatur, nam cùm propositionum sumptio, non tam spectet ad artem topicã, quam demonstratiuam, & sophisticam, nisi illi addantur, vel ad ipsam reducentur cætera instrumenta dialectica, & cum ipsa vnum formaliter constituant, nequit coarctari tantùm ad instrumentum dialecticum; ergo si ab ea formaliter distinguerentur, ipsa non esset instrumentum dialecticum, &c.

Respondetur negando sequelam; ad cuius probationem dicendum est, quòd sumptio propositionum potest sumi dupliciter; vno modo, generaliter, pro quacunque acceptione propositionum siue necessariarum, siue probabilium, siuè verarum, siue falsarum; et sic conuenit tam demonstratori, quàm dialectico, & sophistæ; alio verò modo potest sumi pro acceptione propositionum tantùm dialecticarum, & probabilium, quibus debemus abundare in syllogismis dialecticis inueniendis, & hoc modo tantùm spectat ad dialecticũ. Hic autẽ propositionum sumptio, non sumitur in primo sensu, vt contendit probare argumentum; sed in secundo.

Obijcitur secundò; probando saltem distinctionem multiplicis non esse instrumentum abundandi, &c. Quoniam vti amphibologia, siue locutione multiplici, & ambigua, spectat ad sophistam; sed distinctio multiplicis est quidam vsus amphibologiæ: ergo non erit instrumentum dialecticum, &c. Maior patet ex Philosopho 7. Ethic cap. 2. dicente: *Sophistarum ratio fallax ancipitem habet curam cogitandi*. Minor verò probatur; quia distinctio multiplicis est vsus propositionis vno, vel altero sensu, vt patet dum dicitur: Bonum aliud honestum, aliud vtile: sed vsus amphibologiæ est huiusmodi: ergo, &c.


Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum est, quòd dupliciter possumus vti aliqua propositione in vno, vel altero sensu; vno modo, ita vt reddat sensum diuisum; alio verò modo vt reddat sensum coniunctum. Hoc secundo modo talis vsus spectat ad sophistam, vt loco citato docet Philosophus, quia cùm reddat sensum ambiguum; est quidẽ vsus amphibologiæ; primo verò modo nequaquam spectat ad sophistam, sed ad dialecticum: ratio enim est; quia dum Dialecticus vult probare e. g. Tyrannidem non esse bonam, sumit hanc propositionem ex multiplicis distinctione, scilicet, Bonum aliud honestũ, aliud vtile; sed Tyrannis non est honesta, neque vtilis: ergo, &c. illa maior propositio non reddit sensum ambiguum, quia non loquitur de Bono in sensu coniuncto, sed in sensu diuiso, vt patet.

Obiicitur tandem tertiò, probando talia instrumenta, vel esse pauciora vel plura quatuor. Pauciora quidem, quia differentiarum inuentio, & similitudinis consideratio, propriè spectant ad Metaphysicum; nam ipse

ipse tantùm considerat principia, & causas omnium rerum ex quibus differentiæ, & controuersię omnes seu dissimilitudines, & similitudines oriuntur; quare dicebat Auerroes 9. Metaph. comment. 1. & alibi vt videre est in tabula Zimaræ, quòd *Metaphysica habet considerare de ente simpliciter, & de generibus, & differentijs, in quas diuiditur*; ergo tantùm erunt duo instrumenta dialectica, scilicet sumptio propositionum, & multiplicis distinctio. Ex alia verò parte plura quatuor videntur; quia sumptione terminorum, & præcipuè medij termini, non minus debemus abundare in inueniendis syllogismis dialecticis, quàm sumptione propositionum, cùm ex illis istæ resultent: ergo quinque dialectica instrumenta sunt concedenda, quibus abundare debemus, &c.

A Respondetur primò ad primam rationem, quòd agere de differentijs, ac similitudinibus stat dupliciter; primò itaut considerentur eorum principia, & causę. & hoc modo spectat ad Metaphysicum, vt probat argumentum, & docet Auerroes loco suprà citato. Secundo verò modo, scilicet, itaut ordinentur ad propositiones dialecticas, & probabiles inueniendas; & hoc modo agere de ipsis spectat tantùm ad dialecticum. Ad secundam verò rationem Respondetur, sumptionem terminorum materialiter tantùm esse instrumentum abundandi, quia de materiali tantùm termini ipsi spectant ad propositionem minimè verò formaliter; quare sumptio terminorum, & sumptio propositionum vnum, & idem formaliter sunt instrumentum, &c.

LIBER SECVNDVS TOPICORVM, EIVSQVE SYNOPSIS.



IN hoc secundo libro assignat Philosophus loca omnia tum intrinseca, tum extrinseca, tum media, tam pro construendis, seu afferendis, & affirmandis, quàm pro destruendis, seu pro impugnandis, atque negandis problematibus accidentis: nam cùm superiori libro exposuerit ea, quæ communia sunt omnibus problematibus dialecticis; modo explicare debet ea, quæ pręcipua pro singulis problematibus instrumenta, vel loca sunt. Enarraturus autem prædicta loca incipit à problemate accidentis, eò quòd omnium est simplicissimum, & imperfectissimum; nam accidens tantùm inest in subiecto: genus autem, & proprium, & definitio aliquid ampliùs notant, vt essentiam, vel reciprocationem.

Continet autem liber iste secundùm Boetium quatuor capita, in quorum primo post diuisionem problematis in vniuersale, & particulare, ad quod reducitur pariter indefinitum, docet, quòd illa loca, vtrique problematum generi communia sunt, quæ vniuersaliter vim affirmandi, vel negandi habent: nam quæ loca ad vniuersale affirmatiuum, vel negatiuum valent, eadem quoque particulare adstruunt, vel refellunt; veluti si probetur omne animal viuere, probatur etiam aliquod animal viuere; etsi probetur nullum animal esse immobile simul probatur non omne animal esse immobile. Item subdit, quòd præcipuè declaranda sunt illa loca, quæ vniuersaliter euertunt; tum quia communia sunt problematibus, tam vniuersalibus, quàm particularibus; tum etiam quia magis spectant ad opponentem, qui theses plerunque affirmatas conatur euertere. Comparat deinde problemata accidentis ad problemata aliorum prædicatorum dicens, quòd difficilè valdè est terminare, seu probare problemata accidentis, quia in ipsis non valet conse-

B quentia ab in esse ad esse: non enim sequitur albedo inest Æthiopi: ergo Æthiops est albus; at in problematibus aliorum prædicatorum vtique valet; bene quidem sequitur animal inest homini: ergo homo est animal. Tandem ponit duo vitia quæ possunt accidere in problematibus dialecticis; primum est mentiri, seu falsa profari; secundum est transgredi locutionem communem, quòd fit aliquando apertè, vt cùm aliquis e. g. Platanum vocauit hominem, idest appellatione hominis significauit Platanum; aliquando latenter, vt cùm Stoici e. g. dicunt solum sapientem esse liberum, vel diuitem: nisi enim mentiantur, C aliter accipiunt liberum, vel diuitem quàm ab alijs accipi solet.

In secundo autem capite incipit agere de locis intrinsecis, quibus terminari possunt problemata accidentis, quod prosequitur vsque ad medietatem eiusdē capitis. A tali autem medietate vsque ad medietatem capitis tertij agit de locis extrinsecis. A medietate autem prædicti capitis tertij vsque ad finem capitis quarti agit de locis, medijs, quæ omnia in sequentibus disputationibus, claritate, ac breuitate possibili, erunt explicenda.

D

DISPVT. QVADRAGESIMASEXTA.

De locis dialecticis, in communi.

Pa-


Arum quidem dialectici argumenti, seu potius syllogistici medij prodessent inuentioni, generalia abundandi quatuor illa instrumenta, nisi prædictum medium, vnde promendum sit, quærentibus pariter indicaretur. Qua de causa cum Philosopho indagare debemus præcipua receptacula, in quibus omnis eius virtus, & vigor latere solet, quæ ideò loca, sumpta metaphora à loco corporis circunscriptiuo, fortasse dicuntur; quia sicut rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato, & notato loco, facilis est inuentio: sic cùm peruestigare argumentum volumus, locos nosse debemus. Cùm autem de his, vel in communi, vel in specie dimicari possit; postposita eorum discreta notitia, de omnibus coniunctim positis, primo certamine, vt par videtur, congrediendum erit.

QVÆSTIO I.

An locus dialecticus bene sit definitus.


Ristoteles in rhetoricis, vt testatur Petrus à fonseca, appellans dialecticum locum *Elementum*, ipsum definiens, inquit: *Elementum, ac locus est in quem multa incidunt Enthymemata*; quòd explicans Boetius asseruit esse id, vnde ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum. Quare Cicero in principio suæ Topicæ ad talem formam eam reduxit definitionem, dicendo: *Dialecticum locum esse argumenti sedem*; quæ definitio licèt ab omnibus recepta sit; nihilominus, quia nonnullas secum affert difficultates; ideò in dubium vertitur; quærendo scilicet an omni ex parte bona, & sufficiens eistat.

Notandum est idcirco primò, quòd illa particula *sedes*, posita in loci dialectici definitione, sumitur etiam metaphoricè, & translatiuè; ex eo quòd sicut sedens in sede confirmatur, & quiescit; ita argumentatio quiescit, & confirmatur in loco dialectico; nam quando intellectus dubitat de virtute probatiua, vel illatiua argumenti, & repetit habitudinem terminorum ad inuicem, vel propositionem per se notam, vbi, vel per quam confirmatur talis habitudo; tunc intellectus quiescit, & amplius non dubitat de illa virtute, nec de conclusione probata per argumentum. Cauendum tamen est, quòd hic per argumentum non debet intelligi totus syllogismus, nisi fortè per sinecdochen; accipiendo scilicet totum pro parte; sed tantùm ratio, seu medium per quòd aliquid probatur; ita enim in Topicis Tullius explicat, dicent; *Argumentum autem esse rationem quæ rei dubiæ facit fidem*; hoc est esse medium quoddam, quod cùm prædicato, & subiecto quæstionis, aut cum eorum altero probabiliter, idest verisimiliter connectitur, vt eius quod confirmandum est, assensum quendam non omnino necessarium efficiat.

Notandum secundò: quòd cùm id, quod est necessarium, possit iudicio multorum duntaxat esse proba-
A bile, vt notatū est suprà primo loco disputationis antecedentis quæst. 1. dubium non est, quin argumenta omnia demonstratiua possint esse dialectica, si cum altero saltem quæstionis termino probabiliter tantùm coniungi existimentur. Ex quo fit, vt non solùm hic tradenda sit methodus exquirendi argumenta topica, sed etiam necessaria, & demonstratiua. Quod planè Aristoteles se fecisse in topicis significauit: nam cùm locos omnes dialecticos tradidisset, octauo libro statim subiecit, talem locorum campum communem esse dialectico, & Philosopho, hoc est probabiliter suadenti, & cogenti demonstratione. Et cùm de inuentione medij demonstratiui in libris de posteriori resolutione scripsit, ad eam, quam tradiderat in Topicis, de locis dialecticis tractationem lectorem misit. Ratio verò prædictorum est, quia licèt argumentorum, & loco-
B rum vsus, ad quamcunque scientiam pertineat secundùm applicationem ad propriam materiam, eorum tamen explicatio ad solam dialecticam spectat, cuius proprium munus est, methodum præbere omnibus scientijs, ac disciplinis, ad disputationem instituendam.

Dicendum est ergo, quòd locus Dialecticus rectè, ac sufficienter definitur per hoc, quòd scilicet sit Argumenti dialectici sedes; seu id a quo, ad propositam quæstionem conueniens elicitur argumentum.

Probatur: quoniam locus, vt ex sequentibus magis patebit, vel est habitudo siue necessaria, siue contingens, terminorum ad inuicem, vel est propositio siue necessaria, siue per se nota propter talem habitudinem terminorum; sed in tali habitudine terminorum, vel
C in propositione per se nota, quæ fit ex illis terminis, confirmatur medium probans, & inferens conclusionem, quod dicitur argumentum, & etiam elicitur virtus argumenti ad propositam quæstionem ex illa habitudine terminorum, vel ex aliqua propositione per se nota: ergo locus dialecticus bene definitur per sedē argumenti; vel per id a quo elicitur argumentum, &c.

Obijcitur primò; nam idem non est aptum ad confirmandum seipsum, cùm non possit simul habere rationem magis noti, & minùs noti: sed si locus esset sedes argumenti, idest id, in quo quiesceret, & confirmaretur argumentum, idem confirmaret seipsum; ergo malè dicitur, quòd sit argumenti sedes. Probatur minor, in qua est tota difficultas; quia argumentum,
D & locus idem sunt, vt patet in isto argumento e.g. homo currit. ergo animal currit: Homo enim est argumentum, quia est medium probans conclusionem, & etiam est locus, in quantum in ipso est species, vnde dicitur locus à specie: ergo si locus esset argumenti sedes, idem confirmaret seipsum.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt locus, & argumentum, quandoque sint idem materialiter, tamen differunt formaliter, vt in illo exemplo adducto patet: nam *Homo* in quantum habet virtutem probandi conclusionem, dicitur argumentum, & in quantum est species, & habet habitudinem ad genus dicitur locus, atque in hac habitudine confirmatur virtus, quæ dicitur argumentum.

Obijcitur secundò: quoniam nulla bona definitio debet dari per metaphoram, cùm de ratione definitionis

nis

nis sit claritas non autem obscuritas, quam importat plerunque metaphora: sed definitio loci datur per metaphoram sedis, vt dictum est: ergo non est bona. Patet consequentia, quia tunc definitio non gigneret claram notitiam definiti, quod est totum id, ad quod ordinatur definitio.

Respondetur, quòd non semper metaphora causat obscuritatem, præcipuè quando reducitur ad propriã locutionem per aliquam similitudinem, vt docet tùm Philosophus 6. top. cap. 1. dicens: *Nam metaphora facit quodammodò notum, quod designatum est per similitudinem.* Tum Cicero in oratore, dicens: *Ex omni genere frequentissimæ translationes erunt, quod eæ propter similitudinem transferunt animos.* Quinimmo metaphora per similitudinem magis explicat, & clarificat ea, quæ per ipsam significantur, teste D. August. in Epistola 119. vbi sic inquit: *Credo quod ipse animi motus si foratur ad similitudines corporales, & inde ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus, incenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem, & quietem.* Cùm igitur allata loci definitio reducatur ad propriam locutionem per similitudinem, non parit obscuritatem, sed maximam claritatem.

Obijcitur tandem tertiò; Tum quia locus dialecticus debet esse locus probabilis, non autem necessarius, sicut argumentum dialecticum non debet esse necessarium, sed probabile: ergo malè ponitur, quòd sit sedes, in qua tanquam in habitudine necessaria terminorum, & propositione per se nota confirmatur argumentũ, &c. Tum etiam quia, ex tali definitione sequeretur, quòd isti termini e. g. Homo, & animal, essent loca dialectica, cùm ab illis etiam trahatur conueniens argumentum, scilicet ab inferiori ad superiùs: sed hoc est falsum: nam vel esset locus Maxima, vel locus differentia Maximæ, vt dicetur statim: non Maxima, quia ex illis nõ constituitur aliqua maxima, nec locus differentia maximæ, cùm per illos, vel ratione illorum, vna maxima non differat ab alia: ergo, &c.

Respondetur, & primò ad primam rationem, falsum esse, locum dialecticum debere esse semper locum probabilem, sed sufficere quòd ex ipso educatur argumentum, vel medium probabile, ad differentiam ipsius argumenti dialectici, quod necesse est vt sit probabile, cùm ex eo probabilis elicienda sit conclusio, nam ex loco dialectico tam medium necessarium, quàm probabile educi potest, vt notatum est suprà, vbi dictum est, loca dialectica spectare tam ad dialecticum, quàm ad Philosophum, cæteris paribus, &c. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd illi duo termini dupliciter sumi possunt, vel scilicet vt termini sunt; vel vt habent rationem inferioris, vel superioris, vel speciei, & generis. Primo modo ab illis non sumitur argumentum, siue medium, nisi materialiter; & consequenter non sunt locus maxima, vel differentia maximæ, vt probat argumentum. Secundo verò modo ab illis vtique potest sumi medium dialecticum; & possunt esse locus saltem differentia maximæ, vt statim videbitur ex professo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm locus dialecticus rectè diuidatur in locum maximam, & in locum differentiam maximæ.

PRO tituli intelligentia sciendum est, quòd locus maxima, hoc est qui per appositionem dicitur maxima, *Est propositio per se nota, siue contingens, siue probabilis, siue necessaria, fidem alijs subministrans*: quæcumque enim propositio, cognitis terminis, statim sine vlla confirmatione approbatur; propositio per se nota dicitur hoc loco, siue necessaria sit, vt cui non conuenit definitio, non conuenit definitum; siue probabilis, vt quòd maxima pars eorum, qui in quauis arte versantur dicunt, verum est, quæ vtique propositio dicitur, fidem aliis propositionibus subministrare, quia continet in se vim probationis aliarum; e. g. illa prior propositio, quam nunc in exemplum attulimus, dicitur subministrare fidem huic; *Sapiens non est inuidus*; quia continet eius totam probationem, & definitionem prædicati desumptam hoc modo: Inuidus est, qui bonis affligitur alienis: sed sapiens bonis alienis non affligitur: ergo sapiens inuidus non est: nam quia definitio inuidi non conuenit sapienti, idcirco nec nomen ipsum, quod est definitum, conuenire concluditur. Item propositio illa posterior, quam similiter in exemplum adduximus, dicitur etiam subministrare fidem huic, scilicet *Prædicamenta sunt decem,* quia continet totam eius probationem ex auctoritate desumptam, hoc modo; ferè omnes Philosophi dicunt decem esse prædicamenta: ergo decem sunt. Quà de re tales propositiones dicuntur maximæ, quia licèt sint paruæ in quantitate, sunt tamen maximæ in virtute, & in gradu certitudinis, quia possunt certificare multas alias propositiones. Etiam alio nomine dicuntur dignitates: quia seipsas dignificant, vt ab intellectu cognoscantur. Similiter à multis aliis vocantur communes animi conceptiones, quia ab intellectu multorum faciliè concipiuntur.

Locus verò differentia maximæ est receptaculum plurium maximarum: vt locus definitionis, locus auctoritatis; siquidem ex loco definitionis, non solùm eruimus illam maximam, Cui non conuenit definitio, non conuenit definitum, sed etiam hanc, Cui conuenit definitio, conuenit definitum, & plures alias; & ex loco auctoritatis non modo desumitur illa, quòd maxima pars eorum, qui in quauis arte versantur dicunt, id verum est; sed etiam hæc, In vsu loquendi sequenda est vulgi consuetudo: eodemque modo ex singulis locis, qui inter hos recensentur, plures maximæ ducuntur. Non dicuntur autem huiusmodi loci differentiæ maximarũ, quòd ipsas maximas singulatim distinguant (cùm vnusquisque, multas complectatur) sed quòd diuersis maximarum clauibus diuersam tribuant appellationem: quæ enim maximæ in loco definitionis habitant dicuntur à definitione, quæ in loco auctoritatis, ab auctoritate, et sic cæteræ, à suis quasi domibus, aliis, atque aliis

alijs nominibus appellantur.

Quibus igitur prænotatis, modò quæritur an diuisio loci dialectici in prædicta loca sit bona, & adæquata; quæ cùm ab omnibus ut talis sit recepta, tantùm videntur necessaria nonnulla adnotare, vt faciliùs obiectiones, quæ circa ipsam fieri solent, diluantur.

Notandum igitur est, quòd ad tollendam amphibologiam, quæ ex impropria oriri posset locutione, diuerso modo loquendum est, seu nominanda sunt loca, quæ dicuntur maximæ, ac illa quæ dicuntur differentiæ maximarum; nam priora dici debent loca à definitione, loca ab auctoritate, &c. quia propositio illa per se nota, ab ipsa definitionis habitudine, vel à respectu auctoritatis vim habet. Posteriora verò appellanda sunt loca definitionis, loca auctoritatis, &c. quia cùm loquimur de ipsis hoc modo, significamus reperiri in eis definitionem, auctoritatem, &c. quod vtique tam apertè non declarasset, qui ita de illis loqueretur, nempe esse loca à definitione; ab auctoritate, &c. sicut loquendum est de prioribus. Ex quibus colligitur, quòd licèt locus differentia maximæ, via perfectionis, posterior sit loco maxima, quia ab eo vltimam recipit perfectionem, cùm ab ipso confirmetur, & tanquam in primo principio, in eodem quiescat; tamen via generationis, prior est, quàm locus maxima, quia maxima vim habet ab eo, cùm ex ipso deducatur, atque inde dicitur non absolutè locus definitionis, auctoritatis, &c. sed à definitione, ab auctoritate, &c.

Dicendum est ergo, quòd locus dialecticus sufficienter, & adæquatè diuiditur in locum maximam, & in locum differentiam maximæ.

Probatur; quoniã de ratione loci dialectici est cõfirmare, & stabilire argumentum, cùm ex dictis, sit argumenti sedes; hoc est firmamentum, & quies illius: ergo vel confirmat explicitè, & perfectè, et sic est locus maxima, cùm ibi vltimò sistat argumentum; vel implicitè, & imperfectè, et sic est locus differentia maximæ, cùm tendat ad vlteriorem perfectionem: sed præter confirmare perfectè, & imperfectè, non datur alius modus confirmandi argumentum, vt patet: ergo nec alius locus, & consequenter talis diuisio sufficiens est, & adæquata.

Obijcitur primò: quoniam membra bonæ diuisionis, non debent coincidere, cùm ab inuicem debeant esse distincta, re vel ratione, vt dictum est supra lib. 2. Instit. cap. 4. sed locus maxima, & locus differentia maximæ videntur coincidere: ergo talis diuisio non est sufficiens. Minor probatur, nam locus differentia maximæ, est pars loci maxima, cùm in eo contineatur: maxima enim continet totam vim probationis loci differentiæ maximæ, vt prænotatum est supra: ergo prædicta loca videntur coincidere.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt locus differentia maximæ includatur in loco maxima materialiter, tanquam pars scilicet materialis eius; non tamen formaliter, & vt pertinens ad formam maximæ. Quia cùm prædicta loca saltem distinguantur formaliter, in idem non videntur coincidere, nisi de materiali; quod nihil obstat bonæ, ac sufficienti diuisioni.

Obijcitur secundò; nam illa est bona diuisio, cuius membra diuidentia aliquo modo, hoc est, siue vniuocè, siue analogicè participant de re diuisa: sed locus maxima, cùm non sit argumenti sedes, nullo modo parti-

A cipat de re diuisa, quæ est locus dialecticus: ergo, &c. Minor probatur; nam cùm locus maxima nil aliud sit, quàm vna propositio argumentationis, siue syllogismi, non poterit in ipsa confirmari argumentum, seu medium; cùm medium non confirmetur in præmissis: ergo locus maxima nullo modo participat de re diuisa.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd medium potest dupliciter considerari; vel materialiter, vt scilicet est terminus, ex quo cum alijs constat argumentatio: vel formaliter, quatenus scilicet est ratio, & virtus probandi conclusionem. Primo modo vtique non confirmatur in maxima, propter rationem adductam in argumento: secundo verò modo, optimè confirmatur in ipsa; nam per maximam, virtus medij perfectè explicatur, & manifestatur intellectui, vt dictum est.

B Obijcitur tandem tertiò: quoniam omnis locus dialecticus est habitudo, siue necessaria, siue contingens terminorum ad inuicem, vt dictum est suprà in probatione conclusionis antecedentis quæstionis; sed saltem locus differentia maximæ non est huiusmodi: ergo saltem prædictus locus, non est locus dialecticus; & consequenter mala diuisio loci dialectici in locum differentiam maximæ. Minor, in qua viget difficultas probatur: nam locus differentia maximæ nil aliud est, quã materia, seu termini ipsius maximæ, vt iam dictum est in responsione ad secundum; sed termini non possunt esse habitudo terminorum ad inuicem: ergo locus differentia maximæ, non est locus dialecticus.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd termini maximæ dupliciter considerari possunt, secundùm se scilicet, & secundùm eorum significata. Si considerentur primo modo, vtique non sunt habitudo terminorum ad inuicem, cùm sint ipsimet termini ordinati inter se; at verò si considerentur secundo modo, cùm significata eorum sint habitudines rerum inter se (genus enim e. g. significat habitudinem superioris ad inferiora, & species è contra) optimè erunt habitudines, siue habitudo terminorum ad inuicem.

C

QVÆSTIO III.

D *An locus differentia maximæ rectè, & adæquatè diuidatur in locum intrinsecum, extrinsecum, & medium.*

Licèt explicitè in titulo facta non sit mentio loci maximæ, tamen implicitè subintelligitur prædictus locus; multiplicato enim loco differentia maximæ, non potest non multiplicari ipsa maxima, quia variatis terminis maximæ, qui sunt locus differentia maximæ; non possunt non variari & ipsæ maximæ, cùm ex habitudine prædictorum terminorũ formentur; e. g. varientur isti termini, nimirum; Inuidus est qui affligitur bonis alienis; sed sapiens non affligitur; ergo sapiens inuidus non est, & dicatur per locum ex trinsecum oppositorum, Inuidus non est beneuolus sapiens est beneuolus: ergo sapiens non est inuidus.

tunc etiam mutantur maximæ, nam vbi maxima priorum terminorum erat à definitione, scilicet, cuicunque non conuenit definitio, nec conuenit illi definitũ, succedit loco illius maxima posteriorum terminorum, nempe cui conuenit vnum oppositorum, non potest conuenire aliud; qui est locus maximæ ab oppositis, vt de se patet, & magis ex dicendis patebit.

Pro eiusdem tituli plena intelligentia supponendum est, quòd locus intrinsecus est, quando sumitur argumentum ab his, quæ sunt de substantia, siue essentia rei; hoc est quando terminus inferens, & terminus illatus idem important, siue conuertibiliter, siue inconuertibiliter; & vnus est in alio secundùm aliquem modum essendi in; vt si dicatur, Animal rationale mortale currit; ergo homo currit; vel Homo currit: ergo animal currit, &c. Terminus autem inferens est terminus positus in antecedente, & non in consequente; illatus verò è contrà, scilicet positus in consequente, & non in antecedente. Locus postea extrinsecus est; quando sumitur argumentum ab his, quæ omnino separata sunt à substantia, siue essentia rei; hoc est quando terminus inferens, & terminus illatus, nec conuertibiliter, neque inconuertibiliter idem sunt; neque vnus est in alio secundùm aliquem modum essendi in; vt dum à contrario dicitur; Socrates non est niger: ergo Socrates est albus. Locus tandem medius est, quando sumitur argumentum ab ijs, quę partim conueniunt cum terminis in quæstione positis, & partim differunt ab eis; hoc est, quando terminus inferens, & terminus illatus, partim conueniunt, & partim differunt, vel se habent sicut membra diuidentia, & sicut sunt vniuoca, & denominatiua, quæ dicuntur coniugata; vt si quæratur, vtrùm Iustitia e. g. sit bona, & probetur sic: Iustum est bonum: ergo Iustitia est bona; vel si quæratur, an Socrates e. g. sit homo, & probetur sic: Socrates aut est homo; aut non est homo; sed non est non homo: ergo est homo. Quibus igitur suppositis, quæritur, vtrùm diuisio loci, siue dicatur maxima, siue differentia maximæ in talia membra, sit bona, & adæquata.

Prima sententia est Ruuij in selectis ex libris Topic. n. 23. qui diuidit prædictum locum tantùm in locum intrinsecum, & extrinsecum, licèt locum extrinsecum deinde diuidat in eum, qui habet aliquam affinitatem cum ipsa re; & in eum, qui habet aliquam repugnantiam cum ea. Vnde videtur docere diuisionem prædicti loci in locum medium esse superfluam.

Secunda verò sententia communis est inter omnes Dialecticos, & Summolistas docentes prædictã diuisionem in locum intrinsecum extrinsecum, & medium non esse superfluam, sed sufficientem, & adæquatam.

Notandum est idcircò primò, quòd prædicta diuisio loci, non est diuisio generis in suas species, cùm locus non dicatur æqualiter de istis tribus membris; sed est diuisio analogi in sua analogata, cùm locus dicatur de illis secundùm priùs, & posteriùs; priùs enim dicitur de loco intrinseco, postea verò de alijs. Et ratio est; quia locus est habitudo termini inferentis ad terminũ illatum; cùm autem in loco intrinseco sit habitudo positiua tantùm; in loco verò extrinseco habitudo negatiua, vel priuatiua tantùm, & cùm habitudo positiua nobilior sit habitudine negatiua, vel priuatiua (hæc enim solùm habet cognosci per respectum ad illam, sicut priuatio solùm habet cognosci per respectum ad habitum) hinc est, quòd ratio loci per priùs dicitur de loco intrinseco, quàm extrinseco, Sicuti de loco medio per priùs dicitur de eo secundùm illam partem, qua participat de loco intrinseco, quàm secundùm illam, qua participat de loco extrinseco; locus enim medius ideò dicitur, quia videtur participare de ratione vtriusque loci, quia cùm similiter participet secundùm priùs, & posteriùs, non poterit participare æqualiter, & consequenter non prædicabitur de illo vniuocè, sed tantùm analogicè, atque analogicè in ipso, & alijs diuidetur.

Notandum secundò, quòd licèt locus ex intrinseca, & positiua habitudine termini inferentis ad illatum, intrinsecus dicatur; non tamen quælibet intrinseca, & positiua habitudo prædictorum terminorum sufficiens est ad constituendum locum intrinsecum secundùm proprietatem sermonis, quo loquimur in præsenti; duas enim conditiones saltem habere debet: primam scilicet, vt sit habitudo positiua ex parte vtriusque; defectu cuius conditionis iste locus, nempe, Socrates est albus: ergo non est niger, non est intrinsecus, nam essò habitudo albi ad non nigrum sit positiua ex parte termini inferentis; non tamen ex parte termini illati; secunda verò conditio, quam debet habere, est, vt prædicta habitudo intrinseca non tantùm sit talis secundùm quòd in vno recipitur termino, siue ordinetur, vel non ordinetur ad inferendum alium; sed in quantùm ordinatur ad aliud, seu secundùm quod infert aliud; defectu cuius conditionis, illa habitudo albi ad non nigrum; non dicitur omninò intrinseca etiam respectu termini inferentis, quia licèt secundùm se sit quid intrinsecum, cùm intrinsecè afficiat Socratem in quo est; tamen quatenus infert non album, est omninò extrinseca Socrati albo; cùm etiam possit inferre seipsum non nigrum, si aliàs esset croceus, vel rubeus, &c.

Dicendum est ergo, quòd diuisio loci differentiæ maximæ in locum intrinsecum, extrinsecum, & medium, est sufficiens, & adæquata.

Probatur; quoniam omnis locus differentia maximæ importat habitudinem termini inferentis ad terminum illatum: ergo vel terminus inferens conuenit simpliciter cum termino illato; vel simpliciter disconuenit ab eo. Si primum, est locus intrinsecus, quia simplex conuenientia prouenit ab intrinseco. Si secundum, & hoc dupliciter; vel quia simpliciter disconuenit; vel quia partim conuenit, & partim differt. Si simpliciter disconuenit, est locus extrinsecus; si verò partim conuenit, & partim differt, est locus medius: sed cùm præter hos modos conueniendi, & non conueniendi, non sit alius assignabilis: ergo prædicta diuisio erit sufficiens, & adæquata.

Obijcitur primò; nam locus differentia maximæ debet diuidi secundùm diuersas differentias entis; sed plures sunt differentiæ entis, quàm tres: ergo insufficiens diuisio. Minor patet ex diuisionibus entis, quas faciunt Metaphysici, nempe in idem, & diuersum, in actum, & potentiam, in accidens, & substantiam, &c. Maior verò probatur; quoniam diuisio loci differentia maximæ debet sumi penes diuersam habitudinem termini ad terminum; sed talis habitudo se tenet ex parte rei significatæ per tales terminos; ergo debet se tenere ex parte entis, & consequenter debet esse secundùm diuersas differentias entis.

Respondetur distinguendo maiorem; locus differentia

rentia maximæ debet diuidi secundùm aliquas differentias entis, nempe secundùm idem, & diuersum, partim idem, & partim diuersum propter rationem assignatam, & ita concedenda est: debet diuidi secundùm omnes differentias entis; et sic est neganda: ratio enim est, quia locus differentia maximæ non resultat ex habitudine terminorum ad inuicem vtcunque; sed ex ea habitudine, secundùm quam terminus inferens, & terminus illatus conueniunt, vel non conueniunt ad inuicem; vel partim conueniunt, & partim non conueniunt: qua de re non debent connotare omnes differentias entis, sed eas tantùm, secundùm quas dicuntur idem, & diuersum; partim idem, & partim diuersum; & consequenter tantùm tria loca constituunt, nempe locum intrinsecum, extrinsecum, & medium, vt dictum est.

B Obijcitur secundò: quoniam omnis locus dialecticus extrinsecus est: ergo malè diuiditur in intrinsecum, extrinsecum, &c. Probatur antecedens; nam locus dialecticus dicitur secundùm similitudinem ad locum physicum, & realem: sed omnis locus realis, & physicus est extrinsecus locato, quia est vltima superficies non corporis contenti, sed continentis: ergo omnis locus dialecticus extrinsecus est.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicendum est, similitudinem non se tenere in omnibus, sed satis esse se tenere in aliquo. Quare satis est, quòd locus dialecticus habeat similitudinem cum loco naturali in eo, quòd est conseruatiuus argumenti; sicut locus naturalis est conseruatiuus locati; non autem in eo, quòd sit extrinsecus locato.


C Obijcitur tandem tertiò, probando non dari locum medium, & consequenter diuisionem in ipsum esse superfluam: nam si aliqua esset ratio cur daretur locus medius, vel esset quia datur habitudo medians inter terminum inferentem, & terminum illatum; vel quia terminus inferens partim conuenit, & partim non conuenit cum termino illato: sed vtraque ratio est nulla: ergo prædictus locus medius non datur. Probatur minor, non prima, quia sequeretur, quòd omnis locus dialecticus esset medius, cùm omnis locus dialecticus sit prædicta habitudo medians, &c. non secunda, quia etiam locus intrinsecus diceretur medius, vt patet argumentãdo sic, Homo currit: ergo animal currit: nam terminus inferens scilicet *homo* partim conuenit cum termino illato, & partim ab eo differt, vt patet, & tamen prædicta argumentatio secun-

D dùm omnes est per locum intrinsecum: ergo, &c.

Respondetur negando primam rationem, quare locus dialecticus dicatur medius, & admittendo secundã nam locus dialecticus dicitur medius tantùm à partiali conuenientia, & disconuenientia terminorum ad inuicem, vt dictum est; non autem à tali habitudine mediante inter ipsos, cùm omnis habitudo mediet inter vtrunque terminum. Ad id verò, quod dicitur contra secundam, rationem, quam nos recipimus: Respondetur, quòd licèt *homo*, & *animal* partim conueniant nempe in portione sensitiua; & partim differant, scilicet in portione intellectina; tamen terminus *homo* in illa argumentatione non infert *animal* sub tali ratione partim conueniendi; & partim disconueniendi: sed tantùm infert animal sub illa ratione in qua conueniunt, nempe sub ratione sensibilitatis, & motus, & ideò talis argumentatio secundùm omnes vocatur per locum intrinsecum.

DISP. QVADRAGESIMA SEPTIMA.


De locis dialecticis intrinsecis absolutè sumptis.



Xplicata diuisione loci dialectici communiter sumpti in locum maximã, & in locum differentiam maximæ: atque vtrisque locis, ad eum proportionalem modum, quo suprà disp. 11. quæst. 2. pro secunda conclusione, quantitatem diuisimus in successiuam, & permanentem, & vtranque in continuam, & discretam; in tria illa membra distributis: manet tantùm præfata membra, seu loca sigillatim explicare; non quidem vt ordinantur ad aliquod problema siue accidentis, siue proprii, &c. (de his enim sic acceptis videbitur inferiùs, cùm semper absolutum præcedat, respectiuum sequatur) sed absolutè, & secundùm se sumpta. Quod vt ritè exordiamur, de intrinsecis, vtpote perfectioribus, ac nobilioribus primo loco disputandum est.

QVÆSTIO I.

An locus intrinsecus rectè, & adæquatè diuidatur in locum substantiæ, & in locum comitantium substantiam; seu, vt communiter dici solet, in locum à substantia, & in locum à concomitantibus substantiam.



Ocus itaque à substantia est, quandò argumentum sumitur ab iis, quæ ad essentiam attinent, & conuertibiliter se inferunt, seu quando terminus inferens, & terminus illatus idem important conuertibiliter: vt animal rationale currit: ergo homo currit: valet enim, Homo currit: ergo, Animal rationale currit. Locus verò à concomitantibus substantiam est, quando sumitur argumentum ab iis, quæ non conuertibiliter idem important, sed vnum includitur in alio aliquo modo essendi; seu quando terminus inferens, & terminus illatus idem important prædicto modo: vt lapis non est animal: ergo lapis non est homo, &c. valet enim, lapis non est animal: ergo lapis non est homo; sed non è contrà.

trà. Quare non satis rectè philosophati sunt aliqui, de quorum numero videtur Ruuius in selectis ex libris top. num. 23. qui docuerunt locum à substantia in eo solummodò consistere, quòd sumatur ex iis, quæ ad essentiam pertinent, siue conuertibiliter, siue inconuertibiliter se habeant: nam si subsisteret hoc, vel talis locus nihil adderet loco intrinseco vt sic; vel sub eo non tantùm continerentur loci à definitione, descriptione, & nominis interpretatione, vt communiter docent Dialectici; verùm etiam loci à genere, à specie à partibus, &c. qui loci, ab omnibus sub loco à concomitantibus substantiam, meritò collocantur. Quo igitur supposito, modo quæritur, an rectè, & adæquatè in prædicta locus intrinsecus diuidatur.

Notandum est pro resolutione istius quæsiti, in quo omnes conueniunt, parti affirmatiuæ adhærendo, quòd non semper necesse est, vt in loco à substantia, terminus inferens explicet, seu explicitè dicat substantiam, vel essentiam termini illati, vt contingit quando argumentando à definitione ad definitũ, dicitur; Animal rationale currit: ergo homo currit: nam dum vice versa argumentamur à definito ad definitionẽ, est vtique locus à substantia, & tamen definitum non importat explicitè naturam, & essentiam definitionis, sicut nec descriptum, naturam, & essentiam descriptionis: sed sufficit, quòd terminus inferens saltem implicitè (conuertibiliter tamen) importet totam substantiam, & essentiam termini illati. Item in loco à concomitantibus substantiam, non semper necesse est, quòd terminus inferens sit quid vnum in essentia, seu essentialiter cum termino illato, vt accidit, quando argumentando à specie ad genus; dicitur, Homo currit: ergo animal rationale currit: nam quando aliàs argumentamur à causa efficiente ad effectum, qui est locus etiam à concomitantibus substantiam, vt videbitur inferiùs; in tali argumentatione terminus inferens non est quid vnum in substantia, seu essentialiter cum termino illato, vt patet si dicatur; Ædificator est bonus: ergo ædes est bona; quare tantùm sufficit, vt secundùm aliquem modum essendi in, terminus inferens includatur in esse termini illati, siue sit genus in sua specie, siue causa in suo effectu, &c. dummodò faciat vnum cum ipso in ratione inferentis, & illati. Quia verò terminus dicens conuertibiliter totam substantiam alterius, perfectiorem habitudinem habet ad alterum; quàm ille, qui non dicit ipsam conuertibiliter; ideò talis diuisio in locum à substantia, & in locum à concomitantibus substantiam, est analogi in sua analogata, cùm membra diuidentia inæqualiter participent prædictam rationem.

Dicendum est ergo, quòd diuisio loci intrinseci in locum à substantia, & in locum à concomitantibus substantiam, est bona, & adæquata.

Probatur; quoniam in omni loco intrinseco, terminus inferens aliquo modo essendi in, facit vnum cum termino illato, vt ex definitione eiusdem constat in antecedenti disputatione quæst. 3. ergo vel facit vnũ secundùm modum essendi in, conuertibiliter importando essentiam illius; vel facit vnum non conuertibiliter, importando tantùm aliquod concomitans essentiam prædictam. Si primum, est locus à substantia; si secundum, & tunc est locus à concomitantibus substantiam: sed cùm præter hos modos essendi in, scilicet conuertibiliter, & non conuertibiliter, non detur alius modus, vt constat; cùm sint modi contradictoriè oppositi: ergo diuisio loci intrinseci in prædicta loca, est bona, & adæquata.

Obijcitur primò; quia locus à causa efficiente, e. g. dum dicitur, Ædificator est bonus: ergo ædes est bona; est locus intrinsecus, vt ex dicendis patebit; sed non est locus à substantia, neque à concomitantibus substantiam; ergo talis diuisio in prædicta membra est insufficiens, cùm non complectatur omnia membra diuidentia. Minor probatur, & primò quòd non sit locus à substantia; quia in eo, terminus inferens non dicit essentiam termini illati; cùm diuersa sit ab essentia ædis, essentia ædificatoris; nec etiam est locus à concom itantibus substantiam, cùm causa extrinseca non concomitetur suum effectum; immo sit ipsi extranea ergo prædictus locus à causa efficiente, non est locus à substantia, nec à concomitantibus substantiam.

Respondetur negando minorem quoad secundam partem, scilicet quòd non sit locus à concomitantibus substantiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt causa efficiens sit extrinseca suo effectui secundùm esse, tamen secundùm virtutem est aliquo modo intrinseca, & aliquo modo facit vnum cum ipso; & secundùm talem virtutem se habet vt terminus inferens respectu effectus, qui est terminus illatus: causa enim efficiens virtualiter continetur in suo effectu, vt dici solet 2. Physic.

Obijcitur secundò; quoniam membra diuidentia locum intrinsecum, debent in se continere terminum inferentem, qui aliquo modo intrinsecus sit termino illato: sed locus à concomitantibus substantiam non est huiusmodi: ergo talis diuisio loci intrinseci, in locum à concomitantibus substantiam est mala. Maior patet ex definitione ipsius loci intrinseci. Minor verò probatur, quia quæ cõcomitantur substantiam, & essentiam rei, sunt extra ipsam essentiam: ergo locus à concomitantibus substantiam non potest continere terminum inferentem, qui aliquo modo intrinsecus sit termino illato.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt illa, quæ concomitantur substantiam, non sit essentialiter intrinseca; tamen, quia, aliquo modo essendi in, intrinseca sunt; hinc est quòd locus ab illis potest continere terminum inferentem, qui aliquo modo intrinsecus sit termino illato, licèt illi essentialiter non sit intrinsecus, vt non solùm patet de causa efficiente, verùm etiam de omnibus accidentibus, quæ licèt non faciant vnum essentialiter cum subiecto; tamen in eo insunt.

Obijcitur tandem tertiò; nam membra diuidentia locum dialecticum debent esse loca dialectica: sed locus à substantia, non est dialecticus: ergo locus intrinsecus non rectè diuiditur in locum à substantia. Maior patet, minor verò probatur; nam locus à substantia idem est ac locus à definitione ad definitum, à descriptione ad descriptum, &c. & vice versa: sed à definitione non potest sumi locus dialecticus, cùm sumatur locus sophisticus, qui dicitur fallacia petionis principij, vt dum argumentamur, sic: Homo est animal rationale: ergo homo est rationalis: ergo locus à substantia, non est locus dialecticus; patet hæc consequentia; quia ab eodem non potest sumi locus dialecticus, & locus sophisticus, cùm inter se opponantur.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem

tionem dicendum est, quòd definitio dupliciter considerari potest; vno modo quantùm ad eius substantiam prout scilicet importat principia essentialia definiti, & hoc modo est medium demonstrationis, vt dictum est suprà 2. Poster. & ab ipsa tantùm sumitur locus demonstratiuus. Alio verò modo consideratur, in quantùm sumitur ab illa secunda intentione, quæ est definitio, seu prout ab intellectu appellatur, & denominatur definitum. Sed hoc dupliciter, nam quia vel sumitur per respectum ad prædicata, quæ notiori modo conueniunt definito, quam definitioni; et sic ab ea sumitur locus sophisticus, & arguitur, per ipsum secundùm fallaciam petitionis principij, vt dictum est: vel quia vice uersa sumitur respectu prædicatorum, quæ notiori modo conueniunt definitioni, quàm definito, & hoc modo ab ea sumitur locus dialecticus, atque ita hic consideratur. Ex quibus patet quomodò, hoc est, secundùm diuersam rationem, ab eodem accipiatur locus dialecticus, & locus sophisticus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm locus à definitione ad definitum sit habitudo identitatis, seu conuertibilitatis ipsorùm ad inuicem.

LOcus à substantia, communiter diuidi solet in loca à definitione ad definitum, à descriptione ad descriptum, & à nominis interpretratione ad interpretatum, & vice uersa, scilicet à definito ad definitionem, &c. nam cùm in loca à substantia vnus terminorum semper dicat explicationem alterius, seu semper importet explicitè essentiam alterius, licèt talis terminus non semper sit inferens, cùm aliquando etiam possit hoc fieri à termino illato, vt notatum est suprà: consentaneum est, vt talis explicatio vel sumatur à principijs essentialibus rei; vel à proprietatibus eius: si primo modo, erit locus à definitione; si secundo, ad huc intelligi potest dupliciter, vel scilicet vt sumitur à proprietatibus rei secundùm se; vel quatenus ab ipsis fit impositio nominis. Si sumatur à proprietatibus rei secundùm se, erit locus à descriptione ad descriptum: si autem sumatur ab ipsis, vt nomen imponunt, et sic erit locus ab interpretatione nominis ad interpretatum: nam definitio explicat esse rei per essentialia; descriptio verò per accidentalia; & interpretatio idē explicat per proprietates, à quibus nomen imponitur: vnde sic fit descriptio, etiam dici solet definitio descriptiua; ita, & intrepretatio definitio quid nominis solet appellari.

Supponere insuper debemus, quòd titulus quæstionis non ita strictè intelligendus est vt sonat, videlicet pro loca à definitione duntaxat: nam cùm descriptio, & interpretatio maximam habeant cùm definitione affinitatem (sunt enim definitiones descriptiua, & quid nominis, vt dictum est) non videntur à loco definitionis segregatim tractandæ; qua de re, quidquid de tali definitionis loco, ac de locis ad ipsum redactis, seu reuocatis dicetur in præsenti; idem etiam propor-A tione tamen, ac debita nomenclatura seruata, de locis à descriptione, & interpretatione, nec non de alijs, quæ ad ipsa reuocari solent, affirmandum videtur. Consultò autem diximus, ac *de alijs ad ea redactis*; nam vt quàm possibile est, amouatur confusio, quæ ex multiplicatione locorum fortasse nasceretur; ad locum definitionis reduci solet, locus à synonymis, siue ab vniuocis ad vniuocata; & locus à differentia, ad speciem; nam vtrique spectant ad essentiam, & reciprocantur. Ad locum autem descriptionis reducitur locus à proprietate; & tandem ad locum interpretationis, seu vt alij vocant notationis, reuocatur locus à transumptione, siue ab expositione ad expositum, vt dum exponitur arida per terram, & transfertur vnum idioma ad aliud, vt dum transfertur hoc nomen Philosophus græcè, in sapientem latinè, &c. Item prædictus quæ-B stionis titulus non ita purè accipiendus est, etiem hoc modo explicatus, vt dum inter loca à substantia, etiam adscribuntur loca à definito ad definitionē, à descripto ad descriptionem, &c. de ipsis cum suis reuocatis pariter non possit intelligi; nam etsi de illis explicitè non sumus locuti, non ideò excludi debent, cùm eadem pronunciata de definito, descripto, &c. tradi possint, quæ traduntur de definitione, descriptione, &c. mutato tamē nomine definitionis in nomen definiti; quoniam cùm denominetur locus tantùm à termino inferente (quidquid dicat Petrus tartaretus tract. 4. in Petrum hispanum) si terminus inferens sit definitio, locus dicetur à definitione; si autem sit definitum, dicetur à definito, et sic de cæteris.

C Quibus autem consideratis; cùm locus semper dicat aliquam habitudinem termini inferentis ad terminum illatum, & è contrà; & locus à definitione ad definitum sit locus intrinsecus à substantia, & consequenter intrinsecam, & conuertibilem postulet habitudinem; quæritur modò, an prædictus locus sit habitudo identitatis, seu conuertibilitatis prædictorum terminorum ad inuicem, nec ne. Quod cùm nullus Dialecticorum neget; aliqua tantùm pro maiori explicatione denotanda sunt.

Primò igitur notandum est, quòd definitio hic non capitur in tota sua latitudine, vt scilicet comprehendit definitionem essentialem descriptiuam, & nominalem, siue interpretatiuam; sed strictè, pro definitione scilicet quidditatiua, & essentiali tantùm; vnde locus ab ipsa ad definitum, non tantùm intrinsecam, & con-D uertibilem, sed etiam essentialem, & quidditatiuam habitudinem terminorum importat. Ex tali autem loco, siue potiùs in tali loco (quod etiam proportionaliter dici potest de cæteris locis à substantia) ponuntur tantùm quatuor argumenta, seu media, & quatuor maximæ. Primum argumentum est, in quo definitum prædicatur affirmatiuè, vt Petrus est animal rationale: ergo est homo; cuius maxima est, *De quocunque prædicatur definitum, prædicatur, & definitio.* Secundum est, in quo definitio prædicatur negatiuè; vt albedo non est animal rationale: ergo albedo non est homo, cuius maxima est *A quocunque remouetur definitio, remouetur definitum*. Tertium autem argumentum est, in quo definitio subiicitur affirmatiuè; vt animal rationale est mobile: ergo homo est mobilis; cuius maxima est, *quidquid prædicatur de definitione, prædicatur etiam de definito*. Quartum tandem est, in quo definitum subiicitur negatiuè; vt animal rationale non est lapis;

lapis: ergo homo non est lapis; cuius maxima est, *Quidquid remouetur à definitione, remouetur etiam à definito.*

Notandum secundò; quòd duo præcipuè requiruntur, vt prædictæ maximæ verificentur. Primum, vt termini non supponant materialiter, aut simpliciter; sed formaliter, & absolutè, vel personaliter: vnde non sequitur, animal rationale est oratio: ergo homo est oratio; animal rationale est definitio: ergo homo est definitio. Secundum, quòd non accipiantur in propositionibus, in quibus inuoluitur actus interior intellectus, vnde non sequitur; scio Petrum esse hominem: ergo scio Petrum esse animal rationale: hoc enim potest ignorari. Item, quòd accipiantur in propositionibus de inesse, non verò in illis propositionibus, quę secundùm aliquos æquiualent modalibus; vt demonstrabile est hominem esse risibilem: ergo demonstrabile est animal rationale esse risibile; hoc enim falsum est; quia terminus illatus est principium demonstrationis immediatum, & indemonstrabile.

Dicendum est ergo, quòd locus à definitione, est habitudo identitatis, seu conuertibilitatis terminorum, scilicet inferentis, & illati ad inuicem.

Probatur; quia definitio rigorosè sumpta, de qua tantùm loquimur in præsenti, dicit idem essentialiter, & conuertibiliter cum definito; & inde prouenit, quòd quidquid affirmatur, vel negatur de definitione, etiam affirmatur, vel negatur de definito, & è contrà: & de quocunque verificatur definitio, vel negatur; verificetur, & negetur etiam definitum, & è contra: ergo locus ab ipsa erit habitudo identitatis, & conuertibilitatis terminorum inferentis, & illati ad inuicem. Patet consequentia, quia locus definitionis, siue à definitione, debet commensurari cum ipsa; cùm quilibet locus commensuretur, cum eo, cuius est locus.

Ex quibus etiam patet, quomodò definienda sunt loca descriptionis, & interpretationis: nam si locus à definitione est intrinseca, & essentialis habitudo identitatis, & conuertibilitatis definitionis ad definitum; locus à descriptione, proportione seruata, erit pariter prædicta habitudo, idest intrinseca, licèt non essentialis, descriptionis ad descriptum; & locus interpretationis, ipsiusmet interpretationis ad interpretatum; Vnde tot argumenta, & maximæ istorum locorum, quot definitionis erunt.

Dicet fortasse aliquis, Lædens pedes est interpretatio lapidis; & tamen tales termini non habent inter se conuertentiam; nam estò dicatur, est lapis: ergo lædens pedes; non tamen è contrà; cùm pedes possint lædi etiam à ligno, ferro, &c. ergo locus ab interpretatione ad interpretatum non est locus identitatis, & conuertibilitatis; &c.

Respondetur, quòd interpretatio est duplex, quędam enim est, quæ non conuertitur cum interpretato suo, quemadmodùm est illa (si tamen interpretatio est) quæ est adducta in argumento; alia verò quæ conuertitur, e. g. Amator sapientiæ est Philosophus: de prima non est hic sermo, cùm potiùs sit dicenda Etymologia, quàm interpretatio; sed tantùm de secunda. Quare sciendum est, quòd licèt hæc tria, nempe Etymologia, Translatio, & Interpretatio videantur idem; tamen inter se haud parum discriminantur; nam Etymologia est expositio vnius dictionis per alias dictiones eiusdem idiomatis, vt sol quasi super omnia lucens; & Luna, quasi luce nitens aliena: sed Translatio est mutatio sermonis de vno idiomate in aliud, vt dum mutatur Philosophus græcè in sapientem latinè, & Kyrios in dominum. Interpretatio autem, est quando vna dictio exponitur per alias dictiones eiusdem idiomatis, vt quando interpretamur biferum, per bis in anno fructum ferens: vel diuersi, vt dum interpretamur Philosophus per amatorem sapientiæ.

Nec aliquid faceret si quis obijceret, etiam Etymologiam, quàm translationem reduci ad locum interpretationis, & consequenter necessariò præcontinere terminos conuertibiles, sicut ipsa interpretatio; quoniam vt subtiliter notat Tataretus loco suprà citato, prædicti loci non dicuntur reduci ad interpretationem, ex eo, quòd terminus inferens, & terminus illatus semper in illis idem sint, & ad inuicem conuertantur (hoc enim modo non dicerentur reduci, sed esse idem cum interpretatione) sed ex eo, quòd semper idem significant quantùm ad veritatem, & falsitatem; nam licèt lædens pedes, & lapis; Philosophus, & sapiens, ad inuicem non conuertantur; tamen quia non minùs verum est dicere; lædens pedes est durum: ergo lapis est durus; & Philosophus ambulat: ergò sapiens ambulat, quàm dicere, Amator sapientiæ currit: ergo Philosophus currit; hinc est quòd ad locum ab interpretatione ad interpretatum dicuntur reduci: præcipuè cùm eadem argumenta, & maximas, illis omnes assignent.

Obijcitur primò; nam locus à definitione debet esse locus dialecticus, seu ex quo educitur medium dialecticum: at si locus à definitione esset habitudo identitatis, &c. non esset locus dialecticus: ergo malè explicatur per talem habitudinem, &c. Maior patet. Minor, verò probatur; nam si esset talis habitudo, posset vtique in ea definitio affirmatiuè prædicari de definito, vt notatum est supra primò loco; sed dum definitio prædicatur de definito prædicto modo, est locus demonstratiuus, & necessarius, vt patet dum dicitur, Homo est animal rationale: ergo homo est risibilis: ergo si esset prædicta habitudo, non esset locus dialecticus, & probabilis, seu ex quo educeretur medium probabile, sed tantùm necessarium.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum est, duobus modis intelligi posse definitionem affirmatiuè prædicari de definito in aliqua argumentatione: primò, ita vt in tali argumentatione ostendatur conclusio propter habitudinem principiorum definiti ad propriam passionem: secundo verò, ita vt ostendatur duntaxat virtute habitudinis definitionis ad definitum. Si intelligatur primo modo, vtique est locus demonstratiuus, cum ibi ostendatur passio subiecti per propria principia essentialia, & immediata eiusdem. Si autem intelligatur secundo modo, nequaquam, quia cùm in tali casu illa habitudo fundetur in secunda intentione, seu relatione rationis definitionis ad definitum, erit locus tantùm dialecticus, idest, tantùm ex eo oritur medium probabile, vt patet.

Obijcitur secundò: nam si staret conclusio; locus à definitione, & locus à definito non distinguerentur ab inuicem; nam locus à definito identidem est habitudo intrinseca identitatis, &c. ergo malè dicitur, quòd locus à definitione sit talis habitudo. Patet consequentia; nam definitio vnius competeret alijs à definito. Antecedens verò probatur, quia eadem est habitudo me-

medians inter definitionem, & definitum, & è contrà; sicut eadem est via de sursum ad deorsum, & è contra: ergo estò locus à definitione sit habitudo identitatis ad definitum; & locus à definito, è contra, sit habitudo definiti ad definitionem, ab inuicem tamen non essent distincti.

Respondetur negando sequelam antecedentis; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt à definitione ad definitum, & è contra, fit habitudo eadem materialiter, est tamen diuersa formaliter; nam formaliter prædictæ habitudines diuersificantur penes diuersam virtutem prolatiuam vnius respectu alterius, quæ in vno loco sumitur à definitione, in alio verò à definito, vt patet exemplo adducto de motu, &c. nam licèt materialiter eadem sit via, seu motus, qui conficitur à sursum ad deorsum, seu ab vno termino ad alium, & è contra; tamen formaliter diuersus est, vt dicitur 4. physicorum.

Objicitur tandem tertiò, quia locus à definitione ad definitum sicut & cæteri loci dialectici, nil aliud est quàm termini illi, per quorum habitudinem vna maxima differt ab alia: ergo non est habitudo identitatis, &c. sed ad summùm id, ex quo resultat prædicta habitudo. Consequentia patet; nam sicut ex eo, quòd ligna, saxa, &c. dicuntur esse id, ex quo resultat domus, non benè sequitur, quòd sint domus ipsa; ita ex eo, quòd locus à definitione sint ipsi termini, ex quibus resultat habitudo, non bene sequitur, quòd sit ipsamet habitudo. Antecedens autem probatur; nam istæ duę maximæ, v.g. Quidquid prędicatur de definitione, prædicatur etiam de definito; & remoto genere remouetur species, ideò differunt inter se, quia termini, ex quibus vna resultat, non sunt termini, ex quibus resultat alia, cùm diuersam habitudinem importent: nam termini prioris maximæ sunt, e.g. Animal rationale mortale currit: ergo homo currit: posterioris verò, Lapis non est animal: ergo Lapis non est homo; quorum alter est locus à definitione, alter verò locus à genere, vt videbitur infrà: ergo locus à definitione, sicut & cæteri loci, non est habitudo; sed ad summùm id tantùm, ex quo resultat talis habitudo.

Respondetur, quòd locus à definitione, sicut & cæteri loci dupliciter considerari possunt; materialiter scilicet, & formaliter: si considerentur primo modo, vtique termini sunt, vt probat argumentum: si autem considerentur secundo modo, sunt habitudo ipsa: nam licèt ex eis materialiter consideratis resultet habitudo, non autem formaliter cùm sint habitudo ipsa; sicut à pari, vt persistamus in exemplo adducto de domo, licèt ligna, saxa, &c. materialiter considerata non sint domus, formaliter verò, quatenus scilicet sub tali forma, & figura sunt disposita, vtique sunt ipsa domus.

QVÆSTIO III.

An loci à toto ad partem, & à parte ad totum teneant constructiuè, siue affirmatiuè; vel potius destructiuè, siue negatiuè.

A Explicato loco intrinseco à substantia; rectus ordo postulat, vt explicetur locus à concomitantibus substantiam, qui communiter diuidi solet in locum à toto, à parte, à causa, ab effectibus, à generatione, à corruptione, ab vsibus, & à communiter accidentibus; quilibet enim eorum habet terminos verificabiles vnum de altero secundùm aliquem modum essendi in non conuertibiliter, vt patet, quæ est ratio loci à concomitantibus substantiam, vt dictum est suprà. Quare locis à toto, à causa, ab effectibus, &c. ad sequentes reseruatis quæstiones, de locis à toto ad partes, & à partibus ad totum primò agere intendimus; præcipuè cùm intimiùs, proximiùsque substantiam, quàm cæteri videantur comitari.

B Quia verò vndequaque cognoscere non valemus totum in genere, nisi priùs sciamus varia tota in specie, iuxta quæ diuiditur locus ipse à toto, ad partes, & è contra: prænotandum est in primis; Totum vt sic communiter diuidi in Totum vniuersale, Integrale, In quantitate, In modo, In loco, & Totum in tempore. Totum autem vniuersale, est quid superius essentiale respectu sui inferioris, vt homo respectu Petri; Animal respectu hominis. Totum integrale est, quod componitur ex partibus ipsum integrantibus, vt Domus respectu parietis, & numerus respectu suarum vnitatum. Totum in quantitate, est quando vniuersale sumitur vniuersaliter, hoc est affectum signo vniuersali, vt omnis homo, nullus homo. Totum in modo, est ipsum vniuersale sumptum sine determinatione, vt homo vt sic, absque eo quòd determinetur, seu contrahatur per albedinem e.g. & nigredinem, &c. & dica-
C tur homo albus, homo niger, &c. Totum verò in loco est dictio comprehendens omnem locum aduerbialiter, vt vbique. Totum tandem in tempore, est dictio comprehendens omne tempus aduerbialiter, vt semper, nunquam, &c.

Sufficientia verò huius diuisionis ex eo deduci potest, quòd omne totum continet sub se aliquas partes, vel ergo eas continet tantùm in potentia, vel in actu: si continet eas in potentia, hoc potest intelligi dupliciter, vel scilicet quia dicit totam essentiam suæ partis; vel quia dicit tantùm aliquam partem talis essentiæ. Si primum, sic est totum vniuersale. Si secundum, & sic est totum in modo. Si verò contineat suas partes in actu; hoc dupliciter etiam intelligi potest; vel, ita, vt sumatur per modum vnius indiuisi, & sic est to-
D tum integrale; vel per modum vnius diuisi, & multiplicatur per sua inferiora, & hoc similiter dupl ci modo intelligi potest, vel scilicet vt exprimitur, & importatur nominaliter, quod etiam dupliciter intelligi potest, nempe vt habet partes in successione; & sic est totum in tempore; vel in permanentia, & sic est totum in loco.

Cùm autem totum dicat relationem ad partes, tot erunt partes propter eandem assignatam rationem illi correspondentes, quot tota: vnde pars totius vniuersalis erit quodlibet inferius sub toto vniuersali, vt Homo ad animal, Petrus ad hominem; Pars totius integralis erit id, quo integratur ipsum totum, vt parietes, ligna, &c. quibus integratur domus. Pars totius in quantitate erit quodlibet inferius contentum sub toto vniuersali vniuersaliter sumpto, vt quidam homo vel Socrates, qui continetur sub omnis homo. Pars

totius

totius in modo, erit vniuersale sumptum cum determinatione non diminuente; vt homo albus, &c. Pars totius in loco, erit quælibet dictio comprehendens vnum locũ aduerbialiter, vt hic, vel ibi. Pars totius in tẽpore, erit tandem quælibet dictio significans aliquod tempus aduerbialiter, vt nunc, tunc, heri, hodie, &c.

Insuper prænotandum est, quòd præter ista tota nuper assignata, reperiuntur quinque alia, totidemque partes, quæ ad prædicta reducuntur, nempe totũ copulatiuum, disiunctiuum, potestatiuum, successiuum, & collectiuum, seu aggregatiuum. Totum copulatiuum est, quo plura copulantur per coniunctionem copulatiuam, vt Socrates currit, & Plato disputat; & pars eius est aliquid illorum, quæ inter se copulantur. Totum disiunctiuum est, in quo plura coniunguntur per coniunctionem disiunctiuam, vt Socrates currit, vel Plato disputat. Totum potestatiuum est, quod componitur ex pluribus virtutibus, vel potentijs; vel quod plura continet secundùm virtutem, vt anima rationalis est totum potestatiuum respectu vegetatiui, sensitiui, & intellectiui; licèt anima in communi sit totum vniuersale respectu animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ; & similiter numerus quaternarius est totum potestatiuum respectu binarij, & ternarij, quia superior numerus continet in virtute omnes inferiores. Totum successiuum est, quod componitur ex partibus successiuis, quæ non possunt simul esse, vt tempus, & motus. Totum denique collectiuum, seu aggregatiuum est, quod sub voce singulari plura ad inuicem distincta importat; sicut populus, grex, societas, &c. & pars eius est aliquod illorum, ex quibus componitur, vt homo respectu populi, & aries respectu gregis, &c. Reducuntur autem omnia ista ad aliquem ex prædictis sex modis totius, eorumque partium; nempe Totum copulatiuum, potestatiuum, & collectiuum, eorumque partes ad totum integrale, eiusdemque partem, & eodem modo ab ipsis ad suas partes tenebit consequentia, easdemque maximas recipient. Totum autem disiunctiuum, & successiuum, eorumque partes reducuntur ad totum vniuersale, eiusdemque partem, atque eodem pariter modo ab ipsis ad eius partes tenebit consequentia, easdemque maximas recipient.

Item quia loci à toto, & à parte debent multiplicari secundùm diuisionem totius, & partis: sex pariter erunt loca à toto, & sex à partibus. Quæ loca nil aliud erunt, quàm habitudines, quas important prædicta tota ad suas partes, & è contrà partes ad sua tota; de quibus omnibus indifferenter quæritur, an teneant affirmatiuè, vel negatiuè; idest an à toto ad partes, & è contrà valeat arguere affirmatiuè, vel negatiuè, vel vtroque modo.

Notandum est idcirco primò pro maiori explicatione eorum, quæ superiùs de diuersis modis totius dicta sunt; quòd quando affirmauimus de toto vniuersali, quòd sit quid superius essentiale respectu sui inferioris; per superius, & inferius essentiale non tantùm debet intelligi genus, & species, vt fortè putarunt aliqui; sed per superius, quidquid magis commune est, quod prædicetur per modum generis de pluribus inferioribus, siue sit ens reale, siue rationis, siue sit vniuocum, siue analogum; sicut per inferius, quidquid generaliter minùs commune est respectu magis communis, quod de ipso essentialiter prædicatur. Similiter dum explicauimus totum integrale, quòd sit quod componitur ex partibus se ipsum integrantibus, licèt nomine partium, tam principaliores, quàm minùs principales intelligantur; nihilominùs dum ab eo sumitur locus dialecticus, debet semper esse ad partes, vel à partibus principalioribus, vt teneat consequentia. Cauendum etiam est, vt cùm de toto in quantitate dictum fuit, quòd est vniuersale vniuersaliter sumptum ly *vniuersaliter* non intelligatur reduplicatiuè pro ipso vniuersali secundùm se: sic enim non distingueretur à toto vniuersali, vt patet; sed pro vniuersali distributo secundùm illud signum vniuersale, *omnis*, *nullus*, &c. Item quando de toto in modo asseruimus esse ipsum vniuersale sine determinatione, è contra verò partem eius esse idem vniuersale cum determinatione non diminuente, semper intelligi debet de determinatione contrahente, quæ licèt ratione contractionis videatur aliquo modo diminuere ipsum vniuersale, scilicet secundùm ambitum suæ communitatis, & quantùm ad suppositionem; non tamen minuit illud quantum ad rationem formalem eius: Homo enim semper retinet suam rationem formalem, siue contrahatur per albedinem, siue per nigredinem, &c. Tandem quando de toto in loco, & toto in tempore diximus vtrunque esse dictionem comprehendentem omnem locum, vel omne tempus aduerbialiter, excludimus omnino ipsum locum, & tempus secundùm esse reale, cùm nullus locus, neque vllum tempus secundùm se sit dictio, sed tantum secundùm esse diuisibile, & prædicabile.

Notandum secundò, quòd dupliciter potest aliquid esse in loco (quod etiam proportione seruata affirmari potest de eo, quod est in tempore) vno modo aptitudinaliter tantùm, vt vniuersale dicitur esse vbique secundùm aptitudinem, eò quòd habet aptitudinem essendi in suis singularibus pro quolibet loco, & etiam pro qualibet temporis differentia, & talis aptitudo reducitur successiuè ad actum in suis singularibus. Alio verò modo dicitur aliquid esse in loco secundùm actum, sicut singulare, quod actualiter est hic, & nunc. Esse autem actualiter in loco dupliciter adhuc intelligi potest primò per respectum, sicut Deus qui est vbique; secundò verò per suas partes sicut Mundus, qui est vbique secundùm suas partes; vnde ad arguendum à toto in loco ad suam partem, & è contrà oportet eodem modo alicui attribuere partem in loco, sicut sibi conuenit ipsum totum, vt e. g. si totum illi conueniat cum aptitudine tantùm, debet similiter inferri pars secundum aptitudinem tantùm, & è contrà arguendo à parte ad totum; quare bene sequitur, Vniuersale est vbique secundùm aptitudinem: ergo etiam est hic eodem modo, quod non valeret, si diceretur: ergo est hic secundùm actum.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à toto vniuersali ad suam partem tenet tantùm negatiuè; locus verò à parte subiectiua ad suum totum vniuersale, tenet è contra tantùm affirmatiuè.

Probatur prima pars conclusionis; nam Totum vniuersale communius est, & amplius sua parte, cùm non præsupponatur in vna tantùm, sed in qualibet, vt patet: ergo licèt ipso posito non ponatur quælibet eius pars; ipso tamen ablato tolluntur omnes partes; & consequenter locus ab ipso sumptus tantùm tenet negatiuè: ualet enim lapis non est animal: ergo lapis non

non est homo; licèt non bene sequatur, Leo est animal: ergo Leo est homo; unde ponitur pro eo talis maxima: *A quocunque remouetur totum vniuersale, remouetur etiam qualibet eius pars subiectiua*.

Probatur secunda pars conclusionis; nam totum vniuersale reperitur in qualibet eius parte subiectiua, vt dictum est: ergo licèt ablata vna parte, non tollatur totum; posita tamen qualibet eius parte, ponitur totum: valet enim dicere; Est homo: ergo animal; licèt malè concludatur; Non est homo: ergo nec animal; quare locus à prædicta parte sumptus tantùm tenere debet affirmatiuè; cuius maximæ duæ sunt; nempe *Quidquid prædicatur de parte subijcibili, prædicatur etiam de toto vniuersali*; seu, vt aliqui dicunt; *Quidquid prædicatur de specie, prædicatur etiam de genere. Et de quocunque prædicatur pars subijcibilis, prædicatur & ipsum totum vniuersale*, seu de quocunque prædicatur species, prædicatur & genus; & ratio est, quia in tali loco dupliciter valet argumentari, vel scilicet subijciendo partem subijcibilem, siue ipsam speciem, vt homo currit: ergo animal currit; vel eandem affirmatiuè prædicando; vt Socrates est homo: ergo Socrates est animal.

Dicendum est secundò, quòd locus à toto integrali ad partem integrantem semper tenet affirmatiuè, è contra verò, locus à parte integrante ad totum integrale, tenet semper negatiuè.

Probatur prima pars: quoniam posito toto integrali necessariò poni debent eius partes integrantes, & ipso ablato nõ omnes tollũtur eius partes, cùm possit vna, vel altera remanere: ergo locus ab ipso tenere debet affirmatiuè. Probatur antecedens, quia totum integrale componitur ex suis partibus principalibus, quæ secundùm suum esse priores sunt ipso toto, & ab ipso non recipiunt esse: ergo posito toto ponuntur eius partes, & ipso ablato potest vna, vel altera eius pars remanere. Vnde pro eius maxima communiter ponitur prędictũ antecedens; scilicet *Posito toto integrali ponitur qualibet eius pars*: valet enim, domus est: ergo paries.

Probatur secunda pars conclusionis; quia destructa parte integrali, destruitur eius totum, & posita vna, vel altera eius parte, non ponitur totum: ergo locus ab ipsa ad suum totum tenere debet tantùm negatiuè. Probatur antecedens; nam destructo priori destruitur posterius, eò quòd ab ipso habet esse; & posito priori quod est in potentia ad suum posterius, non ponitur necessariò ipsum posterius; sed pars integralis est prior suo toto, totum verò posterius: ergo destructa parte destruitur totum, & posita parte non ponitur totum. Vnde illius maxima erit nostrum antecedens; nimirum *Destructa parte integrali destruitur totum*: valet enim, paries non est: ergo domus non est.

Dicendum est tertiò, quòd tam locus à toto in quãtitate ad partem eius, quàm locus ab eius partibus ad ipsum, tenent affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur; & primò de loco à toto ad partem, quia quidquid affirmatur de toto in quantitate, affirmatur etiam de qualibet eius parte, & quidquid de eo negatur, etiam de qualibet eius parte videtur negandum: ergo locus ab ipso ad partes tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens: nam omnes partes istius totius simul; & actualiter includuntur in ipso, cùm signum *omne*, & *nullum* supponant distributiuè; ergo ipso toto posito, vel ablato ponuntur pariter, vel auferuntur eius partes; vnde eius maxima affirmatiua est; *Quidquid affirmatur de toto in quantitate, affirmatur etiam de qualibet eius parte*, siue vt alij dicunt *Si vniuersalis est vera, qualibet eius particularis debet esse vera*; valet enim, Omnis homo currit: ergo Socrates, Plato, Cicero, &c. currunt; negatiua verò, *Quidquid remouetur à toto in quantitate, remouetur etiam à qualibet eius parte*; seu vt alij dicunt, *Si vniuersalis est falsa, qualibet eius particularis debet esse falsa*: valet enim, Nullus homo currit: ergo Socrates, Plato, Cicero, &c. non currunt.

Probatur item de parte ad suum totum; nam quidquid affirmatur de omnibus partibus in quantitate simul sumptis, affirmatur etiam de suo toto; & quidquid remouetur à partibus in quantitate simul sumptis remouetur etiam à suo toto; ergo locus ab ipsis ad totum tenet tum affirmatiuè, tum negatiuè. Probatur antecedens, quia ad esse totius in quantitate sufficit actualis positio, & vnio duarum partium sufficienter numeratarum, cùm ipsum actualiter illas omnes includat: ergo quidquid affirmatur, vel negatur de omnibus eius partibus simul sumptis, affirmatur, vel negatur de ipso toto. Vnde pro maxima affirmatiua, & negatiua apponitur prædictum antecedens, quod modò probatum est; vel vt alij ponunt; *Si qualibet singularis est vera, aut falsa; etiam sua vniuersalis*: valet enim, Socrates currit, Plato currit, Cicero currit, & sic de alijs: ergo omnis homo currit; sicut etiam valet Socrates non currit, Plato non currit, Cicero non currit, & sic de alijs: ergo nullus homo currit.

Dicet fortasse aliquis, quòd etiam valet consequentia si dicatur, Socrates non currit: ergo non omnis homo currit, & tamen non arguitur à partibus simul sumptis, sed tantùm ab vna: ergo malè dicitur, quòd talis locus tenet à partibus simul sumptis.

Respondetur prædictam consequentiam vtique tenere; sed non quia arguitur per locum à partibus in quantitate ad suum totum; nam illa particula negatiua consequentis destruit ipsum totum in quantitate: sed quia arguitur per locum à specie ad genus, siue à parte subiectiua ad totum vniuersale.

Si autem adhuc vrgeatur dicendo locum illum, nec etiam esse à specie ad genus, tum quia Socrates est indiuiduum; tum etiam quia ex dictis talis locus semper tenet affirmatiuè.

Respondetur non esse quidem, locum à specie ad genus formaliter, & propriè, sed tantùm æquiualenter, quod sufficit: nam cùm ista propositio, Non omnis homo currit, æquiualeat isti, scilicet Aliquis homo currit; & illa alia propositio, nempe Socrates non currit, cùm ratione materiæ contingentis supponat determinatè, æquiualet isti scilicet Socrates tantùm currit, non Plato, non Cicero, &c. arguitur per eas ab inferiori ad superius affirmatiuè in quo consistit ratio loci speciei ad genus: Socrates enim est quid inferius ad aliquis homo, licèt Socrates non sit species, & aliquis homo non sit genus; nam talis locus à parte subiectiua ad totum vniuersale, non sumitur tantummodò pro specie, & genere, sed pro quolibet superiori, & inferiori, vt notatum est supra. Quare Cicero lib. 1. de inuentione sect. 42. definiens Genus, quod communiter tam Dialectici, quàm Rhetores vocant locum à toto vniuersali, dixit: *Genus est quod partes aliquas complectitur, vt cupiditas amorem, & auaritiam*.

totius in modo, erit vniuersale sumptum cum determinatione non diminuente; vt homo albus, &c. Pars totius in loco, erit qualibet dictio comprehendens vnum locū aduerbialiter, vt hic, vel ibi. Pars totius in tēpore, erit tandem qualibet dictio significans aliquod tempus aduerbialiter, vt nunc, tunc, heri, hodie, &c.

Insuper praenotandum est, quòd praeter ista tota nuper assignata, reperiuntur quinque alia, totidemque partes, quae ad praedicta reducuntur, nempe totū copulatiuum, disiunctiuum, potestatiuum, successiuum, & collectiuum, seu aggregatiuum. Totum copulatiuum est, quo plura copulantur per coniunctionem copulatiuam, vt Socrates currit, & Plato disputat; & pars eius est aliquid istorum, quae inter se copulantur. Totum disiunctiuum est, in quo plura coniunguntur per coniunctionem disiunctiuam, vt Socrates currit, vel Plato disputat. Totum potestatiuum est, quod componitur ex pluribus virtutibus, vel potentijs; vel quod plura continet secundùm virtutem, vt anima rationalis est totum potestatiuum respectu vegetatiui, sensitiui, & intellectiui; licèt anima in communi sit totum vniuersale respectu animae vegetatiuae, sensitiuae, & intellectiuae; & similiter numerus quaternarius est totum potestatiuum respectu binarij, & ternarij, quia superior numerus continet in virtute omnes inferiores. Totum successiuum est, quod componitur ex partibus successiuis, quae non possunt simul esse, vt tempus, & motus. Totum denique collectiuum, seu aggregatiuum est, quod sub voce singulari plura ad inuicem distincta importat; sicut populus, grex, societas, &c. & pars eius est aliquod illorum, ex quibus componitur, vt homo respectu populi, & aries respectu gregis, &c. Reducuntur autem omnia ista ad aliquem ex praedictis sex modis totius, eorumque partium; nempe Totum copulatiuum, potestatiuum, & collectiuum, eorumque partes ad totum integrale, eiusdemque partem, & eodem modo ab ipsis ad suas partes tenebit consequentia, easdemque maximas recipient. Totum autem disiunctiuum, & successiuum, eorumque partes reducuntur ad totum vniuersale, eiusdemque partem, atque eodem pariter modo ab ipsis ad eius partes tenebit consequentia, easdemque maximas recipient.

Item quia loci à toto, & à parte debent multiplicari secundùm diuisionem totius, & partis: sex pariter erunt loca à toto, & sex à partibus. Quae loca nil aliud erunt, quàm habitudines, quas important praedicta tota ad suas partes, & è contrà partes ad sua tota; de quibus omnibus indifferenter quaeritur, an teneant affirmatiuè, vel negatiuè; idest an à toto ad partes, & è contrà valeat arguere affirmatiuè, vel negatiuè, vel vtroque modo.

Notandum est idcirco primò pro maiori explicatione eorum, quae superiùs de diuersis modis totius dicta sunt; quòd quando affirmauimus de toto vniuersali, quòd sit quid superius essentiale respectu sui inferioris; per superius, & inferius essentiale non tantùm debet intelligi genus, & species, vt fortè putarunt aliqui; sed per superius, quidquid magis commune est, quod praedicatur per modum generis de pluribus inferioribus, siue sit ens reale, siue rationis, siue sit vniuocum, siue analogum; sicut per inferius, quidquid generaliter minùs commune est respectu magis communis, quod de ipso essentialiter praedicatur. Simi-

A liter dum explicauimus totum integrale, quòd sit quod componitur ex partibus se ipsum integrantibus, licèt nomine partium, tam principaliores, quàm minùs principales intelligantur; nihilominùs dum ab eo sumitur locus dialecticus, debet semper esse ad partes, vel à partibus principalioribus, vt teneat consequentia. Cauendum etiam est, vt cùm de toto in quantitate dictum fuit, quòd est vniuersale vniuersaliter sumptum ly *vniuersaliter* non intelligatur reduplicatiuè pro ipso vniuersali secundùm se: sic enim non distingueretur à toto vniuersali, vt patet; sed pro vniuersali distributo secundùm illud signum vniuersale, *omnis*, *nullus*, &c. Item quando de toto in modo afferuimus esse ipsum vniuersale sine determinatione, è contra verò partem eius esse idem vniuersale cum determinatione non diminuente, semper intelligi debet de

B determinatione contrahente, quae licèt ratione contractionis videatur aliquo modo diminuere ipsum vniuersale, scilicet secundùm ambitum suae communitatis, & quantùm ad suppositionem; non tamen minuit illud quantùm ad rationem formalem eius: Homo enim semper retinet suam rationem formalem, siue contrahatur per albedinem, siue per nigredinem, &c. Tandem quando de toto in loco, & toto in tempore diximus vtrunque esse dictionem comprehendentem omnem locum, vel omne tempus aduerbialiter, exclusimus omnino ipsum locum, & tempus secundùm esse reale, cùm nullus locus, neque vllum tempus secundùm se sit dictio, sed tantum secundùm esse diuisibile, & praedicabile.

Notandum secundò, quòd dupliciter potest ali-

C quid esse in loco (quod etiam proportione seruata affirmari potest de eo, quod est in tempore) vno modo aptitudinaliter tantùm, vt vniuersale dicitur esse vbique secundùm aptitudinem, eò quòd habet aptitudinem essendi in suis singularibus pro quolibet loco, & etiam pro qualibet temporis differentia, & talis aptitudo reducitur successiuè ad actum in suis singularibus. Alio verò modo dicitur aliquid esse in loco secundùm actum, sicut singulare, quod actualiter est hic, & nunc. Esse autem actualiter in loco dupliciter adhuc intelligi potest primò per respectum, sicut Deus qui est vbique; secundò verò per suas partes sicut Mundus, qui est vbique secundùm suas partes; vnde ad arguendum à toto in loco ad suam partem, & è contrà oportet eodem modo alicui attribuere partem in loco,

D sicut sibi conuenit ipsum totum, vt e. g. si totum illi conueniat cum aptitudine tantùm, debet similiter inferri pars secundùm aptitudinem tantùm, & è contrà arguendo à parte ad totum; quare bene sequitur, Vniuersale est vbique secundùm aptitudinem: ergo etiam est hic eodem modo, quod non valeret, si diceretur: ergo est hic secundùm actum.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à toto vniuersali ad suam partem tenet tantùm negatiuè; locus verò à parte subiectiua ad suum totum vniuersale, tenet è contra tantùm affirmatiuè.

Probatur prima pars conclusionis; nam Totum vniuersale communius est, & amplius sua parte, cùm non praesupponatur in vna tantùm, sed in qualibet, vt patet: ergo licèt ipso posito non ponatur qualibet eius pars; ipso tamen ablato tolluntur omnes partes; & consequenter locus ab ipso sumptus tantùm tenet negatiuè: valet enim lapis non est animal: ergo lapis non

non est homo; licèt non bene sequatur, Leo est animal: ergo Leo est homo; unde ponitur pro eo talis maxima: *A quocunque remouetur totum vniuersale, remouetur etiam qualibet eius pars subiectiua.*

Probatur secunda pars conclusionis; nam totum vniuersale reperitur in qualibet eius parte subiectiua, vt dictum est: ergo licèt ablata vna parte, non tollatur totum; posita tamen qualibet eius parte, ponitur totum: valet enim dicere; Est homo: ergo animal; licèt malè concludatur; Non est homo: ergo nec animal; quare locus à prædicta parte sumptus tantùm tenere debet affirmatiuè; cuius maximæ duæ sunt; nempe *Quidquid prædicatur de parte subijcibili, prædicatur etiam de toto vniuersali*; seu, vt aliqui dicunt; *Quidquid prædicatur de specie, prædicatur etiam de genere. Et de quocunque prædicatur pars subijcibilis, prædicatur & ipsum totum vniuersale*, seu de quocunque prædicatur species, prædicatur & genus; & ratio est, quia in tali loco dupliciter valet argumentari, vel scilicet subijciendo partem subijcibilem, siue ipsam speciem, vt homo currit: ergo animal currit: vel eandem affirmatiuè prædicando; vt Socrates est homo: ergo Socrates est animal.

Dicendum est secundò, quòd locus à toto integrali ad partem integrantem semper tenet affirmatiuè, è contra verò, locus à parte integrante ad totum integrale, tenet semper negatiuè.

Probatur prima pars: quoniam posito toto integrali necessariò poni debent eius partes integrantes, & ipso ablato nō omnes tollūtur eius partes, cùm possit vna, vel altera remanere: ergo locus ab ipso tenere debet affirmatiuè. Probatur antecedens, quia totum integrale componitur ex suis partibus principalibus, quæ secundùm suum esse priores sunt ipso toto, & ab ipso non recipiunt esse: ergo posito toto ponuntur eius partes, & ipso ablato potest vna, vel altera eius pars remanere. Vnde pro eius maxima communiter ponitur prędictū antecedens; scilicet *Posito toto integrali ponitur qualibet eius pars*: valet enim, domus est: ergo paries.

Probatur secunda pars conclusionis; quia destructa parte integrali, destruitur eius totum, & posita vna, vel altera eius parte, non ponitur totum: ergo locus ab ipsa ad suum totum tenere debet tantùm negatiuè. Probatur antecedens; nam destructo priori destruitur posterius, eò quòd ab ipso habet esse; & posito priori quod est in potentia ad suum posterius, non ponitur necessariò ipsum posterius; sed pars integralis est prior suo toto, totum verò posterius: ergo destructa parte destruitur totum, & posita parte non ponitur totum. Vnde illius maxima erit nostrum antecedens; nimirum *Destructa parte integrali destruitur totum*: valet enim, paries non est: ergo domus non est.

Dicendum est tertiò, quòd tam locus à toto in quātitate ad partem eius, quàm locus ab eius partibus ad ipsum, tenent affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur; & primò de loco à toto ad partem, quia quidquid affirmatur de toto in quantitate, affirmatur etiam de qualibet eius parte, & quidquid de eo negatur, etiam de qualibet eius parte videtur negandum: ergo locus ab ipso ad partes tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens: nam omnes partes istius totius simul; & actualiter includuntur in ipso, cùm signum *omne*, & *nullum* supponant distributiuè; ergo ipso toto posito, vel ablato ponuntur pariter, vel auferuntur eius partes; vnde eius maxima affirmatiua est; *Quidquid affirmatur de toto in quantitate, affirmatur etiam de qualibet eius parte*, siue vt alij dicunt *Si vniuersalis est vera, qualibet eius particularis debet esse vera*; valet enim, Omnis homo currit: ergo Socrates, Plato, Cicero, &c. currunt; negatiua verò, *Quidquid remouetur à toto in quantitate, remouetur etiam à qualibet eius parte*: seu vt alij dicunt, *Si vniuersalis est falsa, qualibet eius particularis debet esse falsa*: valet enim, Nullus homo currit: ergo Socrates, Plato, Cicero, &c. non currunt.

Probatur item de parte ad suum totum; nam quidquid affirmatur de omnibus partibus in quantitate simul sumptis, affirmatur etiam de suo toto; & quidquid remouetur à partibus in quantitate simul sumptis remouetur etiam à suo toto; ergo locus ab ipsis ad totum tenet tum affirmatiuè, tum negatiuè. Probatur antecedens, quia ad esse totius in quantitate sufficit actualis positio, & vnio duarum partium sufficienter numeratarum, cùm ipsum actualiter illas omnes includat: ergo quidquid affirmatur, vel negatur de omnibus eius partibus simul sumptis, affirmatur, vel negatur de ipso toto. Vnde pro maxima affirmatiua, & negatiua apponitur prædictum antecedens, quod modò probatum est; vel vt alij ponunt; *Si qualibet singularis est vera, aut falsa; etiam sua vniuersalis*: valet enim, Socrates currit, Plato currit, Cicero currit, & sic de alijs: ergo omnis homo currit; sicut etiam valet Socrates non currit, Plato non currit, Cicero non currit, & sic de alijs: ergo nullus homo currit.

Dicet fortasse aliquis, quòd etiam valet consequentia si dicatur, Socrates non currit: ergo non omnis homo currit, & tamen non arguitur à partibus simul sumptis, sed tantùm ab vna: ergo malè dicitur, quòd talis locus tenet à partibus simul sumptis.

Respondetur prædictam consequentiam vtique tenere; sed non quia arguitur per locum à partibus in quantitate ad suum totum; nam illa particula negatiua consequentis destruit ipsum totum in quantitate: sed quia arguitur per locum à specie ad genus, siue à parte subiectiua ad totum vniuersale.

Si autem adhuc vrgeatur dicendo locum illum, nec etiam esse à specie ad genus, tum quia Socrates est indiuiduum; tum etiam quia ex dictis talis locus semper tenet affirmatiuè.

Respondetur non esse quidem, locum à specie ad genus formaliter, & propriè, sed tantùm æquiualenter, quod sufficit: nam cùm ista propositio, Non omnis homo currit, æquiualeat isti, scilicet Aliquis homo currit; & illa alia propositio, nempe Socrates non currit, cùm ratione materiæ contingentis supponat determinatè, æquiualet isti scilicet Socrates tantùm currit, non Plato, non Cicero, &c. arguitur per eas ab inferiori ad superius affirmatiuè in quo consistit ratio loci speciei ad genus: Socrates enim est quid inferius ad aliquis homo, licèt Socrates non sit species, & aliquis homo non sit genus; nam talis locus à parte subiectiua ad totum vniuersale, non sumitur tantummodò pro specie, & genere, sed pro quolibet superiori, & inferiori, vt notatum est supra. Quare Cicero lib. 1. de inuentione sect. 42. definiens Genus, quod communiter tam Dialectici, quam Rhetores vocant locum à toto vniuersali, dixit: *Genus est quod partes aliquas complectitur, vt cupiditas amorem, & auaritiam.*

Ex quibus patet, Genus non esse ita strictè hic accipiendum, vt Porphyrius in suo libello accepit, pro eo scilicet cui subduntur species; sed pro eo quod habet partes sub se.

Dicendum est quartò, quòd locus à toto in modo ad suam partem tenet tantùm negatiuè; Locus verò à parte in modo ad suum totum tenet tantùm affirmatiuè.

Probatur prima pars; quia destructo toto in modo, destruitur quælibet eius pars: ergo locus ab ipso tenet tantùm negatiuè; Probatur antecedens, nam destructo priori secundùm naturam destruuntur pariter sua posteriora: sed totum in modo est prius natura, & superius respectu suæ partis: ergo destructo toto in modo destruitur quælibet eius pars; Vnde pro eius Maximà assignatur prædictum antecedens; Valet enim dicere, Lapis non est homo: ergo Lapis non est homo albus vt proportione seruata dictum est suprà de loco à toto vniuersali.

Probatur secunda pars conclusionis; Nam quidquid prædicatur de parte in modo prædicatur de suo toto; vel de quocunque prædicatur pars in modo, prædicatur, & ipsum totum: ergo locus à parte in modo ad suum totum, tenet tantùm affirmatiuè. Probatur antecedens; nam quidquid prædicatur de suo superiori, quod actu, & intellectu includitur in suo inferiori: sed pars in modo, est quid inferius, & prædictum totum est quid superius, &c. ergo quidquid prædicatur de parte in modo, prædicatur etiam de suo toto, &c. Quia verò in tali loco potest argui duobus modis, vel scilicet subiiciendo partem, vel ipsam prædicando, ideò pro eo communiter assignari solent illæ duæ Maximæ, quæ sunt antecedens modò probatum: valet enim Homo albus currit: ergo Homo currit; Sicut Socrates est homo albus: ergo Socrates est homo, vt dictum est suprà de loco à parte subiicibili ad totũ vniuersale.

Dicendum est quintò, Tam locus à toto in loco ad suam partem: quàm locus à partibus in loco ad suum totum tenent affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur primò de loco à toto; Nam cuicunque conuenit totum in loco, conuenit etiam pars, & à quocunque remouetur totum in loco, remouetur etiã pars; ergo locus ab ipso sumptus tenet tam affirmatiuè, quam negatiuè. Probatur antecedens. Quia totum in loco simul actualiter includit omnes suas partes: ergo ipso posito, vel ablato ponitur, vel aufertur quælibet eius pars; & consequenter cui conuenit ipsum, aut à quocunque remouetur, conuenit, aut remouetur quælibet eius pars: Qua de causa communiter ponitur pro Maximis illius prædictum ostensum antecedens; valet enim, Deus est vbique: ergo Deus est hic: vel Cæsar nusquam est: ergo non est hic, vt proportione seruata, dictum est suprà de toto in quantitate.

Probatur secundò de loco à partibus, &c. Quoniam positis partibus totius in loco sufficienter enumeratis, ponitur ipsum totum; & destructis partibus totius in loco sufficienter enumeratis, destruitur ipsum totum: ergo locus ab ipsis tenet pariter affirmatiuè, & negatiuè. Probatur antecedens; nam totum in loco non est nisi suæ partes simul, & actualiter positæ: ergo positis, vel ablatis suis partibus sufficienter enumeratis ponitur, vel destruitur ipsum totum. Vnde prædictum antecedens ponitur pro vtraque maxima talis loci; valet enim, Deus est hic, & ibi, & sic de cæteris: ergo Deus est vbique. Item Cæsar non est hic, vel ibi, & sic de aliis: ergo Cæsar nusquam est, vt proportione seruata dictum est suprà de loco à partibus in quantitate.

Dicet fortasse aliquis, quòd bene valet argumentum etiam à parte, & non tantùm à partibus in loco saltem negatiuè, vt dum dicitur Cæsar non est hic; ergo non est vbique: ergo malè dicitur locus tantùm à partibus in loco; præcipuè cùm omnes ferè Dialectici eum vocent locum à parte; & afferant eum tenere negatiuè tantùm.

Respondetur, mirum quidem esse, omnes ferè dialecticos hoc ipsum asserere, & non considerare, quod subtiliter aduertit Versarius Parisiensis in Petrũ hispanum tract. 5. Summularum; nimirum talem consequentiam tenere, sed non in ratione loci à parte in loco ad suum totum; sed in ratione tantùm partis subiectiuæ ad suum totum vniuersale, vt proportione seruata responsum est suprà ad instantiam contra tertiam conclusionem. Nam vtraque propositio, cùm sit in materia contingenti, & constet ex terminis purè categoricis, idest non affectis syncategoremate aliquo supponit determinatè pro illo loco partiali, vel totali, tantùm, quem negat; non autem pro eo, quem non negat; vnde propositio illa, scilicet Cæsar non est hic, æquiualet isti, nempè Cæsar est illic, aut istic, cùm tantùm neget Cæsarem esse hic; & alia propositio cõsequens, scilicet ergo non est vbique, æquiualet isti: ergo est alibi; cùm tantùm negetur Cæsarem esse vbique; quare constat, saltem æquiualenter, esse ambas affirmatiuas, & vnam scilicet priorem habere rationem inferioris; alteram verò, scilicet posteriorem habere rationem superioris, cùm ista aduerbia localia, nempe istic, aut illic, subijciantur aduerbio alicubi; cùm in plus se habeat; vnde prædicta argumentatio non est locus à parte in loco ad suum totum, cùm ly *non est vbique*, non sit totum in loco; nam totum in loco est esse vbique, vel nullibi, quæ sunt aduerbia includentia, vel excludentia omnem locum: non esse autem vbique est non esse totum in loco, cùm pariter excludat, & vbique, & nullibi. Quod etiam proportione seruata affirmari potest de parte in tempore ad suum totum; nam debet dici similiter locus tantùm à partibus, & non à parte in tempore ad suum totum; vt dictum est suprà, tum de loco à partibus in quantitate, tum de loco à partibus in loco ad sua tota.

Dicendum est sextò, Quòd tam locus à toto in tempore ad suam partem; quàm locus à partibus in tempore ad suum totum, tenent affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur facilè ex dictis pro tertia, & quinta conclusione: nam talia loca habent easdem maximas, & rationes, quas habent loca à toto in quantitate, & à toto in loco ad suas partes, & è contra: ergo debent tenere affirmatiuè, & negatiuè sicut prædicta loca, quorum participant maximas, & rationes; vnde pariter valet dicere, Deus est semper: ergo est etiam nunc. Chimera nunquam est: ergo non est hodie; & similiter argumentando a partibus. Socrates fuit heri, & pridie, & sic de alijs: ergo Socrates semper fuit. Antichristus non fuit heri, nec pridie, & sic de alijs; ergo nunquam fuit.

Obij-

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, probando in primis locum a toto vniuersali, non tenere tantùm negatiuè. Tum quia quidquid prædicatur de superiori, prædicatur etiam de inferiori, vt patet per primam regulam prædicamentalem, scilicet *Quando alterum de altero dicitur, &c.* ergo argumentando à superiori ad inferius, tenet talis locus affirmatiuè. Tum quia valet dicere, Est ens: ergo Deus. Est numerus: ergo binarius. Non tamen valet, Animal nō currit: ergo Homo non currit, quia quiescente Leone, & Homine currente, antecedens esset verum, & consequens falsum: ergo locus a superiori ad inferius non semper tenet negatiuè.

Deinde arguitur; probando locum à parte subiectiua ad suum totum vniuersale, & superius, non tenere tantùm affirmatiuè. Tum quia non bene sequitur, Socrates differt à Paulo: ergo differt ab Homine; sicut non tenet, Socrates incipit esse albus: ergo incipit esse coloratus, supposito quòd fuerit niger. Bene tamen sequitur, Homo non est albus: ergo animal non est album, cùm ex opposito contradictorio istius consequentis, sequatur oppositum antecedentis, vt quando dicitur, Omne animal est album: ergo omnis homo est albus. Item bene valet, Homo non currit: ergo animal non currit: ergo malè asseritur, quòd locus à parte subiectiua ad suum totum vniuersale, & superius tantùm teneat affirmatiuè.

Respondetur & primò ad illas omnes rationes contra primam partem conclusionis adductas; nimirum quòd prædictæ, & similes illationes partim tenent, & partim non tenent, vt probat argumentum; sed hoc quidem euenit, quia non verè procedunt per locum à toto vniuersali vt sic, & in rigore; sed vel a toto tantùm in ratione generis, & speciei, vt patet per illam regulam prædicamentalem, de qua satis, disputatione vndecima quæst. 1. vel à toto vniuersali in essendo, vt patet quando dicitur, Est ens: ergo Deus. Vel à toto integrali, vt patet de numero respectu binarij. Vel à loco alicuius particularis, vt est ly *non currit*, quod tantùm negat cursum, qui est quid particulare, non autem animal, quod est quidem vniuersale: non enim dicitur non est animal currens, aut nullum animal currit, sed tantùm animal non currit.

Secundò verò respondetur ad cæteras alias rationes factas contra secundam partem conclusionis: quòd in tantùm non rectè sequuntur illæ, & similes rationes inquantùm, non arguitur affirmatiuè per talem locum, scilicet à parte subiectiua ad suum totum vniuersale; sed tantùm negatiuè, saltem virtualiter; vt patet dum dicitur, Socrates differt à Paulo. Socrates incipit esse albus; nam virtualiter sonant, Socrates non est Paulus; Socrates, qui anteà non erat albus, modò fit albus; præcipuè cùm verbum *incipit* semper importet negationem, vt communiter docent Summulistæ; Vnde quando accipitur prædictus locus affirmatiuè, semper tenet; vt patet etiam dum dicitur, Homo non est albus; ergo animal non est album; vel Homo non currit; ergo animal non currit, quia licèt in illis antecedentibus reperiatur negatio; tamen quia non destruit speciem subiectam, nempe hominem, sed tantùm illius prædicata: non enim ibi negatur homo, sed album, vel cursus de homine; ideò rectè sequuntur illæ consequentiæ per locum à parte subiectiua affirmatiuè, ad suum totum; non enim dicitur, non datur homo albus, siue currens, sed tantùm Homo non est albus, Homo non currit.

Obiicitur secundò, contra secundam conclusionem; & in primis probando totum à loco integrali non semper tenere affirmatiuè. Tum quia non sequitur, Domus valet centum nummos: ergo & paries: Vel turris est marmorea: ergo, & fundamentum. E contrà verò bene sequitur, destructo quod dat esse, & actuat partes, destruuntur, & partes: sed totum integrale est huiusmodi: ergo arguendo à tali loco, non semper arguitur affirmatiuè.

Secundò probando locum à parte integrante ad suum totum non semper tenere negatiuè. Tum quia minimè sequitur, Brachium Pauli non est: ergo Paulus non est. E contra verò bene valet, Pars aquæ est: ergo aqua est; & similiter pars panis est: ergo & panis: ergo arguendo à parte integrali ad suum totum, non semper talis locus tenet negatiuè.

Respondetur, & primò ad omnes illas rationes contra primam partem conclusionis; quòd in tantùm non tenent affirmatiuè, in quantùm propriè non procedunt per locum a toto integrali: nam totum integrale non infert suas partes, vt est propositio de tertio adiacente, neque vt dat illis esse partis: sed tantùm vt est propositio de secundo adiacente, & communicat partibus tantùm esse totius integralis; vnde certè non sequitur, Domus valet centum nummos, &c. quia omnes illæ propositiones sunt de tertio adiacente, & licèt bene sequatur, si aliàs diceretur; Paries valet centum nummos; ergo & Domus; non tamen tenet per habitudinem partis integrantis ad totum, sed per locum à minori ad maius. Neque minùs sequitur, quòd destructo toto integrali destruantur partes, cùm ab eo non accipiant esse partis, sed tantùm esse totius.

Secundò respondetur ad cæteras alias rationes adductas contra secundam partem conclusionis, quòd in tantùm illationes illæ non tenent negatiuè, in quantùm propriè non adducuntur per locum à parte integrante ad suum totum: nam cùm pro partibus integrantibus ex dictis, tantùm debeant intelligi principaliores, & quæ habeant propriè rationem integrantis, & non subiicientis suo superiori; neque Brachium Pauli, neque pars aquæ, siue panis erunt partes integrantes; cùm Brachium sit pars minùs principalis, & pars aquæ, &c. pars subiectiua ipsius aquæ; cùm aqua sit quidem totum integrale, sed homogeneum, idest eiusdem naturæ in omnibus suis partibus; cui non implicat secundùm vnam rationem esse totum integrale, & secundùm aliam esse simul totum vniuersale, vt patet.

Obiicitur tertiò, contra tertiam conclusionem probando in primis locum in quantitate ad partes eius non tenere, tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia non sequitur, Omnes Apostoli sunt duodecim: ergo Paulus est duodecim. Neque, omne animal fuit in Arca Noe; ergo Bucephalus fuit in arca Noe. Item omnis homo currit: ergo Adam currit. Neque tenet negatiuè, quia destructa aliqua parte totius in quantitate destruitur ipsum totum, & tamen vna destructa parte non oportet destruere aliam: ergo destructo toto in quantitate non oportet destruere quamlibet eius partem, & consequenter non tenet negatiuè.

Deinde probatur; locum à partibus in quantitate

on tenere similiter tam affirmatiuè, quàm negatiuè, Non affirmatiuè, quia non sequitur, Paulus habet caput, petrus, habet caput; & sic de cæteris: ergo omnis homo habet caput, estò caput sit pars principalis, cùm teste Plinio 7. naturalis historiæ cap. 2. Acephali, hoc est sine capite homines, oculos in scapulis retinentes, reperiantur: Neque tenet negatiuè; cùm non sequatur, Socrates non est totum in quantitate, Plato non est totum in quantitate, & sic de aliis: ergo omnis homo non est totum in quantitate.

Respondetur, & primò ad primas rationes adductas contra primam conclusionis partem; ideò non tenere semper tam affirmatiuè, quàm negatiuè, vel quia variantur suppositiones suorum terminorum, vt patet, tum in prima, vbi terminus inferens supponit collectiuè, illatus verò determinatè; tum in secunda vbi terminus inferens supponit distributiuè, pro speciebus scilicet singulorum animalium, illatus verò determinatè pro quodam indiuiduo; tum denique in tertia vbi terminus inferens supponit distributiuè pro existentibus; illatus verò determinatè pro non existente. Vel non tenere, quia re vera non arguitur à toto in quantitate, vt patet dum concluditur negatiuè, quòd destructo toto non debet destrui quælibet eius pars, ex eo, quod vna parte destructa non est necesse, quòd destruatur alia; nam si supponatur vna pars totius in quantitate destructa, & alia non, necesse est non supponere pariter, & ipsum totum, à cuius negatione tamen debet procedi ad hoc vt rectè arguatur negatiuè, cùm destructa aliqua eius pars destruatur, & ipsum totum. Quare arguendo prædicto modo, non arguitur negatiuè ab ipso toto negato, sed ab eo, quod non est totum, destructo, & negato. Committitur enim ibi fallacia à simpliciter ad secundùm quid, cùm in antecedenti, partes illæ accipiantur secundùm se; in consequenti verò secundùm quòd partes totius in quantitate sunt: nam licèt Paulo currente, Petrus, & cæteri homines secundùm se possint non currere, tamen vt partes sunt in quantitate istius vniuersalis propositionis, scilicet Nullus homo currit; oportet quòd Petrus, & cæteri homines currant sicut & Paulus.

Ad reliquas deinde rationes militantes contra secundam partem conclusionis respondetur non tenere item tam affirmatiuè, quàm negatiuè; quia verè, & propriè in illis non sumitur locus à partibus in quantitate, cùm partes in quantitate debeant enumerari à sufficienti earum diuisione, & accipi non secundùm id, per quod differunt, sed tantùm secundùm id, per quod conueniunt cum ipso toto in quantitate; vt patet dum dicitur, Petrus non currit, Paulus non currit, Cicero non currit, & sic de cæteris; ergo nullus homo currit; nam ibi proceditur à sufficienti partium diuisione, & quatenus conueniunt, immo quatenus aliquo modo sunt idem cum ipso in quantitate. Defectu igitur primæ conditionis, non bene sequitur, stantibus acephalis, quòd omnis homo habeat caput, licèt ex alia parte possit etiam dici, quòd bene sequatur; nam estò acephali non habeant capita supereminentia sicuti nos; tamen videntur ea habere, humeris, aut scapulis infixa. Defectu verò secundæ conditionis item non bene sequitur ex eo, quòd Petrus non sit totum in quantitate, Paulus non sit totum in quantitate, &c. vt omnis homo non sit totum in quantitate, nam estò ibi sufficienter enumerentur partes, non tamen ex ratione

A secundùm quam conueniunt, sed secundùm quam differunt cum ipso toto in quantitate, vt patet.

Obijcitur quartò contra quartam conclusionem; & primò probando locum à toto in modo ad suam partem non tenere tantùm negatiuè. Tum quia bene sequitur, Homo est rationalis, vel risibilis: ergo homo albus est rationalis, vel risibilis. Tum etiam quia multoties non tenet negatiuè, vt quando dicitur, Cadauer non est homo: ergo non est homo mortuus: Æthiops non est albus: ergo non est albus secundùm dentes. Chimæra non est ens: ergo non est ens cognitum. Secundò probando, locum à parte in modo ad suum totum non tenere tantùm affirmatiuè; quoniam non sequitur, homo albus est ens per accidens: ergo homo est ens per accidens. Neque valet Petrus fit homo doctus: ergo Petrus fit homo.

B Respondetur ad omnes illas rationes, quæ videntur impugnare primam partem conclusionis, quòd per eas verè, & propriè non arguitur à toto in modo ad suam partem; sed vel à specie ad indiuidua, vt patet dum concluditur: ergo homo albus est rationalis, vel risibilis: vel à toto, in modo quidem, non verò ad suam partem sumptam cum terminatione contrahente tantùm, sed vel à dirimente, vt dum concluditur; ergo Cadauer non est homo mortuus; vel saltem à diminuente, vt dum concluditur, ergo Æthiops non est albus secundùm dentes; aut Chimæra non est ens cognitum, quæ potiùs sunt loca sophistica, à simpliciter ad secundum quid, quàm dialectica. Ad cæteras verò rationes, quæ videntur impugnare secundam conclusionis partem, respondetur similiter non esse in rigore,

C & propriè à parte in modo ad suum totum; nam pars in modo, de qua loquimur, debet constare, ex terminis supponentibus tantùm personaliter, & habentibus copulam communem, idest æquè afficientem tam modum, quàm modificatum, seu terminum, quam terminatum. Defectu igitur primæ conditionis, non quidem valet, Homo albus est ens per accidens: ergo homo est ens per accidens: nam termini illi, homo albus, in antecedente supponunt simpliciter nempè pro primo, & immediato significato, quod est aggregatum per accidens. Defectu verò secundæ conditionis neque valet, Petrus fit homo doctus: ergo Petrus fit homo; quia copula, *fit*, afficit modum, seu terminationem, scilicet *Doctus* non autem modificatum, seu terminatum, nempe *homo*, vt patet.

D Obiicitur quintò contra quintam conclusionem, & primò probando, locum à toto in loco ad suam partem non tenere tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia non valet, Mundus est vbique, ergo mundus est Parisiis. Non negatiuè, quia non sequitur, Socrates non est vbique: ergo Socrates non est hic. Secundò verò probando locum à partibus in loco ad suum totum similiter non tenere tã affirmatiuè, quàm negatiuè; Non affirmatiuè, quia non valet, Aliquod corpus est hic, aliquod corpus est ibi, & sic de alijs: ergo aliquod corpus est vbique. Neque negatiuè, quia non sequitur, Vniuersale non est hic, aut illic; & sic de cæteris: ergo non est vbique, cùm vniuersale, ex communi proloquio, vbique sit.

Respondetur, & primò ad omnes rationes adductas contra primam partem conclusionis, nimirum non valere, quia vel non seruatur in eis eadem suppositio terminorum, vt patet dum dicitur, Mundus est vbi-

vbique: ergo Mundus est Parisiis; nam antecedens supponit pro mundo accepto secundùm partes, cùm tantùm vbique sit secundùm partes; consequens verò supponit pro mundo secundùm se totum. Vel non tenere, quia verè, & propriè non arguitur à toto in loco, vt patet dum dicitur, Socrates non est vbique. ergo, &c. nam ibi potiùs arguitur à negatione vnius partis indeterminatæ in loco; ad negationem alterius partis determinatæ quàm à toto in loco negatiuè, cùm per non esse vbique negetur ipsum totum in loco, vt dictum est supra. Vnde illa argumentatio facit hunc sensum, scilicet Socrates in aliquo loco non est: ergo Socrates non est hic.

Ad cæteras verò rationes contra secundam partem conclusionis adductas, respondetur similiter variari in ipsis suppositiones terminorum; nam dum dicitur, aliquod corpus est hic, aliquod corpus est ibi, &c. ergo aliquod corpus est vbique; partes in loco illius antecedentis verificantur de corpore pro diuersis eius suppositis; & sic in antecedente corpus habet plures suppositiones determinatas, & in consequente habet vnam tantùm, atque ita ibi arguitur à pluribus suppositionibus determinatis, ad vnam determinatam tantùm, & committitur fallacia figuræ dictionis, vt videbitur suo loco. Item dum dicitur, Vniuersale non est hic, aut illic, &c. ergo non est vbique; antecedens supponit pro vniuersali secundùm aptitudinem (vniuersale enim tantùm actu est hic, aut illic, dùm existit in suis singularibus) consequens verò supponit pro vniuersali tantùm secundùm actum; nam vniuersale secundùm commune proloquium est quidem vbique, secundùm aptitudinem tamen.

Obiicitur tandem sextò contra sextam conclusionem; probando in primis; locum à toto in tempore ad suam partem non semper tenere tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia non sequitur, Deus est semper: ergo Deus erit cras, cùm semper fuerit: Non negatiuè, quia non sequitur, Mundus non est semper: ergo non est hodie.

Item probando locum à partibus in tempore simul sumptis ad suum totum non tenere semper tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia partes totius in tempore non possunt esse simul: ergo non poterunt simul accipi: ergo locus à partibus in tempore non tenet affirmatiuè ab omnibus simul sumptis. Neque minùs negatiuè, quia non sequitur, Antichristus non fuit heri, nec pridie, & sic de aliis: ergo nunquam erit, cùm expectetur futurus.

Respondetur, & primò ad omnes rationes adductas contra primam partem nostræ conclusionis, vtique non tenere, vel quia consequentiæ illæ accipiuntur in contrario sensu, vt patet dum concluditur: ergo Deus erit cras; nam ly *cras* perperam accipitur pro eo duntaxat, quod nondum est, cùm accipi debeat pro eo, quod actualiter continetur, cum cæteris temporis partibus in suo toto importato per ly *semper* de præsenti; tale enim aduerbium significat tempus distributum, pro omnibus, & singulis eius partibus copulatiuè sumptis. Vnde in hoc sensu optimè tenet illa consequentia, vt magis explicabitur inferiùs in responsione ad secundam rationem contra secundam partem nostræ conclusionis. Aut non tenere, quia non bene arguitur per illas à toto in tempore, negatiuè; sed potiùs à negatione totius in tempore; vt patet quando dicitur, Mundus non est semper; ergo, &c. nam per ly *non est semper* aufertur totum in tempore, vt patet.

Item ad alias rationes militantes contra secundam partem nostræ conclusionis respondetur non tenere, vel quia similiter accipiuntur in alio sensu, vt patet quando dicitur, Quòd partes totius in tempore non possunt esse simul; nam licèt non possint esse simul secundùm suum esse reale (nam præteritum non potest esse simul cum futuro) tamen possunt esse simul in apprehensione animæ, quæ retinet partem præteritam, & futuram cum præsenti; atque ita simul possunt accipi omnes partes temporis. Aut non tenere, quia non rectè arguitur siuè affirmatiuè, siue negatiuè, à partibus in tempore de præterito significatis ad suum totum de futuro importatum, & è contrà, vt patet dum dicitur, Antichristus non fuit heri, nec pridie, et sic de cæteris: ergo nunquam erit: nam si tale totum importaret de præterito, & diceretur, ergo nunquam fuit, optimè teneret ad ipsum consequentia. Ratio autem cur à partibus de præterito ad totum de futuro, & è contrà non bene argueretur est, quia eodem modo argui debet à partibus in tempore ad suum totum, & è contrà, quo ab ipso actualiter continentur: cùm igitur totum in tempore de futuro importatum actualiter in se non contineat partes de præterito importatas, sed tantùm eas, quæ importantur de futuro, ab ipsis ad tale totum non tenet consequentia.

Nec tamen per hoc (vt tacitæ obiectioni satisfaciamus (videtur argui à partibus in tempore, non sufficienter enumeratis, cùm non exprimatur in eis præsens, & futurum, dum importantur de præterito; & præsens, & futurum, dum importantur de futuro; nam cùm tam præteritum, quàm futurum sint tempora, & de genere continuorum; non minùs quodlibet eorum habet diuidi in præteritum præsens, & futurum, quàm singulæ partes quantitatis continuæ in alias, & alias partes similiter extensas, diuidantur. Quare licèt prædictæ partes temporis, vel de præterito, vel de futuro importentur; semper tamen in prædictis terminationibus sufficienter sunt enumeratæ.

Dicet fortasse aliquis, valet ex dictis argumentari à toto de præsenti ad partem de futuro, & è contrà, vt concessum est suprà, dum dictum fuit, Deus est semper: ergo erit cras: ergo pariter valebit argumentari à partibus de præterito ad totum de futuro, cùm non sit maior ratio.

Respondetur negando consequentiam, ratio disparitatis est, quia à toto de præsenti ad partem de præterito, & de futuro, & è contrà, tenet consequentia, ex eo, quia præsens non tantùm est temporis pars, quàm nexus, & vnio partium eiusdem: quare per ipsum non importatur totum, quin simul non importentur omnes eius partes actualiter in ipso contentæ, quas vnit, & nectit; cùm impossibile sit quòd detur nexus, & vnio absque partibus unitis, & connexis. At uerò præteritum, & futurum cùm tantùm sint partes temporis possunt existere, & de facto existunt, altero non existente; qua de causa, dum per ea importantur tota in tempore, impossibile est, quòd includantur in uno partes alterius, sed tantùm propriæ uniuscuiusque; unde ab uno toto non ualet argumentari ad partes alterius, & è contrà, ut dictum est.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An loci à causa ad effectum, & ab effectu ad causam teneant affirmatiuè, vel negatiuè.

EXplicari sufficienter minimè potest huiusmodi quęstio, nisi saltem rudi Mineruà, quędam ex secundo physicorum libro, hic supponamus. Quare sciendum est, *Causam esse id, ad cuius esse sequitur aliud*, scilicet effectus, non quidem consecutione logica antecedentis, & consequentis, sed per realem emanationem, & influxum causæ ad causatum. Diuiditur autem in efficientem, materialem, formalem, & finalem, vt alibi etiam dictum est. *Efficiens est, à qua primò incipit motus*, hoc est productio rei, ordine tamen executionis, non verò intentionis; vt Faber e.g. est primum mouens, & operans ad hoc vt arma fiant. *Materialis est, ex qua cùm alio, hoc est cùm forma aliquid fit*, nempe compositum ipsum materiale, vt ferrum e.g. quod est materia actuata per suam formam substantialem, ex quo fiunt arma, &c. *Formalis verò, est actus qui dat esse rei*, idest materiæ per ipsam informatæ, vt humanitas respectu hominis; nam dat illi esse substantiale. *Finalis tandem est, cuius gratia, seu in cuius gratiam aliquid fit*; vt sanitas, in cuius gratiam sumimus medicamenta, &c.

Item sciendum est, quòd causa efficiens, vt ab ea exordiamur, vel est vniuoca, idest producens effectum eiusdem speciei, vt homo generans hominem; vel est æquiuoca, idest producens effectum alterius speciei, vt sol respectu generationis animalis; vel est in potentia, vt domificator respectu domus ædificandæ; vel tandem est in actu, vt domificans respectu domus, quæ actualiter fit. Et de omnibus his procedit præsens quæstio. Causa verò materialis, alia est permanens, vt ferrum respectu gladii, quod in eo manet; vel transiens, vt farina respectu panis, quæ non permanet in suo esse, sed transit in ipsum panem; & de omnibus similiter procedit præsens quæstio, dummodò sint materiæ proximæ, non remotæ. Forma item, alia est substantialis, quæ scilicet dat esse substantiale, vt rationalitas; alia accidentalis, quæ dat esse accidentale, vt virtus, pulchritudo, &c. alia artificialis, quæ dat esse artificiale; vt forma statuæ, scamni, &c. alia est forma totius, vt humanitas respectu totius hominis; & alia tandem est forma partis vt rationalitas, ex qua simul cum materia componitur homo; & de omnibus similiter indifferenter procedit nostra quæstio, dummodò tamen non sint formæ communes, idest pluribus specie differentibus conuenientes, vt anima, quæ conuenit omnibus animatis; sed tantùm propriæ idest rebus determinatis conuenientes. Tandem Finis alius dicitur *quo*, idest quo tendimus ad vlteriorem finem, vt pecunia, que per diuersa media acquiritur propter commoditatem; qui finis etiam alio nomine vocari solet intermedius; alius dicitur finis *gratia cuius*, idest qui non ordinatur ad alium finem, vnde dici etiam solet finis vltimus, vt felicitas, &c. Et de omnibus similiter procedit præsens quæ-

A stio, non quidem sub ea ratione, qua respiciunt alium finem; sed tantùm sub ea ratione, qua ad ipsos ordinantur media, & quæ sunt ad finem.

Notandum nihilominùs est, quòd ad hoc vt rectè arguatur per locum à causa ad effectum, & è contrà, maximè obseruanda est exigentia habitudinis, quam habent inter se; cùm in omnibus eadem non sit. Nam efficiens, vt efficiens est, cùm possit esse actu, & potentia; bonum, & malum, dicit habitudinem ad suum effectum, tum secundùm actum, tum secundùm potentiam, tum secundùm bonitatem, tum secundùm malitiam, adeò vt, si est potentia, seu in potentia, inferatur effectus per verbum potest; vt Domificator est: ergo Domus potest esse; si autem sit in actu, inferatur effectus per verbum fit, vel erit; vt domificans est: ergo Domus fit, vel erit. Eodem etiam modo

B inferri debet eius effectus respectu bonitatis, & malitiæ; non quidem moralis, aut entitatiuæ, cùm nihil faciant ad hoc vt efficiens rectè operetur; sed tantùm efficientiæ, seu vt sic dicamus peritiæ circa suum effectum; vt domificator est bonus, vel malus: ergo Domus potest esse bona, vel mala. Domificans est bonus, vel malus: ergo domus fit, vel erit bona, vel mala. Hoc tamen intelligitur de causa efficiente quantùm est de se, cùm ratione materiæ indispositæ, vel alterius impedimenti possit dari effectus malus ab efficienti. Causa verò materialis cùm tantùm importet esse potentiale sui effectus (est enim in potentia, non in actu ad illum) non debet inferri talis effectus per verbum est, sed erit vel potest esse; vt ferrum est: ergo gladius potest esse, vel erit, &c. nam arguendo a causa

C ad effectum, ab esse causæ debet inferri esse effectus eodem modo, quo ponitur in tali causa; cùm igitur effectus materiæ ponatur tantùm in potentia, & non in actu in ipsa materia debet à tali causa ad ipsum argui tantùm per verba de possibili, & de futuro. Causa formalis è contrà, cùm sit actus sui effectus, debet ab ipsa inferri per verba de præsenti; & eodem modo quo consideratur ipsa forma; vt est albedo: ergo, & album: Est albedo citò transiens, vt quando oritur ex timore: ergo est album eodem modo. Causa tandem finalis, cùm non per bonitatem entitatiuam, sed tantùm moralem, per se, & non per accidens alliciat, & trahat appetitum agentis, non debet ab ea inferri eius effectus per verba substantiua, est, fuit, & erit, sed per verba adiectiua, bonum scilicet, vel non bonum,

D vt propositum, & ostensum agenti secundùm rectum dictamen rationis per se, & non per accidens operantis. Quare dici solet, Sanitas est bona: ergo, & Medicina; non verò sanitas est bona: ergo Ebrietas, qua casu, & accidentaliter ipsa sanitas aliquando acquiritur, fuit, & est bona.

Dicendum est ergo primò, quòd tam locus à causa efficiente ad effectum, quàm locus ab effectu ad causam efficientem teneat affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur, & primò de loco à causa efficiente ad effectum. Quoniam posita, vel remota causa efficiente in potentia, vel in actu ponitur, vel remouetur effectus in potentia, vel in actu: sicut posita causa efficiente bona vel mala, ponitur effectus bonus, vel malus: ergo locus ab ipsa tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; nam causa efficiens est, a qua ordine executionis primò incipit motus, seu producitur effectus, iuxta exigentiam

tamen

tamen habitudinis causæ efficientis ad suum effectum: ergo posita, vel remota causa efficiente in potentia, vel in actu secundùm bonitatem, & perfectionem suæ formæ, ponitur, vel remouetur effectus similiter in potentia, vel in actu secundùm bonitatem, & perfectionem suæ formæ. Quare pro Maxima istius loci assignatur prædictum antecedens, quod modò probatum est; vnde sequitur, Philosophus est: ergo potest docere. Docens actu est: ergo discens actu est. Domificans est bonus: ergo domus fit, vel erit bona; est malus: ergo domus fit, vel erit mala, &c. & sic etiam in sensu negatiuo, vt patet.

Probatur deinde, quòd locus ab effectu ad causam efficientem teneat similiter tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Quoniam posito, vel remoto effectu in potentia, vel in actu, ponitur, vel remouetur causa efficiens in potentia, vel in actu; sicut posito bono, siue malo effectu ponitur causa efficiens bona vel mala: ergo locus ab ipso tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens, Nam quod omnino dependet ab alio, non potest poni, vel auferri tam in suo fieri, & esse, quàm in perfectione, vel imperfectione suæ formæ absque eo, quòd aliquo ex his modis non ponatur, vel auferatur id, à quo omnino dependet: sed effectus respectu suæ causæ efficientis est huiusmodi: ergo posito, vel remoto in potentia vel actu; aut in perfectione, vel in imperfectione suæ formæ, ponitur etiam, vel aufertur causa efficiens, &c. Quare, Maximæ istius loci erunt præfatum antecedens; cùm dici valeat, Dies est, vel potest esse in nostro hemisphærio: ergo, & sol. Domus est bona: ergo & domificans, &c. quod etiam negatiuè dici potest, vt patet.

Dicendum est secundò, quòd locus à causa materiali siue permanente, siue transeunte tenet semper tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Locus autem ab effectu causæ materialis ad ipsam causam, siue permanens, siue transiens sit, tenet tantùm affirmatiuè.

Probatur prima pars conclusionis. Quoniam posita causa materiali, siue permanes, siue transiens sit, possibilis est suus effectus; ipsa verò remota est impossibilis: ergo locus ab ipsa tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; nam materia, quæcunque illa sit, est id, ex quo per modum potentiæ componitur aliquid: ergo ea posita possibilis est suus effectus, scilicet compositum materiale, ipsa verò remota, non potest esse, cùm impossibile sit compositum materiale posse existere absque concursu materiæ. Quare Maximæ istius loci assignantur in præfato antecedente; cùm optimè sequatur iuxta exigentiam prædictæ causæ. Est ferrum: ergo possibilis est gladius. Est farina: ergo possibilis est panis. Vel non est ferrum: ergo gladius non est, nec est possibilis. Non est farina; ergo panis non est possibilis, &c.

Probatur secunda pars conclusionis; quia posito effectu causæ materialis, ponitur materiam permanentem esse, & transeuntem fuisse; remoto verò, nulla remouetur materia: ergo locus ab effectu causæ materialis ad ipsam quæcunque illa sit, tenet tantùm affirmatiuè. Probatur antecedens; nam materiale nequit dari absque materia, quæcunque illa sit; cùm posterius nequat dari absque priori: è contrà verò remoueri potest materiale, remanente materia, cùm prius possit stare absque posteriori: sed effectus causæ materialis est

A quodlibet materiale: ergo posito effectu causæ materialis, &c. Maximæ igitur istius loci sunt præfatum antecedens; quare valet si dicatur, Est gladius: ergo est ferrum. Est panis: ergo fuit farina. Non valet autem; non est gladius: ergo non est ferrum. Non est panis: ergo nec farina.

Dicendum est tertiò, quòd tam locus à causa formali ad suum effectum; quàm locus à prædicto effectu ad suam causam, tenet affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur prima pars, scilicet de loco à causa. Nam posita, vel remota causa formali, ponitur, vel remouetur effectus formalis: ergo locus ab ipsa, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; quia causa formalis habet idem esse cum suo effectu, & per idem esse semper existunt: ergo posita, B vel remota causa formali ponitur, vel remouetur, &c. Quare pro maxima ponitur præfatum antecedens; vnde valet, Albedo est: ergo album. Non est albedo: ergo nec album, &c.

Probatur secunda pars conclusionis, nempe de loco ab effectu, &c. Nam posito, vel remoto effectu causæ formalis, ponitur, vel remouetur ipsa forma: ergo locus ab ipso tenet pariter tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; nam quæ habent idem esse, vno eorum posito, vel ablato, debet saltem naturaliter loquendo alterum poni vel auferri: Sed huiusmodi est effectus causæ formalis, vt dictum est: ergo, &c. Maxima istius loci erit præfatum antecedens; cùm optimè sequatur, album est: ergo & albedo: album non est: ergo nec albedo, &c.

C Dicendum est quartò, quòd tam locus à causa finali ad suum effectum, quàm locus ab effectu, seu ab his, quæ sunt ad finem, ad finem ipsum; tenent affirmatiuè, & negatiuè.

Probatur prima pars, scilicet de loco à causa. Nam cuius finis est bonus, vel malus; effectus pariter est bonus, vel malus: ergo locus à causa finali tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; nam bonitas, & malitia rei sumitur ex bonitate, & malitia sui finis, & eadem est bonitas, & malitia finis, ac mediorum ad ipsum finem ordinatorum, in quibus relucet, vt docent ex professo Morales; ergo dato fine bono vel malo dabitur effectus bonus, siue malus; vel non bonus. Quare præfatum antecedens erit maxima istius loci; valet enim, felicitas est bona: ergo, & virtus. Damnatio non est bona: ergo peccatum non est bo- D num, &c.

Probatur secunda pars conclusionis, scilicet de loco ab effectu finis ad suam causam. Nam si effectus est bonus, vel malus, finis illius erit bonus, vel malus: ergo locus ab ipso tenet affirmatiuè, & negatiuè. Probatur antecedens, nam bonitas, & malitia finis relucet, & resplendet in ijs, quæ sunt ad finem, vt dictum est supra: ergo si effectus est bonus, vel malus; finis pariter erit bonus, vel malus. Idcirco pro maxima istius loci ponitur prædictum antecedens; valet enim, Creatura est bona: ergo Creator est bonus; Peccatum est malum, siue non est bonum: ergo damnatio est mala, siue non est bona, &c.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, probando locum à causa efficiente, &c. non semper tenere tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia non sequitur; Deus est bonus: ergo Latro est bonus. Neque negatiuè, quia non valet, Domificator

cator non est: ergo Domus non est.

Deinde probando contra secundam partem conclusionis, locum ab effectu ad causam efficientem similiter non tenere semper tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia non sequitur, Domus est: ergo Domificator est. Neque negatiuè, quia non sequitur, Plato non est: ergo Deus non est.

Respondetur & primò ad rationes factas contra primam partem conclusionis, eas non tenere, vel quia non arguitur à causa efficiente ad effectum, vt patet quando dicitur, Deus est bonus: ergo Latro est bonus; nam estò Deus causa efficiens sit entitatis latronis in quantùm homo est; non tamen in quantùm latro est; vel quia non arguitur iuxta exigentiam habitudinis causæ ad effectum; vt patet dum dicitur, Domificator non est: ergo domus non est: nam domificator non dicit habitudinem ad domum, prout est in actu, vel sit in actu; sed prout est in potentia.

B

Item ad omnes alias rationes adductas contra secundam partem conclusionis respondetur, in tantùm non tenere, vel in quantùm non arguitur, iuxta exigentiam habitudinis effectus ad causam, vt patet dum dicitur, Domus est: ergo domificator est; cùm domificator sit tantùm causa domus in potentia, & in virtute; ad quem vtique non dicit respectû ipsa domus ad hoc vt sit; sed tantùm ad hoc vt possit esse. Vel in quantùm arguitur ab effectu ad causam, quæ non dicit habitudinem necessariam ad effectum, sed tantùm contingentem, cùm sit libera ad agendum, vel non agendum; ut quando dicitur, Plato non est: ergo Deus non est.

C

Obijcitur secundò contra primam partem secundæ conclusionis probando in primis, locum à causa materiali non tenere affirmatiuè: quia in rei ueritate non sequitur, ligna, & lapides sunt: ergo domus potest esse; quia ad possibilitatem domus non sufficit possibilitas materiæ eius; sed vltrà requiritur possibilitas efficientis eiusdem domus; vnde consequens posset esse falsum: ergo locus à causa materiali non semper tenere affirmatiuè. Neque negatiuè, quia non sequitur, Non est vua: ergo non est possibile acetum cùm possit dari, etiam vua non existente.

Deinde probando locum ab effectu causæ materialis ad ipsam quomodocunque sit non tenere tantùm affirmatiuè; quia non sequitur, gladius est: ergo ferrum est; quia gladius potest esse ex alio metallo. Quinimmo, quandoque manifestè valet negatiuè; Nam dato casu, quod comburatur aliquod scamnum, tunc valeret consequentia, si diceretur, Non est scamnum: ergo nec lignum: ergo non semper prædictus locus tenet affirmatiuè.

D

Resp ondetur & primò ad omnes illas rationes adductas contra primam partem conclusionis, scilicet in tantùm non tenere, in quantùm vel non arguitur à sola causa materiali, sed etiam ab aliis causis, vt patet quando dicitur, possibilitatem domus, vltra possibilitatem materiæ, etiam requirere possibilitatem efficientis; nam estò sine efficiente, seu domificatore non sequatur possibilitas effectus, quæ se tenet ex parte possibilitatis eiusdem efficientis: tamen bene sequitur ex parte possibilitatis materiæ. Vel non tenere, in quantùm arguitur à causa materiali remota, non verò proxima, de qua loquimur; vt patet dum dicitur, Non est vua: ergo acetum non est possibile.

A

Ad cæteras verò rationes allatas contrà secundam partem conclusionis, respondetur, quòd vtique non valent; vel quia arguitur per eas contra suppositum; vt patet dum dicitur, quòd Gladius potest esse alterius materiæ à ferro; nam quando ita arguitur, scilicet Gladius est: ergo ferrum est, supponitur gladius ferreus, non ligneus, &c. vel si valet negatiuè; quia ibi non arguitur, iuxta exigentiam effectus causæ materialis permanentis; vt patet dum dicitur in illo casu combustionis, non est scamnum: ergo nec lignum: nam estò lignum respectu scamni sit materia permanens, respectu autem scamni combusti est materia transiens; vnde si rectè argueretur, & diceretur, Non est scamnum: ergo non fuit lignum, cùm talis consequentia non teneret. Quare prædicta ratio magis probat secundam partem conclusionis.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem, & primo probando locum à causa formali non tenere tam affirmatiuè, quam negatiuè, Non affirmatiuè, quia non sequitur, Quantitas, vel qualitas est: ergo est quantum, vel quale, vt patet in Sacramento altaris, vbi dantur accidentia sine subiecto. Neque negatiuè, quia non sequitur, generatio non est: ergo genitum non est; & tamen generatio est forma denominans genitum.

Deinde probando locum ab effectu formali non tenere tam affirmatiuè, quàm negatiuè semper. Non affirmatiuè, Quia non sequitur Sol est calidus: ergo in Sole est caliditas; nam antecedens est verum, consequens autem falsum. Neque negatiuè, quia non sequitur; homo non est: ergo anima rationalis non est; quia defuncto homine, anima rationalis manet in esse.

Respondetur & primò ad omnes rationes adductas contra primam partem conclusionis, ideò non tenere, quia non arguitur verè, & propriè à causa formali, vt patet in exemplis adductis de Sacramento altaris, & de generatione; nam quantitas, &c. in tali casu, non sunt forma quanti, & qualis, nisi in potentia, & aptitudine. Sicut Generatio licèt denominet subiectum, tamen non est forma illius, sed tantùm mutatio de non esse ad esse eiusdem, vt docent Philosophi.

Ad cæteras verò rationes contra secundam partem nostræ conclusionis adductas, respondetur similiter per eas non argui ab effectu formali propriè dicto, vt patet in exemplis adductis, nam sol non est calidus formaliter; nec homo dum non est, est animatus formaliter, & actualiter: effectus enim formalis debet esse actu sicut ipsa causa, saltem naturaliter.

Obiicitur tandem quartò, contra quartam conclusionem, & primò probando, locum à causa finali non tenere semper tum affirmatiuè, tum negatiuè. Non affirmatiuè, quia non sequitur, Eleemosyna est bona: ergo furari ad dandam eleemosynam est bonum. Non negatiuè, quia non sequitur, Sectio non est: ergo Securis non est.

Deinde contra secundam partem conclusionis probando locum ab effectu finis ad ipsum finem pariter non tenere semper tàm affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia bonitas finis non dependet à bonitate mediorum, seu eorum, quæ sunt ad finem; sed è contrà, vt dictum est: ergo ex bonitate mediorum non sequitur bonitas finis, & consequenter talis locus non tenet affirmatiuè respectu huius prædicati, *omnem*. Neque etiam negatiuè; quia non sequitur, Aliquis

Aliquis Homo non est bonus: ergo Beatitudo, ad quam ordinatur, non est bona; vel Homo est malus: ergo Beatitudo est mala.

Respondetur, & primò ad omnes illas rationes adductas contra primam partem conclusionis; ideò non tenere, quia ibi non arguitur iuxta exigentiam ipsius finis: nam furari propter eleemosynam non est ratio finis secundùm rectum dictamen rationis, quæ est conditio requisita ad finem. Sicut non valet, securis non est; quia iste locus ab effectu ad finem, & è contrà, non tenet respectu huius prædicati *esse*, sed respectu horum prædicatorum tantùm, bonum scilicet, vel non bonum.

Ad reliquas verò rationes contra secundam partem conclusionis adductas, respondetur primo loco ad primam, quod estò bonitas finis non dependeat, neque sumatur à bonitate mediorum in genere causæ finalis, aut efficientis; sumitur tamen, & dependet quo ad ostensionem, & repræsentationem, cùm in ipsis reluceat; ac positis requisitis rectæ rationis per eadem ostendatur. Ad secundam verò dicitur, quòd ibi non arguitur verè, & propriè ab effectu causæ finalis; nam homo malus, cùm auertatur à verò fine, & beatitudine, non potest recipere specificationem, & moralitatem ab ipsa; quare neque est verè, & propriè effectus illius.

QVÆSTIO V.

An loci à generatione ad genitum, & è contrà; & à corruptione ad corruptum, & è contrà, teneant affirmatiuè, vel negatiuè.

SVpponere debemus ex physicis, *Generationem esse mutationem de non esse ad esse. Corruptionem verò, è contrà esse mutationem de esse ad non esse*. Pro esse autem non intelligitur esse simpliciter, sed esse tale; nam quod generatur, vel corrumpitur, non terminatur ad esse, vel non esse simpliciter; aliter enim nullum supponeretur subiectum circa quod fieret talis mutatio, sed terminatur ad esse, vel non esse hominis, e.g. albi, nigri, &c. Cùm autem esse, aliud substantiale, aliud accidentale sit; generatio pariter, & corruptio, substantiales, & accidentales sunt; quod licèt ita sit, non tamen hic de vna, vel altera in specie sermo est, sed in genere, de quacunque scilicet mutatione de non esse ad esse, & è contrà, siue sit ad esse, vel non esse substantiæ, siue ad esse, vel non esse accidentis.

Notandum tamen est pro resolutione primò, quòd ad hoc vt rectè procedatur per locum à generatione ad genitum, & à corruptione ad corruptum, & è contrà; debet argui tantùm per ista prædicata Bonum, & Malum, non autem per prædicata existendi, vel subsistendi. Quare si dicatur Generatio est: ergo sit genitum; vel corruptio est: ergo sit corruptum, sequitur quidem consequens, sed non per locum à generatione, & corruptione, sed tantùm per locum a causa efficienti ad effectum saltem reductiuè, cùm generatio, & corruptio sint operationes ipsius agentis. Talia verò

A prædicata; Bonum scilicet, & malum non capiuntur hic pro bono, & malo naturæ, seu modi generationis, & corruptionis, adeò vt illa generatio, & corruptio bona sit, quæ non habet defectum in suo esse; mala verò, quæ aliquem defectum habet; sed capiuntur pro bono, & malo finis, idest geniti, & corrupti, quæ sunt finis generationis, & corruptionis, à quibus recipiunt speciem bonitatis, vel malitiæ moralis; adeò vt illa generatio, vel corruptio sit bona cuius genitum, vel corruptum moraliter bonum est; illa verò sit mala, cuius genitum, vel corruptum moraliter malum est. Discriminantur tamen in hoc prædicta loca, quòd loci à generatione ad genitum, & è contrà, habent eadem prædicata, scilicet vel boni, vel mali: Loci verò à corruptione ad corruptum; & è contrà, si

B vnum illorum habet prædicatum boni, aliud necesse est, vt habeat prædicatum mali; & ratio est, quia corruptio, & corruptum opponuntur contradictoriè, nam corruptio importat non esse corrupti in fieri; contradictoriè autem oppositorum si vnum bonum est, alterum malum necesse est vt sit. Quod vtique non est dicendum de generatione, & genito, cùm generatio importet esse in fieri ipsius geniti, minimè verò non esse, quemadmodùm illud importat corruptio respectu corrupti, vt dictum est.

Notandum secundò, quòd locus à corruptione ad corruptum dupliciter considerari potest; nempè absolutè, & simpliciter, in quantùm scilicet in eo, terminus inferens opponitur termino illato; vel ex connotatione, & secundùm quid; in quantùm scilicet connotat conuenientiam generationis, & corruptionis.

C Primo modo non est locus intrinsecus, nec inter intrinsecos connumerandus, cùm non teneat affirmatiuè, vel negatiuè ratione conuenientiæ corruptionis ad corruptum, sed tantùm ratione disconuenientiæ, quòd sufficit ad hoc, vt terminus inferens dicatur extrinsecus termino illato; quarè communiter reduci solet ad locum extrinsecum cōtradictoriè oppositorum. Secundo verò modo, cùm saltem dicat conuenientiam, quam necessariò inter se important generatio, & corruptio, quas connotat; ex eo quòd ad generationem sequatur corruptio, & ad corruptionem generatio, iuxta illud, generatio vnius, est corruptio alterius, & viceuersa; hinc est quòd in eo terminus inferens aliquo modo est de intrinseca ratione termini illati, & consequenter reponendus est inter locos intrinsecos,

D substantiam siue esse rei connotantes.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à generatione ad genitum, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; nam cuius generatio bona est genitum pariter bonum est, & cuius generatio mala est, genitum quoque malum est, & è contrà: ergo locus ab ipsa ad genitum, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; nam quando aliqua habent idem esse, si vnum eorum bonum, vel malum est; etiam bonum, vel malum erit alterum; Sed generatio, & genitum sunt huiusmodi, cùm generatio terminetur ad esse geniti, quamuis illa importet tale esse in fieri, istud verò in facto esse: ergo si generatio est bona, bonitate quæ est ex parte geniti, ad quod terminatur; oportet & genitum esse bonum; & si sit mala, erit malum, & viceuersa. Quare maxima istius loci erit supradictum antecedens; cùm optimè

sequatur, Generatio domus est bona: ergo & ipsa domus; Generatio latronum est mala; ergo latrones mali sunt, & vice uersa.

Dicendum est secundò, quòd locus à corruptione ad corruptum, & è contrà, tenet pariter tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; nam cuius corruptio est bona, corruptum est malum, & cuius corruptio est mala, corruptum est bonum, & è contrà: ergo locus ab ipsa, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; quoniam si esse rei est bonum, carentia ipsius non potest non esse mala, cùm tollat bonum, si autem sit malum, carentia illius non potest non esse bona, cùm tollat malum: sed hoc modo se habent ad inuicem corruptio, & corruptum: ergo cuius corruptio est bona,&c. Quare maximæ pro isto loco sunt, quæ assumuntur in antecedenti, modò probato: valet enim, Hæretici sunt mali: ergo illorum corruptio est bona. Doctores Ecclesiæ sunt boni: ergo eorum corruptio est Ecclesiæ mala; & è contrà.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, probando locum à generatione ad genitum non tenere affirmatiuè; quia aliquid non potest dici bonum, nisi sit existens, cum bonum supponat esse, & cum ipso conuertatur, ex metaphysicis. Sed nullum genitum dum generatur, est existens; ergo non rectè sequitur, Generatio alicuius rei est bona: ergo & genitum, & consequenter locus ab ipsa nequit tenere affirmatiuè. Vtraque consequentia patet. Minor verò probatur; nam cùm genitum incipiat per primum sui esse, hoc est per instans intrinsecum, vt dici solet ex professo 6. physicorum; valet dicere de eo nunc est: ergo immediatè antè non erat, dum generabatur; ergo nullum genitum dum generatur, est existens.

Respondetur, quidquid sit de maiori; de qua alibi, distinguendo minorem, sed nullum genitum dum generatur est existens in actu, verum est, in potentia, seu in via, & in fieri, falsum est ergo, &c. neganda est consequentia, quia ad hoc vt genitum sit bonum bonitate generationis, scilicet bonitate potentiæ, & sui fieri, satis est quòd existat in potentia.

Obijcitur secundò contra eandem conclusionem, probando locum à genito ad generationem non tenere tam negatiuè, quàm affirmatiuè. Non affirmatiuè; quia non sequitur, Catholicus est bonus: ergo generatio illius est bona bonitate finis, cum possit gigni à parentibus infidelibus habentibus finem prauum gignendi, scilicet, similem in moribus: ergo locus à genito ad generationem non tenet affirmatiuè. Neque minùs negatiuè; quia non valet, Latro non est bonus, hoc est malus: ergo generatio illius est mala, cùm possit gigni à parentibus sanctam, & piam intentionem habentibus: ergo locus à genito ad generationem non tenet negatiuè.

Respondetur, prædictas rationes non tenere, quia per eas non arguitur à bonitate, vel malitia finis generationis; qui finis est ipsum genitum; sed à bonitate, vel malitia generantis. Qua, estò parentes alicuius catholici, malam intentionem habuerint, & parentes latronis bonam, & sanctam; attamen quia finis, & terminus istarum generationum, scilicet genita ipsa bona, vel mala sunt moraliter; ideò generationes illorum appellantur bonæ, vel malæ.

Obijcitur tandem tertiò contra secundam conclu-A sionem, probando in primis; locum à corruptione ad corruptum non tenere affirmatiuè; quoniam non sequitur, Corruptio Christi fuit bona: ergo Christus fuit malus; quia antecedens verum est; consequens autem falsum. Deinde probando locum à corrupto ad corruptionem non tenere negatiuè; quoniam non sequitur, Antichristus non est bonus: ergo corruptio illius est bona; cùm antecedens sit verum, consequens autem falsum, &c.

Respondetur ad primam rationem, ideò in ipsa consequens non valere, quia ibi non arguitur à bonitate, & malitia, quæ conuenit per se corruptioni, & corrupto; sed tantùm à bonitate, & malitia, quæ conuenit illi per accidens, scilicet ratione alterius finis, quemadmodùm est mors Christi; nam licèt ab extrinseco ordinata sit à Deo ad alium finem, scilicet ad B salutem Mundi, & in hoc sensu dicatur bona; tamen quatenus per se respicit non esse sui finis, scilicet Christi corrupti, non est bona, sed mala, cùm sit destructiua vitæ Christi: Ad secundam verò rationem similiter respondetur, ideò in ea consequens non tenere, quia verè, & propriè non arguitur à corrupto ad corruptionem, cùm propriè non procedatur ibi per assignatos terminos dicti loci, nempè per malum, & bonum, sed per non bonum, & bonum. Et licèt prædicatum illud, *Non est bonus* saltem implicitè, & æquiualenter importet suum contradictorium, nempè, *est malus* præcipuè cùm ex dictis disp. 23. quæst. 6. Verba intra propositiones infinitari nequeant: tamen quia explicitè, & formaliter id non importat, hinc est quòd ibi verè, C & propriè non arguitur à corrupto ad corruptionem, sed ad summùm æquiualenter, quod non facit ad rem. Vnde optimè argueretur si diceretur, Antichristus est malus: ergo illius corruptio est bona in aptitudine.

QVÆSTIO VI.

An locus ab vsibus ad vsitata, & è contrà, & an locus ab vno communiter accidentium ad aliud, & è contrà, teneant affirmatiuè, vel negatiuè.

D

PRO intelligentia tituli supponendum est primò, quòd *Vsus nil aliud est, quàm operatio, siue exercitium rei vsitatæ*; hoc est, est id, quo vtens vtitur re vsitata, vel aliquo instrumento, vt equitare, & Secare, quorum vnum est exercitium, & operatio equi, alterum verò Serræ, aut Securis. Qui vsus dupliciter sumi potest, primò specialiter, & limitatè pro operatione rei, qua agens principale, tantùm vtitur rebus sibi subordinatis, quemadmodùm est vsus rerum sensibilium per ordinem ad agens corporeum, cui tantùm per se subordinantur. Secundo verò modo generaliter, & latè pro quacunque operatione, ad quam res ipsa est ordinata, siue subordinetur, siue non subordinetur vtenti; quemadmodùm est vsus, e.g. rerum spiritualium, tam per ordinem ad agens spirituale, cui propriè, & per se tantùm subordinantur,

quàm

quàm per ordinem ad agens corporeum, cui per se, propriè non subordinantur; vt intelligere, & velle in homine, quæ sunt operationes intellectus, & voluntatis, ad quas prædictæ potentiæ sunt ordinatæ, tam per ordinem ad agens spirituale, cui propriè, & per se subordinantur; quàm per ordinem ad agens corporeum, cui propriè, & per se non subordinantur. Titulus autem quæstionis non debet intelligi de vsu illo limitato, & in specie, sed de vsu in genere, & latè sumpto, cùm loca dialectica, quantùm fieri potest, pluribus inseruire debeant.

Secundò supponendum est, quòd ea, quæ communiter alicui accidere solent, sunt in duplici differentia; nam alia sunt, quæ se inuicem non semper, & necessariò consequuntur; sed tantùm aliquando, & contingenter, vt sapiens, & Diues respectu hominis, cui non semper, sed aliquando accidunt: alia verò sunt, quæ se inuicem semper, & necessariò consequuntur, eò quòd inter se habent necessariam habitudinem, vt risibile, & flebile respectu hominis, cui accidunt; vel habere plumas, & non mingere respectu auium. Titulus igitur non est intelligendus de his, quæ communiter accidunt, quæ se inuicem consequuntur contingenter, cùm ab his potiùs sumatur locus sophisticus, vt videbitur suo loco; sed de his, quæ communiter accidunt, quæ necessariò se inuicem consequuntur. Quæ autem ita communiter accidunt, vt inter se habeant necessariam connexionem, adhuc in duplici differentia sunt: alia enim sunt, quæ se inuicem consequuntur conuertibiliter, vt in homine risibile, & flebile, & in quolibet hemisphærio Eclipsis, & interpositio terræ; alia verò quæ se inuicem consequuntur, sed non conuertibiliter, vt in homine delinquere, & pænitere, atque in auibus non mingere, & habere plumas. In vtroque autem sensu intelligendus est titulus quæstionis.

Notandum tamen est primò pro resolutione, quòd Vsus rei potest dupliciter considerari; vno modo per respectum ad vtentem; alio modo per respectum ad rem vsitatam, cuius dicitur vsus, vt secare e. g. qui est vsus serræ, potest comparari ad hominem, qui serra vtitur, & ad ipsam serram. Si consideretur primo modo, ab eo non sumitur locus ab vsibus, sed ad summum desumitur locus à causa finali vel efficiente; vnde per talem locum ab vsibus non sequitur, Equitare est bonum: ergo equitans est bonus; quamuis sequatur per locum à causa finali; supposito quòd equitare sit bonus finis intentus ab agente; vel per locum à causa efficienti, siue potiùs ab effectu ad efficiens, vt quando dicitur, Scissio est bona: ergo & scindens. Si autem consideretur secundo modo, optimè ab ipso potest sumi locus ab vsibus vt patet. Quare eodem ferè modo sumendus est talis locus ab vsibus, quo sumitur a causa finali, & efficiente, hoc est in ratione boni, & mali, cum tali tamen discrimine, quòd locus à causa finali, vel efficiente importat bonitatem finis, vel effectus, ad quæ respicit agens, vel vt ordinans media, vel vt sic; locus verò ab vsibus importat bonitatem ipsius vsus, ad quem ordinatur res vsitata.

Notandum secundò, quòd ad hoc vt rectè arguatur per locum à communiter accidentibus, quæ se inuicem consequuntur necessariò, sed non conuertibiliter; obseruandum est, quæ nam eorum habeant

A rationem prioris, & posterioris; quo inspecto, & considerato; si velimus concludere affirmatiuè, pro termino inferente debemus ponere id, quod posterius est, & pro termino illato, id quod est prius: e. g. inter hæc *pænitet*, & *peccauit*, cùm *pænitet* habeat rationem posterioris (pænitentia enim sequitur peccatum) *peccauit* autem prioris; assumere debemus pro termino inferente illud posterius, dicendo pænitet: ergo peccauit. Si autem velimus concludere negatiuè; pro termino inferente sumendũ est è contrà id, quod prius est, & pro termino illato, id quod est posterius, dicendo, Non peccauit: ergo nec pænitet; quia non est possibile aliquem pænitere, si non peccauit; sicut non est possibile aliquem gaudere, se non cecidisse in peccatum, si cecidit.

B Dicendum est ergo primò, quòd locus ab vsibus ad rem vsitatam, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quam negatiuè.

Probatur; quoniam si vsus est bonus, etiam vsitatum est bonum, & è contra: ergo locus ab vsibus ad vsitatum, & è contra, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; Quia omne ens est productum propter suam operationem, & vsum, & denominatur bonum, vel malum propter bonitatem, & malitiam sui operis; quia illa est bonitas, vel malitia sui finis in exercitio: ergo cuius vsus est bonus, vel malus, etiam ipsum vsitatum erit bonum, vel malum, & è contra. Quare ex præfato antecedenti sumuntur maximæ pro tali loco: valet enim, equitare est bonum: ergo & Equus. Furari non est bonum: ergo nec furtum, & è contrà. Equus est bonus: ergo C & equitare. Furtum non est bonum: ergo nec furari.

Dicendum est secundò, quòd locus ab vno, ex communiter accidentibus ad aliud, quorum vtrunque vicissim dicit necessariam, & conuertibilem habitudinem, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; nam posito vno communiter accidentium se conuertibiliter consequentium, ponitur, & reliquum propter conuertibilitatem eorum: sicut destructo vno destruitur & reliquum: ergo locus ab ipsis tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; quia eorum, quæ habent idem formaliter esse, vno posito, vel ablato, necesse est poni, vel auferri aliud: sed quæ necessariò, & conuertibiliter se respiciunt sunt huiusmodi: ergo vno posito, vel ablato, D ponitur vel aufertur & aliud; & talis est Maxima pro tali loco, cùm optimè sequatur, Hoc animal est risibile: ergo & flebile. Est flebile: ergo & risibile. Non est risibile: ergo nec flebile. Non est flebile: ergo nec risibile.

Dicendum est tertiò, quòd locus à posteriori ad prius communiter accidentium necessariò, sed non conuertibiliter se consequentium, tenet tantùm affirmatiuè. Locus verò è contrà, scilicet à priori ad posterius, tenet tantùm negatiuè.

Probatur; quoniam si communiter accidentium inter se non conuertibilium, posterius inest, necesse est, id quod prius est infuisse; si autem id quod prius est, non inest, quod posterius est non debet pariter inesse: ergo à posteriori ad prius tenet tantùm affirmatiuè; à priori verò ad posterius tenet tantùm negatiuè. Probatur antecedens; nam prædictorum accidentium posterius nequit esse absque priori, cùm ab eo pendeat;

prius verò optimè potest stare absque posteriori, cùm ab eo non pendeat; ergo posito posteriori debet poni prius, & destructo priori debet destrui posterius. Maximæ pro tali loco iam traditæ sunt in nostro antecedenti; vnde valet, Pęnitet: ergo peccauit. Non peccauit: ergo nec pęnitet. Non autem valet è contra. Peccauit: ergo pęnitet; neque similiter; non pęnitet: ergo non peccauit; cùm multi peccatores impęnitentes sint.

Obijcitur primò contra primam conclusionem. Tum quia non valet, Equitare est bonum: ergo Equus claudus, vel cæcus est bonus; ergo locus ab vsibus non tenet affirmatiuè. Tum etiam quia ex malo vsu Iurisperitiæ; aut Medicinæ, aut Eloquentiæ, quibus multi abutuntur ad aliorum perniciem, licebit concludere has artes esse perniciosas, quod non est dicendum; ergo locus prædictus non tenet negatiuè. Tum denique, quia licebit colligere ex malitia iniuriarum, odij, atque inimicitiarum, vsum eorundem, quem patienter sustinuerunt probi homines, esse malum, quod tamen est falsum: ergo locus ab vsitatis ad vsus saltem non tenet negatiuè.

Respondetur ad primam rationem in tantùm non valere, in quantùm non rectè arguitur, per eam: quoniam equitare in communi, non est vsus equi claudi, vel cæci; sed vsus equi in communi, ideò ibi non benè arguitur ab vsu ad vsitatum; vnde sic debemus argumentari, equitare equi claudi est bonum: ergo equus claudus est bonus; quare sicut consequens est falsum, ita & antecedens. Ad secundam verò rationem respõdetur non licere ita argumentari: quia talis locus tenet à malitia tantùm, & bonitate rei secundùm se, & ex sua natura; non autem à malitia, vel bonitate extrinseca, scilicet ipsiusmet vtentis, quemadmodùm accidit in illis, qui abutuntur talibus scientijs, & actibus. Ad tertiam tandem rationem similiter respondetur, malè argui à malitia rei secundùm se; & ex natura sua, ad bonum vsum, quem probi viri ex propria virtute colligunt, & ideò non tenet illa consequentia.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem. Tum quia non sequitur, Beatus Petrus nunc est risibilis: ergo & flebilis; cum in Patria non sit luctus, neque clamor, neque dolor, sicut scriptum est Apocalypsis 21. Tum etiam quia non sequitur, Puer non est natus: ergo nec conceptus, cùm multi statim post conceptionem intereant, & non nascantur; & tamen partus, & conceptus conuertibiliter se consequuntur. Tum denique quia non sequitur corpus est quantum: ergo est in loco; vt patet in Sacramento altaris, vbi corpus Christi est quantum, & tamen non est in Sacramento localiter; & nihilominùs esse quantum, & esse in loco conuertibiliter se consequuntur: ergo locus ab vno communiter accidentium ad aliud, inter quæ est conuertibilis consequentia, non semper tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Respondetur ad primam rationem, falsum esse, Beatum Petrum non esse in patria & risibilem, & flebilem saltem radicaliter, licèt actualiter non habeat dolorem, & tristitiam, vnde solet oriri luctus, & planctus, de quibus tantùm intelligenda sunt illa verba Apocalypsis. Ad secundam verò rationem respondetur aliud esse dicere, Puer non est natus absolutè; aliud, puer non est natus viuus; quia licet sit falsa illa A consequentia si intelligatur de natiuitate pueri viui, tamen vera est, & tenet, si intelligatur de natiuitate pueri absolutè, & vt sic; nam etiam nascitur, qui mortuus nascitur. Ad tertiam tandem rationem respondetur, quòd per accidens est, & miraculosè, quòd Corpus Christi domini sit quantùm, & non sit in loco; quare satis est, quòd talis argumentatio teneat, quando corpus quantum per se, & naturaliter petit locum, & non est impeditum.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem, probando locum à posteriori communiter accidentium ad prius non tenere semper affirmatiuè. Quoniam non sequitur, Deum pęnitet: ergo peccauit; nam antecedens est verum; cùm ipse dixerit, *Pænitet enim me fecisse eos*, Genesis 6., & consequens falsum. Deinde probando à priori communiter accidentium ad posterius B non tenere semper negatiuè. Quoniam similiter non sequitur, Sanctus Ioannes Baptista, e.g. non peccauit: ergo ipsum non pœnituit; cùm scriptum sit Marci 1. *Erat Ioannes vestitus pilis Cameli, & Zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel syluestre edebat*; quas vestes, & cibos adhibebant pęnitentes, & Anachoretæ.

Respondetur ad primam rationem, ideò non tenere, quia Deum non pęnituit propriè, sed tantùm similitudinariè, vel hyperbolicè, quasi & ipsum Deum pęnituisse, quem pęnitere non potest, quòd si Deum propriè pęniteret, vtique teneret illa consequentia; cùm pœnitentia propriè dicta tantùm sit de peccato proprio, vel alieno; vnde ad secundam rationem respondetur, quòd licèt Sanctus Ioannes Baptista non peccauerit peccato proprio, peccauit tamen peccato C alieno, scilicet primorum parentum, de quo valdè dolebat, sicut de peccatis populorum, de quibus, vel pro quibus fortasse pęnitentiam agebat; quapropter illa consequentia optimè tenet negatiuè, licèt alias falsa sit, sicut falsum est antecedens in sensu explicato.

DISP. QVADRAGESIMA OCTAVA.

D

De Locis Dialecticis extrinsecis absolutè sumptis.



ERfectiori exposito id, quod minoris perfectionis est, explicari solet, quare traditis, atque sedulò examinatis locis intrinsecis, vtpote perfectioribus, loca extrinseca modò assignanda, & declaranda sunt præcipuè cùm loca intrinseca, & extrinseca ex diametro opponantur; vnde videntur nullo alio interposito, subsequenter examinanda, cùm opposita iuxta se posita magis elucescant, ac de vno clarior habeatur cognitio propter cognitionem alterius.

QVÆSTIO I.

Vtrùm locus ab oppositis teneat affirmatiuè, vel negatiuè.



Ocus extrinsecus communiter à Dialecticis diuidi solet in locum ab oppositis, à maiori, à minori, à simili, à proportione, a transumptione, & ab auctoritate; quilibet enim eorum habet terminos verificabiles vnum de altero secundùm aliquem disconueniendi modum, seu, quod idem est; secundùm habitudinem negatiuam, aut priuatiuam termini inferentis ad illatum; cùm in eis terminus inferans semper respiciat terminum illatum sub priuatione, vel negatione alicuius prædicati, vt melius patebit discurrendo per singula; quæ est tota ratio loci extrinseci, vt dictum est supra disp. 46. q. 3. Quia verò præ cæteris, talis ratio maximè viget in loco ab oppositis, cùm in eo veriori modo, terminus inferens sit extra essentiam termini illati; ideò opere pretium duximus ab eodem disputationis sumere initium. Est igitur prædictus locus habitudo vnius oppositorum ad aliud; vnde habet diuidi secundùm diuisionem prædictarum oppositionum, scilicet in locum ab oppositis relatiuè, contrariè, priuatiuè, & contradictoriè, cuius sufficientiæ ratio iam superiùs fuit adducta disp. 18. q. 1. quæ cùm optimè præsenti diuisioni inseruire possit, ibidem consulenda est.

Supponendum tamen est primò, quòd relatiua in aliquo conueniunt, & in aliquo opponuntur: conueniunt enim, quia vterque terminus in eis est ad aliud; opponuntur verò; nam ad quem refertur vnus, non refertur alius, e.g. pater, & filius conueniunt in hoc quòd vterque est ad alium; opponuntur verò, quia pater refertur ad filium, Filius autem ad patrem. Ex vtraque verò ratione, scilicet tam conuenientiæ, quàm oppositionis sumuntur loca dialectica; nam à ratione conuenientiæ sumitur locus, qui dicitur à relatiuis, vt dum arguitur e. g. est pater: ergo filius, & è contrà. A ratione verò oppositionis sumitur locus, qui dicitur ab oppositis relatiuè, vt dum arguitur, e. g. Socrates est pater Platonis; ergo non est filius Platonis, licèt non è contrà, vt dicetur inferiùs. De primo loco, qui appellatur à relatiuis, hic non est sermo; nam cùm relatiua vt sic, ex dictis disp. 18. quæst. 2. nullam importent habitudinem negatiuam, aut priuatiuam termini inferentis ad illatum, quinimmò mutuò se ponat, & perimant, non poterit ab eis sumi locus extrinsecus, de quo duntaxat loquimur, sed ad summùm, locus intrinsecus, qui habet reduci ad locum descriptionis (quodlibet enim relatiuum est de definitione alterius, ut patet) qua de causa, tantùm erit sermo de secundo, qui dicitur locus a relatiuè oppositis, cùm habitudinem negatiuam, siue priuatiuam suorum terminorum ad inuicem uideatur importare.

Supponendum est secundò, quòd cùm contraria sint, quæ sub eodem genere maximè distant, duobus A modis inter se possunt maximè distare; vel scilicet nullum admittendo medium, vt sunt sanum, & ægrum, quæ licèt secundùm dispositiones antecedentes, vel operationes sequentes admittant medium, quod est neutrum; tamen secundùm quòd sanum formaliter dicit adæquationem humorum, & ægrum inadæquationem, inter se non admittunt medium, cum inter æquale, & inæquale non possit dari medium: vel aliqua admittendo media, vt sunt album, & nigrum, quæ admittunt colores medios, vt patet. De omnibus autem istis contrarijs, indifferenter procedit præsens quæstio.

Supponendum est teriò, quòd priuatio duplex est, perfecta scilicet, & imperfecta prima est quæ simul negat habitum, & principium habitus, vt cæcitas e. g. B circa oculum, quæ non tantùm negat habitum videndi, ad quem oculus habet aptitudinem, sed etiam principia ipsius habitus, cùm a tali priuatione ad ipsum habitum non detur naturaliter regressus. Secunda est, quæ vtique negat habitum, sed non principia ipsius habitus, vt quies e. g. & ignorantia circa mobile, & intellectum; nam estò quies neget motum, & ignorantia scientiam, ad quæ dicunt aptitudinem mobile, & intellectū; tamē non negant principia motus, & scientiæ, cùm a talibus priuationibus ad suos habitus possit dari naturaliter regressus, & de facto detur. Quæstio igitur proposita, non procedit de loco à priuatiuè oppositis, vna vel altera priuatione in specie, sed in genere, & in communi, quatenus scilicet priuatio importat negationem, vel carentiam ipsius habitus in subiecto habente aptitudinem ad ipsum, siue principia C ipsius habitus negentur, siuè non.

Supponendum est quartò, contradictionem duplicem esse (quod etiam proportione seruata affirmari potest de contrarietate) nam quædam est propositionum; de qua dictum est supra disp. 25. quædam verò terminorum de qua itidem dictum est supra disp. 18. Et de vtraque procedit præsens quæstio, cùm ex vtraque sumi possit locus dialecticus extrinsecus.

Supponendum denique est quintò, quòd præter istas oppositiones datur communiter alia oppositio, quæ vocari solet disparata, cùm sit inter diuersa entia, inter se ita differentia, vt vnum non sit aliud, de qua superiùs disp. 18. citata quæst. 1. supponendo 2. Et de ista quoque procedit præsens quæstio, cùm ab ea pariter sumi possit locus dialecticus extrinsecus.

D Notandum tamen est pro resolutione quæsiti, quòd adhoc vt rectè arguatur per prædicta loca ab oppositis infrascriptæ conditiones adamussim obseruandæ sunt; nam ad hoc vt rectè arguatur per locum ab oppositis relatiuè, debet procedi per verba secundi, & tertij adiacentis, dicendo Petrus est æqualis Paulo: ergo non est illi inæqualis. Est similis Francisco: ergo non est illis dissimilis, &c.; quare non sequitur per eumdem locum, duplum est: ergo & dimidium, sed tantùm per locum à definitione descriptiua, vt dictum est suprà; cùm non exprimatur etiam per verba tertij adiacentis talis argumentatio, licèt exprimatur per verba secundi. Ad hoc autem, vt rectè arguatur per locum ab oppositis contrariè, duæ conditiones requiruntur; prima, vt ponatur consistentia subiecti, defectu cuius non valet, Antichristus est sanus: ergo non est æger; vel Antichristus non est sanus: ergo est æger. Secunda vt arguatur respectu subiecti capacis; defectu

cuius

cuius non sequitur Lapis est sanus: ergo non est æger: vel lapis non est sanus: ergo est æger. Similiter ad hoc vt rectè arguatur, ab oppositis priuatiuè, vltra prædictas conditiones requiritur, vt priuatio afficiat subiectum tempore debito, & determinato à natura; defectu cuius non sequitur; Puer recenter natus non habet dentes: ergo est edentulus, &c. Insuper ad hoc vt rectè arguatur, ab oppositis contradictoriè obseruandum est, si talia opposita sint termini, vel propositiones; si sint termini, debet argui per ista verba, est, & non, vt est homo: ergo non est non homo. Si autem sint propositiones, debet argui per ista alia verba, scilicet verum, vel falsum; vt falsum est, Petrum legere; ergo verum est Petrum non legere, &c. Tandem ad hoc vt rectè arguatur ab oppositis disparatè cauendum est, quòd talia disparata non subijciantur in propositione; aliter non semper rectè arguitur, vt patet, si dicatur, Homo est animal: ergo asinus non est animal. Et etiam cauendum est, quod in accidentibus arguatur, tantùm in terminis abstractis, licèt in substantijs possit etiam argui in terminis concretis: vnde non valet, Lac est album; ergo non est dulce, &c.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à relatiuè oppositis tenet tantùm negatiuè. Probatur; nam posito vno relatiuè oppositorum in vno subiecto, ab eodem remouetur reliquum, licèt non è contrà: ergo locus ab ipsis tenet tantùm negatiuè. Probatur antecedens: quia relatiuè opposita nunquam permittunt se in eodem subiecto respectu eiusdem, & in quantùm opposita sunt: ergo posito vno in aliquo subiecto tollitur aliud, &c. Præfatum autem antecedens est illius maxima; vnde valet Socrates est pater Platonis: ergo non est filius eius; estò non sequatur, Socrates non est filius Platonis: ergo est pater eius; cùm possit dari casus, quòd non sit filius, neque pater.

Ne aliqua hæsitatione afficiatur legentis intellectus, an talis locus potiùs teneat affirmatiuè, quàm negatiuè, præcipuè cùm multi Dialectici hoc dixerint; breuiter dicendum est, quòd cùm argumentationes regulariter videantur accipere denominationem negatiui, & affirmatiui, à consequente, & non ab antecedente; licèt, ratione affirmationis antecedentis talis locus possit dici, & de facto ab aliquibus dicatur tenere affirmatiuè; tamen ratione consequentis, vt pars est, tenet tantùm negatiuè, in quo sensu intelligenda est nostra conclusio.

Dicendum est secundò, quòd locus ab oppositis contrariè contrarietate mediata, tenet tantùm negatiuè. Locus verò ab oppositis contrariè contrarietate immediata, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur prima pars; nam posito vno contrariorum contrarietate mediata in subiecto, statim remouetur alterum, licèt, è contrà, remoto vno non ponatur aliud: ergo locus ab ipsis tenet tantùm negatiuè. Probatur antecedens; nam de ratione prædictorum contrariorum est, vt per positionem mutuò se expellant, & per remotionem non mutuò se includant in eodem subiecto, cùm vno eorum perempto, possint etiam succedere multa media absque eo, quòd succedat alterum extremum: ergo posito vno contrariorũ remouetur aliud, remoto verò non ponitur aliud. Præfatum antecedens ponitur pro maxima istius loci;

A vnde sequitur, Est album: ergo non est nigrum; non verò sequitur; Non est nigrum: ergo est album.

Probatur secunda pars; nam posito, vel remoto in subiecto capaci, & existente vno contrariorum contrarietate immediata, remouetur, vel ponitur aliud; ergo locus ab ipsis tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens, nam de ratione prædictorum contrariorum est, vt per positionem mutuò se expellant, & per remotionem mutuò se includant in subiecto capaci, &c. cùm tale subiectum vnum ex illis semper habere debeat: ergo posito vno prædictorum contrariorum remouetur aliud; remoto verò ponitur aliud. Maxima istius loci est præfatum antecedens; ualet enim animal non est sanum: ergo est ægrotum: & è contrà. Animal est ægrotum: ergo non est sanum.

B Dicendum est tertiò, quòd locus à priuatiuè oppositis, siue priuatione perfecta, siue imperfecta, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; quoniam remoto habitu à subiecto apto nato, &c. ponitur priuatio illius in eodem, & è contrà: posito verò habitu remouetur priuatio illius, & è contrà: ergo locus ab ipsis tenet tã affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens: nam priuatiuè opposita, ita sunt in subiecto apto nato, & in tempore determinato; vt semper per vnum sit, altero non existente: ergo remoto habitu ponitur priuatio, & è contrà; & posito habitu, remouetur priuatio, & è contrà. Quare maxima istius loci erit probatum antecedens; valet enim, Petrus non videt: ergo est cæcus, & è contrà. Petrus videt: ergo non est cæcus, &

C è contrà. Aer non est lucidus: ergo tenebrosus: est lucidus: ergo non tenebrosus.

Dicendum est quartò, quòd locus à contradictoriè oppositis, siue talia contradictoria sint termini, siue propositiones, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; quoniam remoto, vel posito vno contradictorium in aliquo subiecto; necessariò ponitur, vel remouetur reliquum; & si vnum eorundem est falsum, aut verum, necessariò reliquum erit verum, aut falsum: ergo locus ab ipsis tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; nam contradictoriè opposita important ad inuicem mutuam negationem; & non possunt esse simul vera, & falsa; vt dictum est suprà disp. 18. quæst. 3. & 4., & disp. 25.

D quæst. 2. ergo remoto, vel posito vno contradictoriorum in aliquo subiecto ponitur, vel remouetur reliquum. Assignatur igitur pro maxima istius loci præfatum Antecedens; vnde valet, Socrates non est non homo: ergo est homo; & è contrà; sicut Socratem non viuere est falsum: ergo Socratem viuere est verum; & è contrà.

Dicendum est quintò, quòd locus à disparatis tenet tantùm negatiuè. Probatur; nam cuicunque conuenit vnum disparatorum, ab eodem remouetur reliquum; sed non è contrà: ergo locus ab ipsis tenet tantùm negatiuè. Probatur antecedens; quoniam disparata non possunt ad inuicem prædicari, neque exclusio vnius est inclusio alterius: ergo cui conuenit vnũ, ab eo debet remoueri reliquum, & non è contrà. Est igitur eius maxima præfatum antecedens: valet enim Socrates est homo: ergo non est equus; sed non valet;

So-

Socrates non est homo: ergo est equus; nam poterit esse aliquod aliud animal.

Objicitur primò in oppositum primæ conclusionis; Tum quia non sequitur, Socrates est pater hominis: ergo non est filius hominis; & tamen per hoc arguitur a relatiuè oppositis. Tum quia, è contrà optimè sequitur, Franciscus est sponsus Bertæ: ergo Berta est eius sponsa, quòd est argumentari affirmatiuè à relatiuè oppositis, cùm sponsus, & sponsa opponantur relatiuè.

Respondetur, quòd ibi verè, & propriè non arguitur per locum à relatiuè oppositis; quia in illa prima ratione, Socrates non dicitur pater, & filius in antecedente, & consequente respectu hominis accepti pro eodem supposito determinato, sicut necessariò conuenit relatiuè oppositis, cùm in ipsis semper fieri debeat comparatio respectu eiusdem. In secunda verò ratione fit argumentatio tantùm à relatiuis, non autem ab oppositis relatiuè; nam licèt sponsus, & sponsa, aliàs sint opposita relatiuè; tamen ibi non sumuntur vt opposita, sed tantùm vt relatiua sunt, quarè potiùs arguitur per locum intrinsecum à descriptione ad descriptū, vt prænotatum est suprà.

Dicet fortassè aliquis, quòd per tale exemplū sponsi, & sponsæ argutum fuit per verba secundi, & tertij adiacentis: ergo erit locus ab oppositis relatiuè, & non tantùm à relatiuis; cùm talis conditio ex notatis, indispensabiliter requiratur ad opposita relatiuè.

Respondetur, quòd licèt illa conditio indispensabiliter requiratur ad opposita relatiuè; tamen non sequitur, quòd vbi datur, indispensabiliter reperiatur talis oppositio; sicut licèt approximatio in probabilissima sententia multorum, indispensabiliter requiratur ad agendum, tamen ex hoc non sequitur quòd vbi datur approximatio, indispensabiliter actio debeat dari; vt patet in agentibus omnino similibus, hoc est tam secundùm qualitatem, quàm secundùm gradum eiusdem, inter quæ potest dari non solùm approximatio, sed etiam vnio, absque eo, quòd ad inuicem agant; vt dici solet in libris de generatione, &c.

Objicitur secundò contra secundam conclusionem, probando in primis, quòd locus ab oppositis contrariè contrarietate mediata non teneat tantum negatiuè. Tum quia posito scuto pro media parte albo, & pro media parte nigro, non sequitur, hoc scutum est album; ergo non est nigrum; quia simul est album, & nigrum: ergo locus à contrarijs contrarietate mediata non tenet tantùm negatiuè. Tum etiam quia supposito, quòd Socrates e. g. heri fuerit albus, & pridie niger, vtique non valet, Socrates fuit albus: ergo non fuit niger, & tamen arguitur ab oppositis contrariè contrarietate mediata: ergo prædictus locus non semper tenet negatiuè.

Deinde probando contra secundam partem conclusionis, locum à contrarijs contrarietate immediata non tenere tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Non affirmatiuè, quia non valet, Prodigalitas est vitium: ergo illiberalitas est virtus; & tamen prodigalitas, & illiberalitas; vitium, & virtus opponuntur inter se contrariè contrarietate immediata. Non verò negatiuè, quia non valet, Socrates est fortis: ergo non est audax, cùm audacia sit circa ardua, & difficilia, circa quæ est etiam fortitudo, cùm ex Tullio 2. Rhetoricorum sect. 37. nil aliud sit, quàm considerata periculorum susceptio, &c. & tamen fortitudo, & audacia inter se opponuntur contrariè contrarietate immediata, teste D. Tho. 2. 2. quæst. 123. art. 3. ergo locus, &c. non tenet negatiuè.

Respondetur & primò ad primam rationem contra primam partem conclusionis, quòd talis argumentatio tenet non absolutè, sed cæteris paribus, hoc est si arguatur à secundùm quid, ad secūdùm quid, dicendo. Scutū secundùm illā partē, qua est albū, secundùm eandem non est nigrum; licèt si arguatur a simpliciter, ad simpliciter, non teneat, quia tale scutum nec simpliciter est album, nec simpliciter est nigrum; sed tantùm simpliciter quoddam coloratum. Ad secundam verò rationem contra eandem primam partem conclusionis, dicendum est tale argumentum non tenere, quia per eum non arguitur à paritate temporum: nam ad hoc, quòd ab affirmatione vnius contrarij de aliquo subiecto, ad negationem alicuius de eodem subiecto teneat consequentia addenda est illa particula, scilicet in qualibet parte temporis præsentis, si sit copula præsentis; si præteriti præteriti, si futuri futuri, vt si dicatur, Socrates in qualibet parte temporis præteriti fuit albus: ergo non est niger.

Ad primam verò rationem contra secundam partem conclusionis respondetur, quòd talis argumentatio non tenet, quia quando arguitur à contrarijs ad contraria, oportet, quòd ambo extrema vnius contrarietatis non contineantur sub aliquo extremo alicuius contrarietatis, vt patet quando dicitur, & quidem optimè, Iustitia est virtus: ergo Iniustitia est vitium; nam licèt Iustitia contineatur sub virtute, non tamen continetur iniustitia, & licèt vice uersa iniustitia contineatur sub vitio, non tamen continetur sub virtute: cæterùm verò in adducta ratione prodigalitas, & illiberalitas continentur sub aliquo extremo vnius contrarietatis, scilicet sub vitio; hinc est, quòd non bene sequitur talis argumentatio, vt dictum est. Ad secundam tandem rationē contra eandem secundam partem conclusionis respondetur, quod illa consequentia optimè sequitur, quia fortitudo ex D. Tho. loco citato non solùm est coercitiua timoris, verùm etiam audaciæ moderatiua; vnde non potest esse cum ipsa audacia, cùm qua opponitur, vt dictum est; & licèt tam fortitudo, quàm audacia sint circa ardua, & difficilia, non tamen sunt eodem modo, sed ex diametro, diuerso; cùm fortitudo assumat pericula ex consideratione, audacia verò temerè, & inconsideratè; vnde aiebat Tullius 4. Rhetoricorum sect. 35. loquendo de audacia, *Non est ista fortitudo, sed temeritas, &c.*

Obiicitur tertiò contra tertiam conclusionem, & in primis probando prædictum locum non tenere affirmatiuè. Tum quia non sequitur, Dormiens est non videns: ergo est cæcus; nam post somnum potest aperire oculos, & videre. Tum quia neque sequitur, Isti duo non sunt videntes demonstrando simul cæcum, & videntem; ergo isti duo sunt cæci; nam antecedens est verum, cùm vnus eorum tantùm videat; consequentia verò falsa, cùm vnus eorum tantùm sit cæcus, & tamen arguitur à priuatiuè oppositis: ergo talis locus non tenet affirmatiuè. Neque tenet negatiuè, cùm non sequatur; Homo mouetur: ergo non quiescit; quia homo motus in naui, mouetur, & quiescit: Sicut non sequitur per hanc hypotheticam Socrates possibiliter

liter est videns; ergo Socrates non possibiliter est cæcus, & tamen arguitur ab oppositis priuatiuè: ergo, &c.

Respondetur & primò ad primam rationem, ideò non tenere quia verè, & propriè non arguitur ab oppositis priuatiuè, cùm dormiens non priuetur habitu videndi, quod requiritur ad priuatiuè opposita; sed tantùm actu. Ad secundam dicitur, quòd talis locus non tenet in numero plurali propter fallaciam à sensu composito ad sensum diuisum, quæ inde oriretur, nam pro viribus à Dialectico debet euitari, cùm ea præcipuè vtatur sophista. Ad tertiam verò dicitur, quòd optimè tenet consequentia, si tamen accipiatur in eodem sensu, quo accipitur antecedens, scilicet secundùm motum nauis; nam per se licèt homo in naui quiescat; per accidens tamen, hoc est per motum nauis quo mouetur, non quiescat. Ad quartam denique respondetur, quòd illa consequentia non tenet, quia in illius prædicato negatur modus tantùm, qui non est negandus; cùm prædicatum non modus debeat negari, sicut in antecedenti non modus, sed prædicatum affirmatur. Vnde debet concludi: ergo Socrates possibiliter non est cæcus.

Obijcitur quartò contra quartam conclusionem, & primò probando prædictum locum non tenere affirmatiuè. Tum quia in terminis contradictoriè oppositis non sequitur; Homo non est lignum album: ergo Homo est lignum non album. Sicut in propositionibus contradictoriè oppositis non sequitur, Pluuiam non esse cras, non est verum: ergo Pluuiam esse cras, est falsum; quia nullum illorum, scilicet cras pluet, & cras non pluet est verum, vel falsum, cùm sint contingentia. Deinde probando non tenere negatiuè, quia non sequitur in terminis contradictoriè oppositis, Homo est animal: ergo Homo non est animal; sicut pariter non sequitur in propositionibus contradictorijs, Adam fuisse iustum, est verum, cum fuerit creatus cum iustitia originali: ergo Adam non fuit iustus; cùm verum etiam sit Adam non fuisse iustum, cum peccauerit: ergo, &c.

Respondetur & primò ad primam rationem, quòd talis consequentia non sequitur, quia prædicatum illius non infinitatur totaliter, quemadmodùm deberet infinitari, ad hoc vt rectè concluderet, sed particulariter, siue partialiter; Quapropter si pro consequentia ponatur: ergo Homo est non lignum album, optimè concludet, vt patet. Ad secundam verò respondetur, quòd talis consequentia optimè sequitur, si tamen ponatur eodem modo esse falsam, sicut ponitur antecedens non esse verum, scilicet indeterminatè, & contingenter dicendo, Pluuiam non esse cras, non est indeterminatè, & contingenter verum: ergo pluuiam esse cras, est indeterminatè, & contingenter falsum. Ad tertiam verò rationem dicitur, quòd ibi non rectè arguitur à contradictoriè oppositis, cùm in tali oppositione, termini contradictorij debeant prædicari, & non subijci, quemadmodùm subijciuntur in adducto exemplo; nam Homo est, & Homo non est, subiecta sunt: quare ad hoc vt rectè arguatur debet infinitari vnum ex prædictis prædicatis, dicendo, Homo est animal: ergo Homo non est non animal; vel Homo non est non animal: ergo est animal.

Obijcitur tandem quintò contra quintam conclusionem; Tum quia non sequitur, Socrates est homo; ergo Socrates non est sciens. Tum etiam quia non sequitur, Homo est pater: ergo non est dominus, & tamen arguitur à disparatis, quia pater, & dominus sunt species relationis, etiam ab inuicem disparatæ: ergo prædictus locus à disparatis non tenet tantùm negatiuè.

Respondetur ad primam rationem, quòd ibi non tenet consequentia, quia non arguitur per concreta substantiæ, sed à concreto substantiæ ad concretum accidentis, quòd ex notatis non est admittendum in prædicto loco à disparatis. Ad secundam verò rationem respondetur; quòd ibi verè, & propriè non arguitur à disparatis; nam licèt Pater, & dominus in abstracto, hoc est prout non applicantur alicui subiecto sint species disparatæ relationis; tamen in concreto, seu, vt applicata subiecto, & fundamento non sunt species disparatæ, quia tali modo non semper ab inuicem separantur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm loci à Maiori, Minori, similitudine, & Proportione, teneant affirmatiuè, vel negatiuè.

CVM loca ista aliqualem etiam videantur importare relationem, quæcumque illa sit; (Maius enim refertur ad minus, simile ad id cui est simile, & proportionatum ad id, cum quo proportionem habet, & è contrà) illorum consideratio, non tam spectare poterit ad præsentem quæstionem, quàm ad præcedentem, in qua ex professo loca ab oppositis relatiuè expedauimus. At quia hic considerantur secundùm se, minimè verò vt ad inuicem referuntur; hinc est, quòd partiuntur, & secundùm vnam considerationem superiori quæsito commendantur, secundùm aliam verò in præsenti explicabuntur.

Supponendum tamen est primò, loca à maiori ad minus, et à minori ad maius in duplici sensu sumi posse; nimirum vel quatenus id quod maius, vel minus est, simpliciter habet maiorem, vel minorem vim, seu virtutem ad operandum, vt Vir, & puer, Rex, & Comes, &c. Vel quatenus, id quod maius, vel minus est ratione veræ, & propriæ locutionis habet maiorem vel minorem apparentiam, & probabilitatem essendi, & conueniendi alicui subiecto; vt faciliùs est superare decem, quàm mille; faciliùs est expugnare vnam Ciuitatem, quàm Regnum: nam expugnatio, & victoria decem virorum, & vnius Ciuitatis probabiliùs, & faciliùs videtur conuenire Imperatoribus exercituum, quàm expugnatio, & victoria millenorum militum, & totius Regni. Talia ergo loca non sumuntur in primo sensu, quoniam non est hic disputandum de intensione, & remissione qualitatum secundùm se; sed tantùm per ordinem ad verificationem, & probabilitatem locutionis.

Supponendum secundò, quòd similitudo dupliciter capi potest, primò strictè, & in rigore pro sola scilicet conuenientia alicuius rei cum alia re in qualitate, (simi-

(similitudo enim est rerum differentium eadem qualitas) vt e.g. duo alba, &c. Secundò verò largè, scilicet pro tali apparentia, & probabilitate verificationis alicuius prædicati de aliquo subiecto, siue talis probabilitas, & apparentia oriatur ex conuenientia similium in qualitate, aut in aliquo prædicato essentiali; vt dum dicitur, sicut Albedo est in lacte, ita est & in pariete: sed in lacte disgregat visum: ergo & in pariete. Vel sicut animal est in homine, ita & in Leone: sed in homine est genus: ergo & in Leone. Vnde loca à simili non sunt sumenda tantùm à similitudine strictè, & in rigore accepta (non enim essent loca generalia, & communia ad omnem similitudinem, per quam probabiliter verificari possunt prædicata de subiectis, quod est scopus artis topicæ) sed etiam à similitudine largè considerata, cùm etiam ab ipsa, vel per ipsam optimè, quinimmo probabiliùs possint verificari prædicata de subiectis.

Supponendum denique est tertiò, quòd licèt proportio indifferenter ab aliquibus, tam pro se ipsa, quàm pro proportionalitate, seu proportionum proportione sumatur; tamen vt rectè animaduersum est suprà in Appendice ad quæstionem secundam disputationis nonæ; aliqua inter ipsas intercedit haud parua differentia: nam proportio est habitudo vnius quantitatis ad aliam existentis eiusdem generis, vt habitudo lineæ ad lineam, superficiei ad superficiem, numeri ad numerum, &c. vnde consultò dicitur, *Existentis eiusdem generis*; nam quantitates diuersorum generum non proportionantur ad inuicem, vt linea, & numerus. Proportionalitas verò est habitudo, siue similitudo vnius proportionis ad aliam, quæ debet versari inter quatuor terminos; vt sicut se habet Nauta ad Nauem, ita Gubernator ad Rempublicam, &c. Quare cùm locus à proportione sit apud omnes, argumentatio, quæ versatur inter proportionem; non vtcunque, sed proportionem proportionum; proprio vocabulo debet appellari locus a proportionabilitate, licèt communiter dicatur locus a proportione.

Notandum est ergo primò, quòd ad hoc vt per ista loca rectè arguatur debent hæc pauca obseruari: Nã ad hoc vt rectè arguatur per locum à maiori ad minus, & è contrà, debet comparari, vel vnum prædicatum duobus subiectis, vt Rex non potest debellare castrum: ergo nec miles; aut miles potest debellare castrum: ergo & Rex: vel duo prędicata vni subiecto; vt Rex non potest debellare Castrum: ergo nec Prouinciam; vel Rex potest debellare Castrum: ergo & Prouinciam: vel denique plura prædicata pluribus subiectis; vt Rex non potest debellare Castrum: ergo nec miles totam prouinciam; aut miles potest debellare prouinciam: ergo Rex poterit debellare castrum. Ad hoc verò vt rectè arguatur per locum à simili, debet similiter comparari, vel vnum prædicatum pluribus subiectis; vt sicut Socrati inest risibilitas, ita & Platoni: sed Socrati inest vt proprietas: ergo & Platoni; vel duo prædicata vni subiecto, vt sicut homini inest risibile, ita & flebile: sed risibile inest vt proprium: ergo & flebile; vel tandem duo prædicata duobus subiectis, vt sicut risibile inest homini, ita hinnibile inest equo: sed risibile inest homini, vt proprium: ergo & hinnibile equo. Denique tunc rectè arguitur per locum à proportione proportionum, quando arguitur tantùm quoad illa, in quibus est proportio; A quod pariter obseruandum est etiam in loco à simili; per quem tantùm argui debet quoad illa, in quibus est similitudo. Defectu cuius conditionis non valet, sicut se habet Nauta ad nauem regendã, ita doctor ad scholas; sed nauta ad regendam nauem indiget remis: ergo etiam doctor ad regendam scholam. Sicut non valet per locum à simili, Sicut oculus est in corpore, ita intellectus in anima; sed oculus est in corpore vt pars integralis: ergo eodem modo intellectus in anima; quoniam intellectus est tantùm pars potentialis, non autẽ integralis animæ.

Notandum secundò, quòd ad prædictum locũ proportionum à proportione, reducitur alius locus, qui dicitur à transmutata, vel commutata proportione, qui tunc fit; quando commutantur proportiones, quas B habebant inter se quatuor illi termini circa quos versabatur locus prędictus à proportione proportionum, ita vt primus, qui comparabatur cum secundo, comparetur cum tertio; & secundus, qui comparabatur cum primò comparetur cum quarto; e. g. si priùs dicebatur, sicut se habent duo ad quatuor, ita tria ad sex; modò dicatur, sicut se habet 2. quod est primus terminus ad tria, quod est tertius terminus; ita 4. quod est 2. terminus ad 6. quod est quartus terminus: Sed 2. ad 3. est proportio sesquialtera, quia includit 2. & medietatem ipsius: ergo, & 4. ad 6. erit proportio pariter sesquialtera propter eandem rationem. At verò, vt rectè quoque arguatur per talem locum; regulariter, & propriè tantùm debet applicari ad proportiones quantitatis continuæ, vel discretæ; seu tam magnitudinum, quàm numerorum. Quòd si aliquan- C do contingat, vt applicetur cæteris proportionibus, duæ conditiones obseruandæ sunt ad hoc vt rectè concludat. Prima, quòd fiat in terminis conuertibilibus, & contradictorijs. Secunda, vt vnus terminus non sit superior, alius verò inferior; vt si dicatur; sicut se habet homo ad non hominem, ita rationale ad non rationale: ergo sicut se habet homo ad rationale, ita non homo ad non rationale: sed Bucephalus est non homo: ergo est non rationalis; quoniam non homo, & non rationale æqualia, conuertibilia, atque contradictoria sunt, vt de se patet. Quare defectu istarum conditionum non valet, sicut se habet superficies ad hanc superficiem, ita color ad hunc colorem: ergo per commutationem sicut se habet superficies ad colorem, ita hæc superficies ad hunc colorem: sed superficies D nequit esse sine colore: ergo neque hæc superficies sine hoc colore: non enim valet, quia termini non contradicunt, sed positiui sunt, vt patet; Similiter non valet, sicut se habet homo ad non hominem ita animal ad non animal: ergo per commutationem sicut se habet homo ad animal, ita non homo ad non animal: sed quod est homo, est necessariò animal: ergo quod est non homo, est necessariò non animal, non quidem valet; quia licèt termini contradicant, se habent tamen, vt superius, & inferius; vnde in hoc casu non debet comparari secundus terminus cum quarto; sed tantùm quartus cum secundo; quia ab inferiori ad superius non valet consequentia negatiuè, sed tantùm è contrà, scilicet à superiori ad inferius.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à maiori ad minus, tenet tantùm negatiuè. Locus verò à minori ad maius, tenet tantùm affirmatiuè.

Probatur prima pars. Nam si id, quod magis vi-

detur inesse non inest, neque quod minùs videtur inesse inerit: ergo locus ab ipso tenet tantùm negatiuè. Antecedens probatur; quoniam si id, quod apparentiùs, & probabiliùs conuenire solet perfectiori, eidem non conuenit, multò minùs conuenire potest imperfectiori; sed id quod magis videtur inesse, est quod probabilius, & euidentiùs perfectiori conuenire solet; ergo si id, quod magis videtur inesse non inest, neque quod minùs videtur inesse, inerit. Quare Maxima istius loci erit præfatum antecedens; valet enim, homo adultus nequit ferre decem, neque paruulus poterit ferre centum.

Probatur secunda pars; Nam si quod minùs videtur inesse, inest; etiam quod magis videtur inesse inerit; ergo locus ab ipso tenet tantùm affirmatiuè. Probatur antecedens. Quoniam si cui non videtur tam probabiliter aliquid conuenire, idem conuenit; multò magis conueniet ei, cui probabilius videtur conuenire; sed quod minùs videtur inesse, est quod non tam probabiliter alicui conuenire solet; ergo si inest, cui minus videtur inesse, multò magis inerit cui magis videtur inesse. Quare Maxima istius loci erit præfatum antecedens; vnde valet Si miles potest Ciuitatem debellare: ergo multò magis Rex.

Dicendum est secundò, quòd locus à simili tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur, quoniam de similibus idem est iudicium: ergo locus à simili tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens: nã quidquid conuenit, vel non conuenit vni similium in quantùm est simile etiam conuenit, vel non conuenit alteri: aliàs enim non similia, sed dissimilia essent; ergo de similibus idem est iudicium. Quare maxima istius loci erit præfatum antecedens; valet enim, sicut animal inest homini similiter inest Equo; sed inest homini vt genus: ergo etiam equo. Item valet; sicut hinnibilitas non inest Socrati, ita nec Platoni: sed Socrati non inest etiam per intellectum: ergo nec Platoni.

Dicendum est tertiò, quòd locus à proportione proportionum, tenet similiter tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; quoniam de proportionabilibus item, idem est iudicium: ergo locus ab ipsis tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens: Nam quidquid conuenit, vel non conuenit vni ex proportionabilibus, etiam conuenit, vel non conuenit secundùm eãdem proportionabilitatem alteri: ergo de ipsis idem erit iudicium. Quare Maxima istius loci erit prædictum antecedens, modò probatum: vnde valet, Sicut se habent 4. ad 2. ita 6. ad 3.; sed 4. sunt dupla duorũ: ergo 6. erunt dupla trium. Item etiam valet negatiuè, vt sicut se habent 2. ad 3. ita 4. ad 6. sed. 2. non sunt dupla trium: ergo nec 4. erunt dupla 6.

Si autem quis dicat, huiusmodi loca, scilicet à simili, & à proportione non admittere aliquid, ratione cuius differant inter se: vnde malè à nobis esse assignata vt distincta.

Respondetur breuiter ex Tatareto tract. 5. in Petrum hispanum, quòd locus à proportione, se habet ad locum à simili, sicut inferius ad suum superius. Vnde omnis locus à proportione, est locus à simili; sicut omnis homo est animal; nõ tamen omnis locus à simili est locus à proportione; sicut non omne animal est homo. Patet ergo quomodò sint, & non sint duo loca inter se distincta.

A Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, probando contra primam partem illius, locum à maiori ad minus, non tenere tantùm negatiuè. Quoniam non sequitur, Deus non potest peccare: ergo nec homo potest peccare. Vel Rex nequit portare pondus centum librarum; ergo nec Miles; & tamen per vtranque rationem arguitur à maiori ad minus negatiuè. Deinde probando contra secundam partem conclusionis, locum à minori ad maius, non tenere affirmatiuè. Quoniam non sequitur Socrates potest portare decem libras: ergo potest portare centum; vel potest trahere paruam nauem; ergo, & magnam; & tamen vtrobique arguitur à minori ad maius affirmatiuè.

B Respondetur, quòd per nullam prædictarum rationum verè arguitur per locum à maiori ad minus: & è contrà; nam licèt Deus, & Rex excedant, ille homines, iste milites quantùm ad virtutem operandi; non tamen excedunt quantùm ad conuenientiam, & habitudinem cum illo extremo locutionis probabiliter verificandæ, quod est peccare respectu, Dei, & portare pondus centum librarum, respectu Regis; nam peccare non magis videtur inesse Deo, qui est impeccabilis, quam hominibus qui peccare possunt, sicut portare pondus centũ librarum non magis videtur inesse, & conuenire Regi, qui ad pondera ferenda aptus non est, quàm militibus, qui graui exercitio armorum, quotidiè laborant. Item ex alia parte; quod minùs videtur inesse, & minorem habet apparentiam veritatis, quemadmodùm est portare centum, vel trahere

C magnam nauem respectu Socratis non est id à quo arguitur, sed ad quod perducitur argumentum: nam licèt secundùm rationem ponderis, maiùs sit, quàm portare decem, & trahere paruam nauem; attamen ratione verificandæ locutionis minùs est, cùm minorem respectu virtutis socratis, afferat veritatem. Quod si res è contrà se haberet, etiam illud exemplum adductum in primo notando, quando scilicet dicebamus per locum à minori ad maius, Rex potest debellare Castrum; ergo, Prouinciam, non esset pro nobis; sed omnino contra nos; nam quod potest minùs, non potest magis, vt patet: At quia debellare Castrum habet maiorem veritatem, quàm debellare Prouinciam respectu Regis, qui supponitur non solùm habere vires sufficientes ad expugnandum Castrum, sed etiam

D Prouinciam; hinc est, quòd tenet illa consequentia; nam aliter non teneret propter rationem adductam.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, probando in primis locum à simili non tenere affirmatiuè; quoniam non sequitur, sicut se habet negatiua ad negatiuam, ita affirmatiua ad affirmatiuam; sed per conuersionem simplicem vniuersalis negatiua infert vniuersalem negatiuam; cum vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua possint conuerti simpliciter iuxta illud, *Simpliciter feci, &c.* ergo, & vniuersalis affirmatiua infert per eandem conuersionem vniuersalem affirmatiuam; quod tamen est falsum; cùm vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua non conuertantur simpliciter, sed per transpositionem, iuxtà illud, *Asto per contra, &c.* Deinde probando non tenere negatiuè; quoniam non sequitur, sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum: sed aqua non extinguit ignem charitate; ergo nec eleemosyna,

cùm

cùm tamen sit falsum: Eleemosyna enim est actus charitatis.

Respondetur, vtranque rationem non valere, quia per eas non arguitur ab eo secundum quod propo sitio negatiua, & affirmatiua vniuersalis; aqua, & eleemosyna similia sunt; sed ab eo secundùm quod dissimilia, & contraria sunt, nempe secundùm conuersionem, cùm alio modo conuertatur vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua; illa enim conuertitur siue simpliciter, siue per accidens; ista verò, siue per accidens, siue per contrapositionem; vnde valeret, si diceretur, sed vniuersalis negatiua conuertitur per accidens: ergo & vniuersalis affirmatiua. Sicut non rectè etiam arguitur respectu eleemosynæ, & aquæ, ab eo in quo conueniunt, & similia sunt, nimirum ab expulsione, & extinctione contrarij; sed ab eo per quod dissimilia sunt; scilicet ab ardore charitatis, & frigiditate qualitatis.

Obijcitur tandem tertiò contra tertiam conclusionem, & primò contra primam partem, probando non tenere affirmatiuè; quoniam non sequitur, Sicut se habet illa propositio Nullus homo est animal, ad istam, Nullum animal est homo; sic se habet illa, aliquod animal non est homo ad istam, aliquis homo non est animal: sed prima infert secundam per conuersionem: ergo tertia infert quartã pariter per conuersionẽ, quod vtique falsum est, cùm tales propositiones non dicantur ad conuertentiam. Item probando contra secundam partem non tenere negatiuè; quoniam non sequitur, sicut se habet color ad visum, ita sonus ad auditum; sed color non percipitur à visu in tenebris: ergo nec sonus ab auditu in tenebris percipietur, quod tamẽ est falsum: ergo, &c.

Respondetur, quòd per prædictas rationes non rectè arguitur ab eo in quo tam illæ propositiones, quàm illæ duæ potentiæ proportionantur, sed ab eo, in quo nullam habent proportionem, & conuenientiam, nempe à conuerti, & non conuerti; & ab attingentia obiecti in luce, vel in tenebris. Vnde mirum non est, quòd non sequantur.

QVÆSTIO III.

An Loci à transumptione, & auctoritate teneant affirmatiuè, vel negatiuè.

PRO intelligentia tituli primò supponere debemus quòd Transumptio, siue Expositio, seu Translatio (idem enim hæc nomina videntur significare) dupliciter accipi potest; primò pro aliquo nomine apto ad significandam alterius nominis significationem ratione alicuius similitudinis, & analogiæ in ipsis repertę, quæ etiam alio vocabulo Metaphora dici solet, vt cùm risus tribuitur florere camporum, vel pratorum, &c. Secundò verò pro voce, seu nomine magis noto, declaratino, & explicatiuo alterius nominis minùs noti; vt si quis pro Philosopho e. g. vteretur sapientis nomine, quod apud latinos notius est, quàm Philosophus, quod est nomen græcum; De transumptione

A in primo sensu, non est hic sermo, cùm ab ea non solùm locus dialecticus, sed sophisticus ad fallaciam æquiuocationis spectans, tantummodò accipiatur. Quare duntaxat erit sermo de ipsa in secundo sensu; in quo adhuc dupliciter considerari potest, nempe vel ex parte rei significatæ e. g. sapientiæ, quæ per vtrunque nomen, scilicet sapientis, & Philosophi æquè significatur: vel ex parte modi non quidem essendi, cùm se teneat ex parte rei significatæ; sed significandi cùm se teneant ex parte nominis significantis magis, vel minùs noti, vt magis, vel minùs nota sunt. Si consideretur transumptio præcisè primo modo, cùm in ea, nomen magis notum, & nomen minùs notum idem realiter, & essentialiter significent, & secundùm talem identitatem, licèt non secundùm se, conuertibilem, & B positiuam habitudinem importent, spectabit ad locum intrinsecum Interpretationis, seu ab interpretatione, vt dictum est suprà disp. 47. quæst. 2. Si autem consideretur secundo modo, cùm in ea sumatur probabilitas ex parte nominis magis noti, vt magis notum est (connotando tamen semper identitatem rei significatæ) & terminus inferens negatiuam, vel priuatiuam habitudinem importent ad terminum illatum, spectabit ad locum extrinsecum de quo in præsenti est præcipua difficultas, an scilicet affirmatiuè, vel negatiuè teneat.

Supponendum secundò quod cùm *Auctoritas sit iudicium siue dictum sapientis in sua scientia experti, &c.* vnde locus ab auctoritate, à Boetio ex Themistio, locus ex rei iudicio appellatur) duobus modis sumi potest; vel pro excellentia scientiæ; aut cognitionis sapientis: vel C pro excellentia apparentiæ veritatis, quam sumit propositio per hoc quòd dicitur, vel iudicatur esse vera à sapiente experto in tali scientia. Primo modo, cùm præscindat ab eo, quòd sit prolata ab illo, vel isto sapiente, sed tantùm importet doctrinam, & cognitionem in recto, dictum verò sapientis, & scientis in obliquo, non poterit ab ea sumi locus præcisè ab auctoritate, sed tantùm à ratione, quicunque locus ille præter locum ab auctoritate sit; secundo verò modo, cùm importet sapientis, & scientis dictum in recto, doctrinam in obliquo, ex eo scilicet quod ex tali dicto accidit doctrinæ seu propositioni prolatæ, quædam quasi euidentia veritatis, ratione cuius magis creditur, quàm si non essent prolata à tali sapiente; optimè ab ea sumetur locus dialecticus, qui ab auctoritate dicetur, D de quo modò quærimus an teneat affirmatiuè, vel negatiuè.

Circa partem primam quæsiti, omnes Dialectici conueniunt dicendo, quòd Locus à Transumptione tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè; vnde solùm circa secundam partem est aliqua dissensio illos, & præcipuè inter antiquos, & Neotericos.

Vnde prima sententia docet. Locum ab auctoritate tantùm tenere affirmatiuè. Ita Petrus hispanus tract. 5. summularum, vbi Versorius, & Tataretus, atque alij ex antiquis.

Secunda verò sententia docet tenere tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Ita Petrus à Fonseca lib. 7. Instit. cap. 53. Iulius Pacius lib. 2. topicorum cap. 2. n. 5. Mastr. & Bell. tract. 2. instit. cap. 4. atque alij ex recentioribus.

Notandum tamen est, quòd ad hoc vt rectè procedatur per talia loca, hæc obseruanda sunt, nimirum

ad hoc vt rectè procedatur per locum à transumptione, vel debet subijci nomen magis notum affirmatiuè; vt sapiens currit: ergo Philosophus currit: vel debet prædicari similiter affirmatiuè; vt Philosophus currit: ergo sapiens currit: vel debet subijci negatiuè, vt sapiens non currit: ergo Philosophus non currit: vel tandem debet prædicari similiter negatiuè, vt Philosophus non currit: ergo sapiens non currit. Ad hoc autem vt rectè procedatur per locũ topicum ab auctoritate siue diuina, siue humana (dummodò tamen ex ipsa deducatur mediũ probabile modo superiùs dicto disp. 46. quæst. 1. ad tertium) hæc obseruanda sunt, nimirum vt in vsu verborum sequatur vulgi consuetudinem; in ferenda verò sententia de rebus, sapientum judicium; iuxta illud, loquendum vt plures, sapiendum ut pauci, e. g. Ea quæ bonam ualetudinem efficiunt, salubria uocanda sunt, ut uulgò appellantur; an uerò proposita res sit efficiens bonæ ualetudinis, nec ne; id non ex uulgi sententia, sed ex Medicorum iudicio, æstimandum est. Aliud uerò, quod obseruari debet est, ut Auctoritas, vel immediatè interponatur ad probandam conclusionem, vel mediante aliqua ratione, siue argumento alterius loci, ipsa tamen auctoritate confirmato; e. g. huiusmodi conclusio, nempe Cælum non constat materia, duobus modis potest auctoritate Philosophi probari, altero si dicatur, Aristotelem 9. Metaphys: text. 17. & alibi id asseruisse; altero verò; quia materia definitur ab eodem Philosopho 1 Physic. text. 9. subiectum ex quo aliquid fit, & in quod tandem resoluitur, quod Cælo nequit conuenire, cùm incorruptibile sit.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à Transumptione tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; nam quòd conuenit, vel non conuenit alicui sub nomine magis noto; idem conuenit, vel non conuenit etiam sub nomine minùs noto: ergo locus à transumptione, qui est habitudo vnius nominis magis noti ad aliud nomen minùs notum, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens; quoniam nomen magis notum, & nomen minùs notum in transumptione, dicunt idem realiter, & conuertibiliter, saltem ex parte rei significatæ, vt dictum est suprà; ergo cui conuenit, vel non conuenit alcui sub nomine magis noto, eidem conuenit sub nomine minùs noto. Quare maxima istius loci erit præfatum antecedens; valet enim Sapiens currit; ergo Philosophus currit, & è contrà, vt notatum est.

Dicendum est secundò, quòd locus ab auctoritate similiter tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; nam cuilibet experto in sua scientia credendum est; sed expertus in sua scientia aliquando affirmat, aliquando negat rem ita esse; ergo locus ab auctoritate; qui est habitudo ipsius auctoritatis ad propositionem cui conuenit auctoritas, siue affirmatiua, siue negatiua sit, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Minor de se patet; Maior verò probatur; quoniam si sapiens dicat aliquam propositionem in quantùm sapiens, & expertus in sua scientia est, tunc oportet talem propositionem esse veram; siue affirmatiua, siue negatiua fuerit; nam si diceret aliquam propositionem falsam, in hoc non esset sapiens, & expertus: ergo cuilibet in sua scientia credendum est. Quare maxima istius loci est præfata maior propositio, vnde valet Astronomus dicit, Solem esse maiorem

A tota terra; ergo Sol est maior tota terra.

Respondet tali rationi, ex eà parte, qua probatur locum ab auctoritate tenere etiam negatiuè; Versorius Parisiensis loco suprà citato, quòd quando expertus in aliqua scientia dicit propositionem negatiuam; locum tamen a tali auctoritate videtur tenere affirmatiuè. Et ratio est, quia illud verbum *Dicit* importat ibi auctoritatem, non autem negat eam, cùm ipsum non negetur; oportet enim ad hoc vt negetur auctoritas, quòd ipsum verbum *dicit* pariter negetur.

Contra tamen est, quòd locus ab auctoritate tenens negatiuè non debet esse ab auctoritate negata, cùm non ampliùs extaret auctoritas; sed ab auctoritate negatiua: sicut locus à toto in quantitate e. g. tenens negatiuè, non debet esse à toto in quantitate negato, & destructo, sed à toto negatiuo, vt dictum est suprà disp.
B 47. q. 3. ad tertium: ergo si aliquid afferret talis responsio, non solùm esset in tali casu, locum ab auctoritate non tenere negatiuè, verùm etiam verè, & propriè non esse locum ab auctoritate.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis, Tum quia non sequitur, Homo est animal: ergo humanitas est animal, & tamen arguitur ibi à transumptione, cùm homo, & humanitas, idem prorsus significent, & Homo est nomen magis notum, quam humanitas: ergo prædictus locus non tenet affirmatiuè. Tum quia non sequitur, *Sapiens non odit mandata, & iustitias*, Ecclesiast. 33. ergo nec Philosophus, cùm Philosophi ita diuina oderint præcepta, atque iustitiam, vt de ipsis testatus sit D. August. lib. de vera religione, nullam habere religionem dicendo, *Non est reli-*
C *gio à Philosophis quærenda*, quæ secundùm Diuum Iacobum cap. 1. suæ catholicæ: vere, & propriè consistit in obseruantia mandatorum Dei; ergo prædictus locus non tenet negatiuè.

Respondetur, vtranque illam rationem non tenere, quia verè, & propriè ibi non arguitur per locum à transumptione, in qua vtrunque nomen debet non solùm habere idem significatum, sed etiam secundùm idem esse, siue secundùm eundem modum essendi: Humanitas enim, & Homo licèt significent eandem essentiam, eam tamen non significant secundùm eundem modum essendi, cùm humanitas eam importet abstractiuè, & non per ordinem ad supposita; Homo verò concretiuè, & per ordinem ad supposita. Sicut Sapiens, & Philosophus, licèt ibi significent eandem
D rem, scilicet sapientiam, non tamen secundùm eundem modum essendi; cùm sapiens eam significet prout à Deo; Philosophus verò prout ab hominibus.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem. Tum quia non sequitur, Philosophus dicit 2. de cælo cap. 14. text. 96. Mundum esse æternum, & nunquam incæpisse: ergo Mundus nunquam incæpit; cùm sit contra illud Genesis 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*: ergo locus ab auctoritate non tenet affirmatiuè. Tum etiam quia non sequitur Aristoteles expressè non dixit animam rationalem esse immortalem: ergo anima rationalis non est immortalis: ergo locus ab auctoritate non tenet negatiuè.

Respondetur, vtranque illam rationem non tenere; quia ibi verè, & propriè non arguitur per locum ab auctoritate; nam auctoritas illa debet esse, non solùm alicuius sapientis, quatenus in ea facultate in qua profert sententiam expertus est; verùm etiam expressè as-

affirmatiua, vel negatiua. Cum ergo Mundum esse æternum non fuerit dictum ab Aristotele, vt experto in facultate theologica, in qua agitur de creatione; & animam rationalem similiter esse immortalem, vel mortalem ab eodem nō sit assertum expressè; hinc est, quòd ibi verè, & propriè non arguitur ab auctoritate, sed vel à dicto alicuius inexperti, aut ad summum ab auctoritate negata, à qua non potest sumi talis locus, vt dictum est supra.

DISPVT. QVADRAGESIMANONA.

De locis dialecticis medijs absolutè sumptis.

EXtremis iuxta se positis, cùm opposita sint, expositis, atque examinatis, tandem eorundem media exponenda, & examinanda videntur; cùm igitur de locis intrinsecis, & extrinsecis, quæ inter se opposita sunt, hucusque actum sit; modò debemus agere de locis medijs, quæ cùm ex dictis pro eorum extremis, de quibus participant, haud parum innotuerint (medium enim per cognitionem suorum extremorum maximè illustratur) non videtur circa ea valdè esse immorandum; sed breuitate possibili, quidquid dubij est duntaxat resoluendum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm loci à coniugatis, & à casibus teneant affirmatiuè, vel negatiuè.

LOcus medius communiter uidi solet in locum a coniugatis, a casibus, & à diuisione; quoniam terminus illatus, conuenit in re significata, & differt in modo significandi, cum termino inferente, in quo consistit tota ratio loci medij; vel quia aliquo modo deriuatur ab eo; vel quia simul cum illo contrahit, & diuidit rem contractam, & significatam per ipsos: aliter enim non videtur conuenientiùs, & propriùs, posse tantùm differre quoad modum significandi ipsam rem. Si differt à termino inferente hoc secundo modo; et sic constituitur locus à diuisione: Si autem differt ab eo primo modo; & hoc dupliciter accidere potest; vel quatenus ab inferente deriuatur immediatè; vel quatenus mediante ipso simul cum eo ab aliquo tertio deriuatur: Si primo modo, et sic constituitur locus à coniugatis (coniugata enim sunt nomina concreta substantiua simul cum suis abstractis, à quibus immediatè deriuantur) Si autem deriuetur secundo modo, scilicet simul cum termino inferente mediante, ab aliquo tertiò; & sic est locus à casibus (casus enim sunt, verba, aut aduerbia cum suis nominibus adiectiuis, ratione quorum simul cum illis ab aliquo tertio deriuantur). Quare cùm præter prædictos modos differendi à termino inferente, cum quo conuenire debet terminus illatus quantùm ad rem significandam non sint alij conuenientiores, & aptiores assignandi (minorem enim differentiam nullo cogitante intellectu afferre nequeunt) erunt tantùm tria prædicta loca media, de quibus in præsenti quæritur an teneant affirmatiuè, vel negatiuè. Sed quia præcipua sunt loca a coniugatis, & à casibus, quàm sit locus à diuisione, hoc ad sequentem quæstionem remisso, illa duo examinanda sunt.

Pro quibus supponendum est primò; quòd cùm Coniugata ideò dicantur, quia sub eodem vocis, & significationis iugo deuincta sunt, vt patet de vniuocis, & denominatiuis, quæ eandem vocem, ac significationem habent, dupliciter consideranda sunt; vel quatenus vtrunque important, videlicet vocem, & significationem, vt iustitia, & iustus. Vel quatenus earum tantùm illam, quæ præcipua est, nempè significationem, vt virtus, & studiosus: Primò modo appellantur coniugata simpliciter, nempe voce, & re; secundo verò modo, tantùm coniugata secundùm quid, videlicet solummodò re. Præsens autem quæstio non est limitanda tantùm ad coniugata simpliciter, sed extendenda est etiam ad coniugata secundùm quid: nam cùm in eis potior sit significationis, quàm vocis coniunctio, non videtur ratio, cur à coniugatorum numero, ex quibus locus communis, & dialecticus sumi potest, sint excludenda.

Supponendum est secundò, quòd cùm Casus à cadendo, seu à cadentia dicantur, dupliciter intelligi possunt; primò ita vt vnus eorum ab alio cadat in ratione concreti ab abstracto, vt iustus à iustitia. Secundo verò, ita vt vnus ab alio cadat in ratione tamen concreti à concreto, & ratione illius omnes ab vno tertio in abstracto. In primo sensu non est intelligendus titulus quæstionis prout loquitur de loco à casibus, quia tantùm procederet de coniugatis, quæ etiam aliqualem cadentiam admittunt, cùm vnū ab alio cadat; sed tantùm in secundo. Et licèt aliquo pacto etiam casus possint dici coniugata, scilicet quantùm ad id à quo sumitur nomen, siue quantùm ad rationem impositionis nominis coniugatorum, quia sunt sub vno iugo saltem significationis posita; tamen quantùm ad id cui nomen imponitur, seu attribuitur, non dicuntur coniugata, sed magis propriè casus.

Notandum tamen est, quòd ad hoc vt rectè arguatur per prædicta loca, tria potissimùm animaduertenda sunt. Primo vt pro coniugatis, & casibus non accipiantur ea, quæ coniugata, & casus non sunt; quare non valet, Officium est quædam honestas, ex Tullio Officiorum 1. dicente, *In officio colendo sita vita est honestas omnis, & in negligendo turpitudo*; ergo officiosus est honestus; cùm impudici, & obscæni aliquandiu officiosi vocati sint: nam cùm olim Quintus Atterinus defenderet reum libertinum, cui obijciebatur, quod Patroni concubinus fuisset, hac defensione vsus fuis-

fuisse fertur; *Impudicitia in ingenuo crimen est, in seruo necessitas, in liberto officium*. Sicut pariter non sequitur à casibus, somnus est ligamen sensuum ex Philosopho lib. de somno, & vigilia: ergo somniculosè agere (quatenus tamen accipitur pro inducere somnum, vt aiunt de Sisenna aspide, quam vocant somniculosam, non quòd ipsa dormiat, sed quòd vi somnifica homines percussos enecet) est habere sensus ligatos. Optimè tamen sequentur illæ consequentiæ; si officij, & somni, vera, & propria coniugata sumantur, quæ sunt Industrius, & dormire, minimè officiosus, idest qui exhibet officium; & somniculosus scilicet qui somnum inducit, cùm officium, & somnum sibi ipsis inhærentia non importent. Vnde valet si dicatur, Officium est quædam honestas: ergo Industrius est honestus, cùm industria ex Philosopho lib. Magnorum moralium 33. sit Prudentiæ pars; vnde qui habet industriam habet virtutem, & consequenter honestatem. Sicut etiam valet somnus est sensuum ligamen: ergo dormire est habere sensus ligatos.

Secundum quod animaduerti debet, est quòd tollatur vndequaque ambiguitas vocabulorum, quæ in his locis sæpissimè latenter se insinuat: quare non valet argumentatio illa Simonidis 10. Ethicorum 7. & primo metaph. 2. dicentis, Cum homines simus, humana tantùm curare debemus; fallaciter sanè concludit, quia accipit verbum *Humana* in consequente, non pro ijs quæ ad hominem spectant, quo pacto deducitur ex antecedente, sed pro caducis, & terrenis, qua significatione, terrena à cælestibus distinguere solemus.

Tertium verò quod considerari debet est, vt attributa coniugatorum, vel casuum rectè assignentur. Defectu cuius conditionis vtique non valet, Iustus est virtuosus: ergo iusta agere, est studiosè agere, quod est falsum: fieri enim potest, vt quis agat iusta (quale est e. g. depositum reddere) cùm interim non agat studiosè ob defectū scilicet alicuius circunstantiæ. Sequetur tamen si singula prædicata singulis subiectis aptè respondeant, & dicatur, Iustus est virtuosus: ergo iusta agere, est studiosa (non verò studiosè) agere: aut iustè (non iusta) & studiosè agere: Vel Iustitia est virtus: ergo iusta agere, est studiosè agere, &c sicut eadem de causa vitiosæ sunt istæ consequentiæ, videlicet Album est dulce: ergo albedo est dulcedo. Doctrina est disciplina: ergo qui docet discit, atque aliæ huiusmodi; nam cùm sensus prioris antecedentis esset, effectum albedine est affectum dulcedine; posterioris autem eadem qualitas est doctrina, & disciplina; concludendum potiùs erat hoc modo, nempe album est dulce: ergo in aliqua eadem re, est albedo, & dulcedo. Doctrina est disciplina: ergo quod affectum est doctrina affectum est etiam disciplina.

Dicendum est ergo primò, quòd locus à coniugatis tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur ex illa regula, si abstractum enunciatur, vel non enunciatur de abstracto, ita concretum de concreto, & è contrà, vt dictum est suprà disp. 2. per totam: sed locus à coniugatis est habitudo abstracti ad suum concretum, & è contrà: ergo locus prædictus tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Maior patet ex dictis disp. citatâ, quæ possunt reduci ad hanc formā, ad hoc vt etiā modò sic probetur: nam concreta idē realiter significant cum suis abstractis: ergo si vnum abstractum verificatur de alio, oportet etiam concre-
A tum eius verificari de concreto alterius, & è contrà. Quare maxima istius loci est illa maior: valet enim, Iustitia est virtus: ergo iustus est virtuosus, & è contrà. Item valet, Acedia non est virtus: ergo acediosus non est virtuosus, & è contrà.

Dicendum est secundò, quòd locus à casibus similiter tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur; Quoniam si concretum affirmatur, vel negatur de concreto ita verbum, & aduerbium, de verbo, & aduerbio; sed locus à casibus est habitudo concreti, ad suum verbum, aut aduerbium: ergo tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur maior, quoniam Concretum, eius verbum, & aduerbium idem significant, licèt differant in modo significandi, sicut etiam differunt per talem modum,
B abstractum, & concretum: ergo si concretum affirmatur, vel negatur, &c. Quare maxima istius loci est illa Maior, valet enim, iustum est bonum: ergo quod iustè fit, bene fit, & è contrà; Item superbus non est virtuosus: ergo quod superbè fit, virtuosè non fit, & è contrà. Vel sapiens est dominus: ergo sapere est dominari; vel seruus non est dominus: ergo seruire non est dominari.

Dicet fortasse aliquis; huiusmodi argumentatio, nempe Iustitia est virtus; ergo iustè agere est virtuosè, vel studiosè agere, optimè tenet, & est locus à casibus, cùm non terminetur ad concretum nominis, sed ad concretum aduerbij, & tamen non est habitudo concreti ad aduerbium, sed abstracti ad aduerbium: ergo malè dicitur in probatione conclusionis, quòd locus à casibus, sit habitudo concreti ad suum verbum,
C aut aduerbium.

Respondetur quòd in tali argumentatione licèt non sit habitudo concreti ad aduerbium explicitè, est tamen implicitè, quod sufficit ad hoc, vt sit locus à casibus: nam cùm verbum, siue aduerbium immediatè deriuetur ex nominibus concretis (loquendo tamen logicè, non grammaticaliter) & illis mediantibus, ex abstractis; sit indè, vt estò, explicitè tantùm ponantur abstracta; implicitè tamen semper concreta, à quibus immediatè deriuantur, intelligenda sunt.

Obijcitur primò contra primam partem primæ cōclusionis. Tum quia si Deus separaret albedinem ab aliquo albo; tunc non sequeretur, Albedo est color: ergo album est coloratum. Tum quia non sequitur,
D Album est coloratum: ergo albedo est colorata. Tum denique quia non sequitur, Cæcitas est insensibilitas: ergo cæcus est insensibilis; & tamen per omnes istas rationes arguitur à coniugatis: ergo locus ab ipsis saltem non tenet affirmatiuè.

Respondetur ad primam rationem, quòd ibi non arguitur ab abstracto ad suum concretum existens, cùm supposito tali miraculo illud album non esset amplius album, nec concretum illius albedinis. Ad secundam dicitur, quòd dum arguitur per talem locum debent variari, & diuersificari prædicata; ita vt prædicatum concreti sit concretum, & prædicatum abstracti sit abstractum; nam abstractum, & concretum, partim conueniunt, scilicet in re significata, & partim differunt, nempè in modo significandi; cùm igitur in adducto exemplo sit idem prædicatum in concreto; ideò non sequitur illa consequentia. Neque vrget si dicatur, hanc consequentiam tamen valere, nimirum Iustus

est

est bonus: ego Iustitia est bona: non valet quidem, quia ly *bona* non sumitur concretiuè, sed abstractiuè, ita vt fiat sensus: ergo iustitia est quid bonitatis.

Ad tertiam verò respondetur, quòd vtique non valet illa consequentia, quia prædicatum, & subiectum illius non sunt abstracta abstractione totali, & vniuersali, scilicet vt vniuersale à suis particularibus, de qua tantùm est sermo in præsenti, vt animal ab homine, color ab albo, &c. sed sunt abstracta abstractione formali, scilicet vt formæ à sua materia, & subiecto; siue à sua quasi materia, & subiecto, (humanitas enim, & animalitas respectu hominis, & animalis se habent vt formæ respectu sui quasi subiecti) vnde alio nomine vocantur abstracta vltimatè. Cum igitur ex dictis disput. 2. citata q. 3. abstracta substantialia, prout important abstractionem formalem, hoc est cum præcisione à suis inferioribus, quorum sunt partes, nequeant prędicari ad inuicem; hinc est, quòd animalitas, vt præscindit à suo inferiori, scilicet ab humanitate, cuius est pars, nequit de ipsa prædicari: etenim nulla pars potest prædicari de toto, vt ibidem dictum est. Ad quartam denique respondetur, quòd si insensibile neget sensibilitatem cuiuslibet sensus, sic non sequitur: ergo cæcus est insensibilis; sed si neget tantùm sensibilitatem visus, sic cæcus potest dici insensibilis, & isto modo valet consequentia, cùm attributa semper cohærere debeant cum eo, cui attribuuntur, vt notatum est suprà.

Obijcitur secundò contra secundam partem eiusdem conclusionis. Tum quia non sequitur, Quantitas non est qualitas: ergo quantum non est quale, vel albedo non est dulcedo: ergo album non est dulce. Tum etiā quia non sequitur, Album non est abstractum, cùm sit concretum quoddam: ergo albedo non est abstractio, cùm albedo concepta absque albo sit abstractio quædam.

Respondetur ad primam rationem, ibi non tenere consequentiam non tantùm negatiuè, vt probat argumentum; verùm etiam nec affirmatiuè, quia dum arguitur ab abstractis ad sua concreta siue negatiuè, siue affirmatiuè, adhoc vt teneat consequentia necesse est, vt abstracta illa prædicentur ad inuicem per se, non verò per accidens, quemadmodùm in allata ratione prædicantur; quod tamen non est necesse, vice uersa, hoc est dum arguitur negatiuè, aut affirmatiuè à concretis ad abstracta: valet enim, quantùm non est quale: ergo quantitas non est qualitas. Album non est dulce: ergo albedo non est dulcedo. Item affirmatiuè (seruata tamen tertia illa animaduersione pro attributis, adducta in notatione tertio loco) valet enim, quantum est quale: ergo quantitas est qualitas; idest affectum quantitate est affectum qualitate: ergo in aliquo eodem subiecto est quantitas, & qualitas. Sicut valet album est dulce: ergo albedo est dulcedo; hoc est affectum albedine est affectum dulcedine: ergo in eodem aliquo subiecto est albedo, & dulcedo; nam cùm abstracta siue per se, siue per accidens contineantur in concretis, concreta verò è contrà non continenantur in abstractis, hinc est quòd negatis, vel affirmatis abstractis, quæ ad inuicem prædicantur prædicatione per accidens; non negantur, seu affirmantur sua concreta; quamuis negatis, vel affirmatis suis concretis negentur, vel affirmentur talia abstracta.

Ad secundam verò rationem dicitur, quòd illa consequentia optimè tenet; quoniam licèt conceptio albedinis absque albo sit quædam abstractio, non tamen ipsa albedo est abstractio, sed tantùm est abstractum quoddam, per quod abstractum, nec minùs teneret consequentia, quia concluderetur per idem prædicatum, quod nequit fieri, ex dictis ad secundam rationem primi argumenti.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionē, probando in primis non tenere affirmatiuè; quoniam non sequitur, Iustus est liberalis: ergo quod iustè fit liberaliter fit; quia pater potest extrahere pecunias iustè à filio. & tamen hoc non esset factum liberaliter. Deinde probando non tenere negatiuè. Quòniam non sequitur, Inuidus non est auarus: ergo inuidiosè agere, non est auarè agere; quod tamen est falsum, cùm possit quisquam inuidiosè agere, etiam ex auaritia, negando e. g. depositum cui inuidet, quod esset auarè agere.

Respondetur, quòd locus à casibus, quia est à concreto nominis ad concretum verbi, aut aduerbij, solùm tenet in prædicationibus per se, & non in prædicationibus per accidens; quarum concretum verbi, siue aduerbij non continetur in concreto nominis, licèt ab eo deriuetur; sicut continetur abstractum in suo concreto; vnde à positione cōcreti nominis de prædicatione accidentali, non est necesse ponere concretum verbi, siue aduerbij. Quare cùm talis prædicatio, scilicet Iustus est liberalis sit predicatio concreti de prædicatione per accidens; non bene in ea arguitur per locum à casibus, vt patet. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd locus à casibus tenet negatiuè, quando negatio est inter ea, quæ nunquam de se inuicem verificari possunt, vt patet, dum dicitur, Iustus non est vitiosus: ergo iustè agere, non est vitiosè agere: nunquam enim fieri potest, vt iustus sit simul iustus, & vitiosus. Cùm igitur inuidus possit simul esse auarus; & inuidus, & auarus de se inuicem verificari possint, hinc est, quòd ex tali ratione non rectè arguitur per locum à casibus.

QVÆSTIO II.

An locus à diuisione teneat affirmatiuè, vel negatiuè.

Diuisio sumi potest dupliciter; vel pro reali separatione vnius partis ab alia, vel alijs partibus, e. g. ligni, quando diuiditur, & secatur in partes, vel pro acceptione aliquorum, quæ adæquatè, & à posteriori, seu tanquam effectus manifestant aliud, quoad eius potestatem, seu totalem, & vniuersalem aptitudinem; vt quando diuiditur animal e. g. per rationale, & Irrationale: nam talia membra explicant adæquatè totam potestatem, & aptitudinem naturæ animalis, non tanquam rationes ipsam continentes, sed veluti effectus ab ipsa aliquo modo pendentes. De diuisione in primo sensu, non est hìc sermo; cùm ab ea non sumatur locus medius, sed omnino intrinsecus, vel ab efficiente, si dicatur e. g. Secator est bonus: ergo sectio est

est bona; vel ab vsibus, si dicatur secare est bonum: ergo serra est bona. Quare tantùm erit quæstio de diuisione in secundo sensu, à qua vtique potest sumi locus medius, vt patet exemplo adducto.

Supponendum tamen est, quòd talis diuisio, de qua modò loquimur duplex est, vna scilicet, quæ datur per negationem, vt animalium e. g. aliud est homo, aliud non homo: altera verò quæ datur per affirmationem vt animalium aliud est homo, aliud brutum; quæ adhuc duplex est: etenim alia est per se, alia per accidens; quarum prima triplex est; nam alia est generis in suas species, vt animalium aliud homo, aliud brutum; ad quam etiam reducitur diuisio generis in suas differentias, & diuisio speciei in sua indiuidua. Alia verò est totius integralis in suas partes, vt Domus diuiditur in parietes, tectum, &c. ad istam quoque reducitur diuisio totius essentialis in suas partes, vt homo diuiditur per corpus; & animam. Alia tandem est diuisio vocis in sua significata, vt Canum alius est latrabilis, alius piscis, alius stella, quæ dicitur diuisio æquiuoci in sua æquiuocata, ad quam etiam reducitur diuisio analogi in sua analogata. Diuisio uerò per accidens similiter triplex est; alia enim est subiecti in sua accidentia, ut animalium aliud album, aliud nigrum, Alia uerò accidentis in sua subiecta, ut alborum aliud canis, aliud equus. Alia tandem est accidentis in accidentia, ut alborum aliud dulce, aliud amarum; quæ tamen diuisio non omnino distinguitur ab enumeratis: nam si diuisum sit de essentia membrorum diuidentium, ut contingit in hac diuisione, coloratum scilicet aliud album, aliud nigrum, talis diuisio reducitur ad diuisionem generis in species: quia perinde est, ac si dicatur, color alius albedo, alius nigredo, quæ propriè est diuisio generis in suas species. Si uerò diuisum non sit de essentia membrorum diuidentium, sed accidentaliter coniungatur illis, ut cùm dicimus, album aliud frigidum, aliud calidum, reducitur ad diuisionem subiecti in accidentia; quia tunc album, quòd est diuisum, habet rationem subiecti respectu caloris, & frigoris, quatenus non solùm supponit pro corpore, quod est subiectum dictorum accidentium, sed etiam exercet talem suppositionem.

Ob eandem quippè rationem, etiam colligere possumus, diuisionem vocis in sua significata, non esse diuisionem omninò à cæteris distinctam: nam si consideretur vox præcisè secundùm se, quatenus illi accidit significare; cùm non sit de essentia significationis, seu suorum significatorum: illius diuisio erit subiecti in accidentia: nam significatio in vocibus, est quoddam accidens rationis in ipsa entitate vocis, vt dictum est suprà tum disp. 2. q. 2. ad secundum: tum disp. 19. q. 1. & 2.; & ideò quando vox diuiditur in sua significata, diuisio est subiecti in accidentia, nempè cuiusdam subiecti realis in quædam accidentia rationis; vnde meritò in tali sensu eam reduximus lib. 2. Instit. cap. 4. ad diuisionem accidentalem subiecti in sua accidentia. Si autem consideretur vox quatenus significatiua est; cùm sit de essentia suorum significatorum (etenim hęc omnia nomina Canum, e. g. terrestris scilicet, cælestis, & marini sunt essentialiter nomina, & voces significatiuæ, itaut nequeant vocaliter significare, & non esse simul voces significatiuas, vt patet) eius diuisio aliquo modo spectabit ad diuisionem saltem speciei per sua indiuidua, cùm significatiuum optimè diuidatur in hoc, uel illud significatum. Cùm igitur ab omnibus istis diuisionibus possint sumi loca media, de omnibus pariter erit quæstionis titulus, an affirmatiuè, uel negatiuè teneant.

Pro resolutione tamen quæstionis notandum est primò; has dari differentias inter diuisionem, quæ fit per negationem, & diuisionem quæ fit per affirmationem; nimirum quòd illa quæ fit per negationem, semper fit per duo membra tantùm, & immediata ad ipsum diuisum: nam versatur inter contradictoria, inter quæ nullum est medium: quæ verò fit per affirmationem, potest fieri etiam per plura membra, licèt mediata, vt dum dicitur; Coloratorum aliud album, aliud nigrum, aliud medio colore coloratum; Ita quæ fit per negationem, semper fit per membra simpliciter opposita, hoc est non solùm quatenus membra diuidentia sunt, de quorum ratione est opponi, cùm diuisio debeat dari per opposita re, vel ratione iuxta primam regulam traditam lib. 2. Instit. cap. cit., verùm etiam secundùm se; idest quatenus secundùm se important repugnantiam illam determinatam aliquorum, de qua dictum est suprà disp. 18. q. 1. supponendo 2.. Quæ verò fit per affirmationem non est necessè, vt semper fiat per media opposita secundùm se, sed satis est, si fiat per membra opposita in ratione diuidentium; hoc est quatenus tantùm dicunt repugnantiam illam indeterminatam, de qua similiter satis dictum est loco citato, vt patet præcipuè in diuisione generis in suas species, aut differentias; volatile enim, e.g. gressibile, & aquatile respectu animalis, inter se distinguuntur, & eidem nequeunt conuenire; non tamen volatile determinat sibi vt oppositum gressibile, aut aquatile, sed indifferenter opponitur illi, & omnibus alijs, cum quibus non communicat in essentia.

Notandum secundò, quòd ad hoc vt rectè arguatur per talem locum à diuisione, hæc sedulò obseruanda sunt; primum, vt subiectum, seu materia circa quam fit huiusmodi diuisio, contineatur sub genere diuisi; quare non valet, Lapis e. g. non est animal rationale: ergo est animal irrationale: Lapis enim, qui est subiectum circa quod fit diuisio animalis in rationale, & in irrationale non continetur sub genere animalis, quod est diuisum, seu id, quod diuiditur. Secundum verò est, vt quando diuisum habet plura membra diuidentia, omnia, dempto vno, negentur; vel vno affirmato, cætera negentur; quare non sequitur, est Canis, & non est marinus: ergo est cælestis, cùm possit esse etiam terrestris, sicut non sequitur, est Canis, & est marinus: ergo non est cælestis, cùm possit etiam non esse terrestris. Tertium verò, quod obseruari debet est, vt quando arguitur per prædictum locum ab affirmatione alicuius membri de eodem subiecto ad negationem alterius membri, vel aliorum membrorum; talia membra diuidentia non coincidunt ad inuicem; quare non sequitur, Felicitas humana est bona, & est delectabilis: ergo non est honesta; nam illa membra delectabile, & honestum, quæ diuidunt bonum, possunt coincidere ad inuicem, cùm bonum simul possit esse vtile, delectabile, & honestum. Quartum tandem est, vt diuisio semper ponatur siue implicitè, siue explicitè dicendo, vel implicitè Animal est, & non ægrum: ergo est sanum; vel explicitè animalium aliud est sanum aliud ægrum: non est ægrum: ergo sanum; quarè non sequitur per talem locum medium

dium, est animal sanum: ergo non est ægrotum, sed tantùm per locum extrinsecum à contrarijs, vt suprà visum est.

Dicendum est ergo, quòd locus à diuisione tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Probatur, nam si diuisum affirmetur de aliquo subiecto, & vnum, vel omnia, dempto vno, scilicet ex membris diuidentibus negentur, vel affirmentur de eodem; tunc aliud viceuersa affirmatur, vel negatur de eodem: affirmatur enim si vnum, vel omnia dempto vno negentur; negatur verò, si vnum, vel omnia, dempto vno affirmentur: ergo locus à diuisione tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Probatur antecedens, quia cùm membra diuidentia sint incompossibilia in eodem subiecto circa quod, vel cui applicatur diuisum; vno vel pluribus negatis, affirmatur aliud; & vno, vel pluribus affirmatis, negatur aliud: ergo si diuisum affirmetur de aliquo subiecto, &c. tunc aliud vice versa affirmatur, vel negatur de eodem. Quare maxima istius loci erit præfatum antecedens: valet enim affirmatiuè, Petrus est animal sanum, vel ægrotum: non ægrotum: ergo sanum; sicut negatiuè; Petrus est animal sanum, vel ægrotum; est ægrotum: ergo non est sanum.

Obijcitur primò, quoniam locus à diuisione; eatenus tenet affirmatiuè, & negatiuè, quatenus membra diuidentia non coincidunt, sed opposita, & incompossibilia sunt: ergo de se, in quantùm scilicet est locus medius, non tenet nec affirmatiuè, nec negatiuè. Antecedens patet ex notatis, vbi prohibetur argumentari per talem locum, quando membra diuidentia coincidunt, vt dictum est de vtili, delectabili, & honesto respectu boni, quòd diuidunt: Consequentia autem probatur, nam locus ab oppositis non est locus medius, vt dictum est suprà: sed locus à diuisione eatenus tenet affirmatiuè, & negatiuè, quatenus fit per membra opposita: ergo de se in quantùm locus medius est, non tenet neque affirmatiuè, neque negatiuè.

Respondetur negando consequentiam; ad cuius probationem distinguenda est maior; locus ab oppositis, quæ nullo modo conueniunt inter se, non est locus medius, sed extrinsecus, conceditur; locus ab oppositis, quæ partim inter se conueniunt, scilicet ratione diuisi; & partim inter se differunt, scilicet ex modo significandi, & importandi ipsum diuisum, non est locus medius, negatur; Quare cùm locus medius à diuisione, eatenus teneat tam affirmatiuè, quàm negatiuè, quatenus fit per membra opposita non in primo, sed tantùm in secundo sensu; hinc est quòd secundùm se simpliciter tenet tàm affirmatiuè, quàm negatiuè.

Contra: ergo saltem locus à diuisione facta per negationem non tenet secundùm se affirmatiuè, & negatiuè. Probatur, nam membrum negatiuum cùm sit malignantis naturæ, itaut destruat quod inueniat, nullo modo videtur posse conuenire cum membro affirmatiuo, cui opponitur; destruendo enim hominem cui opponitur, e.g. destruere videtur etiam animal, ratione cuius cum homine tantùm potest conuenire, ex concessis, cùm animal non in se, sed in homine quem destruit, subsistat: ergo prædictus locus saltem secundùm se, vt scilicet medius est, non tenet affirmatiuè, & negatiuè, sed tantùm vt extrinsecus, & ab oppositis est.


A Respondetur negando talem consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, negatiuum esse quidem ità malignantis naturæ, vt dirimat quidquid inuenit post se, non verò ante se; Cùm igitur tale membrum negatiuum, nempè non homo, ante se supponat animal, quod simul cùm membro affirmatiuo diuidit, ipsum non destruit, sed tantùm hominem, & illius indiuidua, quæ inuenit post se; vnde videtur ratione prædicti diuisi, scilicet animalis, partim etiam conuenire cùm membro affirmatiuo: Quare talis diuisio, videlicet animalium, aliud homo, aliud non homo, facit huiusmodi sensum, nempè animalium aliud animal quod est homo; aliud verò animal, quod non est homo.

B Obijcitur secundò; Tum quia non sequitur, vocum, alia harmonica, alia sonora; cùm non omnes voces harmonicæ sint, licèt sint sonoræ, idest sonus quidam; sed est harmonica: ergo non sonora, quod est falsum, cùm vox harmonica etiam sit sonus: ergo locus à diuisione non tenet negatiuè. Tum quia neque sequitur, substantiarum alia viuens, alia sensibilis: sed non est viuens: ergo sensibilis; cùm impossibile sit dare aliquod sensibile, quòd non sit viuens; ergo prædictus locus non tenet affirmatiuè.

Respondetur, vtranque rationem ideò non tenere, quia harmonicum, & sonorum quatenus sonorum significat sonum. Viuens, & sensibile, non se habent ad inuicem vt membra diuidentia; sed vt genus, & & species; nam sonorum prædicto modo acceptum est genus vocis, harmonicum verò illius differentia, sicut viuens est genus sensibilis: sensibile verò illius C species. Quare cùm à specie ad genus ex dictis, non valeat consequentia negatiuè; neque à genere ad speciem valeat consequentia affirmatiuè: hinc est, quòd prædictæ rationes non rectè concludunt.

Alia, atque alia loca ab assignatis, cum Philosopho tradiderunt omnes illius Interpretes, tam prisci, quàm recentes (etenim ad 159. vsque perduxerunt) quæ cùm ad explicata facilè reduci possint; ad tollendam confusionem, quæ ex multitudine plerumque generari solet, consultò omittimus: sicut ne grauaretur nimis tyronis intellectus; in nostris Institut. lib. 3. cap. 7. decem solummodò vtpote principaliora, & generaliora compendiatè, atque acceruatim enumerauimus, Verum tamen, ne videantur vndequaque destitui; omne id, in quo non solùm D tradita, sed quæ tradi possunt, continentur, & ex quo promi solent, vnde singulis valeat applicari problematibus; in sequentibus disputationibus optimè examinabitur.

✠



DISPVTATIO QVINQVAGESIMA.

De locis Dialecticis per ordinem ad problemata accidentis absoluta.



HÆc est præcipua disputatio, huius secundi libri, in cuius gratiam, sicut & aliquorum sequentium librorum, omnia loca intrinseca, quàm extrinseca, & media absolutè, & secundùm se sumpta explicata sunt: ratio quidem recta hoc exigebat, nimirum, vt nulli problematum talia applicarentur loca, nisi prius quidquid essent secundùm se penitus innotesceret. Qua de re primo loco aggredimur disputationem de ipsis, in quantum ordinatur ad terminanda, seu probanda problemata accidentium tam vniuersalia, quàm particularia; indagando scilicet vnde, & ex quo duci soleant, adhoc vt tali applicentur problemati. At quia non solùm ex quidditatibus, & affectionibus problematum, quæ terminant; verùm etiam ex distinctione, quam ab inuicem important prædicata eorumdem plenissimè talia loca erui possunt; memoratis his, quæ suprà disp. 7. de quidditate accidentis tradidimus, satis erit si nunc ea omnia, quę tum ad eiusdem denominationē, tum distinctionem, & prædicationem spectant, sedulò traderimus, absque eo, quòd singulis locorum applicationibus legentium mentes nimis defatigentur.

QVÆSTIO I.

Vtrùm substratum, seu denominatum Prædicati accidentis, in quo continentur, & vndè sumuntur loca dialectica problematum accidentis absolutorum terminatiua; sit non solùm accidens commune, verùm etiam proprium, quinimmo & ipsa substantia.



SVpponit præsens quæstio, accidens commune, & prout contradistinguitur à substantia, de facto esse substratum prædicati accidentalis: vnde tantùm discutiendum proponit, de accidente proprio, & de substantia ipsa, quærendo scilicet, an ita possint accidere, hoc est contingenter prædicari de aliqua substantia, ac denominari prædicata accidentalia, vt ex ipsis propriè, & directè valeant sumi loca dialectica terminatiua problematum accidentis absolutorum.

A Prima sententia est negatiua, quam defendunt Burleus in Porphyrium cap. de accidente, Toletus ibidem dubio 1. Amicus quæst. 1. Anglicus quæst. 31. Onna quæst. vnica art. 6. & quidam alij ex recentioribus.

Secunda verò sententia est affirmatiua, quam docent Aristoteles 5. Met. text. 35. & 11. cap. 2. D. Tho. q. vnica de spiritualibus creaturis art. 11. & 1. post. cap. 9. Scotus in 3. dist. 7. q. 1. vbi Lichetus, Ruuius in sua Mexicana cap. 6. de accidente q. 1. Sanchez de accidente q. 78. Mastr. & Bell. disp. 5. vniuersalium q. 5. art. 2. & ferè omnes, ita extendentes denominationem accidentis, vt non solum attingat accidens commune, verùm etiam proprium, & substantiam ipsam, dummodò habeat rationem superadditi, seu prædicati contingenter subiecto conuenientis.

B Notandum tamen est primò, quòd in prædicato accidentis, sicut, & in cæteris prædicatis possumus duo considerare; formale scilicet, & materiale, formale est secunda intentio denominans, relatio scilicet accidentalitatis; materiale verò est natura illa denominata, in qua fundatur ipsa secunda intentio denominans. Respectu primi indispensabile est, quòd non detur aliquod commune vniuocum: nam quando aliquod prędicatum, vel prædicabile affirmatur de multis prædicatione propria, hoc est vniuersali logico conueniente, respectu eorum de quibus affirmatur, debet esse vniuocum, vt ex professo dictum est suprà disp. 2. q. 7. nam album e. g. affirmatur de Petro, & de ligno prędicatione propria, & vniuersali, quia importat formam vniuocè illi conuenientem. Respectu verò secundi, scilicèt materialis, non est necesse immo impossibile est, quòd semper detur aliquod commune vniuocum, cùm diuerso genere naturæ possint fundare talem relationem rationis denominantis, vt apertè patet, non solùm in prædicato accidentis, quando scilicet, tam esse album e. g. quàm esse ligneum videntur accidere subiecto, verùm etiam in prædicato generis, cuius materiale non solùm potest esse substantia, vt quando animal prædicatur de homine; sed etiam accidens, vt quando color prædicatur de albedine; tam enim animal, quàm color fundant relationem genereitatis, vt de se manifestum est.

C

D Notandum secundò, nullum esse inconueniens, quòd vnum, & idem prædicatum accidentale secundùm diuersam rationem habeat intentionem accidentis communis, & proprij simul; licèt secundùm eandem hoc non possit obtinere, cùm accidens commune, & proprium ab inuicem distinguantur. Patet manifestissimè in hoc prædicato proprij, scilicet esse disgregatiuum visus: nam vt dicitur de albedine, cuius est passio; induit intentionem proprij; dum autem affirmatur de Petro, induit intentionem accidentis communis. Et ratio est; quia diuersimode ordinatur prædicatum illud ad diuersa subiecta; nam vt ordinatur ad albedinem est accidens proprium illius, cùm oriatur ex principijs, essentialibus eiusdem; vt verò ordinatur ad Petrum affectum albedine, est accidens commune, cùm non oriatur ex principijs essentialibus, sed tantùm accidentalibus ipsius Petri. Eo ferè modo, quo pariter accidit in genere; nam licèt coloratum e. g. vt respicit albedinem sit genus illius, & prædicatum essentiale eiusdem; vt verò respicit Petrum album, nil aliud est quàm accidens illius.

Dicendum est ergo, quòd substratum, seu denominatum prædicati accidentalis, in quo continentur loci problemata accidentium absoluta terminantes; non solùm est accidens commune; verùm etiam proprium, quin immo substantia ipsa.

Probatur; quia prædicatum dialecticum non ex varietate rerum, quæ prædicantur, sed ex varietate modi prædicandi de subiecto colligitur; sicut, & prædicabile ipsum; cùm tantùm distinguantur ab inuicem vt commune, & vniuersale ex dictis non solùm disp. 2. quæst. 6. ad 1. verùm etiam ex professo disp. 43. q. 1. not. 2. sed accidens proprium, quinimmo, & substantia ipsa possunt prædicari de subiecto non minùs contingenter, quàm prædicentur accidentia communia: ergo optimè poterunt esse substrata, seu denominata prædicati accidentis, in quibus continentur, & vnde sumuntur loca terminantia, &c. Maior patet ex dictis, consequentia similiter liquet, cùm loca terminantia problemata accidentis absoluta contineantur veluti in promptuario in omni eo, quod denominatur prædicatum accidentale, quam denominationem debet participare omne id, quod contingenter prædicari potest de subiecto. Minor autem, in qua consistit tota difficultas probatur; quoniam accidens proprium, ac subiectum possunt esse extra essentiam illius, de quo prædicantur, vt patet de esse disgregatiuum visus e.g. respectu ligni, & de esse ligneo respectu cathedræ, quæ omnia non prædicantur in quid, sed in quale, & denominatiuè ad modum accidentis; valet enim, lignum est disgregatiuum visus; cathedra est lignea: ergo possunt hæc omnia non minùs prædicari contingenter de subiecto, quàm prædicentur accidentia communia.

Quare non minùs ex his possunt accipi loca ad terminanda huiusmodi problemata, scilicet, an disgregare visum, & esse ligneum accidat ligno, & cathedræ, quæ aliàs sunt de prædicato proprij, ac substantiæ, quàm ad terminandum istud; nempe an esse album accidat ligno, quod est de prædicato accidentis communis: valet enim per locum, e. g. à definitione, Non minùs adest, & abest à ligno, & cathedra esse disgregatiuum visus, & esse ligneum, absque ligni, & cathedræ corruptione, quàm adsit, & absit à ligno præter illius corruptionem, esse album. Sicut pari modo valet, Non minùs esse disgregatiuum visus, & esse ligneum prædicantur denominatiuè, & in quale ad modum accidentis de ligno, & de cathedra, quam esse album prædicetur de ligno, &c.

Respondent primò aduersarij cum Toleto loco suprà citato, quòd in illis, & similibus prædicationibus, non prædicatur proprietas albedinis, nec substantia ligni de ligno, & de cathedra; sed tantùm respectus, & relatio ligni, & cathedræ ad esse disgregatiuum visus, & ad esse lignum, quæ lignum, & cathedram circumstant; qui respectus est accidens spectans ad prædicamentum habitus, & consequenter tantùm est accidens commune, vt contradistinguitur à substantia. Vnde hæ prædicationes, lignum est disgregatiuum visus, cathedra est lignea, æquiualent istis, scilicet lignum est habens disgregare visum; cathedra est habens lignum.

Contra tamen instant Mastr. & Bell. loco suprà citato, dicendo quòd si hæc solutio valeret, sequeretur nullum accidens prædicari de subiecto, sed tantùm illum respectum habitionis de prædicamento habitus. Probatur sequela; nam corpus e.g. esse quantum, esse album, &c. est etiam habere quantitatem, albedinem, &c, ergo non accidens, sed ille respectus prædicaretur de subiecto. Quare alius effectus formalis est, rem esse ligneam, & sic de alijs singulis huiusmodi prædicatis, & alius effectus formalis est, rem esse relatam ad albedinem; hoc secundum fundatur in primo, tanquam respectiuum in absoluto: ergo gratis fingitur esse ligneum, &c. non importare nisi respectum ad lignum, cùm formaliter importet ipsam substantiam ligni, quæ accidentaliter coniungitur cum tali re, quæ denominatur lignea.

Si quis autem ampliùs respondeat, prædictas prædicationes non minùs esse essentiales, quàm sic ista, scilicet Homo est materialis, cùm non minùs in illis sumatur prædicatum à materia physica subiecti, e.g. à materia cathedræ, quàm in ista à materia hominis organica, & corporea.

Contra tamen est, quòd in tantùm illa prædicatio, scilicet Homo est materialis, est essentialis in quantùm forma hominis nempe anima rationalis nequit informare aliam materiam, & ideò talis materia est formæ essentialis, faciens vnum per se cum ipsa: at verò forma ligni cùm possit informare materiam cathedræ, e.g. scamni, statuæ, &c. non potest cum tali materia constituere vnum per se ex partibus essentialibus, sed tantùm vnum per accidens; ergo non currit paritas.

Respondent secundò aduersarij cum Magistro Oña loco citato, dicentes prædicationes illas, & similes, non esse de accidente logico, & prædicabili, seu de prædicato dialectico; quoniam pars materialis in illis enunciatur; vnde sunt incompletæ; & rursus materia de forma, ratione cuius sunt indirectæ; quare defectu vtriusque à prædicato dialectico, & accidente prædicabili asserunt esse excludendas, in quibus completæ tantùm prædicationes, & directæ collocantur.

Contra tamen instant Mastr., & Bell. loco citato, dicentes, hoc nihil esse, quia pars illa prædicatur per modum totius in concreto, & adiectiuè, ac merè contingenter; atque ideò similes prædicationes spectare ad accidens logicum, & prædicabile: sensus enim earum est, lignum habet albedinem disgregantem visum; cathedra est fabricata ex ligno; habere autem albedinem, & esse fabricatum ex tali materia est accidentale ligno, & cathedræ, vt patet: ergo, &c.

Obijcitur primò ex Arist. tùm in Topicis 1. & 2. lib. vbi tantùm loquitur de accidente communi, ac de ipso tantùm tradit exempla, quin immo semper loquitur de inhærentia, quæ substantiæ repugnat, vt manifestè docuit 1. phys. tex. 26. dicens: *Quòd verè est*, scilicet quod est ens per se, *nulli accidit*. Tum alibi vbi passim loquens de substantia, & accidente docet habere diuersum modum prædicandi, cùm modus prædicandi sequatur modum essendi, ex communi proloquio: quare non videtur ex mente Philosophi quomodò proprietati, & substantiæ possit conuenire prædicari contingenter ad modum accidentis.

Respondetur, Aristotelem locis citatis, tantùm agere de accidente communi, & prædicamentali; de eoque solummodò tradere exempla; quia modus prædicandi accidentis logici magis practicatur in illo, quàm in substantia; adeò quòd vulgariter illi soli ade-

uenire censetur: nullibi tamen negauit posse etiam A conuenire substantiæ. Vnde 1. phys. eatenus dixit substantiam nulli accidere, quatenus metaphysicè, quod est ens per se, nequit subiecto inhærere; logicè verò non repugnat ipsam prædicari contingenter, & accidentaliter de subiecto, vt probatum est. Ad illud verò, quod additur de modo prædicandi sequente modum essendi; dicendum est modum prædicandi non esse accipiendum ex modo essendi, nudè, & vt sic considerato, sed vt substat nostro concipiendi modo, hoc est in quantùm esse alicuius rei concipitur à nobis, vel secundùm se, vel per ordinem ad subiectum, quod aliquo modo afficit, vel secundùm quamlibet aliam considerationem. Cùm igitur esse substantiæ in casu nostro non concipiatur secundùm se, sed per ordinem ad aliquod subiectum contingenter, & accidentaliter afficiendum; hinc est quod modus prædicandi ipsum sequens, est pariter per ordinem ad subiectum, quod respicit accidentaliter, & contingenter.

Obijcitur secundò, manente hoc vase, impossibile est quòd non sit aureum: ergo hæc prædicatio, hoc vas est aureum, non est prædicatio contingens, & accidentalis; & consequenter substantia non potest induere intentionem accidentis, &c. Vtraque consequentia bene deducitur. Antec. autem probatur: nam hoc vas determinatum ex necessitate debet esse huius materiæ; & ita hæc materia ex necessitate est de illius ratione; vnde nec per intellectum potest separari ab illo, sicut à Petro hæc materia: ergo manente hoc vase, impossibile est, &c.

Respondetur, quòd licèt vasi aureo, vt aureum est, non accidat esse aureum; accidit tamen illi vt vas est. C Vnde estò hæc prædicatio, scilicet hoc vas aureum, est aureum, sit necessaria, sicut Petro sedenti, necessarium est sedere: tamen hæc alia prædicatio; scilicet hoc vas est aureum, est accidentalis, & contingens. Qua de causa, licèt esse aureum non sit accidens huic vasi; est tamen accidens vasi in communi, quod sufficit ad hoc, vt substantia aliquando prædicetur contingenter, & accidentaliter, quòd est intentum nostrum.

Obijcitur tertiò: nam humanitas sanctissima Christi Domini adest, & abest saltem per intellectum à Verbo diuino præter illius corruptionem, cùm optimè possimus concipere Verbum absque humanitate, & tamen non est accidens respectu illius: hæc enim prædicatio, Verbum diuinum est homo, non est accidentalis: ergo estò substantia videatur accidere alicui subiecto, tamen nequit esse substratum prædicati accidentalis. D

Respondetur ex D. Tho. 3. p. q. 2. a. 6. & q. 16. a. 1 in solutione ad primum; nimirum, quòd hæc prædicatio, Deus est homo, est quidem essentialis; quia estò humanitas non sit Essentia diuina, nec passio eius, trahitur tamen ad idem esse personale, & substantiale filij Dei, quod est vnum per se, & non per accidens, quod sufficit ad hoc vt non sit prædicatio accidentalis, sed essentialis. Regula autem illa generalis à nobis adducta, nimirum, quod conuenit alicui, & non tanquam essentia, & pars essentiæ, nec tanquam propria passio, est prædicatum accidentale logicum; intelligenda est cum hac distinctione; videlicet nisi hoc illud trahatur ad idem esse, & existat per esse subiecti, quod vtique non contingit in humanitate Christi Domini, cùm in eo natura diuina, & natura humana vnica existant subsistentia Verbi.

QVÆSTIO II.

An Prædicatum accidentis, vnde loca eiusdem problemata terminantia sumi solent, distinguatur à cæteris prædicatis materialiter, vel formaliter.

B PRædicta prædicata inter se distingui, vnumque non esse aliud, iam suprà disp. 43. q. 1. satis probauimus, dum eorundem numerum cum Philosopho statuimus: at quia inter præcipua loca accidentis problemata terminatiua, illic ab eodem Philosopho 2. top. cap. 2. assignatur, qui propter reductionem, quam habet ad locum à diuisione, meritò per Iulium Pacium ibidem, locus à distinctione attributorum nominatur; non sufficere fortasse videbitur ad hoc, vt ex prædicato accidentis eruatur eiusdem prædicati simplex, & nuda à cæteris distinctio, nisi vlteriùs quæratur an materialis, & numerica; vel potiùs formalis, & specifica fuerit (quippe ex ignorantia huius, multos irrepsisse errores testatur ibidem Philosophus dum dixit; *Qui igitur coloratum dicit album, neque vt genus assignauit, quoniam denominatiuè dixit, neque vt proprium, vel definitionem, &c.* Quare in præsenti, ne similibus aditus defectibus pateat, sedulò hoc ipsum examinandum proponitur.

Vnde supponendum est; ea, quæ ex diuersitate rei denominatæ plerunque distincta sunt; ex parte formæ denominantis omnino idem esse, & è contra: Genus enim entis realis, & entis rationis ex parte rei, quæ subijcitur denominationi genereitatis nihil habent commune vniuocum; ex parte verò talis formæ denominantis sunt omnino vniuoca, & numero, seu materialiter tantùm distincta, quia in dialecticis præceptis, & in proprietatibus omnino sunt similia sine vlla prorsus dissimilitudine. Vtrunque enim in quid ad modum generis de suis inferioribus prædicatur. Quare potest contingere, vt omnia prædicata dialectica, vel saltem aliqua materialiter inter se diuersificentur; formaliter, verò idem sint; & consequenter à distinctione formali prædictorum attributorum; quod maximè, & per se, à dialectico debent attendi; nunquam rectè valet argui; quod vtique an sequatur in præsenti, vel non, eadem omnium non est sententia; nam licèt indifferenter distinctionem, formalem, & specificam inter prædicatum accidentis ex vna parte, & inter prædicata Generis, & definitionis ex alia, omnes admittant; non tamen inter prædicatum accidentis, & proprij.

Prima enim sententia docet nullam esse distinctionem formalem inter prædicatum accidentis, & inter prædicatum proprij, sed tantùm materialem ad logicam minimè spectantem, cùm ab alia consideretur facultate puta physica, metaphysica, mathematica, &c. & consequenter non posse terminari problema de prædicato accidentis saltem per locum à distinctione

at-

attributi, seu prædicati proprij. Ita Iuniores quidam, vt Arr. disp. 9. sect. 2. n. 11. Hurt. disp. 7. sect. 2. § 10. atque alij.

Secunda verò sententia docet inter prædicatum accidentis, & prædicatum proprij præter distinctionem materialem, quæ per accidens se habet ad dialecticam dari distinctionẽ specificam, & formalem per se spectantem ad talem facultatem. Ita communiter omnes alii tam antiqui, quàm moderni.

Notandum tamen est primò, quòd inesse, siue inhærentia realis, & primòintentionaliter sumpta, quam indispensabiliter importat accidens reale, & prædicamentale multipliciter accipi potest; nam aliquando sumitur pro informatione accidentali partis principalioris subiecti, vt est inhærentia scientiæ in anima; aliquando pro informatione accidentali partis minùs principialioris subiecti, vt inhærentia cæcitatis in oculo, simitatis in naso, & aliquando pro informatione accidentali aut totius, aut partis indifferenter, vt inhærentia albedinis, aut nigredinis, &c. quæ interdum afficiunt partem corporis, interdum verò totum corpus. Tandem accipitur aliquando pro informatione totius subiecti vt relati ad terminum per aliquam formam relatiuam, vt inhærentia paternitatis, aut filiationis in Patre, & Filio, &c. Ab omnibus autem istis inhæsionibus ad esse, valet cõsequentia, hoc est rectè concluditur à propositione significante accidens inhærere subiecto, ad propositionem in qua prędicatur idem accidens de eodem subiecto; excepta tamen inhæsione illa, quæ importat informationem accidentalem partis, vel totius indifferenter: etenim non rectè sequitur, Albedo inest ęthyopi; ergo ęthyops est albus (est enim albus tantùm secundùm dentes) benè tamen sequitur, scientia inest homini; ergo homo est sciens; cæcitas inest homini: ergo homo est cæcus: paternitas inest Petro: ergo Petrus est pater, &c. Quod etiam asserendum videtur (proportione tamen seruata) de inhærentia secundòintentionaliter sumpta idest de affirmatione, & negatione contingente prædicati de subiecto: nam optimè sequitur, Lignum prædicatur affirmatiuè de cathedra: ergo cathedra est lignea; sicut è contrà non sequitur de veste v. g. auro tantùm vermiculata, si dicatur, Aurum affirmatur de veste: ergo vestis est aurea; nam aureum non affirmatur de veste secundùm se tota sed secundùm partes. Quare in accidentibus non erit necesse vt ab inesse ad esse semper valeat consequentia; cùm non importent esse simpliciter, vt genera, & definitiones; neque necessariò sequantur essentiam vt proprietates, & passiones, sed tantùm secundùm quid, & contingenter. Ex quo capite colligebat Philosophus in principio secundi Topicorum, difficile esse terminare problemata accidentis; nam in problematibus aliorum prædicatorum bene sequitur, Animal inest homini: ergo homo est animal, vt in problemate generis: Risibilitas inest homini: ergo homo est risibilis, vt in problemate proprii: Animal rationale inest homini: ergo homo est animal rationale, vt in problemate definitionis, &c. Cauendum tamen est, quòd dum dicitur Animal inest homini, rationalitas inest homini, &c. talia prædicata non sunt intelligenda de inhærentia propria, & subiectiua; nam problemata illa cuius essent prædicata, non forent prædicata generis, proprii, &c. sed problemata tantùm accidentis, siue simplicis inhærentiæ, vt notatum est suprà disp. 44. q. 3. sed intelligẽda sunt de inhęrentia impropria, & obiectiua, scilicet de conuenientia intrinseca prædicati cum subiecto.

Notandum secundò, quod si sumatur accidens primòintentionaliter, scilicet prout contradistinguitur à substantia, inter ipsum, & substantiam nequit dari medium: nam cùm substantia dicat negationem essendi in subiecto, accidens verò affirmationem, inter ea non est dabile aliquod medium, neque per participationem, neque per negationem extremorum, vt patet ex dictis de oppositione contradictoria disp. 18. q. 3. not. 3. si autem sumatur secundòintentionaliter, videlicet vt contradistinguitur à prædicato per se, & tantùm importat aliquod prædicatum per accidens, cùm inter prædicatum per se, & prædicatum per accidens detur medium saltem per negationem extremorum, scilicet prædicatum nec omninò per se, nec omninò per accidens, non videtur ratio conueniens, quòd inter substantiam, & accidens non possit dari medium. Etenim proprietas, siue passio subiecti licèt non sit de essentia subiecti, est tamen subiectum vice versa, ita de essentia passionis, vt impossibile sit dari passio absque subiecto, à quo fluit. Quare prædicta passio non erit prædicatum de subiecto omnino per se, cùm non sit de essentia illius; nec omnino per accidens, cùm saltem subiectum sit de essentia passionis, vtpotè à principijs essentialibus, non autem materialibus, & indiuidualibus eiusdem subiecti deriuantis; & hinc est, quòd tale prædicatum ponitur non in primo modo dicendi per se, neque in modo aliquo dicendi omnino per accidens; sed in secundo modo dicendi per se, vt dictum est suprà disp. 37. q. 7. qui modus nec omnino accidentalis, nec omnino essentialis est.

Dicendum est ergo, quòd Prædicatum accidentis, vnde loca eiusdem problema terminantia sumi solent; non solùm distinguitur formaliter, & specificè à prædicato generis, & definitionis; verum etiam à prædicato proprii. Probatur prima pars; quoniã tale prędicatum accidentis constituitur in esse talis prædicati per diuersam rationem formalem, ac constituantur prædicata generis, & definitionis: ergo tale prædicatum à cæteris debet distingui formaliter: Consequentia patet ex eo, quòd idem est constitutiuum, & distinctiuum, cùm autem constitutiuum sit formaliter diuersum à cæteris: ergo & distinctiuum. Antecedens autem probatur; nam ratio formalis constitutiua prædicatorum dialecticorum est modus prædicandi ita de subiecto, vt per ipsum formari possit problema dialecticum, ex dictis disp. 43. q. 1. Sed diuersimodè prædicatur de subiecto accidens, quàm prædicentur genus, & definitio; etenim genus, & definitio prædicantur essentialiter, accidens verò accidentaliter: ergo prædicatum accidentis constituitur in esse talis per diuersam rationem formalem, &c.

Probatur secunda pars, nempè quòd prædicatum accidentis, & prædicatum proprij distinguuntur formaliter. Nam modus prædicandi necessariò, & modus prædicandi contingenter sunt modi prædicandi essentialiter, & formaliter distincti: contingens enim, & necessarium essentialiter opponuntur, & vterque modus prædicandi pertinet ad speciem prædicati dialectici constituendi; Sicut modus concludendi ex principijs necessariis, aut contingentibus pertinet ad speci-

ciem syllogismi constituendi, & quando concluditur ex principiis omnino necessariis constituitur demonstratio specie distincta à syllogismo probabili, qui constituitur, quando concluditur ex principiis non necessariis; & sicut ex diuersitate materiæ necessariæ, aut contingentis resultat differentia essentialis in syllogismo, qui ex hac, vel illa constituitur; sic ex diuersitate eiusdem materiæ resultabit differentia essentialis, & specifica in prædicatis, quæ constituuntur ex modo necessario, & contingenter conuenienti subiecto: ergo, &c.

Respondent Aduersarii, per talem rationem tantùm probari differentiam, & distinctionem prædicati accidentis, & proprii, sumendam esse à materia prædictorum prædicatorum; & consequenter nec esse formalem, nec ad rem præsentem, cùm Logicus per se non agat de materia prædicatorum dialecticorum, vt notum est.

Contra tamen; nam per talem rationem differentia, & distinctio prædictorũ prædicatorum non attenditur penes materiam necessariam, & contingentem, sed penes modum prædicandi contingenter, & necessariò, ex materia contingenti, & necessaria resultantem (materia etenim Enunciationis ex dictis lib. 2. Instit. cap. 6. non est ipsamet vnio prædicati cum subiecto, seu modus prædicandi ipsius: sed quædam habitudo, & ordinatio prædicati, ad subiectum antecedens ipsam vnionem, seu modum prædicandi): ergo per talem rationem non probatur distinctionem inter prædicta prædicata esse tantùm materialem nisi ad summùm radicaliter, & fundamentaliter, quod non officit distinctioni formali, & essentiali ex diuerso modo prędicandi desumptæ.

Ex quo patet quàm rectè terminari possint problemata accidentis per locum à distinctione logicè, & propriè accepta attributorum, si dicatur hoc prædicatum e. g. Petrus est doctus non est Genus, nec Proprium, neque definitio: ergo est accidens; seu quod idem est, esse doctum non inest Petro vt genus, nec vt proprium, neque vt definitio: ergo inest ei vt accidens, &c.

Obiicitur primò contra hanc secundam partem conclusionis; nam contra primam parùm, aut nihil difficultatis est adducendum. Quia ex dictis in antecedenti quæstione non solùm accidens commune, verùm etiam proprium potest denominari à prædicato dialectico accidentis; ergo tantùm valet differre materialiter, cùm sint idem formaliter. Probatur consequentia, nam tunc haberent eundem modum prædicandi de subiecto, scilicet accidentaliter, & contingenter, cùm non minùs ex dictis contingat Petro, quòd sit albus, quàm quòd digreget visum: ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam (si tamen intelligatur de prædicatis proprii, & accidentis logicè acceptis; nam re vera antecedens vnde sequitur, tantùm intelligitur de prædicatis accidentis, & proprii physicè, vel metaphysicè consideratis; in quo sensu concedi potest totum argumentum). Ad cuius probationem tamen dicendum videtur, non tantùm poni per ipsam inter prędicta prędicata distinctionem materialem, verùm, etiam formalem cęteris paribus; quinimmo magis formalem, quàm materialem. Et ratio est, nam si prædicata illa, etiò secundùm considerationem metaphysicam à Logico omnino alienam, inter se distinguuntur; quia tamen eundem sortiuntur modum prædicandi, qui maximè à Logico attendi debet, habent eandem formalem, & essentialem rationem accidentis; signum manifestum est, quòd dum apud Logicos distinguuntur, non ratione materiæ, sed ratione modi prædicandi habent distingui; itaut si eundem habeant prædicandi modum, vt probat argumentum, non distinguantur, secus verò si diuersum, in quo formalis, aut essentialis distinctio, seu conuenientia consistit.

Obijcitur secundò, nam proprium logicè acceptum habet eundem modum prædicandi cum accidente, itidem logicè considerato; ergo si inter se distinguuntur, non formaliter, sed materialiter tantùm habent distingui. Consequentia patet, cùm distinctio formalis ex diuerso modo prædicandi tantùm petenda sit. Antecedens verò probatur; quoniam proprium non solùm prædicatur in quale, & per modum partis de eo cuius est proprium ad modum accidentis ex dictis disp. 6. q. 1. verùm etiam denominatiuè; cùm non minùs homo à risibilitate, quæ est forma accidentalis illius, risibilis appellationem habeat, quàm ab albedine, albi denominationem sortiatur: ergo, &c.

Respondetur negando antecedens; Ad cuius probationem dicendum est, proprium prędicari quidem in quale, & per modum partis de subiecto, sed non ad modum accidentis communis, cùm tale accidens prędicatur contingenter, proprium verò necessariò, vt dictum est disp. citata: similiter prædicari aliquo pacto denominatiuè, sed non strictè, & propriè ad modum accidentis communis, scilicet quatenus habet rationem formæ accidentalis facientis cum subiecto prędicationem omnino per accidens, vt dictum est disp. 8 q. 3. ad secundum: sed largè, & impropriè potiùs ad modum generis, in quantùm scilicet cum subiecto denominato facit prædicationem non omnino per se, scilicet in primo modo sicut genus, & quælibet forma substantialis, sed saltem in secundo, vt iam dictum est.

Obiicitur tandem tertiò, quoniam tam accidens commune, quàm proprium enunciatur per se in secundo modo dicendi per se de suo subiecto: ergo non distinguuntur formaliter, sed tantùm materialiter. Consequentia patet ex dictis. Antecedens similiter quoad secundam partem iam probatum est; quoad primam partem verò sic probatur; quia ratio secundi modi dicendi per se est quando in ratione prædicati ponitur subiectum, seu quando subiectum est de essentia prædicati, vt cum Philosopho diximus suprà disp. 37. q. 7 sed in ratione cuiuscunque accidentis ponitur subiectum ex Arist. 1. physic. text. 28. & 7. metaph. text. 17. quod etiam suprà à nobis probatum est disp. 3. quæst. 1. ergo, &c.

Respondetur negando antecedens quoad primam partem; ad cuius probationem neganda est minor, quoniam nec Philosophus, neque nos cum illo diximus loco citato subiectum esse de intrinseca, & essentiali ratione accidentis; sed dependentiam, & ordinem accidentis ad illud tantùm esse de illius essentia; cùm essentia accidentis ex ijs, quæ dici solent in Metaphysica, sit aptitudinalis inhærentia. Quare dum ponitur in definitione essentiali accidentis subiectum; non ponitur vt quid illi essentiale (aliter enim nunquam faceret cum illo prædicationem omnino per accidens)

cidens) sed tanquam id vnde sumitur, vel ad quod ordinatur esse accidentis; difficile enim esset, explicare dependentiam, & ordinationem accidentis ad proprium subiectum non ponendo ipsum subiectum. A Videantur ergo ea, quæ diximus disp., & quæst. citatis præcipuè ad secundum argumentum; & etiam ea, quæ notauimus secundo loco disp. 37. per totam quæst. 2.

LIBER TERTIVS TOPICORVM.

EIVSQVE SYNOPSIS.



CVM problemata accidentis considerentur vel secundum se, vt dum proponitur, e.g. an Petro contingat canere, &c., vel vt comparata, nimirum, an Petro magis contingat canere, quàm scribere, seu, quod ferè idem est, an magis expediat, vel eligibiliùs sit Petro canere, quàm scribere, &c. iure optimo Philosophus postquàm in præcedenti libro egit de locis terminantibus problemata accidentis absoluta; in hoc tertio libro de locis problemata accidentium comparata, quæ alio nomine etiam vocantur de prædicato accidentis annexo terminantibus, agit. Quæ materia adeò communis, & transcendens est, vt in omnibus artibus, aut scientijs ferè inueniatur: etenim non solùm moralis Philosophus disputat, an magis expediat eligere vtilius; verùm etiam naturalis, dum quærit, e.g. an Terra magis sit frigida, quàm sicca, & sic de cæteris proportione tamen seruata, prout scilicet sibi postulat vniuscuiusque facultas. Tradit tamen Aristoteles doctrinam præcipuè de eligibilibus, quæ sunt vel circa prosecutionem boni, vel circa fugam mali, in quo versatur sola moralis scientia, quia alijs comparatis plura, clariora, atque vtiliora sunt. Antequàm autem ad explicationem talium comparationum accedat, declarat, & explicat circa quas verè, & propriè soleant versari problemata dialectica, dicens; per problemata dialectica non solent comparari ea, quæ valdè distant inter se, habentque manifestam differentiam, sed ea tantùm, quæ sunt propinqua; & de quibus dubitatur, vtrùm eorum alteri præemineat, eò quòd non sit manifesta eorum differentia: e.g. nemo vocat in quæstionem vtrum felicitas sit melior quàm diuitiæ, quia manifestum est felicitatem valdè præeminere diuitiis; è conuersò autem vocamus in quæstionem, vtrùm eligibilior sit sensus visus, an sensus auditus, quia non est manifesta differentia, per quam alter horum sensuum præstet alteri; ideòque potest de tali præeminentia dubitari.

Diuiditur autem præsens liber secundùm latinos in quatuor capita, in quorum primo docet Philosophus terminare problemata de accidente comparato, & contracto, hoc est tam secundùm considerationem magis, & minùs; quàm secundùm considerationem electionis, & fugæ: vt dum ait, quòd diuturnius est, aut firmius, est magis eligendum; quod prosequitur per totum secundum, & tertium caput, ponendo multas, & varias considerationes tam ex parte eligibilis, quàm ex parte eligentis, & eligendi, inspiciendo tum ad omnes causas, tum ad omnes circunstantias, & conditiones, quibus vnum magis eligibile est, quàm aliud. In quarto tandem, & vltimo capite primo loco docet terminare problemata de accidente contracto, & non comparato, vt e.g. honorabile est eligibile, dicendo quod eædem considerationes, quæ valent ad terminanda problemata de accidente contracto, & cõparato, etiã valent ad terminãda problemata de accidẽte cõtracto, & nõ cõparato: nã problema de accidẽte cõtracto, & nõ cõparato infertur ex problemate de accidente contracto, & cõparato; etenim ex eo honorabile est eligendũ, quòd honorabilius est magis eligendum. Secundo verò loco docet terminare problemata de accidente comparato, & non contracto ad aliquam materiam specialem; vt e.g. si aliquod secundùm naturam est tale, erit magis tale, quàm illud quod non est secundùm naturam tale, circa quod nonnullas ponit considerationes inspiciendo ad omne id, ratione cuius aliquid potest esse magis tale, nempe vel ex parte sui, vel ex parte alicuius accidentis superadditi. Et de his omnibus eodem modo discurrendum est.

DISP. QVINQVAGESIMAPRIMA.

De locis dialecticis per ordinem ad Problemata accidentis contracta, & comparata.



LOcis omnibus saltem præcipuis tum secundùm se, tum secundùm quòd ordinantur ad terminanda problemata accidentium absoluta, traditis, & explicatis; cùm talia problemata ex dictis disp. 43. q. 2. habeant annexa, scilicet comparationem secundùm magis, & minùs; modò agendum videtur in hac disputatione de eisdem locis vt ordinantur ad terminanda problemata accidentium comparata, seu, quod idem est, vt terminant problemata accidentis de prædicato annexo. Non quidem vt de singulis habenda sit ratio singil-

figillatim (etenim, vel dicta inutiliter repeterentur, vel superflua traderentur) sed vt solummodò in genere non ignoretur, vnde ritè, & regulatiter sumi possunt.

QVÆSTIO I.

An Prædicatum accidentis comparatum, siue ad ipsum prædicatum accidentis annexum, vnde loca ad terminandum problemata accidentis comparata sumi solent, possit esse indifferenter tam substantia, quam accidens.



IAM uidimus disp. præcedenti q. 1. tam substantiam, quàm accidens commune, & proprium posse indifferenter denominari prædicatum accidentis dialectici, vnde sumenda sunt loca apta ad terminandum problema accidentis absolutum: modò videndum manet, an etiam possint denominari prædicatum accidentis comparatum, vnde sumenda sunt loca apta ad terminandum problema accidentis de eodem prædicato comparato. Ratio autem dubitandi est, quòd cùm substantia non suscipiat magis, & minùs, quod indispensabiliter requiritur ad hoc, vt prædicatum aliquod dicatur comparatum; non videtur fundamentum sufficiens esse assignandum, cur substantia possit, & debeat denominari tale prædicatum.

Quapropter, vt certa ab incertis separentur, supponendum est suscipere magis, & minùs multipliciter accipi. Primò pro susceptione incrementi, & decrementi, quoad subiectum, vel quoad accidens, vel quoad vtrunque; & hoc modo substantia nec secundùm se, nec secundùm accidens potest suscipere magis, & minùs: non secundùm se, quia ex Aristot. cap. 13. prædicamentorum, motus augmentationis, & diminutionis non terminatur ad substantiam, sed ad quantitatem: neque secundùm accidens, quoniam ex eodem Philosopho ibidem cap. 6. quantitas, quæ est tale accidens propriè, hoc est secundùm intensionem, & remissionem non suscipit magis, & minùs. Secundo verò modo magis, & minùs suscipere, accipitur pro recessu, vel accessu ad suum contrarium; itaut quod magis recedit à suo contrario dicatur suscipere magis de recessu, & quod magis cum ipso miscetur, dicatur suscipere minùs de tali recessu; & hoc etiam modo substantia secundùm se non suscipit magis, & minùs, cùm ex Philosopho loco citato cap. 5. substantiæ nihil sit contrarium. Tertiò suscipere magis, & minùs accipitur pro esse formæ in subiecto secundùm maiorem, & minorem dispositionem eiusdem formæ, remanente tamen essentia illius immutata; & hoc etiam modo substantia secundùm se non suscipit magis, & minùs, cùm secundùm Philosophum, loco suprà citato, substantia non sit in subiecto inhæsionis. Quarto modo suscipere magis, & minùs accipitur pro maiori, & A minori radicatione formæ in subiecto; & hoc modo propter eandem auctoritatem Philosophi, eò magis certũ est substantiã secundùm se non suscipere magis, & minùs. Quinto modo suscipere magis, & minùs accipitur pro accessu, & recessu ad terminum, seu ad formam denominantem; ita vt, quod propriùs accedit ad illam dicatur habere magis, quod autem magis recedit dicatur habere minùs. Sed etiam hoc modo, certum est, substantiam secundùm se non suscipere magis, & minùs, cùm ex Arist. 8. Metaph. text. 10. Substantia sit sicut numerus, scilicet consistat in indiuisibili. Sexto tandem modo suscipere magis, & minùs accipitur pro maioritate, & minoritate perfectionis, siue substantialis, siue accidentalis; si loquamur de perfectione accidentali, & extrinseca certum quoque est, substantiam saltem secundùm se non suscipere B magis, & minùs, sed tantùm ratione illius accidentis, quod importat perfectionem. Si verò loquamur de perfectione substantiali, adhuc dupliciter intelligi potest, vel scilicet de perfectione specifica, & quidditatiua rei vt sic, nempe vt non contractæ, & determinatæ ad aliquod esse indiuiduale: vel de perfectione numerica, id est ipsius rei contractæ, & determinatæ ad aliquod esse indiuiduale. Si loquamur in primo sensu, certum est substantiam non suscipere magis, & minùs, cùm formæ sint sicut numeri ex Arist. loco suprà citato 8. Metaph. Si autem loquamur in secundo sensu, non omnium eadem est sententia; aliqui enim negant; aliqui verò affirmant.

Vnde prima sententia est Henrici quolib. 3. q. 5. Durandi in 2. dist. 32. q. 3. & cum eo Argentina ibi- C dem q. 1. Soncinatis 8. Metaph. q. 26. Soti cap. de substantia q. 2. ad 9. Toleti 3 de anima q. 18 Fonsecæ 5. metaph. cap. 26. q. 16. sect. 2 Baldij-Gherard. lib. 2. rerum actualitatis, quæsito 4. q. 1. diff. 2. & p. p. Monarchiæ Christi lib. 2. q. 6. diff. 4. negantium substantiam suscipere magis, & minus, etiam quoad perfectionem substantialem indiuiduatem, licèt Henricus non absolutè, neget propter auctoritatem cuiusdam articuli parisiensis hanc sententiam damnantis, cui iure iurando cum alijs socijs sorbonicis se obstrinxerat. Quare de consequenti etiam videntur negare substantiam posse esse, prout spectat ad rem nostram, prædicatum accidentis comparatum, vnde loca dialectica sumuntur ad terminanda talia problemata.

Secunda verò sententia est Arist. pluribus in locis D vt 8. metaph. text. 10. secundo de generatione animalium cap. 3. 1. de anima cap. 3. & 2. cap. 2. D. Thomæ p. p. q. 85. art. 7. Scoti q. 8. metaph. q. 3. & 1. sentent. dist. 17. q. vltima D. Bonauenturæ, & Durandi in 2. dist. 17. Caietani, & Bannesii in primam partem D. Thomæ loco citato. Ruuij lib. 2. de anima cap. 3. tract. de pluralitate animarum q. 2. Fabri theoremate 65. atque aliorum affirmantium substantiam quoad perfectionem substantialem indiuidualem suscipere magis, & minùs; & consequenter ad rem nostram posse esse prædicatum comparatum accidentis, ex quo sumuntur, &c.

Notandum est idcirco primò, quòd substantia non prout est quidditas abstrahens à suppositis, & indiuiduis; sed prout est quidditas inclusa, & participata ab ipsis, de qua in præsenti tantùm est sermo (de illa enim iam suppositum est non suscipere magis, & minùs in per-

perfectione essentiali) nil aliud est, quàm substantia quædam modificata, non vtcunque, sed per modum quendam substantialem sibi essentialiter debitum ad hoc, vt existat, & verè, & propriè sit prima substantia, & indiuiduum: nisi enim naturæ contraherentur per differentiam indiuidualem, & fierent particulares, manerēt vniuersales; atque ita vniuersale formale, non materialiter in indiuiduis, sed formaliter etiam ab ipsis separatum daretur in rerum natura, quod vt absurdum iam refutatum fuit tum ab Arist. 7. metaph. text. 51. & alibi; tum ab omnibus Theologis, atque Philosophis. Quare vt existant à parte rei, est illis essentialiter debita, & necessaria talis modificatio, quę quidem nō consistit in indiuisibili, itaut omninò ęqualis sit in omnibus, & non admittat quandam latitudinem, quosdamque gradus maioris, ac minoris participationis naturæ contractæ, & indiuiduatæ: vidimus enim vnum ignem, v.g. magis, & perfectiùs participare de forma ignis, quàm alius; cùm perfectiùs, & magis alio operetur: nam operatio perfectior, & nobilior arguit nobiliorem, & perfectiorem formam in supposito, aut indiuiduo, cùm nobilior potentia semper nobiliorem essentiam supponat, vt inductione patet.

Notandum secundò, quòd aliter contingit suscipere magis, & minùs de perfectione in accidentibus, & aliter in substantijs; quia in accidentibus magis, & minùs inducitur motu continuo: nam eadem caliditas numero, modò est in quatuor gradibus, modò in octo, modò in sex, & semper in motu continuo, absque quod corrumpatur intenditur, & remittitur ad prędictos, & similes gradus; in substantia autem magis, & minùs inducitur solùm in mutatione indiuiduali, quæ est generatio, quam appellamus mutationem indiuidualem, quia terminatur ad indiuiduum; quando autem indiuiduum generatur, tunc participat magis, & minùs alio indiuiduo de sua natura specifica, sed postea ampliùs non remittitur, neque intenditur quoad substantialem illam formam, quam recipit, sed semper in eodem gradu permanet; & in hoc consistit differentia inter substantiam, & accidens in suscipiendo magis, & minùs de perfectione.

Dicendum est ergo, quòd tam accidens, quàm substantia possunt esse prædicata accidentis comparata, & contracta, ex quibus loca dialectica sumuntur ad terminanda eorundem prædicatorum problemata.

Probatur; quoniam tam accidens, quàm substantia habent latitudinem gradualem perfectionis indiuidualis: ergo tam accidens, quàm substantia possunt esse prædicata comparata, & contracta accidentis, &c. consequentia patet ex eò, quòd vtrunque potest suscipere magis, & minùs, quod indispensabiliter requiritur ad comparationem, & electionem. Antecedens quoad primam partem satis liquet inductione, nam quodlibet indiuiduum accidentis perfectiùs, & imperfectiùs, perfectione indiuiduali participat de sua natura; nam qui duplici tunica indutus est (vt ab indiuiduis accidentis minùs perfectis incipiamus) perfectiori modo participat de habitu, quàm participet ille, qui vnica tunica est indutus. Et homo rectus magis participat de situatione naturali, quàm homo curuus, cùm magis, & perfectiùs habeat caput sursum; sicuti qui cubat secundùm omnes partes corporis, perfectiùs participat de situatione præternaturali eo, qui tan-

A tùm cubat secundùm aliquas partes. Item perfectiùs participat de tempore senex, quàm iuuenis, cùm habeat perfectiorem, & maiorem extensionem durationis. Et perfectiùs participat de loco sursum, qui habitat superiora domus, quàm ille qui habitat inferiora. Sicut perfectiùs participat de actione, & passione, actio, & passio principalis, quàm secundaria. Et perfectiùs participat de esse qualitatis, qualitas intensior, quàm remissior. Tandem perfectiùs participat, perfectione indiuiduali de relatione, illa relatio, quæ ad plures terminos se extendit, quàm illa, quæ se habet ad pauciores. Sicut perfectiùs participat de esse quantitatis, quæ maiorem, quam quæ minorem habet extensionem. Et licèt talia exempla indifferenter non verificentur de perfectione intensiua, sufficit tamen

B quòd verificentur de perfectione extensiua. Sicut licèt non in omnibus indiuiduis suarum specierum sequantur (etenim in qualibet specie ex assignatis generibus possunt dari indiuidua omninò ęqualia in participatione suæ naturæ) tamen satis est ad comparationem talis perfectionis, quòd in aliquibus sequatur, vt exemplificatum est.

Secunda autem pars antecedentis, in qua viget difficultas, probatur primò auctoritate Philosophi 8. Metaph. text. 10. vbi habet: *Quemadmodum nec numerus habet magis, aut minùs, nec quæ secundùm speciem substantia, sed siquidem, quæ cum materia*; quæ auctoritas est clarissima: ibi enim comparat formas numeris, & ait quòd sicut numerus non habet magis, vel minùs, ita substantia, quæ est secundùm speciem non suscipit magis, vel minùs; sed quæ cùm materia;

C quod autem intelligat hoc patet; quia intelligit substantiam secundùm esse indiuiduale, siue secundùm quod recipitur in indiuidua, hæc enim est substantia in materia, non abstracta à materia; hoc modo igitur substantia suscipit magis, & minùs, quia recipitur in indiuidua secundùm magis, & minùs.

Respondent Aduersarij, auctoritatem Philosophi intelligendam non esse de substantia recepta in materia secundùm se; sed tantùm secundùm dispositiones eiusdem materiæ, quæ non substantiæ, sed accidentia quædam sunt. Vnde ad summùm ex tali auctoritate concludi potest substantiam suscipere magis, & minùs perfectionis indiuidualis per accidens, nempe ratione talium dispositionum.

D Contra tamen est id, quod dicit idem Philosophus 2. de Anima text. 26. nam loquendo de Anima contra Antiquos, qui ponebant eam in corpore, absque determinatione, & contractione indiuiduali, scilicet huius, vel illius corporis, ita vt vna, & eadem anima, quodlibet corpus indifferenter posset informare; sic ait: *Corpus autem non est, sed perfectio corporis, & propter hoc est in corpore, & in tali corpore; non sicut fecerunt antiqui, in ponendo eam in corpore absque determinatione illius corporis, quòd corpus sit, & cuiusmodi; ex hoc licèt non quodcunque recipiat quæmcunque*. Quæ verba vtique non essent ad rem, si acciperetur forma substantialis in corpore, non secundùm se, sed tantùm secundùm dispositiones materiales: etenim minimè obstaret, vt vna, & eadem Anima diuersa corpora diuersimode disposita informaret, si secundùm se non haberet in corpore in quo, & propter quod est diuersos gradus substantiales indiuiduales, ratione quorum est in hoc, & non in illo. Præter quàm quod explicatio illius au-

auctoritatis Aristotelicæ adhibita ab aduersarijs potius est effugium, quàm euersio; nam estò Philosophus ibidem loqueretur de substantia non secundùm se, sed secundùm dispositiones materiales, attamen esset pro nostra conclusione; etenim dispositiones illæ induunt perfectionem formæ, cùm in genere causæ efficientis illam sequantur, licèt in genere causæ materialis præcedant, vt ex professo dici solet primò de generatione, & corruptione.

Eadem secunda pars eiusdem antecedentis probatur secundò, ratione: Nam tunc aliquid habet gradualem latitudinem perfectionis indiuidualis, quando illius indiuidua se excedunt, & ab inuicem distinguuntur, modo aliquo substantiali indiuiduali: sed hoc modo se habet substantia, vt contracta, & inclusa in indiuiduis: ergo habet latitudinem gradualem perfectionis indiuidualis. Maior patet ex dictis; nam sicut tunc aliquid habet latitudinem gradualem perfectionis accidentalis, quando eius indiuidua se excedunt, & ab inuicem distinguuntur, modo aliquo accidentalis; ita tunc aliquid habet latitudinem gradualem perfectionis substantialis, quando illius indiuidua se excedunt, & ab inuicem distinguuntur modo aliquo substantiali, cùm oppositorum eadem sit ratio. Minor verò probatur; quoniam substantia non constituïtur in esse indiuiduali per aliquod accidentale, sed per aliquod substantiale: ergo indiuidua substantiæ non se excedunt, neque ab inuicē distinguūtur per aliquod accidentale, cùm idē sit principium constitutiuū, & distinctiuum. Antecedens autem sic probatur; etenim id quod pertinet ad aliquam lineam, maximè si sit fundamentum cæterorum illius lineæ, nequit constitui per aliquod extra prædictam lineam: alioquin esset, & non esset extra talem lineam: quia res constituta non potest non pertinere ad lineam sui constitutiui: ergo cùm prima substantia vt talis, scilicet vt indiuiduata pertineat ad lineam substantiæ, vt fundamentum totius lineæ repugnabit illam constitui in esse talis, seu in esse substantiæ primæ, & indiuiduæ per aliquod extra propriam lineam, & accidentale.

Dicet fortasse aliquis, hæc non cohærere tum cum ijs, quæ aliàs diximus; tum cum ijs quæ in metaphisicis tradi solent. Non cum ijs, quæ aliàs diximus; nam cap. 5. de substantia cum Philosopho docuimus; vnam primam substantiam non esse magis, seu perfectiorem substantiam quàm alia; Item disp. 10. q. 2. & disp. 13. q. 1. probauimus diuisionem substantiæ in particularem, & vniuersalem, scilicet in primam, & secundam non esse generis in suas species, aut speciei in sua indiuidua; sed subiecti in sua accidentia; talesque modos particulariter, & vniuersaliter essendi esse quædam accidentia. Neque minùs cohærere cum ijs, quæ dici solent in Metaphysicis de principio indiuiduationis, cum non materia secundùm se, sed quantitate affecta, & sigillata ponenda sit pro tali principio indiuiduationis; vnde substantia consequenter constituetur in esse indiuiduali per aliquod accidens, nempe per quantitatem ipsam.

Respondetur, adductam rationem pro nostra conclusione optimè cohærere, cum dictis, & cum dicendis, si talia intelligantur, sicut intelligi debent; Nam cùm diximus vnam primam substantiam non esse alia prima perfectiorem, non intelleximus de perfectione substantiali indiuiduali, sed de modo subsistendi acci-

A dentibus, qui modus ab omnibus primis, & indiuiduis substantiis æqualiter participatur, cùm tam vna, quam alia substet omnibus accidentibus, quæ in ipsa subiectantur. Dum autem diximus diuisionem substantiæ in primam, & secundam esse subiecti in sua accidentia, & tales modos scilicet particulariter, & vniuersaliter essendi esse accidentia; locuti sumus de substantia secundùm se præcisè, seu secundùm suum conceptum quidditatiuum, prout scilicet tantùm dicit esse per se, cui accidunt quidem tales modi; non verò de substantia secundùm esse specificum, vel secundùm esse indiuiduale, & numericum: nam modus vniuersaliter essendi conuenit necessariò substantiæ secundùm esse specificum; & modus particulariter essendi conuenit necessariò substantiæ secundùm esse

B numericum, & indiuiduale; eodem ferè proportionali modo, quo esse hominem, & esse equum conueniunt animali vt sic; animali verò in specie, & in indiuiduo conueniunt necessariò, & essentialiter. Cohæret etiam adducta ratio pro nostra conclusione cum ijs, quæ dici solent in Metaphysicis de principio Indiuiduationis; nam quando Doctores assignant ibidem materiam ex mente Philosophi sigillatam quantitate, esse indiuiduationis principium, seu constituendi substantiam indiuiduam, non est illorum mens ponere pro tali principio materiam signatam quantitate prout dicit compositum quoddam ex ipsa materia, & quantitate tanquam ex forma inhærente, & constituente, vt senserunt aliqui Thomistæ; sed tantùm materiam signatam quantitate, idest vt præhabentem per modum radicis hanc potiùs quantita-

C tem, quàm illam. Et hinc est, quòd disp. 4. q. 1. consultò diximus differentiam indiuidualem ex parte materiæ facere differre substantialiter, atque reducendam esse ad differentiam specificam; licèt ex parte quantitatis, quàm importat de consequenti, faciat differre accidentaliter, & reducatur ad differentiam communem.

Obijcitur primò in oppositum secundæ partis conclusionis; nam contra primam, parua, aut nulla est difficultas; Etenim repugnat aliquid habere latitudinem gradualem perfectionis indiuidualis, & non habere latitudinem perfectionis specificæ: sed substantia ex dictis nullam habet latitudinem gradualem perfectionis specificæ: ergo nec indiuidualis, & numericæ: & consequenter nequit habere rationem prædi-

D cati comparatiui, ad quod indispensabiliter requiritur aliqua latitudo. Maior probatur, quoniam repugnat aliquid participari, & non participari: sed si substantia haberet latitudinem indiuidualem, & non specificam participaretur, vt supponitur, & non participaretur, quia de se non haberet, vnde participaretur, cùm de se sit indiuisibilis, & nullam admittat latitudinem: ergo repugnat aliquod habere latitudinem indiuidualem, &c.

Respondetur negando maiorem, ad cuius probationem distinguenda est minor, participaretur, & non participaretur secundùm vnam, & eandem rationem, & in hoc sensu neganda est: participaretur, & non participaretur secundùm diuersas rationes, & in hoc sensu concedenda est; nam participatur indiuisibiliter, non participatur autem diuisibiliter, cum de se consistat in indiuisibili. Repugnantia quidem nulla est, quòd aliquod indiuisibile secundùm se, indiuisibiliter

participetur à pluribus, perfectiori, & perfectiori modo ab vno, quàm ab alio; nam estò secundùm se nullam admittat latitudinem, & multiplicationem, eam tamen admittit in suis participantibus; quod vtique repugnaret, si diuisibiliter participaretur, ita vt vna pars, siue portio suæ quidditatis caperetur ab vno participante, & altera ab alio; tunc enim secundùm se non esset indiuisibile.

Obijcitur secundò, & potest esse replica primi. Nam talis latitudo gradualis perfectionis individualis videtur impossibilis etiam in substantia prima, & indiuidua; ergo substantia nullo modo potest habere rationem prædicati comparati secundùm magis, & minùs. Antecedens probatur; quoniam impossibile est esse nouam mutationem absque acquisitione noui termini realis; alioquin acquisitio esset sine eo, quod aliquid acquireretur, & factio absque eo, quod aliquid fieret; sed si daretur huiusmodi latitudo sequeretur hoc impossibile: ergo etiam talis latitudo erit impossibilis; Maior de se patet, Minor verò probatur; quoniam vna substantia indiuidua perfectius participans de essentia, quàm alia; vel per talem participationem acquireret nouam realitatem formæ; & hoc non, quia iam antea erat; ens enim acquiri, & fieri non potest, nam quod fit non est, vt patet 1. physic. text. 76. Vel acquireret nouam partem formæ, aut gradum essentiæ: & hoc similiter non, cùm essentia nec partes, nec gradus habeat. Vel tandem acquireret, existentiam, & hoc pariter non est admittendum, cùm essentia, & existentia vel sint idem, vt aliqui probabiliter defendunt, vel saltem existentia sit proprietas, & actualitas essentiæ intimius sequens ipsam essentiam, quàm risibile, aut aliqua propria passio suum subiectum: ergo in tali latitudine sequeretur prædictum impossibile, nimirum, quòd daretur, aliqua noua, & realis participatio, seu acquisitio termini absque reali termino.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem neganda est minor, nec aliquid facit totum id, quod pro ea adducitur; nam substantia indiuidua, per talem participationem nihil eorum de nouo acquirit (saltem eorum, quæ non repugnant ex parte rei acquisitæ, vt sunt partes, & gradus essentiæ) sed tantùm nouum realem, & substantialem modum ipsorum participandi, quod sufficit ad hoc vt saluetur terminus realis participatione, & acquisitione reali. Non enim absurdum est, quòd mutatio, & participatio sit de nouo, & terminus sit antiquus, nouo tamen, & reali modo participatus, vt docet D. Tho. 1. sentent dist. 17. q. vltima art. 2. ad 2.

Obijcitur tandem tertiò; quoniam talis latitudo indiuidualis, indispensabiliter requisita ad hoc, vt substantia posit habere rationem prædicati comparati, non potest dari nisi secundùm existentiam, cùm secundùm essentiam iam concessum sit nullam dari latitudinem. Sed existentia non minùs consistit in indiuisibili, quàm consistat essentia, cùm addat incomunicabilitatem: ergo si secundùm essentiam nequit dari prædicta latitudo gradualis, neque dabitur secundùm existentiam.

Respondetur distinguendo minorem; sed existentia non minùs consistit in indiuidibili, quàm essentia, ita vt tam vna, quàm alia non secundùm partem, & partem, sed indiuisibiliter sit in quolibet indiuiduo; & in

A hoc sensu concedenda est: Ita vt in vno indiuiduo non connotet nobiliorem, & perfectiorem participationem essentiæ, quàm in alio; & in hoc sensu neganda est. Etenim quando aliquod indiuiduum generatur, & existit, iam magis, aut minùs participare potest de essentia, seu natura sua specifica; semel autem generato, & existente, semper in eodem gradu permanet ad differentiam accidentis, vt notatum est suprà, secundo loco.

QVÆSTIO II.

B *An Prædicatum accidentis contractum, & comparatum vnde loca terminatiua eiusdem problema sumi solent, sit tantum id, quod magis sapit rationem boni.*

CVM magis sapiat rationem boni, id quod ratione sui, & propter se primò appetitur (Bonum ex Philosopho 1. Ethic. cap. 1. *est quod* omnia appetunt) quàm quod appetitur ratione alterius, & propter aliud: hoc est cùm magis participet rationem boni id, quod est finis (Bonum enim, & finis conuertuntur, vt colligitur ex eodem Philosopho tum 1. Ethic. cap. 7. vbi dicit: *Id quod vnicuique est bonum, eidem etiam est finis*; tum 2. Metaph. text. 8. vbi ait: *Qui tollunt finem, tollunt rationem boni*) quàm id, quod habet rationem medii (media enim propter finem appetuntur, vt de se patet); hinc est, quòd huiusmodi titulus facit hunc sensum: an scilicet prædicatum accidentis contractum, & comparatum, seu, quod idem est, maioris, vel minoris eligibilitatis, tantùm sit illud bonum, quod habet rationem finis, & non medii; vel potiùs vtrunque in suo genere.

C

Quæstio hæc præcipuè excitatur propter nonnulla verba Philosophi, quæ videntur ad inuicem repugnare: etenim 3. Ethicorum cap. 2. dixerat, *Quod voluntas est finis, electio autem eorum, quæ sunt ad finem*, vbi consequenter videtur docere prædicatum maioris eligibilitatis debere esse tantùm id, quod habet rationem medii; itaut illud bonum sit magis eligendum, quod habet maiorem rationem medii, & vtilitatis ad finem, non autem quod habet rationem finis. In hoc autem 3. lib. cap. 1. manifestè dicit: *Et finis ijs, quæ sunt ad finem eligibilior videtur esse; & duorum, quod propinquius est finis* vbi è contrà docet prædicatum maioris eligibilitatis præcipuè esse illud bonum, quod habet rationem finis.

D

Qua de causa ad tollendam omnem amphibologiam, quæ inde oriri posset, necessariò supponendum videtur, Electionem dupliciter capi posse, primò rigorosè, & strictè, pro actu voluntatis, qui versatur immediatè circa medium, vt præcisè dicit rationem vtilis ad aliquem finem: estque talis actus acceptio ipsius medii in ordine ad prædictum finem: condistinguiturque formaliter ab intentione simplici, volitione, fruitione, & aliis, si qui sunt in finem; nec non à consensu, & vsu; qui licèt versentur circa idem medium; respiciunt tamen illud sub distincta ratione,

 & in

& in hoc sensu locutus est Philosophus 3. Ethic cap. 2. citato. Secundo verò modo non tam strictè, sed in lata quadam significatione pro quacunque volitione, scilicet pro quocunque actu libero voluntatis, eò quòd in quolibet quidam modus discretionis, & quædam virtualis electio reperitur; nam cùm libertas in indifferentia ad vtrumlibet consistat, quicunque liberè aliquid vult, discernit, & eligit quodammodò inter extrema libertatis, dum relicto vno, alterum assumit. Et hac ratione quidquid liberè fit, siue aliàs propriè sit electio, siue intentio, & siue ex hac, siue ex illa procedat, dicitur fieri ex electione; & in hoc sensu locutus est Philosophus hic cap. 1. citato, vt patet ex 2. Ethic. cap. 4. dum asseruit ad opus honestum requiri, vt *fiat ex electione, & propter ipsum*. Quo igitur supposito est duplex opinio.

Prima absolutè docet prædicatum contractum, & comparatum siue maioris eligibilitatis esse tantùm id, quod per se simpliciter bonum est, siue quod habet rationem finis. Ita tenentur docere omnes illi Doctores, qui asserunt electione, siue rigorosè, siue latè sumptam esse circa finem tantùm, de quorum numero sunt omnes illi, quos suppresso nomine citat Gregorius Martinez in 1. 2. D. Thomæ dub. 3.

Secunda verò sententia docet tale prædicatum maioris eligibilitatis strictè sumptæ, tantùm esse illud bonum, quod habet rationem medij; Eligibilitatis verò latè sumptæ, esse omne id, quod magis sapit rationem boni, siue finis, siue medium fuerit. Ita uidentur affirmare Aluarez disp. 43. Montesinus, Lorca, Curiel, Granado, Salmanticenses, atque alij in prima secundæ D. Thomæ, & est communis ferè omnium commentatorum Aristotelis in hoc tertio Topicorum.

Notandum idcircò est primò, quòd Bonum voluntati propositum, & ostensum ab intellectu, ad hoc vt ipsam moueat, & alliciat, non debet proponi vtcunque, sed vt illi conueniens vel propter se vel propter aliud; hoc est vel sub ratione finis, vel sub ratione medij; nam licèt intellectus possit apprehendere rationem boni abstrahendo ab eo quòd sit conueniens ipsi appetenti, vel alteri: nihilominùs vt voluntas in tale bonum feratur determinatè, debet proponi sub ratione conuenientis prædicto modo ipsi appetenti, eò quòd vnunquodque appetit aliud sub ratione sibi conuenientis. Et quamuis speculatiuè, & in actu signato hæc ratio non semper ab intellectu discernatur; practicè tamen, & in actu exercito semper proponitur; nec bonum ab intellectu aliter apprehensum diligeretur, iuxta commune proloquium, *Amabile Bonum vnicuique proprium*, hoc est conueniens. Quare fit, quòd cùm intellectus possit errare iudicando aliquod esse conueniens, atque expediens, quod re verá est inconueniens, & inexpediens, & consequenter in lumine cognitionis deficere, etiam voluntas cùm sit potentia cæca, & ductui intellectus se omninò committens, poterit appetere, vt sibi conueniens id, quod omninò eam dedecet, iuxta illud Mathæi 17. *Cæcus autem si cæcum ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*. Ita enim exposcit connexio, & simpathia, quæ est inter prædictas potentias, ex qua oritur, vt voluntas non aliud, nec aliter appetat, nisi quod ab intellectu proponitur, & prout ab eo proponitur; atque ideò si absque defectu huius ducatur, absque defectu, & peccato ductum illius sequetur, quòd si voluntas in suo processu

A deficit, signum euidens est intellectum cum aliquo defectu obiectum sequendum proposuisse. Quapropter non sequetur inde, quòd voluntas tendat in malum, vt sibi prosequatur inconueniens, nisi per accidens, ratione scilicet intellectus malè iudicantis; nam semper fertur in bonū ab intellectu propositum, vt sibi conueniens, estò re vera sit inconueniens, cùm impossibile sit potentiam aliquam ferri extra proprium obiectum; obiectum autem Voluntatis est bonum.

Notandum secundò, Bonum vt voluntati conueniens dupliciter considerari posse, vel in communi, & vt sic; vel in particulari, & vt tale bonum conueniens est. Si consideretur primo modo, Voluntas circa ipsum nullam habet libertatem, cùm ei ab intellectu non proponatur cum indifferentia, sed cum necessitate tendendi in ipsum, tanquam in obiectum adæquatum, primarium, & specificatiuum ipsius voluntatis; B cùm non possit idemmet intellectus non iudicare ipsum esse tale propter omnimodam perfectionem, quā habet, nullum admittens defectum mali; nam etsi voluntas sit potentia libera, priùs tamen est potentia naturalis, eò quòd libertas in natura fundatur, & eam essentialiter præsupponit; vnde sicut primarius conceptus voluntatis non est, quòd sit libera, ita neque actus, in quibus potissimum libertas splendet, cuiusmodi est electio, ad primarium specificatiuum ipsius voluntatis, terminari debeat. Si autem consideretur secundo modo, cùm intellectus possit liberè iudicare hoc tale bonum non expedire voluntati, benè tamen hoc illud; etsi expedit secundùm vnam rationem, secundùm aliam non expedire (potentia enim C rationalis potest habere diuersas conceptiones boni, vnde appellatur domina suorum actuum) & consequenter ipsum teneatur proponere voluntati cum indifferentia; voluntas pariter potest tendere in illud cum indifferentia, & libertate; nam cùm sit potentia cæca, vt dictum est supra, debet sequi per omnia ductum intellectus: atque adeò sicut iste in iudicando de appetibilibus in particulari est indifferens, taliterque vnunquodque apprehendit, vt eius iudicium non ligetur, neque ad vnum determinetur; ita illa debet in appetendo similem seruare indifferentiam, siue eo quod ab aliquo appetibili finito, & particulari necessitetur.

D Dicendum est ergo, quòd Prædicatum accidentis contractum, & comparatum, siue maioris eligibilitatis, vnde sumuntur loca probleba eiusdem terminantia; potest esse omne id, quod magis sapit rationem boni, siue medium, siue finis fuerit.

Probatur; quoniam illud habet rationem prædicati maioris eligibilitatis, &c. quod iudicatur magis allicere voluntatem, salua eius indifferentia, & libertate: sed omne id, quod magis sapit rationem boni (intelligendum tantùm est de bono in particulari iuxta notata) siue finis, siue medium fuerit, est huiusmodi: ergo potest habere rationem prædicati maioris eligibilitatis. Maior patet ex eo, quòd hic non sumitur prædicatum maioris eligibilitatis pro attributo illo, quòd tantùm affirmari potest de medijs; sed pro illo quod affirmari potest de omni alliciente voluntatem liberè tendentem in ipsum, cum electio sumatur latè pro appetitu volitiuo, siue volitione ipsa. Minor verò probatur, nam id videtur magis allicere voluntatem,

tatem, salua eius indifferentia, & libertate, quod liberè iudicatur magis illi conuenire, siue propter se, siue propter aliud appetatur: sed omne id, quod magis sapit rationem boni, siue propter se, siue propter aliud appetatur, liberè, iudicatur magis conuenire voluntati, ut notatum est suprà: ergo quod magis sapit rationem boni, siue finis, siue medium fuerit: iudicatur magis allicere voluntatem, salua eius indifferentia, & libertate.

Obijcitur in oppositum primò; quoniam non bona aliquando cadunt sub electione: ergo prædicatum maioris eligibilitatis, non semper est id, quòd magis sapit rationem boni. Antecedens probatur ex Philosopho hic cap. 2. dicente: *Et non bona bonis nihil probibet eligibiliora esse*, vt Beatitudo, & parua tristitia coniunctim, quæ neque bona, cùm bonum sit ex integra causa, & ea ratione qua bonum est, nullum admittat defectum; neque mala sunt, cùm cadant sub appetibilitate; sed tantùm sunt non bona, vnde magis eligenda sunt quàm Iustitia, v. g. Temperantia, & Fortitudo, licèt plura numerò bona sint ex eodem Philosopho propter excellentiam Beatitudinis coniunctæ cum illa parua tristitia, ratione cuius & Beatitudo dicitur non bona: sicut duo homines, ex quibus vnus cæcus, alter videns, tamen absolutè non dicuntur videntes, sed non videntes propter annexum defectum cæcitatis: ergo non bona aliquando cadunt sub electione.

Respondetur distinguendo antecedens: non bona aliquando cadunt sub electione ratione sui, & vt non bona sunt; negatur, ratione alterius, scilicet illius boni cum quo coniungitur non bonum, conceditur; Nam vt patet in exemplo adducto de duobus hominibus, quorum vnus est uidens, cæcus alter in tantùm habent uidere, licèt aliàs sint non uidentes; inquantùm uidens cui coniungitur non uidens, facultatem habet videndi. Ita à pari in tantùm illa non bona, bonitatem habent, & cadunt sub electione, seu volitione, in quantùm illud non bonum coniunctum est cum Beatitudine, quæ est maximè bonum.

Quare dictum Philosophi in argumento productum potiùs est exceptio, & limitatio regulæ, quàm regula; nam cùm superiùs dixerit *Plura bona paucioribus esse eligibiliora*; ad euitandas nonnullas instantias, quas ipse adduxit immediatè, non tantùm protulit citatum dictum verùm etiam alia verba, quibus docere uidetur tale axioma de pluribus bonis respectu pauciorum, tribus tantùm seruatis, & non aliter esse intelligendum; nimirùm, vt alterum (nempe ex illis paucioribus, respectu quorum plura sunt eligibiliora) non sit maximè bonum, quoniam in tali casu non solùm maximè bonum, sed etiam non bonum cum eo coniunctum, erit pluribus bonis eligibilius, vt patet de Beatitudine coniuncta cum parua tristitia, sicut iam explicatum est. Deinde vt alterum non sit gratia alterius (intellige ex illis pluribus bonis) quoniam sic possunt esse plura bona, & non eligibiliora altero eorum solo, vt patet de mediis respectu finis, quæ minùs eligibiliora sunt, quàm finis, estò sint plura. Tandem vt illa pauciora bona sint etiam de numero plurium; quoniam fieri potest, vt pauciora sint eligibiliora pluribus de quorum numero non sunt, vt patet de fortitudine, & temperantia, quæ licèt pauciora sint diuitiis, sanitate, & pulchritudine, &c. cùm ista numerum excedant binarium, attamen quia de numero non sunt, cum sint de numero virtutum, quæ magis eligendæ videntur, illis eligibiliora sunt.

Obijcitur secundò: nam ex eodem Philosopho hic cap. 2. habetur: *Et quod difficilius: magis enim amamus cùm habemus, quod non est facilè adipisci*; *sed* quod est difficilius ad acquirendum, habet conditionē mali sibi annexam, puta laborem, molestiam exercitationem, &c quæ non cadunt sub appetibilitate: ergo non omne id, quod magis sapit rationem boni, erit prædicatum maioris eligibilitatis. Minor confirmari potest auctoritate eiusdem Philosophi, qui paulò post dixerat: *Magis eligendum, quod nulla molestia sequitur*. Et antè præmisserat: *Et eadem cum voluptate magis, quàm sine voluptate*: *ergo, &c.*

Respondetur, quòd ea, quæ difficiliùs acquiruntur, & cum labore sunt in duplici differentia: quædam enim sunt, quæ postquam habentur, nullam afferunt voluptatem; quædam verò è contrà, quæ postquam possidentur maximā afferunt delectationem. De primis intelligenda sunt verba illa adducta in confirmatione minoris propositionis; Nempe, *Magis eligendum est, quod nulla molestia sequitur: &c.* quàm scilicet id, quod postquam acquisitum est, nullam affert voluptatem. De secundis verò intelligendum est primum testimonium Philosophi: hoc enim sonant verba illa, *Magis enim amamus, cùm habemus*, cùm scilicet delectationem afferant: Vnde ad minorem dicendum est, quòd licèt labores, molestiæ, &c. secundùm se non alliciant voluntatem; nec habeant rationem boni; tamen ratione consequentium maximè mouent voluntatem, & valdè habent rationem boni propter delectationem, quæ inde sequitur: Qua de causa in principio capitis secundi citati, aiebat idem Philosophus, *Nihil probibet molestum aliquid sequi*.

Obijcitur tandem tertiò, nam si id, quod magis sapit rationem boni, estò sit finis, potest esse prædicatum maioris eligibilitatis, & cadere sub electione voluntatis, etiam poterit terminare vsum, & cadere sub ipso, cùm vsus pariter sit actus liber circa bonum ipsimet voluntati conueniens; quod tamen est fallum; cùm fruendis non sit vtendum, nec vtendis sit fruendum, ex D. Aug. lib. 83. quæstionum qu. 30. Finis autem tantùm est de genere fruendorum: ergo vel tale bonum, scilicet vt habet rationem finis non erit prædicatum eligibilitatis; vel si erit, etiam terminare poterit vsum, quod non est admittendum, vt dictum est.

Respondetur, quòd sicut dum accipitur electio rigorosè, scilicet pro acceptione vnius, & non alterius medij, tunc non terminatur ad finem, sed tantùm ad media: ita dum accipitur vsus rigorosè, scilicet pro executione operis, tunc non terminatur ad finem immediatè, sed ad media, cùm in executione priùs ponenda sint media deinde finis; At verò hic non est sumendus vsus rigorosè, sed latè, scilicet pro actu libero, & indifferenti, qui actus potest esse circa omne id, quod habet rationem boni, & non tollit indifferentiam; sicut Electio, vt importat tantùm indifferentiam, & libertatem, Neque aliquod absurdum est, vnum, & eundem numero actum liberum voluntatis secundùm diuersas formalitates terminari ad finem, & ad media: sicut nulla est implicantia, quòd vnus, & idem numero motus secundùm diuersas formalitates

tes spectet ad prædicamentum actionis, & ad prædicamentum passionis, quæ sunt distincta genere, vt dictum est supra disp. 17. q. 3. Quare nostra ratio non aduersatur sententiæ D. Augustini, qui tantùm loquitur de vsu, & fruitione rigorosè, & propria significatione.

Ex quibus omnibus tandem patet, quomodò per loca tam intrinseca, quàm extrinseca, & media terminari possint, problemata contracta, & comparata accidentium: etenim attenta ratione secundùm maiorem, & minorem eligibilitatem, eodem modo terminanda videntur sicut absoluta: e. g. terminandum sit huiusmodi problema accidentis absolutum, Ieiunium est vtile, per locum à definitione ipsius vtilis; A vtique dicetur, Ieiunium conducit ad finem, nempe ad salutem: ergo est vtile: vtile enim est quod ad finem conducit. Quod si deinde fiat problema contractum, & comparatum, dicendo, Ieiunium vtilius est, vel magis eligendum, quàm comestio; optimè per eumdem locum à definitione terminabitur, si attenta ratione secundùm maiorem, & minorem eligibilitatem, dicatur, Ieiunium magis conducit ad salutem, quàm comestio: ergo magis est vtile, & magis eligendum ipsa comestione: & sic de cæteris, proportione tamen seruata. Quòd si quis fortè per singula loca exemplificari cupit, consulat Fonsecam lib. 7. Instit. Logic. cap. 36. nam breuitatis causa illuc remittimus.

LIBER QVARTVS TOPICORVM,

EIVSQVE SYNOPSIS.



Xplicatis libro secundo, & tertio locis accidentis, libro quarto agit Aristoteles de locis generis, libro quinto de locis proprij, libro sexto, & septimo de locis definitionis problemata terminantibus. Præmittit tamen rationem, cur prius debeat agi de problematibus generis, ac proprij, quàm de problematibus definitionis; quia cùm definitio debeat constare ex genere, & differentia, & debeat esse propria definiti, genus, & proprium sunt elementa, ac principia definitionis, ideòque de ijs prius est agendum, quam de definitione. Addit insuper, disputationes dialecticas frequentiùs versari circa problemata de accidente, rariùs circa problemata de genere, proprio, ac definitione.

Diuidit Aristoteles præsentem librum secundùm latinos interpretes in sex capita, in quorum primo multas tradit considerationes, tùm circa genus ipsum, tùm circa species, de quibus prædicatur, ponendo scilicet omnia requisita, quæ debent attendi in prædicato generis, vt Arguens omnino calleat quando euertendum, & quando construendum sit problema de ipso; construendum enim est, si omnia possideat requisita, nimirum quòd prædicetur in quid de omnibus suis inferioribus specie differentibus: quòd sit in eodem genere cum suis speciebus; quòd talis species non prædicetur de pluribus, quàm prædicetur ipsum genus, & similia: euertendum autem est, si talia requisita non habeat. In secundo capite vltra prædictas considerationes addit nonnullas alias circa differentias ipsum genus diuidentes; nimirum quòd non ponantur pro genere, neque sub genere, neque sub specie, aut genus sub ipsa differentia, &c. nam tunc esset destruendum, secus verò, construendum. In tertio, & quarto capite ponit varias considerationes circa ea, quæ generi aliquo modo videntur contraria: nam si genus habet contrarium, & species non; vel si contrarium speciei non sit in contrario generis; C aut si contrarium generis habeat medium, speciei verò non, &c. problema est destruendum, sin autem est construendum. Deinde tradit alias considerationes tum respectu coniugatorum, tum respectu generationis, & corruptionis: nam genus abstracti debet etiam esse genus concreti, & genus operantis, operati (scilicet in tali genere operationis) sicut corrumpentis, corrupti, ad hoc vt problema construatur; quòd si è contra fuerit, destruendum erit. In quinto verò capite, præter nonnullas considerationes, quæ se tenent ex parte naturæ, & quidditatis ipsius generis ponit alias se tenentes ex parte actus, & habitus, dicens: Si habitus ponatur species actus, vel è contra, destruendum est problema; vt si quis ponat sensum, e. g. esse speciem motus, cùm sensus sit habitus, non species motus verò actus, non genus; aut si habitus ponatur D species potentiæ, cùm potentia non sit genus habitus, vt patet. In sexto tandem, & vltimo capite redit ad considerationes de genere secundùm sui naturam; videlicet vt sit vniuocum, non trascendens, aut in suis speciebus tanquam in subiecto inhæsionis, vt accidens, &c. aliter tale problema esset destruendum. Et hæc satis circa huius quarti Libri Synopsim.

DISP. QVINQVAGES. SECVNDA.

De locis dialecticis per ordinem ad problemata Generis.



MVlta iam diximus, ac sparsim explicauimus, sed præcipuè disput. 3. quæ naturam Generis, vnde loca præcipua ad terminanda eiusdem problemata sumi possint, concernere videbantur; at quia ad vberiorem argumentorum, dialecticorumque locorum fodinam, alia, atque alia in hoc quarto libro addit Philosophus, quæ suprà loco citato commodè explicare nequiuimus, cum ipso diligenter trademus, ne quidquam in tali facultate necessarium, videatur deficere.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Prædicatum Generis vnde loca dialectica ad terminandum eiusdem problema sumi solent, prædicetur de speciebus vt totum, vel vt pars.



CVM genus, vt genus, etiam in ratione prædicabilis communiter appelletur totum potentiale (nam genus vt species subalterna, & vt quoddam subijcibile nil aliud est, quam quoddam totum actuale compositum ex genere superiori, & propria differentia, quæ actu includit) & simul etiam sit pars speciei: siquidem ex illa, & differentia componitur species: meritò dubitatur, quonam ex his modis sit prædicatum dialecticum, seu, quod idem est, de speciebus prædicetur. Quod cùm commodè resolui nequeat, nisi quid habeat, quando sumitur vt totum, & quando sumitur vt pars; & quomodò ex ipso, & differentia fiat illa compositio, quam Metaphysicam, siue potius Logicam appellant, fundamentaliter explicetur; nonnulla circa has considerationes prænotanda sunt.

Et primò circa hanc secundam, cùm sit tota radix, & fundamentum primæ (etenim genus nequit habere saltem rationem partis, nisi in comparatione speciei, quæ ex ipso, & differentia constat) supponendum est præter compositionem physicam ex materia, & forma dari aliam compositionem, quæ fit ex diuersis gradibus essentiæ, quorum vnus sumitur vt materia, & potentia, & est quid commune; alter verò vt for-

A ma, & actus, & est quid proprium: primus dicitur genus, secundus differentia (sumptis tamen genere & differentia materialiter, scilicet pro ipsis gradibus qui habent istas denominationes secundarum intentionum genereitatis, & differentialitatis): hæc autem compositio communiter dicitur metaphysica, & partes componentes, partes metaphysicæ; fortasse propter trascendentiam obiecti metaphysicæ, quod trascendit obiecta aliarum scientiarum, aut per antonomasiam, tanquam à digniori scientia, cùm tales gradus etiam considerentur à Metaphysica, licèt sub diuersa formali ratione. At re vera meliùs, & cum maiori proprietate ipsa compositio ex genere, & differentia debet dici Logica, & partes componentes Logicæ, vt optimè obseruant Complut. disp. 5. de genere q. 5. §. 1. Ita enim meliùs distinguitur ista compo-

B sitio à compositione, quæ fit ex essentia, subsistentia, & existentia, quæ propriè dicitur, & est metaphysica, & hoc maximè quia licèt isti gradus secundum suam entitatem realem non pertineant ad obiectum Logicæ; formaliter tamen ad illud pertinent secundùm intentiones quibus denominantur, & secundùm eorum distinctionem, & compositionem, quæ fit ab intellectu, & est rationis.

Secundò verò circa primam considerationem supponendum est, prædictos gradus essentiales, e. g. animal rationale in homine posse dupliciter ab intellectu attendi, cùm præcisione scilicet, & absque tali præcisione. Primo modo tunc attenduntur, quando idemmet intellectus, eos concipit non negando, sed præscindendo, & excludendo in eis omnes illas perfec-

C tiones essentiales, quæ sunt de eorum conceptu ab ijs, quæ non sunt, licèt eas possint habere, vt dum concipit animal tantùm in ratione sensibilis; & rationale in ratione intellectiui, licèt aliàs non prohibeatur animal perfici, & contrahi per intellectualitatem, & rationale, seu intellectiuum perficere, & contrahere sensibilitatem. Secundo verò modo tunc attenduntur, quando idemmet intellectus eos concipit non solùm cum illis perfectionibus, quæ sunt de formali eorum conceptu, verùm etiam cum illis, quas continet vel in potentia, vel in virtute, & eminentia: vt dum concipitur animal non solùm in ratione sensibilis, verùm etiam quatenus potest habere rationem intellectiui; & rationale non solùm in ratione intellectiui, verùm etiam in ratione sensitiui, quod virtualiter,

D siue eminenter includit. Quare fit, quòd si sumatur genus e. g. animal, vt significat perfectionem sentiendi cum præcisione alterius perfectionis, est pars hominis: siquidem prout sic, non dicit totum, quod est in homine, sed condistinguitur à perfectione ratiocinandi, & cum illa componit hominem. Si verò sumatur vt dicit perfectionem, seu formam sentiendi, quæcunque sit talis forma, idest siue sit sensitiua tantùm, siue simul etiam intellectiua; sic in confuso, & in potentia continet omnem perfectionem hominis, & aliorum animalium, & per consequens est totum saltem potentiale respectu illorum.

Tertiò hoc item supponi debet, nimirum quòd genus, qua ratione est pars in homine e. g. duobus modis adhuc considerari potest, vel vt actu componit ipsum hominem, in quo sensu appellatur pars eius actualis; vel vt antecedit talem actualem compositionem, in quo sensu pars potentialis eiusdem etiam appel-

pellari solet; ad eum modum, quo materia prima, vt actu est vnita formae dicitur pars actualis compositi; & antequam vniatur, dicitur pars potentialis. Qua de re praesens difficultas non solùm procedit de genere, qua ratione est totum potentiale, verùm etiam, qua ratione est pars metaphysica siue logica in compositione speciei tum actualis, tum potentialis.

Quartò tandem & vltimò, vt certa ab incertis secernantur, supponendum est genus ferè in omnium sententia praedicari de speciebus, per modum totius potentialis: nam cùm genus in ratione praedicati, aut praedicabilis praedicetur de speciebus, quae sunt eius inferiora praedicatione formali, seu directa, nempe, vt quòd superius, & vniuersale respectu illarum ex dictis disp. 2. q. 1. debet concipi vt ab illis abstractum abstractione vniuersali, qua scilicet, vniuersale abstrahitur à suis inferioribus, non verò abstractione formali, siue praecisiua, qua forma abstrahitur à sua comparte, nempe à materia; vnde affirmabitur consequenter de illis, vt quoddam totum potentiale, seu in potentia omnia illa, de quibus praedicatur (vniuersale enim formale, seu metaphysicum ex dictis disp. 2. q. 1. citata, est quid aptum natum esse in multis, & praedicari de multis) quare tota difficultas consistit in hoc, an etiam quatenus abstrahitur ab ipsis abstractione praecisiua, & habet rationem partis, aliquo etiam modo possit in recto praedicari de ipsis, & maximè dubitatur de hoc, cùm manifestè cernatur, quòd eadem res, e. g. materia significata per modum totius, verè praedicatur in recto de homine: dicimus enim, homo est materialis: significata verò per modum partis, falsò de illo enunciatur, non enim dicimus, homo est materia.

Prima sententia absque distinctione partis actualis, & potentialis, docet naturam genericam posse praedicari de speciebus non solùm, qua ratione est totum, sed etiam, vt est pars metaphysica illarum. Citantur pro hac sententia Paulus Venetus cap. de specie, & Scotus q. 16. praedicabilium, atque eam defendunt Onna art. vltimo, capitis de genere, Sanchez lib. 3. q. 6., Auersa q. 10. de genere, sect. 3. in fine, Didacus à Iesu disp. 6. qu. 5., Blancus disp. 3. sect. 10., & alij, quamuis non eodem modo ab omnibus explicetur.

Secunda verò sententia asserit naturam genericam posse praedicari de speciebus, vt est pars potentialis, licèt repugnet illam praedicari, vt est pars actualis in compositione illa metaphysica iam explicata. Citatur à Ruuio pro hac opinione Canterus quidam cap. de genere q. 3. 7.

Tertia tandem sententia absolutè docet naturam genericam non posse praedicari de speciebus, qua ratione est pars in compositione metaphysica illarum; sed quandocunque praedicatur de eis, necessariò debet sumi vt totum; ita Philosophus 2. post. cap. 8. & 5. metaph. cap. 25. Porphyrius cap. de specie. D. Th. opusc. 48. tract. 1. cap. 4. in 1. dist. 25. q. 1. art. 1. ad secundum, & de ente, & essentia cap. 3., vbi etiam Caiet. Sotus cap. de genere q. vnica art. 2., Masius sect. 2. q. 2., Ruuius q. 5. Suarez disp. 15. metaphys. sect. 1. n. 15., Complut. disp. 5. q. 5. de genere §. 3. Mastrius, & Bellutus disp. 5. art. 4. qui etiam citant pro se Scotum q. 16. vniuersalium; & ferè omnes, quamuis non eodem modò se explicent.

Notandum est idcircò primò, quòd tam genus,

A quàm differentia sumuntur à tota natura specifica, aut à tota entitate eius sub diuersis gradibus considerata, & non à sola parte: diuersa tamen ratione: nam genus sumitur à tota natura rei sub ratione vniuersaliori, atque imperfecta; perfectibili tamen per eandem naturam sub gradu speciali consideratam; differentia verò à tota etiam natura, vt determinata, atque perfecta: e. g. Animal, vt est genus hominis, sumitur à tota natura eius secundùm gradū superiorē, & imperfectū, hoc est, vt sensitiua, per eandem naturam hominis, vt rationale, determinabili; & rationale, quod est differentia, sumitur etiam à tota natura hominis, vt perfecta, & determinata: vnde sequitur tam genus, quàm differentiam significare totam naturam speciei: illud quidem sub ratione contrahibilis, hanc verò sub ratione contrahentis.

B Notandum secundò, praedictos gradus, sub quibus consideratur natura specifica, non distingui realiter formaliter, neque aliqua alia distinctione ante intellectum (quidquid dicant aliqui) vt doceri solet in metaphysicis: nam si animal, & rationale e. g. distinguerentur realiter in homine, essent verè, & realiter partes eius, vt videntur planè concedere illi, qui distinctionem ante intellectum ponunt inter ipsa, ac proinde non possunt praedicari de illo, quia nulla pars verè praedicatur de toto, & tamen constat, quòd praedicantur de homine. Item si distinguerentur realiter sicut alia, & alia natura, & non tantùm vt determinatum, & indeterminatum, sequeretur quòd in eodem composito essent plures formae substantiales, quod tanquam impossibile negandum est in nostra sententia.

C Tandem si gradus genericus distingueretur realiter à differentia, diceret potentiam realem ad illam recipiendam, sicut materia prima ad formam, & consequenter sicut materia prima ob illā potentiam realem passiuam, quam habet ad recipiendas formas oppositas, potest de vna in alteram transire; sic animal cùm respiciat plures, & oppositas differentias, posset de vna in alteram transire, quod est absurdum, vt patet.

Dicendum est ergo, quòd Praedicatum generis vnde loca dialectica ad terminandum eiusdem problema sumi solent, non praedicatur de speciebus per modum partis, sed tantùm per modum totius.

Probatur; nam vt aliquid praedicetur de alio, debet saltem confusè, & in potentia continere quidquid

D est in illo: nam praedicatio non solùm importat vnionem, sed identitatem praedicati cum subiecto, ad quā, si praedicatio sit formalis, & non identica, requiritur, quòd praedicatum confusè, & in potentia sit totum id, quod actu includit subiectum; & quòd subiectum sit actu, & distinctè totum id, quòd actu includit praedicatum: sed gradus genericus, & differentialis, licèt significent totum compositum ex materia, & forma; tamen si sumantur formaliter, vt partes non significant illud secundùm omnes perfectiones, quas habet, sed cum mutua praecisione, & exclusione aliarum; ergo praedicatum generis, siue gradus genericus, & etiam differentialis, non possunt praedicari de speciebus, vt sunt formaliter partes, siue actuales, siue potentiales in compositione logica, sed quando de illis praedicantur, debent necessariò sumi, vt totum.

Confirmatur; nam ideò partes physicae non praedicantur in recto de suo toto, quia non continent quid-

quid

quid est in toto: sed hoc habet quælibet pars vt sic, siue actualis, siue potentialis, quod scilicet non contineat quidquid est in toto, aliàs non esset pars, sed totum: ergo nulla pars, vt pars prædicatur in recto de suo toto; ac proinde nec natura generica, vt pars formaliter prædicatur de suis speciebus.

Respondent Mastrius, & Bellutus loco suprà citato, quibus non satis probatur prædicta ratio; quòd tota, & vera ratio cur genus possit prædicari de speciebus, non est quia accipitur vt quoddam totum potentiale, sed est quia prædicatur in concreto, & vt de secundario conceptu, & de consequenti significat totum illud, quod importatur per subiectum in ratione habentis: nam vt quoddam totum potentiale, seu vt quoddam vniuersale est, non potest non habere rationem partis, cùm dicat tantùm partem essentiæ: Genus enim dum significat naturam speciei solùm sub gradu vniuersaliori, & in confuso, vtique se habet tantùm vt pars abstrahens ab inferiorum differentijs, & importans solam rationem genericam communem: cuius signum est; quòd per prædicatum genericum, vna species ab alia non discernitur, sed prorsus conuenit, & ita enunciatur de vna specie, vt nulla prorsus facta mutatione talis prædicati in esse obiectiuo possit alteri competere, quòd si diceret totum esse vnius speciei, non posset alteri conuenire propter differentias oppositas.

Contra tamen est, quòd genus, vt abstrahens ab inferiorum differentijs, & vt potens competere tam vni, quàm alteri speciei nulla prorsus facta mutatione sui ipsius in esse obiectiuo, non abstrahit ab illis abstractione formali, & præcisiua, sed abstractione totali, & vniuersali; aliter enim nequiret in potentia, & in confuso tam vni, quàm alteri speciei conuenire, vt totum potentiale, quemadmodùm ipsum appellant prædicti Auctores: Sed quod abstrahit ab inferioribus tali abstractione habet primariò, & secundùm se formaliter rationem totius, & non rationem partis: ergo genus, siue prædicatum genericum, vt quoddam totum potentiale est, non dicit de primariò conceptu tantùm partem essentiæ, sed totam essentiam, &c.. Consequentia patet ex eo, quòd totum potentiale nil aliud est, quàm id, quod abstrahit ab inferioribus, & nulla facta mutatione sui ipsius indifferenter potest omnibus conuenire. Minor verò probatur; Quoniam in hoc distinguitur ex communi sententia abstractio vniuersalis ab abstractione formali, quia ista est cum præcisione alicuius perfectionis ab omni alia, & ideò tantùm habet rationem partis; illa verò non, sed continet in potentia, & in virtute omnes perfectiones, vt prænotatum est suprà: ergo quod abstrahit prædicto modo ab inferioribus habet rationem totius primariò, & secundùm se formaliter, nullo verò modo partis, nisi materialiter.

Obijcitur primò pro prima sententia, tum auctoritate, tum ratione; auctoritate quidem Aristotelis qui 1. Post. cap. 4. inter modos dicendi per se numerat prædicationem, qua definitio, & partes eius prædicantur de definito: ergo prædicatum generis, seu genus, & differentia, quæ sunt partes definitionis, etiam vt partes sunt poterunt prædicari de speciebus. Ratione verò sic; quoniam partes phisicæ magis distinguuntur à toto, quàm partes metaphysicæ: illæ enim distinguuntur à toto distinctione reali includentis ab

A inclusо, & ideò in definitione eius non ponuntur in recto, sed in obliquo, cùm non dicatur, homo est materia, & forma, sed est ex materia, & forma; istæ verò non: sed illæ saltem in concreto prædicantur de toto, dicendo homo est animatus, est corporeus, est materialis, &c. ergo istæ velut magis intimæ poterunt verè prædicari de toto, etiam si sumantur, vt partes: aliter enim nulla esset differentia inter partes physicas, & metaphysicas per ordinem ad sua tota.

Respondetur & primò ad auctoritatem, quòd Aristoteles ibidem docet definitionem, & eius partes prædicari de definito, sed non formaliter vt partes sunt, estò materialiter etiam sint partes; ibi enim tantùm dicit, quòd tales prædicationes sunt in primo modo dicendi per se, quia sunt essentiales, quod æquè verum est, siue prædicentur per modum partis, siue

B prædicentur per modum totius. Ad rationem verò dicendum videtur, quòd ex eo, quòd partes physicæ saltem in concreto prædicentur de toto, rectè deducitur, quòd vt formaliter partes sunt, nequeunt prædicari de toto, cùm concretum ex dictis disp. 2. qu. 4. sæpiùs citata habeat rationem totius, minimè verò partis: vnde argumentum potiùs facit pro nobis, quàm contra nos. Neque inde sequitur nullam distinctionem fore inter partes physicas, & metaphysicas per ordinem ad sua tota: nam saltem in hoc distinguuntur, quòd partes physicæ in concreto tantùm prædicantur adiectiuè, partes verò metaphysicæ etiam substantiuè: valet enim dicere, Homo est anima aut materia, sed tantùm materiatus, animatus, &c. vt dictum est.

C Obijcitur secundò pro eadem prima sententia; nam si prædicatum generis nequit prædicari de speciebus quatenus pars, sed tantùm quatenus totum potentiale, &c. sequeretur, quòd talis prædicatio esset identica, & nugatoria, minimè verò formalis, & scientifica: sed hoc est contra suppositum: ergo debet prædicari vt formaliter pars. Sequela maioris probatur; quoniam in tali casu prædicatum importaret totum id, quod importat subiectum; & consequenter idem esset cum illo, vnde tantùm per ipsum fieret inutilis repetitio: ergo, &c.

Respondetur negando sequelam maioris, ad cuius probationem dicendum est, quòd prædicatum generis in ratione totius non tantùm dicit omne id, quod importat subiectum, sed aliquid ampliùs, cùm in po-

D tentia contineat omnes differentias, quare talis prædicatio non erit identica, & nugatoria, sed formalis, & scientifica, cùm prædicatum inibi prædicetur per modum superioris, & vniuersalioris respectu subiecti. Præterquamquòd, etiamsi esset prædicatio identica, & nugatoria, attamen argumentum non haberet intentum, nimirum quod prædicatum generis tunc verè prædicaretur, nam cùm vera prædicatio sit illa, in qua prædicatum est quid superius, & forma subiecti, vt dictum est suprà disp. 2. q. 1. concl. 4. quod tantùm est pars, & prædicatur vt formaliter pars, non potest esse quid superiùs, & forma respectu subiecti cum quo debet habere connexionem; & consequenter non esset vera prædicatio, quod argumentum intendebat probare.

Obijcitur tandem tertiò pro secunda sententia; quia ideò natura generica, vt componit speciem, non potest prædicari de illa; quia vt sic amittit potentia-

lem continentiam, qua continebat species, & eorum differentias, quæ tamen continentia necessaria omnino est, vt genus prædicetur de speciebus; sed talem continentiam potentialem nondum omisit, quando consideratur pars potentialis: ergo prout sic potest prædicari de speciebus.

Respondetur, quòd quocunque modo natura generica sumatur, vt pars, siue potentialis, siue actualis, semper sumitur cum præcisione alterius compartis, & ita prout sic excludit illam; & consequenter non habet continentiam potentialem requisitam ad prædicationem; siquidem in quantum pars non continet quidquid est in toto.

QVÆSTIO II.

An sicut prædictum Prædicatum generis in ratione totius potentialis continet species in potentia, debeat etiam eodem modo continere differentias.

CONsultò ponitur in titulo *in ratione totius potentialis*; nam in ratione totius actualis, aut in ratione partis formaliter, certum est, vel continere differentias actu, vel nullo modo continere: etenim in primo sensu, cùm sit species subalterna, & compositum actuale, vt dictum est in antecedenti quæstione, non minus actu includere debet genus superius, & propriam differentiam, quàm eadem includat species infima. In secundo verò sensu, cùm dicat formaliter precisionem, & exclusionem cuiuslibet differentiæ, non potest saltem de formali aliquo modo eas includere. Quare tota difficultas consistet in hoc, an sicut prædicatum generis, quà ratione est totum potentiale, non continet species actu, sed tantùm in potentia, ita eodem modo etiam continere debeat differentias. Ratio verò dubitandi est, quòd cùm species habeat rationem constituti differentia verò constituentis: intellectus dubitare potest, an in ipso genere tanquam in toto potentiali, constitutum sit in potentia, & constituens in actu, vel vtrunque in potentia.

Vnde supponendum est, tribus modis intelligi posse, quòd vnum contineat alterum in actu. Primo actu distinctio, sicut definitio continet vtranque sui partem, nempe genus, & differentiam; & hoc modo certum est genus non continere actu differentias, quia si Animal e. g. contineret actu distincto rationale, per illud solùm possemus definire hominem dicentes, hominem esse animal, quod tamen est falsum, cùm homo non tantùm sit animal, sed animal rationale. Secundo verò modo, actu determinato, sed non expresso, sicut species continet genus, & differentiam, vt homo animal, & rationale; & hoc etiam modo certum est, genus non continere actu differentias; quia si animal contineret actu determinato, licèt non expressè, rationale, & irrationale, falsæ essent omnes prædicationes, in quibus prædicatur de suis speciebus, vt homo est animal, Leo est animal, &c. quia sensus esset, homo est rationalis, & irrationalis, & similiter Leo,

A &c. quòd est omnino falsum, cùm differentiæ omnino se excludant. Tertio tandem modo actu confuso, & indeterminato quemadmodùm ens continet actu modos intrinsecos substantiæ, & accidentis, qui sunt per se, & in alio, confusè neutrum determinando potiùs, quàm alterum; & hoc sensu solùm potest esse dubium, an genus seu prædicatum generis contineat differentias actu, adeò vt sensus sit quæstionis, an genus actu confuso, atque indeterminato contineat differentias, vel solùm in potentia; sicut materia continet formas solùm in potentia.

Prima sententia suadet Prædicatum generis actu confusò, & indistincto continere differentias, pro qua sententia citantur à Mastrio, & Bell. Suarez disp. 45. Metaph. sect. 11. n. 16. & Auersa q. 13. sect. 5.

B Secunda verò sententia docet prædicatum generis, non in actu etiam confuso, & distincto, sed tantùm in potentia continere differentias, sicut continet species. Ita Arist. 2. Post. cap. 8. Porphyrius cap. de differentia. D. Tho. 2. post. lect. 13. & opusc. 42. cap. 9. & 10. Scotus q. 25. vniuersalium. Ruuius q. 4. de genere. Complut. disp. 5. q. 5. n. 10. Mastr. & Bell. disp 5. q 1. art. 4. & ferè omnes.

Notandum tamen est primò, aliquid esse in genere tribus modis contingere: primo per prædicationem, & hoc modo illud continetur in genere per prædicationem, de quo genus essentialiter prædicatur; & sic species, & indiuidua sunt in genere, quia genus prædicatur de illis essentialiter, licèt de specie immediatè, & mediatè de indiuiduis dicatur; differentiæ verò nequaquam prædicto modo sunt in genere; quia genus C non ponitur in definitione differentiæ, cùm differentia non participet genus, neque de illius essentia sit, vt dicitur in hoc 4. topic. cap. 2. vnde genus per se non prædicatur formaliter de differentijs, hoc est prædicatione formali, licèt prædicetur verè de illis; hæc enim est vera, *rationale est animal*, sed non est prædicatio formalis; & ratio est, quia ad veritatem propositionis sufficit prædicatum aliquo modo continere subiectum, quod contingit in genere respectu differentiæ, cùm saltem per accidens, hoc est ratione speciei de qua formaliter prædicatur, etia ipsa contineat differentiam: tamen vt prædicatio sit formalis, vlteriùs requiritur, quòd subiectum includat in se rationem prædicati, quod non contingit in differentia respectu generis; semper enim differentia excludit genus, quia respectu eius semper habet rationem partis.

D Secundò verò modo aliquid est in genere per reductionem, quando scilicet est illius generis principium, vel via ad rem eiusdem generis: sic materia, & forma sunt in genere substantiæ, tanquam illius generis principia; punctus, & vnitas in genere quantitatis veluti ipsius principia; motus verò in genere quantitatis, qualitatis, & vbi, sicut Aristot. in lib. 5. phys. scribit, quia est via perueniendi ad aliquam speciem horum generum; iuxta quem sensum Philosophus lib. 3. physic. dicebat, motum esse eiusdem generis cum termino ad quem. At verò differentia prædicto modo nequit, etiam esse in genere, non quidem vt principium ipsius generis, quia differentia ex Porphyrio non constituit, sed diuidit, & contrahit genus; neque minùs vt via ad ipsum, cum potiùs ipsum conducat ad esse speciei, dicente Porphyrio cap. de differentia: *Quod conducit ad esse, & quidquid erat esse, quod est pars speciei*; nam ime

impossibile est, vt ibidem inquit Caietanus, quod absque differentijs genus trahatur ad esse specificum.

Tertiò tandem modo aliquid est in genere per determinationem, eò quòd est illius generis determinatio, & hoc modo dicitur differentiam esse in genere, quia illius indeterminatam naturam ad aliquam speciem contrahit; etenim sicut ex potentia materiæ forma emanat, atque in ea esse dicitur, quia eam determinat; ita differentia dicitur esse in genere, quia ex illius potentia emanat, ipsumque ad speciem contrahendo determinat, vt dictum est; vnde communiter affirmari solet, Genus continere differentiam in genere causæ materialis.

Notandum secundò ex Caiet. cap. de differentia citato, opposita in esse alicui actu, ac simul, duobus modis intelligi posse, vno modo per modum coniunctionis, quod contingit, quando opposita alicui coniunguntur, sicut accidentia subiecto, vel forma materiæ, vel quouis alio modo informandi, & determinandi, & sic licèt impossibile sit, quòd idem numero sit simul actu calidum, & frigidum, vel album, & nigrum; tamen non repugnat, quòd idem genere, vel specie habeat actu opposita: nam idem homo specie simul actu est albus, & niger, quia tunc pro diuersis suppositis supponit: similiter idem animal genere est simul rationale, & irrationale, quia pro diuersis speciebus supponit. Alio vero modo per modum inclusionis, quod contingeret quandocunque in quidditate, & ratione alicuius opposita includerentur; & hoc modo impossibile est, quod idem numero, aut specie siue genere actu, & simul opposita includat, ex eò, quòd non se compatiuntur; & iuxta hunc sensum intelligi debet, Genus non habere actu differentias, quia in sua quidditate, & ratione, eas nequaquam includit: quoniam continere differentias actu, est continere eas tanquam partem suæ definitionis, & quidditatis.

Dicendum est ergo, quòd prædicatum generis, vnde loca sumi solent, &c. non continet differentias actu, sed tantùm potentia.

Probatur tum auctoritate, tum ratione, auctoritate quidem Philosophi loco cit. & 2. post. vbi ait: *Supponatur tale esse genus, vt sit secundùm potentiam, in plus.* Et etiam 7. Metaphys. text. 42. vbi docet, *quòd genus non videtur participare differentias, quoniam simul contrarijs idem participaret*; quod tantùm debet intelligi de actuali participatione. Ratione verò sic probatur; nam genus, vt sic abstrahitur abstractione vniuersali, & separatur à differentijs: ergo non potest actu illas includere. Præterquamquòd, cùm differentiæ diuisiuæ generis sint oppositæ ex eodem Philosopho loco ex metaphysic. citato, si actu includerentur in illo, genus non haberet vnum conceptum, aut significatum distinctum à speciebus, sed immediatè significaret illas, & per consequens esset analogum; non enim obest confusa, & indistincta inclusio, vt in metaphys. dicitur solet de ente, quod quamuis confusè contineat prædicamenta, verè tamen est analogum, quia immediatè, & actu significat illa. Videantur interim ea, quæ supra dicta sunt de analogia, & vniuocatione.

Respondent aliqui, quos sine nomine referunt Mastr. & Bell. loco citato, Genus esse abstractum à speciebus, & differentijs secundùm conceptum explicitum, non autem implicitum; & ideò implicitè importare differentiam, & totam essentiam speciei.

A Contra quos tamen subtiliter vrgent prædicti Auctores sic, scilicet, vel in abstractione generis à speciebus, & differentijs intellectus relinquit differentias, vel secum trahit; si relinquit: ergo nullo modo genus eas actu includit; si secum trahit, ergo ab illis non est facta abstractio.

Quod si fortè dicerent relinquere explicitè, sed secum eas trahere implicitè.

Contra tamen, & strictiùs vrgent prædicti Auctores, hoc modo, quoniam nihil potest genus dicere in tali esse obiectiuo, nisi quod manifestatur in tali cognitione; nam genus vt sic aliud esse non habet, nisi quòd exprimitur in intellectu ex vi talis cognitionis: vel ergo genus in tali esse obiectiuo includit differentiam, vel non, si hoc secundum habetur intentum; si primum; ergo non tantùm implicitè, sed etiam explicitè Genus

B differentiam dicit. Vis huius rationis eò tendit, vt demonstretur, quod respondere genus in esse præcisso dicere differentias implicitè, est asserere, quòd absolutè illas non importet; quia nihil potest genus dicere in illo esse obiectiuo, quod non manifestetur in cognitione; vnde nequit defendi, quòd ens includat implicitè nisi ratione identificationis, quam cum ipsis habet à parte rei, non autem secundùm esse præcisum ab entitate reali, in qua identificantur.

Obijcitur primò; quoniam Philosophus 1. Physic. text. 4. ait: *Vniuersale totum quoddam est, multa enim comprehendit vt partes*: sed totum habet partes actu: ergo genus continet species, & differentias, quæ sunt eius partes, actu. Item 7. Physic. text. ait; *In genere latere æquiuocationes*; sed non laterent, si actu non con-

C tineret diuersas differentias; quæ propter diuersitatem, & oppositionem pariunt æquiuocationem: ergo non potentia, sed actu eas continet.

Respondetur Aristotelem primo loco loqui de toto, & comprehensione potentiali, non actuali, vt patet ex textu sequenti, & loqui de vniuersali in ordine ad partes subiectiuas, non in ordine ad differentias, & vocare illud totum quodammodò, scilicet similitudinariè, quæ similitudo consistit in hoc, quòd sicut totum, talem habet latitudinem, vt non à singulis adæquetur partibus, sed ab omnibus simul, singulas autem excedat; ita eodem modo vniuersale potest in esse pluribus inferioribus, & de pluribus prædicari; ita tamen, quòd eius inexistentia, vel prædicatio non adæquatur à singulis inferioribus: nam licèt totum sit

D in singulis, non tamen totaliter, & adæquatè, nisi in omnibus simul. Quando autem 7. physic. docuit in genere latere æquiuocationes, non est, quòd actu contineat diuersas differentias, & rationes, cùm non loquatur de æquiuocatione propriè dicta, vt patet per verba subsequentia; sed de æquiuocatione latè sumpta, prout contradistinguitur ab vniuocatione rigorosè sumpta, quæmadmodùm est illa, quæ reperitur in ijs, quæ continentur sub eadem specie atoma, quæ æquiuocatio latè sumpta cum magis inclinet, & accedat ad vniuocationem rigorosè acceptam, quàm ad veram æquiuocationem, etiam potiùs dicenda est vniuocatio, quàm æquiuocatio; atque ideò communiter dicitur Genus prædicari vniuocè de suis speciebus; nam licèt ea, quæ sunt vnius generis, non sint omnino vnius naturæ, quemadmodùm sunt ea, quæ sunt vnius speciei, tamen conueniunt in vna ratione sine aliquo ordine prioritatis, & posterioritatis, qui in-

dispensabiliter requiritur ad æquiuocationem, aut A
analogiam, vt dictum est suo loco.

Obijcitur secundò, quoniam genus, vel est pars actu, vel totum actu: non primum, ergo secundum; sed quod est actu totum continet partes actu; ergo non continet species, & differentias; quæ sunt eius partes in potentia, sed in actu; & hinc est, quòd à Boetio, Genus dicitur tenuis similitudo specierum, quod non esset, nisi saltem actu implicitè eas contineret, ac earum differentias.

Respondetur, totum genericum vt tale est, nec esse totum actuale, nec partem actualem, sed actu esse totum potentiale: quia non dicitur totum potentiale, quasi potentiam habeat ad hoc, vt sit totum, sed quia potentia, non actu suas continet partes. Vnde ad illud Boetij dicitur, quòd eatenus ab ipso appellatur genus, tenuis similitudo specierum, quatenus importat rationem genericam, in qua omnes inadæquatè conueniunt, & ex hac inadæquatione procedit tenuitas similitudinis; non autem quia implicitè inuoluat omnium differentias. B

Obijcitur tandem tertiò: nam vt vera sit prædicatio, necesse est id totum, quòd continet subiectum, continere prædicatum, non solùm in potentia, sed etiam actu; sed genus verè prædicatur de specie: ergo debet actu continere quidquid species continet, nempe differentiam ex qua simul cum genere componitur. Probatur Maior; quia cùm animal prædicatur de homine, sensus prædicationis est, hominem esse animal actu, quod verum non erit, si animal solùm dicat actu naturam sensitiuam; nam cùm hæc sit pars hominis, prædicabitur pars de toto: vt ergo sit vera, debet etiam animal actu continere rationalitatem, & non sufficit in potentia, cùm actu, & non potentia prædicetur. C

Respondetur negando maiorem, quia non requiritur ad veritatem propositionis, quòd prædicatum contineat actu quidquid continet species, sed sufficit, quòd aliquid contineat actu, & aliquid in potentia; sic enim prædicabit partem speciei inclusam in specie, non tamen per modum partis, sed totius, vt dictum est: & ideò veram efficiet propositionem, in qua dicitur homo est animal; cuius sensus est, hominem includere animal, quod determinatur per rationale ad constructionem eius; hoc est enim includere rationale, ac cæteras differentias in potentia, quod ita potest declarari. Contrahibile, aut determinabile dicit D potentiam, & contrahens actum: at genus est contrahibile per differentiam, tanquam per actum: ergo est potentia respectu differentiæ, & speciei, quam cum ea potest constituere: quare non potest continere species, & differentias actu, sed potestate tantùm.

QVÆSTIO III.

Vtrùm idem Prædicatum Generis, vnde sumi solent loca dialectica, &c. prædicetur per se de differentiis, quas tantum potestate continet, vel potius per accidens.

EX nuper notatis in antecedenti quæstione sufficienter decisum videtur propositum dubium: nã cùm inibi dictum sit, prædicatum generis continere tantùm, ratione speciei, suas differentias, non possumus modò absque manifesta contradictione non affirmare ipsum de illis prædicari per accidens, seu per aliud (etenim eodem modo natura superior de inferioribus prædicatur; seu vt ampliori vocabulo dicamus, eodem modo aliquid de alio prædicatur, quo idem continet) nihilominùs tamen; quia non omnium est vna, & eadem sententia; quinimmo, cùm validissimis rationibus vnaquæque fulciatur, necessarium duximus ex professo tale examinare quæsitum, ne quidquã instituto nostro consentaneum deficere videatur.

Quare pro tituli intelligentia supponendum est, quòd aliud est aliquid esse alterius accidens, & aliud est ipsum prædicari de eo per accidens: nam ad hoc, vt vnum sit alterius accidens, satis est, quòd ei inhæreat, itaut sine eo esse nequeat, & illius non sit pars aliqua, vt habetur 2. cap. lib. prædicamentorum. At verò ad hoc vt aliquid de aliquo prædicetur per accidens, satis est, vt conceptus formalis illius non includatur in conceptu obiectiuo eius de quo prædicatur, licèt alias de materiali scilicet, & identicè includatur, vt patet, in hac propositione; Albedo est similitudo, &c. nam licèt similitudo in sensu identico, & materiali includatur aliquo modo in albedine (etenim relatio similitudinis vnius albi ad aliud, resultat ex albedine, quæ est tota ratio fundandi talem relationem, vt dictum est suprà disp. 15. q. 2.) tamen in sensu formali, conceptus illius non est conceptus albedinis, vt patet; vnde communiter talis prædicatio appellatur prædicatio per accidens. Igitur quando quæritur in præsenti an genus potiùs prædicetur de differentia per accidens, quàm per se, non est intelligendum quòd genus sit accidens respectu differentiæ, cùm absque differentia optimè intelligi, ac definiri queat, atque illius pars sit saltem materialis; sed tantùm in ratione prædicandi, an scilicet per se, vel potiùs per accidens de suis differentijs prædicetur.

Prima sententia docet Genus prædicari per se de suis differentijs. Ita Themistius 1. post. cap. 12. & Iandunus 3. metaph. q. 12.

Secunda verò sententia è contrà docet, Genus tantùm per accidens prædicari de suis differentijs, idest ratione specierum, de quibus prædicatur per se. Ita Philosophus 3. metaphys. text. 10. & 6. Topic. in explicatione loci 38. Auicenna lib. 2. suæ metaphysicę. D. Tho. de ente, & essentia cap. 3. & 3. metaph. super textum 10. Scotus ibidem q. vnica, & super Porphyrium q. 20. Antonius Andreas 3. metaph. q. 2. Sonci-

cinas 4. metaph. q. 20. Iauellus 3. metap. q. 2. & communiter omnes.

Notandum est ergo primò, quòd illi conceptus distinguuntur formaliter, saltem per intellectum, quorum vnus in formali, siue in quidditatiuo conceptu alterius non includitur, vel vt alij exponunt, quorum vnus non est de essentia, & quidditatiua definitione alterius; vnde quia genus non est de conceptu formali differentiæ, neque differentia de formali conceptu generis (etenim formale significatum generis est perfectio materialis, & formale significatum differentiæ est perfectio formalis) hinc contingit, quòd genus, & differentia sunt distincti conceptus formaliter; nam genus significat naturam vniuersaliter, confusè, indistinctè, & per modum cuiusdam determinabilis, ac perfectionabilis, quod est proprium materiæ; differentia verò eam designat distinctè, & per modum cuiusdam determinantis, & perficientis, quod est proprium formæ: hinc Philosophus 8. metaph. text. 9. inquit, quòd genus sumitur à materia, & differentia à forma; quod dictum tamen non est intelligendum vtcunque, sed modo explicando in metaphysicis, nimirum, quòd in substantijs materialibus radix, & fundamentum saltem remotum generis, & differentiæ sit materia, & forma; in substantijs verò spiritualibus, vbi non est materia, sit tantùm natura, & essentia, quatenus ex vna parte habet rationem indeterminati, & perfectibilis, & ex alia determinati, & perfecti.

Notandum secundò, differentiam dupliciter sumi posse, primò pro aggregato, vt ita dicamus ex forma generali, & specifica, vt rationale pro aggregato ex forma animalis, & forma rationalis. Secundò verò pro forma speciali, quæ est diuersa à forma generis. Primò modo non est propriè differentia, sed potiùs species, cùm dicat totam quidditatem rei compositæ; quare in tali sensu genus prædicabitur de ea formaliter, & per se, cùm tali modo, etiam ex dictis prædicetur de specie. Secundò verò modo est propriè differentia, cùm diuidat, seu potiùs contrahat genus (propriè enim loquendo genus non diuiditur in differentias, cùm non includatur in ipsis, sed per differentias diuiditur in species; vnde non conuertitur cum ipso, sed addit illi perfectionem, cum respectu illius se habeat ad modum actus, ipsumque excludat (etenim extra rationem potentiæ, seu contrahibilis, est actus, seu contractiuum, & è contrà) & in hoc sensu tantùm accipitur, & consideratur in præsenti differentia, cùm in tali sensu habeat totum id, quod ad rationem illius requiritur.

Dicendum est ergo, quòd prædicatum generis vnde sumuntur loca, &c. non prædicatur per se de suis differentijs; sed tantùm per accidens.

Probatur prima pars conclusionis: nam si prædicaretur per se de suis differentijs, aliquo modo ex assignatis cum Aristotele 1. poster. disp. 37. q. 7. prædicaretur: sed nullo modo ex prædictis videtur prædicari; ergo non prædicatur per se. Minor probatur; quoniam non in 3. & 4. quia propriè non sunt modi dicendi per se, ex dictis loco citato, sed potiùs essendi, & causandi per se. Non in primo, & secundo, quia genus non est de essentia differentiæ cùm animal, e. g. non sit definitio, neque pars definitionis rationalis, neque est passio eiusdem, cùm non sequatur ad ipsam etenim rationale non antecedit, sed sequitur animal) A ergo in nullo modo dicendi per se prædicabitur.

Obijciet fortasse aliquis Aristotelem cap. 3. huius, & 3. de Anima text. 10. dicentem, Genus non prædicari de differentia per se loquendo, nisi fortasse sicut subiectum prædicatur de passione, cùm ponatur in definitione differentiæ, sicut subiectum in definitione passionis: nam si dicamus quid est rationale, dicemus esse animalis formam; ergo licèt animal non sit passio respectu rationalis; tamen rationale est passio respectu animalis: sicut licèt homo non sit passio risibilis, tamen risibile est passio hominis; & consequenter sicut ex eo, quòd in hac prædicatione, nempe risibile est homo, non tollitur quin prædicatum sit in secundo modo dicendi per se; ita erit philosophandum etiam in ista, uidelicet rationale est animal, atque affirmandum quòd sit in secundo modo pariter dicendi per se, estò non passio de subiecto, sed subiectum de B passione prædicetur.

Respondetur, Aristotelem illis in locis tantùm voluisse innuere, quòd sicut subiectum, vt quid additum, ponitur in definitione passionis, ita animal in definitione differentiæ; non autem quòd talis differentia scilicet rationale sit passio: sicut materia prima ex eo quod ponatur in definitione formæ substantialis, vt subiectum, non sequitur quòd forma substantialis sit eius passio: nam vt aliquid sit passio, necesse est vt ponatur in definitione eius subiectum, non quomodocunque, sed vt causans suo modo passionem, cuius ratio est prior, ad quam, & ratione cuius deinde passio consequitur. Vnde quando aliquid ponitur in definitione alterius tantùm vt subiectum, quod actuatur per illam C formam, sicut ponitur animal in definitione differentiæ, & subiectum in definitione accidentis, non sequitur quòd talis forma sit eius passio. Præterquamquòd, licèt admitteretur antecedens in eo sensu, quem ponit obiiciens, nihilominùs neganda esset consequentia; nam vt dictum est suprà disp. 9. ad secundum, primus, & secundus modus dicendi per se præsupponunt propositionem directam, & naturalem; nempe quòd verum subiectum stet loco subiecti, & verum prædicatum loco prædicati, & non è contrà, quod vtique non sequeretur, si diceretur risibile est homo, rationale est animal, &c.

Probatur secunda pars, nimirum quòd tantùm prædicetur per accidens, & primò probatur auctoritate Philosophi tum 3. metaphys text. 10 circa finem, vbi D ait; *Impossibile est vt genus entium sit vnum, vel ens*, cuius quidem dicti, rationem reddens subdit, *quia omne genus habet differentias, de quibus non prædicatur; impossibile enim est, aut species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus absque suis speciebus*, scilicet de eisdem differentijs dici; ens verò de omnibus prædicatur. Tum 6. Topic. in explicatione loci 38, vbi habet hæc verba: *Nam non de differentia, sed de quibus differentiæ, genus uidetur prædicari, vt animal de homine, & boue, & de alijs gressibilibus animalibus; non autem de ea differentia, quæ de specie dicitur*: ergo cùm prædicetur de differentijs tantùm ratione alterius, nempe speciei, de qua tantùm prædicatur per se, prædicabitur de illis per accidens.

Respondet Iandunus, Aristotelem illis in locis, non exponere propriam sententiam, sed incedere modo disputatiuo, aut probabili.

Contra tamen est, quòd optimè quis potest expone-

nere propriam sententiam procededo disputatiuo, aut probabili modo; aliter enim non darentur tot variæ, & diuersæ doctorum sententiæ in qualibet facultate pro qualibet conclusione non secuta ex necessarijs.

Probatur secundò eadem secunda pars, ratione, qua vtitur Philosophus loco citato ex 6. topic. Nam si genus, e.g. animal non prædicaretur de vnaquaque differentia per accidens, seu ratione speciei, &c. sed per se, & ratione sui, sequeretur, quòd multa animalia prædicarentur de specie humana, vel equina, &c. sed hoc est absurdum: ergo tantùm debet prædicari per accidens de suis speciebus. Minor patet ex eo, quòd vnaquæque species animalis determinatum animal significat. Sequela verò maioris probatur; nam si animal prædicaretur per se de rationalitate e. g. vel contineretur, & clauderetur in tali differentia, quatenus idem est cum animali, quod de specie humana prædicatur, vel quatenus diuersum; (esset enim in tali casu de definitione differentiæ, & consequenter aliquo modo contineretur in ipsa, cùm quælibet definitio in ipso contineatur definito) si primum; ergo dicendo homo est animal rationale, fieret manifesta nugatio: nam esset idem ac dicere Homo est animal, cùm idem animal, quòd prædicatur de specie, supponatur de definitione rationalis. Si secundum: ergo valeret dicere, Homo est illud animal, quod de specie prædicatur, & est etiam illud aliud, quod in rationali includitur, quod non est idem cum primo, vt supponitur; & sic idem homo erit multa animalia: ergo, &c. Hoc autem inconueniens minimè sequeretur, si genus tantùm prædicaretur per accidens de suis differentijs, vt patet; nam tunc non includeretur in ipsis, nec de ratione illarum esset; ergo non per se, sed per accidens tantùm prædicari debet de suis differentijs.

Respondet Iandunus in calce quæstionis citatæ negando sequelam, rationemque adducit, dicendo, quòd per hanc rationem, si esset vera, etiam probaretur, quòd genus remotum non prædicaretur per se de specie specialissima, vt animatum non prædicaretur per se de homine, quia aliter vnum animatum, scilicet homo esset plura animata; & tamen constat, quòd animatum prædicatur per se tam de homine, quàm de animali.

Contra tamen est, quòd animatum quidditatiuè includitur in conceptu animalis, vnde nequit esse alia forma à natura animalis distincta; sicut animal est forma distincta à rationali; ergo non sequitur, quòd si genus remotum prædicaretur per se de aliqua specie animalis, multa animalia prædicarentur de tali specie, sicut sequitur de genere respectu differentiæ, cùm non sit eadem ratio.

Obijcitur primò: nam quòd est animal per suam formam, est per se animal: sed rationale est animal per suam formam: ergo rationale est per se animal; & consequenter genus prædicabitur per se de sua differentia, nempe de rationali. Maior elicitur ex lib. 5. metaph. cap. de per se, vbi Aristoteles ponit primum modum per se esse, quando aliquid est tale per suam formam. Minor à sufficienti diuisione probatur, nam si rationale est animal, aut est animal per materiam, aut per formam, non per materiam: ergo per formam, nempe per animam sensitiuam, ad quam sequitur esse animal.

Respondetur, quòd per se est duplex, vnum entitatiuum, quod ab alijs per se metaphysicum dicitur, eò quòd metaphysicus quidditates obseruat; & est quando aliqua res de se, & ex sua natura est talis, quemadmodùm Sol per se est lucidus; Luna verò non per se, sed per alterum est lucida: aliud verò per se est prædicatiuum, quod alij vocant per se logicum, eò quòd logicus prædicationes obseruat: & est quando prædicatum est de ratione subiecti, vt in primo modo perseitatis, vel subiectum de ratione prædicati, vt in secundo modo. Vnde ad propositum dicitur, quòd multa sunt per se talia entitatiuè, quæ non sunt per se talia prædicatiuè; non enim omnis prædicatio, quæ sumitur à forma, est per se prædicatiuè, vt fortasse putant aduersarij; atque ita animal per suam formã est per se animal entitatiuè; quia non per aliud, sed per se ipsũ est tale, sed nõ est per se tale prędicatiuè. Ad authoritatẽ verò Philosophi respõdetur, quòd quando dicit primum modũ per se esse, quando aliquid est tale per suam formam, intelligit eo loco per formam, ipsum quod quid est, vel definitionem; vnde inquit: Vno quidem modo secundum se, quod quid erat esse vnicuique vt Callias, & quod quid erat esse Calliam; id est Callias, & definitio Calliæ sunt idem per se.

Obijcitur secundò, tum quia hæc est bona consequentia expositoriè, scilicet hoc per se est animal, demonstrato homine; & hoc per se est rationale, eodem demonstrato: ergo rationale per se est animal. Consequentia enim bona est, & antecedens est verum, & per se: ergo & consequens est per se: Tum etiam quia ista propositio est per se, scilicet rationale est substantia: ergo & hæc, rationale est animal. Antecedens patet; nam rationale est per se ens, & non in alio: ergo est substantia. Tum quia si ista propositio esset per accidens, nempe rationale est animal; prædicatum posset separari à subiecto, & sic posset rationale esse absque animali, quod est falsum.

Respondetur & primò ad primam rationem, quòd non sequitur, si præmissæ sunt per se in bona consequentia, conclusio etiam sit per se: sed solùm requiritur in illa, quòd si antecedens est necessarium, consequens etiam sit necessarium; non enim requirit consequentiæ bonitas, vt omne quod reperitur in antecedenti, reperiatur in consequenti. Nam animal per se primò est sensibile, & homo per se primò est animal; ergo homo per se primò est sensibilis, falsum est: nam homo per animal est sensibilis, & ita datur antecedens verum, & consequens falsum, si requiramus in consequenti omne illud, quod reperitur in antecedenti; bene tamen requiritur, quòd homo sit sensibilis. Eodem ergo modo in illo syllogismo expositorio sequitur, quòd rationale sit animal, non verò quòd per se sit animal.

Ad secundam verò rationem respondetur, propositionem illam, scilicet rationale est substantia, posse habere duplicem sensum; primum ita vt idem valeat ac dicere; rationale habet de sua essentia, quòd sit substantia; & in hoc sensu falsum est, quòd talis propositio sit per se; quia conceptus rationalitatis, non est de conceptu substantiæ. Secundum ita, vt idem valeat ac dicere, rationale est substantia, hoc est distinguitur ab accidente; & in hoc sensu potest admitti, quòd talis propositio sit per se; nam tale per se, est metaphysicum, &c.; sed hoc nihil ad nos, cùm loquamur de conceptu differentiæ, prout distinguitur à con-

à conceptu generis; aut alterius prædicabilis non verò, vt contradistinguitur ab accidente prædicabili, & metaphysico.

Ad tertiam tandem rationem respondetur, quòd quia illa propositio est per accidens ratione conceptuum; potest quidem vnus conceptus esse in alio: quia verò est necessaria ratione rerum, vna res sine alia esse non potest, scilicet rationale sine animali.

Obijcitur tandem tertiò, quoniam omnis propositio per accidens est contingens, ex Philosopho 1. Poster. cap. 4. de modis per se: sed ista, scilicet rationale est animal, non est contingens; ergo est per se. Minor probatur, nam propositio contingens potest aliquando esse falsa, vt patet: sed quod rationale sit animal, nunquam potest esse falsa; ergo, &c.

Respondetur, quòd talis propositio est necessaria ratione rerum, quæ materialiter, & secundariò importantur; & est per accidens tantùm ratione conceptuum; ideò non potest esse falsa; nam res illæ inseparabiliter connectuntur, scilicet res, quæ est animal, & res quæ rationalis: quia res, quæ est rationalis, necessariò debet esse homo, & ita necessariò debet esse animal.

Ex dictis igitur non tantùm in hac disputatione, verùm etiam in disp. 3. vbi de genere disputatum fuit, vnicuique licebit colligere, quomodò per omnia loca construendum, destruendumque sit problema quodlibet de genere; nam si habet assignata requisita, construendum, sin autem destruendum erit. Proponatur

A e. g. tale problema, An prudentia sit virtus. Hoc vtique erit construendum, cùm Virtus respectu Prudentiæ habeat omnia requisita generis: prædicatur enim in quid de ea, & de omni contento sub ipsa, non quidem per modum partis, sed totius potentialis, &c. Quare per locos intrinsecos e. g. à partibus ad totum (vt cæteros relinquamus vtpote magis vsitatos) qui tenet affirmatiuè, optimè terminabitur dicendo, Aristocratia est virtus: ergo Prudentia est virtus; cùm quidquid prædicatur de parte subiectiua, prædicetur etiam de toto vniuersali; Poterit etiam terminari per locos extrinsecos e. g. per locum à contrariè oppositis, si dicatur; Prudentia non est vitium: ergo Virtus; cùm ex remotione vnius contrarij immediati ponatur aliud. Tandem optimè terminabitur quoque per locos

B medios; e. g. per locos à coniugatis, & à casibus, si dicatur, Prudens est virtuosus, & prudenter agere, est virtuosè, seu studiosè agere: ergo Prudentia est virtus, cum id quod conuenit vni coniugatorum, aut vni casui, conueniat etiam reliquo; si autem viceuersa adductum problema, non habuerit assignata requisita generis, e. g. si proponatur, An Prudentia sit labor. Vtique per eosdem locos poterit destrui, quinimò erit destruendum, cùm labor respectu prudentiæ non sit genus, sed accidens, &c. At de his omnibus clarè, & abundè locutus est Philosophus passim per totum istum tertium librum; ad quem breuitatis gratia lectorem remittimus.

LIBER QVINTVS TOPICORVM,

EIVSQVE SYNOPSIS.



CVM assignasset nobis Philosophus lib. 4. loca topica, quibus terminatur problema de Genere, seu quibus possibile est ad problema de Genere argumentari constructiuè, & destructiuè; transit in præsenti lib. 5. ad problema de Proprio; conuenienter quidē: nam explicato quod est commune, antequàm habeamus perfectam notitiam, quidditatis rei per exactam definitionem, statim explicare debebat, quid est proprium, quod maximè facit in præsenti, ipsum diuidendo, membra diuidentia explicando, differentiam inter ipsa assignando, ac diuersa, & varia loca tam intrinseca, quàm extrinseca, & media ex eodem eruendo.

Continet autem liber iste secundum Latinos tria capita; in quorum primo asserit triplex esse Proprium, nempe per se, & semper; Proprium ad aliud, & Proprium aliquando, quæ proprij diuisio omnino coincidit cum ea, quam suprà cum Porphyrio tradidimus cap. de Proprio: nam proprium per se, & semper, idem est ac proprium quarto modo. Proprium verò ad aliud, aut inest soli, sed non omni, & sic idem est ac proprium primo modo: aut inest omni, sed non soli,

D & sic idem est ac proprium secundo modo: Proprium tandem aliquando idem est ac proprium tertio modo, vt clarè patet ex exemplis, quæ ibidem idem Philosophus adducit. Deinde addit, Problemata dialectica maximè, & propriè versari circa prædicatum proprij tum per se, & semper; tum ad aliud: sed cum de proprio ad aliud, quod est accidens commune, copiosè egerit lib. 2. huius, proponit in præsenti nihil de ipso agere. In secundo verò capite tractat de locis spectantibus ad problemata, vtrùm proprium sit benè assignatum; & etiam de locis spectantibus ad problema in quo quæritur, vtrùm id, quod assignatum est, verè sit proprium rei. Tandem in cap. 3. agit de locis terminantibus prædictum problema proprij, tum ex oppositis, ex diuisione, & ex casibus; tum ex simili, ex generatione, & corruptione, ex magis, & minus, &c. & hæc circà synopsim huius quinti libri.

DIS.

DISP. QVINQVAGESIMA TERTIA.

De locis dialecticis per ordinem ad Problemata Proprij.



POST disputationem de locis problemata Generis terminantibus, æquum erat disputare de locis illorum problematum terminatiuis, quæ problematibus generis dicuntur adiungi; nempe de eodem, & diuerso; at quia non tantùm generi, sed etiam definitioni ex dictis, sunt adiuncta, & annexa; congruum putauimus cum Philosopho non solùm problematibus generis, sed etiam definitionis ea proponere, ne vni tantùm corũ, sed vtrisque cognoscantur inseruire. Quare in præsenti tota disputatio circa naturam, & conditionem Proprij, vt pote immediatè sequentis ad Genus per differentiam contractum versabitur; qua vtique explicata attentis etiam quæ superiùs diximus disp. 6. faciliùs ex tali prædicato loca eiusdem problemata tum affirmatiuè, tum negatiuè terminantia eruere valeamus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm subiectum, seu denominatum Prædicati Proprij, vnde sumuntur loca dialectica eiusdem problema terminantia, sit indifferenter tam accidens proprium, quàm commune.



ACcidentia realia ex Aristotele 10. Metaphys tex. 25. sunt in duplici differentia quędam enim sequuntur compositum ratione formæ, vnde dicuntur priùs conuenire speciei, quàm indiuiduis; vt Risibilitas in homine, quæ oritur à rationalitate, & priùs conuenit homini, quàm Petro: Petrus enim ideò appellatur risibilis, quia homo est risibilis; Quædam verò sequuntur compositum ratione materiæ, quare viceuersa priùs dicuntur conuenire indiuiduis, quàm speciei, vt albedo in homine, quæ oritur ex principiis materialibus illius, nempe ex vario temperamento, &c., & priùs dicitur conuenire Petro, quàm homini; nam in tantùm homo est albus, quia Petrus albus est. Quapropter priora appellantur passiones, & accidentia propria siue generis sint, siue speciei; posteriora verò, accidentia communia.

A Quæritur igitur in præsenti de omnibus istis indifferenter, an possint subiici denominationi secundæ intentionis prædicati proprij, nec ne.

Pro quo supponere debemus, adhuc prædicta accidentia dupliciter considerari posse, vel per ordinem ad sua subiecta partialia, & inadæquata; vel per ordinem ad sua subiecta totalia, & adæquata. Si considerentur primo modo, certum est non solùm accidentia communia, verùm etiam accidentia propria non posse esse subiectum, seu denominatum prædicati proprij: quoniam risibilitas, e. g. non minùs contingenter accidit capiti, aut brachio Socratis, quam contingat illi sedere: nam totus Socrates, non pars illius est, qui ridet, & sedet: quare meritò disp. 50. q. 1 primo loco notauimus, vnum atque idem prædicatum accidentale, secundùm diuersam B rationem habere simul intentionem accidentis proprij, & communis.

Si autem considerentur secundo modo, cùm subiectum totale, & adæquatum diuidatur in proprium, & commune; certum est respectu subiecti communis, nempe compositi substantialis nullo pacto, saltem accidentia communia posse habere rationem proprietatis, & passionis, ac consequenter suscipere posse denominationem prædicati proprij: certum enim est non fluere ab ipso composito ratione formæ, seu à principiis formalibus, & essentialibus illius, quod inseparabile omnino est ab eo, quod habet rationem proprietatis, & passionis. Quare tantùm est dubium, an saltem respectu subiecti proprii, nimirum respectu dispositionum accidentalium, & materialium, ex qui- C bus, & à quibus causatur, possint habere rationem passionis, ac suscipere denominationem prædicati proprij; cùm de tali subiecto prædicetur saltem in quarto modo dicendi per se, qui modus dum connotat ea, sicut dè facto in casu nostro connotat, quæ diximus disp. 37. q. 7. non est ampliùs quartus, sed secundus modus dicendi per se, de cuius ratione est, quòd propria passio, non accidens commune, prædicetur de subiecto.

Prima ergo sententia docet indifferenter omnia accidentia respectu proprij, & adæquati subiecti, esse proprias passiones, ac subiectum prædicati proprij; ita Louanienses, atque alij ex modernis.

Secunda verò sententia docet non omnia, sed aliqua accidentia communia posse esse subiectum denomina- D tionis prædicati proprii, sed in assignando talia accidentia non omninò conuenerunt: etenim Canter. in cap 1. de proprio, Murcia ibidem q. vnica in fine, & Hurt. disp. 6. Logicæ sect. 5. §. 21. & 22. assignant tantùm illa accidentia, quæ cadunt sub prima, secunda, & tertia acceptione proprii. Fonseca verò 5. metaphys. cap. 28. q. 19. sect 4. ad primum, & secundum, & Conimbric. q. 1. de proprio assignant tantùm illa accidentia, quæ cadunt sub secunda acceptione proprii, idest quæ conueniunt omnibus indiuiduis, sed non vnius speciei tantùm. Arriag. tandem apud Mastr. & Bell. disp. 5. q. 4. art. 1. atque alii, quos sine nomine citat Ruuius q. 1. de proprio, tantùm assignant ea accidentia, quæ conueniunt omnibus indiuiduis solius speciei, licèt non semper.

Tertia tandem sententia docet propriè, & in rigore loquendo non omnia accidentia esse proprias passiones, ac subiecti denominationi prædicati proprii, &c. illa

illa tantùm, quæ oriuntur ab essentia ratione formæ, & quæ per se primò conueniunt speciei. Ita Philosophus 5. Metaph. text. 25. quem sequuntur D. Tho. cap. 7. de ente, & essentia; Scotus q. 31. vniuersalium, & communiter tam Thomistæ, quam Scotistę.

Notandum est idcirco primò, quòd cùm denominatio secundarum intentionum, apud Logicos non sit fictitia, & chimærica, sed cum fundamento a parte rei; non quælibet natura vniuersalis indifferenter potest esse subiectum huius, aut illius denominationis nempe generis, speciei, &c. sed illa tantùm, quæ habet proportionem, & commensurationem cum aliqua ex ipsis, scilicet, cum genere, specie, &c. v. g. natura rationalis, cùm significet totum aliquod actuale, & contractum, non est capax denominationis generis, quod est, seu significat totum potentiale contrahibile; neque differentiæ, cùm tale prædicatum significet partem contrahentem, &c.. Sed tantùm speciei, quæ similiter est quoddam prædicatum per modum totius actualis, & contracti, vt dictum est suo loco. Quare ad hoc vt aliqua natura realis accidentalis sit capax denominationis proprii, non sufficit, vt fluat a subiecto vtcunque, sed ratione formæ, seu a principiis essentialibus, & substantialibus illius, cùm prædicatum proprii non significet quamlibet resultantiam, sed illam tantùm, quæ respicit principia formalia, & specifica sui subiecti, nempe compositi: etenim ex Philosopho 5. Topic. cap. 2., & Porphyrio cap. de proprio; Proprium conuersim prædicatur de forma, & specie, cuius est proprium, non autem de materia, & indiuiduis: valet enim, homo est risibilis, risibile est homo: minimè verò, Petrus est risibilis, risibile est Petrus.

Notandum secundò, habere rationem passionis, & proprietatis dupliciter intelligi posse, scilicet aut propriè, & simpliciter; aut impropriè, & secundùm quid. Tunc habet aliquid rationem passionis propriè, & simpliciter, quando oritur à principiis formalibus, & essentialibus rei, cuius est passio, seu, quod idem est, quando consequitur compositum ratione formæ, ita vt forma sit prima radix illius: nam cùm passio inueniatur in omnibus participantibus talem naturam, cuius est passio; necesse est vt sequatur essentiam illius ratione differentiæ specificæ, quæ est eiusdem actus, & forma, vt dictum est. Tunc autem aliquid habet rationem passionis impropriè, & secundùm quid, quando licèt oriatur ex principiis, quæ sunt de essentia sui ipsius, vtpote habentibus rationem proprii, & adæquati subiecti, per quod definitur, tamen non oritur ex principiis, quæ secundùm se simpliciter formalia, & essentialia sunt; sed tantùm materialia, & indiuidualia rei: nam si respectu illorum est aliquo modo passio, cùm necessariò sequatur ex illis, & possit demonstrari de ipsis tanquam de proprio subiecto; non tamen absolutè, & simpliciter dicendum est, quòd sit passio, cùm non sequatur essentiam, ratione formæ, seu differentiæ specificæ, sed tantùm ratione materiæ, & differentiæ indiuidualis, quæ sunt quid accidentale, vt patet. Quare non videtur ratio propter incommensurationem, & improportionem cum prædicato proprii, quòd sit capax ipsius denominationis.

Dicendum est ergo, quòd subiectum denominationis Prædicati proprii, vnde loca sumuntur ad terminanda problemata talis prædicati, non est accidens commune, sed tantùm accidens proprium, seu, quod idem est, id quod propriè, & per se habet rationem passionis.

A Probatur prima pars, quòd scilicet non sit accidens commune. Tum quia, si staret oppositum, omnes propositiones de prædicato accidentali, & contingenti possent demonstrari: sed hoc repugnat: ergo, &c. Sequela patet ex dictis disp. 36. q. 5. vbi dictum est, propriam passionem demonstrabilem esse de subiecto. Minor verò sic probatur; nam essent demonstrabilis, vt supponitur; non essent verò demonstrabiles, quia essent accidentales, & contingentes: demonstratio autem est ex necessarijs, ex dictis disp. 37. q. 6. sed esse demonstrabile repugnat: ergo, &c.

B Tum etiam, quia ex antecedente necessario sequeretur consequens contingens, quod omnino repugnat, vt dictum est tum lib. 3. Instit. cap. 1, tum disp. 31. q. 3. sequela patet, quia hæc propositio, *Homo est coloratus*, apud auctores contrarios, est contingens; hæc autem necessaria, *Motum est coloratum*; sed illa prima sequitur ex hac secunda, adiuncta altera propositione necessaria, vt constat in hoc syllogismo; Omne mistum est coloratum: omnis homo est mistus: ergo omnis homo est coloratus; vbi maior est necessaria, cùm passio prædicetur de propria essentia; minor etiam est necessaria; siquidem in ea genus prædicatur de sua specie, vt patet: ergo iam ex antecedenti necessario sequeretur consequens contingens.

C Probatur secunda pars, nimirum quòd tantùm accidens proprium sit subiectum capax talis denominationis; Quoniam tale subiectum, siue subiectum talis denominationis tantùm debet esse id, quod absolutè, & simpliciter habet rationem proprietatis, & passionis, propter commensurationem requisitam inter intentionem denominantem, & naturam denominatam, vt notatum est suprà: sed tantùm accidens proprium est huiusmodi: ergo, &c.. Maior patet, minor verò probatur: quoniam id absolutè, & simpliciter est passio, & proprietas, quod dimanat à forma, & essentia, quatenus essentia est, quia passio sequitur essentiam ratione differentiæ specificæ, & formalis; non autem ratione differentiæ materialis, & indiuidualis; sed huiusmodi est accidens proprium, & non commune, cùm commune tantùm sequatur essentiam, ratione differentiæ materialis, & numericæ: ergo, &c.

D Obijcitur in oppositum primò; quoniam differentia, quæ assignatur ex Aristotele 10. metaphys. inter propriam passionem, & accidens commune, nempe quòd propria passio sequatur formam, & accidens commune materiam, non videtur sufficiens: ergo meliùs dicendùm est omnia accidentia, quęcunque illa sint, esse proprias passiones, saltem respectu sui proprij, & adæquati subiecti. Consequentia patet ex eo, quòd nulla sententia tenenda est, quæ insufficientes, & inualidas rationes habet. Antecedens autem probatur; tũ quia valdè ambiguũ est cognoscere, quæ accidentia sequantur materiam, & quæ formam, cùm nullum sit accidens, quòd à sola materia dimanet, vt tetigimus disp. 3. q. 1. not. 1.. Tum quia quantitas ex ibidem notatis sequitur materiam, cùm sit primum accidens, & tamen est propria passio corporis: ergo talis ratio videtur insufficiens.

Respondetur negando antecedens; ad cuius primam

mam probationem dicendum est, quòd licèt ex nostro A defectu nesciamus, quae accidentia in particulari proueniant à materia, & quae à forma, tamen valet illa doctrina communis. Neque dicimus aliqua accidentia sequi, vel oriri à sola materia sine communicatione formae: hoc enim falsum est, vt videbitur suo loco; sed dicimus inter accidentia, quae oriuntur à toto composito, alia oriri ab eo ratione formae, & alia ratione materiae, itaut illorum prima radix sit forma, istorum verò materia. Ad secundam autem probationem respondetur ex Caiet. cap. 7. de ente, & essentia q. 17. quòd licèt quantitas latè possit dici proprietas corporis; tamen rigorosè non est, quia sequitur ad essentiam ratione materiae; & ideò est accidens quo indiuidua differunt; nam duo indiuidua possunt differre etiam in eodem accidente, sed diuersimode participato; non enim inueniuntur duo quanta omninò B similia; nam saltem proprijs titulis differunt; quod indicat quantitatem non esse veram proprietatem; nam proprietas vel inuenitur eodem omnino modo in habentibus eandem essentiam, à qua procedit, vel saltem ex se non habet istam inaequalitatem, quam habet quantitas.

Obijcitur secundò, quia color respectu hominis, & equi est accidens commune, vt omnes fatentur; & tamen respectu gradus misti est propria passio: ergo idem accidens est propria passio, & accidens commune respectu diuersorum. Probatur minor; quia haec propositio, *Mistum est coloratum* potest probari per veram demonstrationem; ergo est necessaria, & in illa praedicatum non conuenit contingenter subiecto: ergo color respectu misti non est accidens commune, C sed propria passio; ergo, &c.

Respondetur, quòd color non est proprietas respectu gradus superioris misti, vt sic; nec mistum esse coloratum potest demonstrari; si tamen mistum sumatur pro illo gradu essentiali, quem cap. de specie collocauimus in arbore substantiae: si autem nomine *Misti* intelligatur quaedam accidentalis mistio, vel temperamentum, id quod necessariò sequatur color respectu illius temperamenti, habebit quidem color rationem proprietatis (secundùm quid tamen, & de illo poterit demonstrari vtique per medium, quod licèt sit accidentale respectu rei in qua est color, esset tamen per se respectu illius mistionis, seu peculiaris temperamenti: Ex quo tandem fit, quòd color non est simpliciter proprietas misti vt sic (quia hoc temperamentum est accidens respectu misti) nec vt de ipso praedicatur, pertinet ad quartum praedicabile, sed ad quintum.

Obijcitur tandem tertiò, quoniam accidentia, quae causantur ex varia dispositione materiae, vt masculinum, & foemininum, sunt proprietates saltem illius temperamenti, à quo resultat, ex Arist. 10. metaphys. text. 25. citato; vti sic ait: *Masculus autem, & foemina propria quidem animalis passiones sunt*; & ratio est, quia per se effectus sunt talis temperamenti, & praedicantur de illo; ergo omnia accidentia etiam sunt propriae passiones saltem respectu alicuius gradus.

Respondetur eodem modo vt suprà; nimirum quòd masculinum, & foemininum sunt simpliciter accidentia communia: nam licèt per se conueniant, & oriantur ab illo peculiari temperamento, siue dispositione, quam habet materia tempore conceptionis, ex eo, quòd calor sit intensus, vel remissus, & respectu talis dispositionis habeant rationem proprietatis, hoc est secundùm quid; tamen cùm illa dispositio sit accidentalis respectu animalis, ideò masculinum, & foemininum, quae illa consequuntur, sunt simpliciter accidentia communia; & hoc solùm intendit Aristoteles, nam post verba citata in argumento, haec subdit: *sed non secundùm substantiam, verùm in materia, & corpore*, quod debet sic explicari, non ex parte formae, & simpliciter, sed ex parte materiae, & secundùm quid.

QVAESTIO II.

An definitio praedicati proprij, seu, quod idem est proprietatis, & passionis in ratione quarti praedicati, vnde sumuntur loca dialectica, &c. possit conuenire formaliter eidem proprio in ratione quarti praedicabilis.

PROprietas, seu passio, prout ad praesens spectat, dupliciter considerari potest; vel per comparationem ad inferiora, quae sunt indiuidua speciei, vel per comparationem ad aequalia, seu subiecta, cum quibus reciprocatur, quae sunt species, & formae ex quibus fluit; eodem ferè proportionali modo, quo disp. 5. q. 5. de differentia philosophati sumus. Si consideretur primo modo, cùm habeat rationem superioris, appellari solet vniuersale logicum, & quartum praedicabile, quod per Praedicari de pluribus accidentaliter, & necessariò, hoc est tanquam id, quod non est de essentia rei fluit tamen à principiis essentialibus, & formalibus eiusdem ex Porphyrio disp. 6. q. 1. definiuimus. Si autem consideretur secundo modo, cùm non habeat rationem superioris (superius enim ex Philosopho in postpraedicamentis, est à quo non valet subsistendi consequentia) sed sit aequale, & conuertatur cum suis subiectis de quibus dicitur, est tantùm vniuersale metaphysicum, & quartum praedicatum, seu praedicatum topicum, quod à Philosopho definitur 1. topic. cap. 4. per *Id quod non indicat quid rei, soli autem inest, & conuersim praedicatur*. Patet autem, materialiter, & in virtute D huius definitionis posterioris, contineri priorē: etenim si proprium non indicat quid sit rei, accidens illius est, atque accidentaliter praedicatur de ipsa; & si soli inest, & conuersim praedicatur, non potest non illi conuenire necessariò, & vt fluens à principiis essentialibus, & formalibus eiusdem. Quapropter meritò dubitatur, An sicut haec definitio proprii in ratione quarti praedicati materialiter, & vniuersaliter potest conuenire proprio in ratione quarti praedicabilis, possit etiā eidem conuenire formaliter.

Prima sententia est affirmatiua, quam defendunt B. Alb. magnus tract. 5. de proprio cap. 1. Sotus, & Toletus in explicatione capitis de proprio. Crudelius ibidem disp. 1. Pontelongus disp. 6. cap. 1. qui pro se citat scotum q. 30. & 31 vniuersalium, & omnes ferè illi, qui suprà docuerunt proprium esse vniuersale per ordinem ad speciem, quos iam retulimus disp. 6. q. 2.

Se-

Secunda verò sententia est negatiua, quam defendunt Runius cap. de proprio q. 2. licèt non parum inclinet in affirmatiuam sententiam. Sanchez q. 72. Petronius q. 4. Complut. disp. 8. in calce primæ quæstionis. Mastr. & Bell. disp. 5. log. q. 4. art. 1. § *Secundò quæritur*, qui etiam pro se citant eundem Scotum; & communiter omnes, qui docuerunt proprium esse vniuersale respectu indiuiduorum, quos iam retulimus suo loco.

Notandum est idcirco primò, Prædicabile dupliciter sumi posse; propriè scilicet, & strictè; vel communiter, & largè. Primo modo ita sumitur, quando accipitur pro eo, quod vniuocè prædicatur de pluribus inferioribus, seu minoribus seipso. Secundo verò modo, quando sumitur pro eo, quod prædicatur vel vniuocè de vno solo; vel æquiuocè de pluribus inferioribus, in ratione tamen proprij subiecti, siue minora, siue æqualia sint. Prædicabile in primo modo idem est ac vniuersale logicum, cum sit quid actu in multis, minimè verò in secundo, nisi ad summùm materialiter, & in potentia; vt constat ex dictis disp. 2. q. 1. Et vtique, in hoc sensu tantùm dictum est suprà disp. 43. q. 1. *Prædicatum dialecticum esse terminum prædicabilem de aliquo inferiori, &c.* quasi illi sufficiat vel vnum inferius de quo vniuocè, vel plura de quibus æquiuocè prædicatur, siue æqualia, siue minora fuerint: Ex hoc tamen non tollitur, quòd si aliàs comparetur ad plura inferiora, & actualiter prædicetur de ipsis, non fiat in rigore terminus prædicabilis, & ex vniuersali metaphysico, seu potentiali, non inde fiat vniuersale logicum, seu actuale, atque eius prædicationes, quæ erant quarti prædicati, non sint in tali casu quarti prędicabilis: nam stat pro libito intellectus, qui abstrahit naturas, easdem ad inferiora, siue æqualia, siue minora fuerint, comparare. Qua de causa, cùm superiùs disputauimus de cæteris prædicatis dialecticis, locuti sumus in confuso, & indistinctè, modò, scilicet in ratione prædicati, modò in ratione prædicabilis, cùm vno, vel altero modo saluetur semper in ipsis prædicatio directa, & formalis, quæ tunc fit, quando prędicatum superius est subiecto, vel illi æquale, iuxta dicta disp. 2. q. 1. concl. 3. etenim sub prædicatione de pluribus continetur prædicatio formalis superioris de inferioribus; & sub prædicatione de vno, tantùm prædicatio formalis de æquali, & prædicatio identica, & materialis de seipso, vt dictum est suprà disp. 1. q. 1. vbi diuisionem intentionis ex professo tradidimus.

Notandum secundò, quòd estò proprium in ratione quarti prædicati communiter dicatur propriū primò-intentionaliter sumptum, & metaphysicum; tamen re vera est terminus secundæ intentionis, & dialecticus: etenim vt subtilissimè notat Tataretus in Petrum hispanum cap. de proprio, Proprietas, seu passio realis (quod etiam proportionaliter affirmari potest de qualibet natura, quæ denominari potest simul prædicatum, & prædicabile) fundat duas secundas intentiones ab inuicem distinctas, vnam per comparationem prędicati, ad subiectum (nomina enim prædicati, & subiecti sunt termini secundæ intentionis, cùm rei conueniant tantùm per operationem intellectus, vt notatum est supra disp. 1. q. 2. not. 2.) alteram verò per comparationem superioris ad inferiora: per priorem denominatur quartum prædicatum: per posteriorem A verò quartum prædicabile, & vniuersale logicum: Vocatur autem absolutè ab omnibus Proprium metaphysicum, & primòintentionaliter propter eandem rationem, ob quam compositio logica ex genere, & differentia vocari solet metaphysica, & natura à singularibus præcisa, siue consideretur à Physico, siue à Metaphysico, vniuersale metaphysicum; nimirum vel sumpta denominatione à digniori scientia; quemadmodum est Metaphysica; vel quia obiectum metaphysicæ transcendit obiecta aliarum scientiarum, vt dictum est suprà disp. 29. q. 1.

Dicendum est ergo, quòd definitio prædicati proprij in ratione quarti prædicati non potest conuenire eidem formaliter, & ratione quarti prædicabilis.

Probatur; quoniam Propriū in ratione quarti prędicabilis formaliter, & propriè dicit ordinem ad B indiuidua; cùm sit vniuersale logicum, vt patet manifestè ex dictis disp. 6. q. 2. sed proprium per ordinem ad indiuidua formaliter non dicitur ad conuertentiam, cùm non sint æqualia; nam falsum est dicere, est risibile: ergo est Petrus: ergo eidem nequit conuenire formaliter definitio proprij in ratione quarti prædicati, quæ datur per conuersim prædicari.

Respondet Crudelius loco citato concl. 3. negando maiorem, cùm ex Porphyrio cap. de genere, & alibi, habeatur proprium in ratione quarti prædicabilis prædicari de vna specie, & consequenter de indiuiduis, his verbis: *A proprio differt genus ex eo, quòd proprium quidem de vna specie, cuius est proprium, & de indiuiduis, quæ sunt sub illa specie prædicatur.*

Contra tamen est, quòd Porphyrius loco citato nō C est locutus de proprio in ratione quarti prædicabilis, cùm secundùm talem rationem idipsum nec formaliter definierit, vt optimè obseruant Complut. disp. 8. de proprio q. 1. n. 11. Quinimò tantùm abest proprium illud habere rationem quarti prædicabilis, vt per priùs ponatur prædicari de specie, quàm de indiuiduis, quod conuenit tantùm proprio primòintentionaliter sumpto, vt dictum est supra disp., & quæst. citatis ad primum: ergo proprium in ratione quarti prædicabilis dicit ordinem ad indiuidua, &c.

Obijcitur primò; quoniam eodem modo prædicatur proprium de specie, ac de indiuiduis: ergo definitio, quæ illi conuenit per ordinem ad speciem, & vt est quartum prædicatum, eidem etiam conueniet per ordinem ad indiuidua, & vt est quartum prædicabile. D Consequentia bene sequitur; quoniam si eadem est prædicatio proprij in ratione quarti prædicati, & quarti prædicabilis, eadem quoque erit definitio. Antecedens verò probatur; etenim tam de specie, quàm de indiuiduis prædicatur accidentaliter necessariò, cùm nec per modum generis, ac speciei, vel differentiæ, neque accidentis de illis prædicetur: ergo prædicatur eodem modo.

Si negetur antecedens, & ad probationem dicatur, quòd vtique tam de specie, quàm de indiuiduis prædicatur accidentaliter necessariò; sed de specie prædicatur conuertibiliter, & per modum æqualis; de indiuiduis verò tanquàm superius de inferioribus, & per modum vniuersalis logici; vnde respectu speciei habet rationem prædicati respectu indiuiduorum prædicabilis.

Contra tamen; nam vt habet respectu speciei rationem prædicati, alicuius est prædicatum, maximè

cùm sit prædicatum simplex incomplexum; ergo non alterius, nisi quarti prædicabilis.

Respondetur negando antecedens: nam vt affirmatur de specie, & vt importat ordinem ad ipsam, nullius prædicabilis est prædicatum, quia non est prædicabile: est autem prædicabile, tantùm vt affirmatur de indiuiduis, & importat ordinem ad ipsa, vt dictum est.

Obiicitur secundò, quoniam siue dicamus, Petrus est risibilis, siue homo est risibilis, non variatur conceptus ex parte prędicati: sed respectu indiuiduorum, tale prædicatum ex concessis habet rationem vniuersalis logici, & quarti prædicabilis; ergo & respectu speciei. Maior patet ex eo, quòd tale prædicatum tam speciei, quàm indiuiduis conuenit vt proprietas: ergo ex parte illius nequit variari conceptus.

Respondetur, quòd licèt non varietur conceptus risibilis, & proprietatis induit tamen tale prædicatum aliam intentionem, cùm refertur ad speciem, scilicet intentionem quarti prædicati, & aliam cùm refertur ad indiuidua, nempe quarti prædicabilis, & vniuersalis logici. Et bene potest idem materiale secundùm aliam considerationem, aliam induere intentionem, vt patet dicendo, Petrus est Petrus: nam idem materiale, scilicet Petrus in vno situ inducit subiecti rationem, & in alio prædicati.

Obijcitur tandem tertiò; quoniam proprium non minùs est vniuersale respectu inferiorum, quàm respectu speciei, cum qua conuertitur: sed respectu inferiorum, tale vniuersale est prædicabile, & vt tale definitur: ergo etiam respectu speciei: & consequenter definitio proprij in ratione quarti prædicati, eidem etiam conueniet vt est quartum prædicabile. Probatur maior; nam quod affirmatur de vniuersali, non potest non esse vniuersale: sed proprium respectu speciei affirmatur de vniuersali, nempe de ipsa specie, quę est secunda species vniuersalis logici: ergo etiam ipsum est vniuersale.

Respondetur negando maiorem, si intelligatur de vniuersali logico; ad cuius probationem distinguenda est maior. Quod affirmatur de vniuersali non potest non esse vniuersale, quatenus vniuersale contradistinguitur à particulari, hoc verum est; quatenus autem vniuersale se habet vt superius ad plura inferiora, falsum est quòd illud quod de speciei affirmatur debeat esse vniuersale, nam sufficit quòd sit quid commune. Quare licèt proprium dum affirmatur de specie, affir- A matur de vniuersali vt quid commune; minimè verò, vt quid superius de pluribus inferioribus, quod indispensabiliter requiritur ad hoc, vt aliquid sit prædicabile, & vniuersale logicum.

Contra tamen; quoniam species, vt est quoddam vniuersale continet in se saltem virtualiter plura inferiora; ergo dum proprium prædicatur de specie, prædicatur vt superius de pluribus inferioribus, saltem virtualiter, & potentialiter sub se contentis.

Respondetur, concedendo totum argumentum. Attamen non inde sequitur, quòd proprium respectu speciei sit quid vniuersale logicum, & prædicabile; nam ad hoc non sufficit vt prædicetur virtualiter, & potentialiter de pluribus; sed formaliter, & actualiter, vt notatum est suprà disp. 5. q. 3., qua de causa vide- B antur ea, quæ ibidem tradidimus per totam quæstionem; valdè enim conferunt præsenti difficultati.

Facillimè ergo ex dictis colligere poterimus per generalia, quomodo prædictum Problema prædicati proprii constructiuè, vel destructiuè terminandum sit; etenim si in ipso necessaria requisita reperiantur, construendum; sin autem, destruendum erit. Nihilominùs, vt ad illius terminationem inoffenso pede omninò deducamur, etiam in particulari per quædam loca, tum intrinseca, tum extrinseca, & media (cùm singula recensere sit superfluum) hoc totum exemplificabimus. Sit igitur huiusmodi problema prædicati proprij; An scilicet tendentia deorsum sit proprietas grauis. Terminabitur itaque constructiuè, cùm habeat omnia requisita proprij per locos intrinsecos, v. g. per locum à specie ad genus si dicatur, tendentia C deorsum est proprietas terræ, aquæ, plumbi, &c. (loquimur autem in hoc exemplo de proprio generico, quod tantùm scilicet conuertitur cum genere) ergo est proprietas grauis. Item bene constructiuè terminabitur per locos extrinsecos; e. g. per locum à contrariis, si dicatur; tendentia deorsum non est proprietas leuis: ergo erit proprietas grauis. Tandem terminabitur optimè per locos medios, e. g. per locum à diuisione, si dicatur; si graue mouetur, vel habet vt sibi proprium moueri deorsum, vel sursum, vel circulariter; non sursum, aut circulariter: ergo deorsum. Cætera verò loca tam intrinseca, quàm extrinseca, & media, ex quibus optimè terminari potest huiusmodi problema, cupientes cernere, textum adeant; nam ibi luce clariora nitescunt.

LIBER SEXTVS TOPICORVM.

EIVSQVE SYNOPSIS.



Vamuis in intentione primum locum obtineat definitionis prædicatum, vtpotè tanquam id ad quod cætera reducuntur, & ordinantur, teste Philosopho 1. huius cap. 6., in executione tamen nouissimum locum tenere debet, cùm ipsi veluti media reliqua D famulentur prædicata: etenim per considerationem eorum non pauca definitionis problemata terminari solent. Qua de causa Philosophus postquàm in prioribus, & antecedentibus libris egit de terminatione problematum de accidente, de genere, & de proprio; in hac posteriori, & sequenti libro ordine 6. intendit agere de terminatione problematis de definitione.

Con-

Continet autem liber iste tria capita; in quorum primo Philosophus docet terminare problemata de prædicato definitionis per plura, & diuersa loca, quę sumi possunt ex parte generis, ex quo simul cum differentia componitur, & formatur definitio; obseruando scilicet an genus illud sit proximum, & immediatum; an simplex, vel multiplex; an proprium, vel metaphoricum, &c.; quod si proximum, & immediatum, simplex, vel proprium, &c. problema construitur; sin autem, destruitur. In secundo verò capite tradit modum terminandi idem problema per loca, quæ sumi possunt ex parte differentiæ, definitionem simul cum genere constituentis; nimirum considerando an differentia assignata sit essentialis, & specifica; an habeat omnia requisita differentiæ; an sit vnius generis, vel duorum, quorum neutrum contineatur in altero; an rei relatiuæ sit relatiua, absolutæ absoluta, &c. quòd si essentialis, specifica, & habeat omnia requisita differentiæ, & non sit duorum generum non subalternatim positorum, & approprietur rei definitæ, &c. problema construetur; sin autem destruetur. Deinde incipit tradere quædam præcepta, ac requisita bonæ definitionis, vt inde cætera loca ad terminandum eiusdem problema, erui possint. Tandem in tertio, & vltimo capite prosequitur enarrare cætera requisita bonæ definitionis, tàm respectu rei compositæ, quàm respectu rei simplicis, vt ex omnibus congrua loca huiusmodi problematis terminatiua absque errore sumi possint.

DISP. QVINQVAGESIMA QVARTA

De locis dialecticis per ordinem ad Problemata definitionis secundum se considerata.



Efinitionem, caput esse totius disputationis, est qui ambigat nemo; etenim in illam, omnia quæ discussionem habent referuntur; quare licèt permulta, lib. 2. Instit. cap. 3. de ipsa tradiderimus, cùm tamen ad locorum inuentionem non sufficiant, non pauca modò addenda videntur, quæ omnino necessaria æstimentur. Cæterum definitio, cùm vel ratione sui, vel proprij definiti considerari possit; hac posteriori ad sequentem disputationem consideratione relicta, priorem illa in præsenti tantùm examinabimus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Prædicatum definitionis, vnde sumuntur loca ad terminandum eiusdem problema, sit bene definitum ab Aristotele.

A



Erantiquus quidã Anthistenes cùm suis sectatoribus, teste Philosopho 8. metaph. text. 9. è medio tollebat rerum definitiones, quam nostra tempestate secutus est Ioannes Franciscus Picus in examine variæ doctrinæ gentium lib. 5. cap. 7. & 8. his, vel similibus rationibus fretus, nimirum quia prædicata per quæ res definitur deberent etiã ipsa per alias definitiones definiri, & consequenter per alia prædicata; & hæc rursus per alia, B vnde tandem in infinitum abiretur. Tùm etiam quia non potest cognosci quidditas nisi cognoscatur & vltima differentia, & hæc cognosci non potest nisi cognitis infinitis rebus à quibus per eam secernitur. Tũ denique, quia delinquimus (vt inquit Picus) cùm quod substantiale definituri, adhibemus ea, quæ sensibus nostris accurrunt, nam hæc sunt accidentia; at substantia, non tamen sensibus percipitur, quàm rationem perquiritur.

Nihilominùs ita exploratum est apud omnes, rerum definitiones non solùm esse possibiles, verùm de facto dari, vt cæteri omnes Philosophi oppositum docuerint. Præterquam, quòd accedit ratio euidens, quia ablata definitione tollitur demonstratio cuius est medium, & ablata demonstratione, omnes scientiæ C tolluntur, vnde nihil prorsus sciremus, & ea quoque ignoraremus, quæ sunt obuia sensibus, & facillima cognitu. Quare rationes illæ facilè corruunt, quoniam ad primam, responderi potest, negando assumptum, nam vt docet Aristoteles 8. metaph. text. 7. in definiendo peruenimus ad suprema prædicata, quæ vlterius per alia definiri non exigunt, & tales sunt conceptus entis, & vltimæ differentiæ. Ad secundam pariter negatur assumptum; nam ad cognoscendum tale discrimen definiti a cæteris rebus, non est necesse singulas in particulari pertingere, sed sufficit illas cogitare in aliquo conceptu communi, saltem negatiuo, quatenus scilicet talem essentiam non participant. Ad tertiam item negatur assumptum, nam etsi accidentia non valeant directè in notitiam substantiæ nos ducere; valent tamen indirectè, & arguitiuè; vnde extat dictum Aristotelis 1. de anima text. 11. quòd accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est.

D

1. Data igitur definitionis existentia, pro dilucidatione quæsiti, etiam supponere debemus, quòd vna, & eadem oratio, quæ prout explicat naturam rei vel nominis, absolutè dicitur definitio; prout affirmatur, vel negatur de tali re, vel nomine, communiter etiam appellari solet definitionis prædicatum, sicut qua ratione e. g. natura communis abstrahitur à speciebus, vocatur genus; qua verò ratione de illis affirmatur, solet dici generis prædicabile aut prædicatum; ex quo fit (vt etiam in hoc saluetur proportio) quòd sicut genus dum abstrahitur à speciebus diuersam non sortitur definitionem ab ea, quam hàbet dum comparatur ad species, & affirmatur de ipsis (semper enim prædicabile, & affirmabile est de multis differentibus spe-

specie) ita etiam oratio rei, vel nominis explicatiua naturæ, alienam ab ea, cùm de talibus affirmatur, non consequantur. Duplicem autem definitionis, seu prædicati definitionis Philosophus definitionem assignat, vnam pro definitione quid rei, alteram pro definitione quid nominis. Prima habetur 2. Post. text. 10. & 1. Topic. cap. 4. secunda verò 2. post. loco citato. Prima talis est: *Definitio est oratio quod quid est significans*, siue explicans naturam rei; secunda verò *est: oratio, qua quidditas nominis naturæue declaratur*, siue qua explicatur significatum nominis; de vtraque autem procedit præsens quæstio, videlicet an sint bene traditæ.

Omnes Doctores illas recipiunt, sed non eodem modo explicant; nam Iacobus Zabarella lib. 3. de methodis cap. 13. Faber theoremate 16. Baldius-Gherard. 2. p. logicæ quæstio 2. quæst. vnica diffic. 1. atque alij docent, definitionem non esse modum, seu instrumentum sciendi, & consequenter negant eius definitionem conuenire in aliquo cum cæteris modis sciendi. Auersa verò tract. 1. Instit. cap. 3. Blancus lib. 4. Instit. sect. 4. Amicus tract. vlt. q. 1. dub. 4. Arriag. disp. 3. & alij, inquiunt definitionem quid nominis esse explicatiuam quidem ipsius nominis; sed non in esse nominis, & significationis, sed tantùm in esse rei; ita vt si definiendum sit hoc nomen homo, e. g. dici debeat, quòd est nomen significatiuum animalis rationalis.

Fuentes tandem 2. p. summæ q. 2. diff. 1. art. 1. ait definitionem quid nominis esse rationem entis impossibilis, seu rationis ratiocinantis, atque ideò subdit, hoc genere definitionis tantùm definiri Chimæram, Hircumceruum, &c.

Cæteri verò Philosophi vnanimiter docent, definitionem esse modum sciendi, & consequenter eiusdem definitionem conuenire in aliquo nempe in genere cum cæteris modis sciendi, nec non definitionem quid nominis tantùm esse explicatiuam significati ipsius nominis, siue tale nomen sit alicuius entis realis, siue rationis ratiocinantis, seu ratiocinatæ.

Notandum est ergo primò, quòd definitio sicut & cæteri modi sciendi sumi possunt dupliciter, vel formaliter, vel obiectiuè: primo modo sunt ipsimet actus definiendi, diuidendi, &c.; secundo verò modo sunt obiecta, quæ per hos actus intellectui se offerunt: Cognoscit enim intellectus per præcepta logicæ instructus, quomodo bene definiendum, diuidendum, argumentandumque sit. Qua de causa, si sumatur definitio in primo sensu, non erit formaliter modus, siue instrumentum sciendi, sed ad summùm tantùm materialiter, cùm non distinguatur à notitia quidditatis (est enim definitio simplex intuitus quidditatis rei) quæ distinctio indispensabilis est ab eo, quòd habet rationem instrumenti, vt de se patet. Si autem sumatur in secundo sensu, nihil prohibet, quòd sit tale instrumentum cùm distinguatur à quidditatis notitia saltem quoad modum essendi, sicut distingui solet res obiectiuè concepta à se ipsa, vt existit realiter à parte rei; & hæc sola distinctio sufficit ad saluanda quæcunque dicuntur de cognitione dirigibili, & instrumento directiuo, quoniam non est necesse vt instrumenta interna, & idealia operationis immanentis, tantam habeant distinctionē ab effectu, quem producunt, quantam habere debent instrumenta externa, & materialia operationis transeuntis, vt sunt instrumenta artificum.

Notandum secundò, quòd definitio formaliter sumpta adhuc dupliciter capi potest; vel pro sola apprehensione quidditatis rei, siue nominis per se sumpta, quæ in definitione quid rei importatur per genus, & differentiam, vt est animal rationale respectu hominis; & in definitione quid nominis per aliud nomē notius, vt est humus respectu eiusdē hominis (homo enim ab humo trahit originem) vel etiā pro enunciatione, qua talis essentia affirmatur de homine, dicendo homo est animal; vel talis significatio nominis affirmatur de eodem homine, dicendo homo est quid ex humo formatum. Definitio autem primo modo inspecta attinet ad primam intellectus operationem, quia est oratio imperfecta, & diminuta, ab omni affirmatione præscindens; & in hoc sensu locutus est Arist. 1. post. cap. 10. & lib. 2. cap. 2. dum ait: Definitionem non esse enunciationem, seu affirmationem, sed esse, id quod affirmatur de re solùmque percipi, & apprehendi, vt ibi docet Commentator. At secundo modo inspecta, pro integra nimirum enunciatione includendo definitum, & copulam, ita planè spectat ad secundam; & in hoc sensu Aristoteles 1. post. cap. 2. & 7. & lib. 2. cap. 10. ait definitionem esse propositionem, & esse vnam ex præmissis in demonstratione, & etiam interdum esse conclusionem, si probetur nimirum, & inferatur ex alijs præmissis; quo casu spectare etiam poterit ad tertiam operationem; & ita facilè resoluitur inutilis quæstio (vt rectè notant Mastr. & Bell. disp. 1. suæ logicæ q. 4. a. 1. § *Potest autem definitio. &c.*) quę solet de hac re. Controuerti, tota namque difficultas pendet ex diuerso modo accipiendi definitionem; magis tamen propriè capitur primo modo, quia alio modo est potiùs enunciatio definitiua, quàm pura definitio.

Dicendum est ergo primò, quòd Prædicatum definitionis quid rei, vnde sumuntur loca dialectica ad terminandum eiusdem problema, est optimè definitum à Philosopho.

Probatur; nam particula illa *Oratio*, stat loco generis, cùm definitio per eam cum cæteris conueniat orationibus, *Quòd quid est esse rei significans*, stat loco differentiæ, cùm per hoc distinguatur ab orationibus, quidditatem, & essentiam rei non explicantibus. Consultò autem dicitur *Oratio*, quia essentia rei non potest vno nomine exponi clarè, & distinctè; nam quælibet res definibilis habet rationem quandam cōmunem, qua cum alijs conuenit, & aliam peculiarem, qua ab alijs discernitur: Cùm ergo hæ duæ rationes per definitionem sint explicandę, plures termini mentales, aut vocales sunt adhibendi, cùm vnico præstari non possit, nam nullus terminus vniuocus, quales sunt, qui definitionem ingrediuntur, potest significare plures conceptus.

Dicet fortasse aliquis; quòd cuiuslibet rei efformari potest vnus conceptus adæquatus per definitionem explicatus; quinimmo per vnam vocem plerunque significatur tota rei essentia, quemadmodùm est *Humanitas, &c.* ergo non est necesse, quòd definitio sit oratio plures explicans conceptus, scilicet conceptum conuenientiæ, & conceptum differentiæ, sed erit satis si sit vna vox, vnum explicans conceptum adæquatum;

Res-

Respondetur, quòd ille conceptus adæquatus integraretur ex pluribus inadæquatis, quorum vnus est genericus, & communis; alter uerò differentialis, & proprius; unde semper saluatur, quòd definitio sit oratio plures explicans conceptus, quod distinctè, & clarè non potest fieri per unam uocem, quæ tantùm indistinctè, & confusè explicare, & significare potest; quod utique repugnat definitioni, cùm definitio ad hoc data sit ut distinctè, & clarè explicet essentiam rei, ad quod saltem duæ uoces requiruntur, ut patet.

Dicendum est secundò; quòd prædicatum definitionis quid nominis, &c. bene definitur à Philosopho.

Probatur; quoniam per illam particulam, *Oratio*, conuenit non solùm cum definitione quid rei, sed etiam cum cæteris orationibus; & licèt aliquando non videatur oratio, vt contingit, quando vnum nomen explicatur per aliud magis clarum, vt quando honestum explicatur per decens, &c. nam teste Philosopho 1. topic. cap. 4. ad orationem reducitur; idem enim valet decens, quod id quod decet, vel decens est; vnde interroganti quid sit honestum, bene respondetur, si dicatur est id quod decet. Per cæteras verò particulas non solùm differt ab alijs orationibus, verùm etiam à definitione quid rei, cùm hæc significet quidditatem nominis, quæ est ipsa nominis significatio, illa verò quidditatem rei, quæ eiusdem rei est essentia; ergo talis definitio est optima.

Ex quibus duo licebit inferre; primum contra explicationem Auersæ, & cæterorum, quòd si per quidditatem nominis non intelligeretur eius significatio (etenim nomen formaliter in esse nominis, siue vocis significatiuæ, nil aliud importat quàm significationem, vt dictum est suprà disp. 23. q. 1. not. 1.) sed suum esse in esse rei, vt ipsi docent (siquidem nomen non in esse artefacti ab intellectu, sed in esse rei, etiam res quædam est, & verum ens, habens essentiam, quæ potest per veram, & rigorosam definitionem explicari, vt patet in exemplo nominis, *homo*, quod adducunt præfati auctores) apertè sequeretur, quòd definitio quid nominis non esset distincta à definitione quid rei: etenim vtraque esset explicatiua quidditatis rei, quod non est dicendum, cùm etiam ipsi concedant definitiones prædictas inter se distingui.

Secundò infertur contra explicationem Fuentis, quòd si per quidditatem nominis tantùm intelligeretur significatio rei impossibilis, & chimericæ; sequeretur, entia realia nullo pacto admittere respectu sui definitionem quid nominis, & consequenter eorum nomina non posse definiri, quod est apertè falsum: etenim entia realia vltra definitionem quid rei, habent etiam definitionem quid nominis, vt docet Philosophus 2. post. tex. 2. 5. 24. & 25. vbi ostenditur ad demonstrationem etiam, necessariam esse præcognitionem quid nominis de subiecto: Demonstratio autem non est de rebus impossibilibus, & chimæricis, nec quid ex ipsis procedens, cùm de talibus non detur scientia ex dictis disp. 1. q. 3.

Dicendum est tertiò, quòd prædictæ definitiones conueniunt genericè cum cæteris modis, & instrumentis sciendi.

Probatur; nam quod confert ad explicandas, & notificandas quidditates, atque ad earundem proprietates inueniendas, est verè, & propriè modus, & instrumentum sciendi; sed definitiones præfatæ sunt huiusmodi: ergo non tantùm sunt prædicata dialectica, verùm etiam genericè saltem modi, & instrumenta sciendi. Conclusio bene sequitur in tali sensu, videlicet materialiter, & genericè; minimè verò formaliter vt prædicata sunt, cùm in hoc sensu à modis sciendi habeant distingui, vt dictum est. Maior patet ex definitione modi sciendi, quòd scilicet sit oratio ignoti manifestatiua, quam definitionem omnes admittunt, licèt diuersimodè explicent. Minor verè probatur ex Aristotele tum 1. de anima text. 8. & 1. metaph. text. 48. vbi inter instrumenta sciendi, eas connumerat simul cum demonstratione; tum 6. top. cap. 1. & 3. vbi ait definitionem facere, vt cognoscatur substantia, quod etiam repetit 2. post. cap. 2.: ergo, &c.

Respondet primo loco Faber theoremate citato cap. 2. negando minorem, & ad primum testimonium Philosophi adductum pro illius probatione, dicit, Philosophum ibi loqui contra antiquos, vnde sæpe accipit propositiones ab illis concessas: & quia aliqui eorũ iudicabant definitionẽ parere scientiã, propter hoc dicit, quòd omnis sciẽtia acquiritur, vel per demõstrationẽ, vel per definitionẽ; tamen cùm ipse loquitur secundùm propriã mentẽ, nunquã dicit, quòd definitio pariat scientiam. Ad secundum verò testimonium inquit, quòd ex talibus locis tantùm habetur, quòd definitio sit oratio complexa, & instrumentum significatiuum essentiæ rei, siue illa res sit substantia, siue accidens; non autem quod sit instrumentum notificatiuum, habeatque vim illatiuam, vt requiritur ad instrumentum logicum.

Contra tamen est, quòd significata vocabulorum (nam quidquid sit de locutione Philosophi, an scilicet ad mentẽ propriam, an ad alienam; iudicet is, qui locum ex 6. topic. loco citato acceptum attentè legit) probare non possumus; sed oportet ea supponere ex communi vsu loquentium; Sed apud logicos nomine modi sciendi consueuit intelligi via distinctè cognoscendi id, quod antè tantùm confusè cognoscebatur, siue id fiat argumentando, definiendo, vel diuidendo, vnde communiter definitur à summulistis instrumentum sciendi, quod sit oratio manifestatiua ignoti, absque eò quòd addant, quomodo debeat notificare ex prædictis modis: ergo licèt non pariat scientiam perfectissimo modo, vti est argumentatio demonstratiua; tamen non ex eo tollitur, quòd sit instrumentum sciendi, licèt non tam perfectum sicut est illatio demonstratiua, quæ etiam eminenter continet definitionem in ratione medii, vt dictum est suprà disp. 42. q. 4.

Respondet idem Faber negando minorem; quoniam ea concessa sequeretur, quòd omne quod consideratur à logico esset instrumentum sciendi, cum aliquo modo conferat ad notitiam scientificam.

Contra tamen est id, quod diximus suprà disp. 1. q. 3. not. 2. quòd pro modo sciendi in rigore tantùm intelligi debet id, quod distinctè, & clarè manifestat ignotum, minimè verò quod confusè, & obscurè, vt sunt cæteræ secundæ intentiones, quæ considerantur à logico: ergo non omnia, quæ considerantur à logico essent propriè instrumenta sciendi.

Improperabit fortasse aliquis definitionem saltem quid nominis non esse modum sciendi; cum ex dictis disp. 36. q. 4. ad secundum, definitio quid nominis non manifestet clarè, & distinctè, sed tantùm obscurè, & confusè.

Res-

Respondetur facilè ex dicendis in sequentibus, nimirum definitionem quid nominis in ratione definitionis conuenire tantùm analogicè, & per quandam proportionem; quare non est necesse vt tam clarè manifestet ignotum, sicut definitio quid rei; non tamen ex hoc sequitur, quòd non sit aliquo modo ignoti manifestatiua, videlicet per quandam proportionem ad definitionem quid rei. Sicut ex eo, quòd homo pictus non habet discurrere, manducare, &c. quemadmodum id habet homo viuus; non tamen sequitur, quòd seruata proportione ad hominem viuum, aliquo modo talia illi non possint attribui.

Respondet secundò loco ad probationem conclusionis Baldius-Gher. similiter negando minorem, ad cuius probationem dicit, Aristotelem tantùm inferre voluisse, definitionem esse vtique rei notificatiuam, non tamen in ratione modi sciendi, idest inductiuè siue illatiuè, & ratione sui; sed tantùm per accidens hoc est ratione alterius, nempe demonstrationis, quam vocat Metheodus cuius munus est, & ipsam definitionem per se, & immediatè notificare ratione sui; vt ex professo docuit Philosophus 2. post. text. 42. vbi apertè dicit, quòd definitio per syllogismum, & demonstrationem euidens fit.

Contra tamen est, quòd demonstratio formaliter, & proximè tantùm manifestat ignotum complexum; virtualiter, & materialiter verò etiam incomplexum, cùm ex incomplexis complexum coalescat: ergo per hoc non tollitur, quòd definitio, quæ est quasi complexum formaliter manifestet incomplexum, & consequenter sit instrumentum sciendi licèt minùs perfectum; sicut ex eo, quòd aliqua conclusio, e, g. virtualiter cognoscatur in primis principiis formaliter cognitis ab aliquo intellectu perspicacissimo, non tollitur, quòd ab aliquo alio non tam perspicaci formaliter per argumentationem cognoscatur; sed tantùm arguitur maior, vel minor perfectio potentiæ intellectiuæ; cùm perfectior intellectus sit, qui habet cognitionem alicuius conclusionis in primis principijs, & causis vniuersalioribus; quam qui habet cognitionem eiusdem per illationem, & argumentationem in se ipsa: vnde illius cognitio appellatur intelligentia, siue habitus primorum principiorum; istius verò simplex scientia.

Obiicitur primò contra primam, & secundam conclusionem. Tum quia sicut actionis non est actio, quia procederetur in infinitum, ita neque definitionis, definitio. Tum etiam quia idem definiretur per se ipsum simulque esset definitio, & definitum, & consequenter simul notius, & ignotius. Tum denique, quia etiam diuisio est oratio explicans quidditatem rei, vel nominis per partes eius; nam partes sunt idem quòd natura, & essentia illius cuius sunt partes: ergo vel frustra dantur tales definitiones, cùm definitio nequeat definiri, vel malè sunt formatæ a Philosopho.

Respondetur & primò ad primam rationem; quòd cùm hic definiatur definitio in actu signato, seu in communi, idest pro secunda intentione considerata; per datam definitionem in actu exercito, seu in particulari, non sequitur processus in infinitum, sicut de facto sequeretur si ad actionem daretur actio: etenim nulla illarum actionum sisteret in alia, cùm non sit maior ratio de vna, quam de altera, vnde in infinitum daretur processus; at verò cùm definitio in actu exercito, & in particulari sistat in definitione in actu signato, & in communi (nam quælibet definitio in actu exercito, & in particulari continetur sub definitione in actu signato, & in vniuersali, & ibi sistit) hinc est, quòd non datur respectu earum processus in infinitum; cùm non se habeant eodem modo. Per quod etiam optimè patet ad secundam rationem. Ad tertiam tandem dicitur, quòd vtique diuisio est etiam oratio explicans quidditatem rei, aut nominis; sed non eodem modo, ac eam explicet definitio: etenim definitio ipsam explicat, vt formaliter quidditas, & essentia est; diuisio verò eandem explicat; vt tantùm realiter, vel materialiter, & entitatiuè essentia est; cùm partes non formaliter, sed materialiter, & entitatiuè ipsum totum sint. Vnde communiter dici solet, quòd diuisio explicat essentiam, quasi disiungendo partes, & diuidendo totum; definitio verò quasi iungendo partes, & componendo totum.

Obiicitur secundò contra secundam conclusionem præcisè, pro vtraque sententia contraria. Tum quia definitio debet conuerti cum definito; sed si pro quidditate nominis intelligeretur tantùm illius significatio, non conuerteretur cum definitione: etenim non rectè sequitur, sol est, qui solus in orbe, & lapis est qui lędit pedes: ergo qui solus est in orbe est sol, et qui lædit pedes est lapis: cùm etiam Luna sit quid solum in orbe, & lignum, & ferrum possint lædere pedes. Tum etiam quia ex Philosopho 2. post. text. 32. habetur manifestè, de rebus quibus actu esse, & existere repugnat, non posse scire quid sint ipsæ, sed tantùm quid nomina significent: ergo talis definitio vel explicat quidditatem nominis ad mentem Auersæ, aut Puteutis; vel malè traditur à Philosopho.

Respondetur ad rationem, omnia illa adducta in exemplum dici ad conuertentiam si benè perpendantur; non enim debet fieri comparatio etymologiæ cum significatione nominis, cuius est explicatio vtcunque; nam, vt probat argumentum, inter definitionem per ipsum datam, & definitum in tali casu non posset semper dari conuersio: sed debet fieri comparatio inter ipsa tantùm ratione eorum, quibus in significando ad inuicem grammaticaliter proportionantur. Etymologia enim siue notatio nominis, teste Cusino lib. 4. Eloquentiæ cap. 11. vsus, & exercitatio grammaticæ est). Quare cùm diuersimodè vocabula, & eorum etymologiæ grammaticaliter considerata, possint ad inuicem proportionari, vt videre est apud Grammaticos, & Rhetores; obseruandum est diligenter in quo talem proportionem importent; quo obseruato, & bene disposito, non possunt ad inuicem dum prædicantur non reciprocari, e. g. dum definitur sol per id quod solus in orbe est; ista duo habent proportionem in hoc, quòd vocabula illa, *solus in orbe* continentur incognitè, & obscurè, quasi truncata syllaba, in vocabulo solis: quare, si in tali proportione accipiantur, vtique tenebit consequentia dicendo, sol est qui perfecta syllaba solus est; & qui solus est, est qui truncata syllaba sol est: versantur enim tantùmmodò penes perfectum, & imperfectum; manifestum, & obscurum, vt saluetur in eis ratio definitionis, & definiti; videlicet vt idem respectu eiusdem simul ignotius, & notius non sit. Item si dicatur, Sol est id, quod super omnia lucet; quia ista duo habent proportionem in hoc, quòd literæ inchoantes vocabula illa

super

super omnia lucet, continentur in vocabulo solis obscurè, idest absque tali expresso significato, cum litera S. sumatur pro super; litera O. pro *omnia*, & litera L. pro *lucet*; ad cum ferè modum, quo senatus populusque romanus, continetur obscurè in his literis S. P. Q. R. si prædicentur ad inuicem in hac proportione non possunt non reciprocari: valet enim consequentia, Sol qui continet has literas S. O. L. est clarè id quod super omnia lucet; & quod super omnia lucet, est obscurè sol, qui continet has literas, talia vocabula inchoantes; & sic de cæteris modis, quibus possunt fieri etymologiæ, seu notationes nominum. Præterquamquod retorqueri potest argumentum in aduersarios, cum talis reciprocatio eò minùs dari posit, si per quidditatem nominis intelligatur ipsum nomen in esse rei, vt de se patet.

Contra talem responsionem tamen videtur esse, quòd ea, quæ dicuntur ad conuertentiam debent esse æqualia: non enim vnum debet habere rationem superioris, & vniuersalis; alterum verò inferioris, & particularis, vt dictum est suprà, loquendo de differentia, & proprio; sed ex dictis modò in responsione ad primum, definitionis definitio cùm sit in actu exercito est particularis; definitum verò, quod est definitio in actu signato, est quid superius, & vniuersale: ergo non tantùm definitio quid nominis, verùm etiam definitio quid rei, nullo modo conuerti possunt cùm definito.

Respondetur, prædictas definitiones, licèt in actu exercito, & in particulari sint quid singulare, & particulare in essendo; minimè verò in repræsentando, & significando; nam in hoc sensu etiam ipsæ sunt quid commune, & vniuersale; vnde inter ipsas, & definitum potest dari æqualitas, & consequenter conuersio, quod vtique sufficit; cùm talis vniuersalitas, etiam illis conueniat in ratione definitionis, cuius munus est explicare significando.

Ad testimonium verò Philosophi 2. loco productū, respondetur sensum illorum verborum esse, vt patet in textu, non existentia debere definiri per definitionem quid nominis duntaxat, ex eo, quòd definitio quid rei per se, & propriè enti reali solummodò conuenire solet. Consultò tamen dictum est *per se, & propriè*; nam entia impossibilia, etiam aliquo modo possunt definiri per definitionem quid rei hoc pacto, scilicet explicando distinctè, & explicitè totum illud, quod per illorum nomina confusè, & implicitè importatur: E. g. dum explicatur distinctè hoc nomen *Hircus, Ceruus* per coniunctionem duarum naturarum, seu specierum; nimirum Hirci, & Cerui in vnico indiuiduo animalis; erit illius definitio quid rei, cum hoc totum confusè, & implicitè tantùm importetur per prædictum nomen.

Obijcitur tandem tertiò contra tertiam conclusionem. Tum quia logica est scientia discursiua, cùm à Logos græcè, dicatur, quod latinè est discursus: ergo illius instrumenta, & modi sciendi debent includere intrinsecè uim illatiuam: at definitio non est huiusmodi, vt patet: ergo non potest conuenire in aliquo cum modis sciendi. Tum etiam quia substantia, & quidditas cognoscitur à nobis per demonstrationem, cùm talis cognitio habeatur per methodum resolutiuam: ergo definitio non explicat quidditatem rei in ratione modi sciendi, & cognoscendi scientificè, sed tantùm in ratione modi significandi; & consequenter in aliquo non conuenit cum instrumentis sciendi.

Respondetur ad primam rationem, quòd logica absolutè, & simpliciter non est scientia discursiua, quatenus discursus sumitur præcisè pro tertia operatione intellectus; sed scientia rationalis, seu rationis, quia est directiua rationis in omnibus actibus suis; vnde considerare tenetur instrumenta directiua cuiuscunque operationis intellectus, & non tantùm discursus; verùm quia inter omnes actus, discursus est dignior, ab ipso actu fortasse logica dicta est scientia discursiua, sumpta denominatione à nobiliori. Quare non est necesse vt illius instrumenta, & omnes modi sciendi includant intrinsecè vim illatiuam, nisi ad summùm remotè, radicaliter, & materialiter.

Ad secundam verò rationem respondetur, quidditatem, & substantiam cognosci tantùm à nobis per demonstrationem, tanquam per instrumentum notificans inductiuè; non autem absolutè; nam etiam cognoscitur per definitionem, & sine illatione, licèt non tam perfectè, teste Philosopho 6. topic. cap. 1. & 3. vbi ait, definitioné facere, vt cognoscatur substantia, siue substantia accipiatur pro essentia rei, siue accidens, siue substantia sit; siue accipiatur pro ipsamet substantia contradistincta ab accidentibus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuisio prædicati definitionis quid rei, in definitionem essentialem, & descriptiuam sit adæquata, & generis in suas species.

LIcèt definitio quid nominis non sit inutilis, sed omnino necessaria, teste Philosopho 1. post. cap. 1. text. 2. dum ait: *Quid est, quòd dicere intelligere oportet*; tamen quia est impropriè definitio, & tantùm per analogiam proportionalitatis metaphoricæ, quæ est quædam æquiuocatio à consilio, sic appellata: hinc est, quòd relicta diuisione illa prædicati definitionis in definitionem quid rei, & quid nominis; de diuisione prædicati quid rei, duntaxat intendimus agere.

Definitio autem quid rei, cùm duobus modis explicare possit rei quidditatem, videlicet vel per partes essentiales, vel per proprias passiones; communiter diuidi solet in essentialem, quæ scilicet explicat naturam rei per partes essentiales, siue physicas, siue metaphysicas, nempe vel per genus, & differentiam, vel per materiam, & formam; qua de re etiam vocari solet causalis intrinseca; & in descriptiuam, quæ scilicet explicat essentiam per proprias passiones, vt animal risibile respectu hominis. Ad hanc verò etiam reduci solet definitio essentialis extrinseca, vt dum aliquid definitur per causam finalem, aut efficientem; & etiam accidentalis, in qua tamen differentia sumitur ex aliquibus accidentibus communibus, quæ licèt separatim sumpta conueniant alijs, tamen simul com-

niuncta, soli defioto cõueniunt, vt dictum est in nostris instit. lib. 2. cap. 3. Quæritur ergo an talis diuisio sit bona, generisque in suas species.

Diuisionem istam adæquatam esse, sed non generis in suas species, sed analogi in sua analogata, omnes ferè sentiunt. Propter nonnulla tamen argumenta, quæ fieri solent in contrarium, hæc breuiter sunt animaduertenda.

Notandum est idcirco primò, quòd esto definitio essentialis explicet quidditatem rei per partes essentiales tum physicas, tum metaphysicas, non tamen censenda est dum vno, vel altero modo explicat, duplex definitio, sed vnica tantùm, etenim eosdem gradus naturæ significant genus, & differentia, quam materia, & forma; cùm ex Philosopho 8 metaphys. text. 9. Genus sumatur à materia, & differentia a forma, vt explicatum est suprà disp. 52. q 3. not. 1. Quare meritò, idem Philosophus sæpe docet vnius rei vnam tantùm esse definitionem essentialem, vt præcipuè patet 7. topic. cap. 2., & ratio est, quia cùm definitio sit velut quędam expressa imago alicuius essentiæ; quot fuerint essentiæ, quæ definitione explicantur, tot sint definitiones necesse est; quare vnius, & eiusdem essentię vnica erit definitio essentialis, cùm essentiæ consistant in indiuisibili. Hæc autem definitio nihil obstat, quòd pluribus, & diuersis verbis in vna tamen ratione conuenientibus non possit formari; vnde sequitur, quòd ad ea reuocantur tum illæ definitiones, quæ constant genere remoto, & differentia proxima, prætermissis autem omnibus, aut quibusdam differentiis interiectis, vt si dicatur, Homo est substantia corporea, rationis compos; vel Homo est corpus animatum rationale. Reuocantur etiam illæ, quæ loco differentię proximę constant nomine materię proprię, aut formæ duntaxat; vt si dicatur, Homo est animal constans recto corpore; vel homo est animal constans animo rationis particeps: hæ nanque omnes significant conuersim quidditatem rei; & si aliquam eius partem, aut partes prætermittunt. Reuocantur tandem etiam illæ, quæ fiunt ex genere, & enumeratione partium integrantium pertinentium ad essentiam rei, vt si dicatur, Domus est integumentum ex parietibus, & tecto, hoc modo constructum, &c. Quapropter variis nominibus appellari solet hoc genus definitionis; nam dicitur definitio essentialis, quia essentiam rei exprimit; dicitur simpliciter definitio, quia simpliciter, ac perfectè rem definit. Dicitur terminus, quia cognitio rei ab accidentibus externis profecta non potest vltra definitionem essentialem progredi. Dicitur denique oratio, quæ vnum significat; quia ex materia, & forma, ac omnino ex genere, & differentia, ex quibus definitio essentialis rem declarat, vna constat essentia; non item ex genere, & proprietate, aut ex genere, & accidentibus, ex quibus descriptio consistitur.

Notandum secundò quòd patefacere, & explicare quidditatem rei per proprias passiones, dupliciter intelligi potest; strictè, scilicet per sola accidentia propria; vel largè, nempe per quidquid non est de essentia rei, dummodò illi conueniat, vt nequeat alijs conuenire. Primo modo non est sumendum in præsenti, cùm optimè possit definiri res per id quod est sibi proprium, vt contradistinguitur à communi; nam per

A hoc possumus etiam suo modo venire in cognitionem talis rei vt de se patet. Vnde sumendum est tantùm secundo modo. Quare ad definitionem descriptiuam, præter illas, quæ a nobis ex nostris institutionibus loco suprà citato enumeratæ sunt, reuocantur etiam definitiones illæ, quibus genera definiuntur per differentias, quibus diuiduntur; vt si dicatur Animal est corpus animatum rationale, aut irrationale: nam differentiæ diuidentes genus, non pertinent ad eius essentiam. Reuocantur etiam, quamquam minùs propriè, Orationes illæ, quibus Oratores, & Poetæ longo sermone rem aliquam depingunt, & describunt. Consultò autem dictum est, *minus propriè reuocari ad descriptionem*; quia sæpe non reciprocantur cum re, quæ describitur. Præterquamquòd, sæpe etiam constant verbis B translatitijs, à quibus Arist. in hoc lib. cap. 2. quia obscuriora sunt, cauendum esse in definitione admonet. Vnde varijs nominibus etiam appellari solet genus definitionis descriptiuæ; appellatur etenim in primis descriptio, quia rei naturam non omnino exprimit, sed primis quasi lineamentis adumbrat. Dicitur etiam proprium, quia hoc tantùm commune habet cum vera definitione, quòd conuertatur cum re. Dicitur tandem Oratio coniunctione vna, quia non significat vnam duntaxat naturam, vt ea, quæ simpliciter definitio appellatur, sed multas coniunctas in eadem re; vt ex dictis patet.

Dicendum est ergo, quòd diuisio prædicati definitionis in definitionem essentialem, & descriptiuam est adæquata; sed analogi in sua analogata.

Probatur prima pars; quoniam illa diuisio est adæ-C quata, cuius membra diuidentia coniunctim sumpta totum diuisum adæquant; sed huiusmodi sunt definitio essentialis, & descriptiua: ergo diuisio definitionis quid rei, in ipsas est adæquata. Maior patet ex conditionibus diuisionis adæquatæ, de quibus in nostris Instit. lib. 2. cap. 4. Minor autem probatur; nam definitio quid rei duplici modo ipsam rem explicare potest; videlicet vel per partes essentiales, & per principia intrinseca, & sic est definitio essentialis; vel per passiones, & accidentia extranea, & sic est definitio descriptiua: sed præter hos modos nullus alius excogitari potest; cùm præter substantiam, & accidens nil aliud sit assignabile, vt patet ex famosa diuisione illa Entis, in substantiam, & accidens, siue in decem prædicamenta 5 metaph. cap. 7. ab Aristotele tradita; D ergo definitio essentialis, & descriptiua simul sumptæ, adæquant totam definitionem quid rei.

Probatur secunda pars: quoniam illa diuisio est analogi in sua analogata, per quam diuisum principaliter, & perfectiori modo est in vno membrorum diuidentium, minùs verò principaliter, & imperfectiori modo in alio: Sed hoc modo se habet ratio definitionis quid rei in definitione essentiali, & descriptiua: ergo illius diuisio, est analogi in sua analogata. Maior patet ex dictis lib. 2. nostrarum instit. cap. 4. Minor verò probatur. Nam principaliter, & perfectiori modo quidditas rei per essentialia, & principia intrinseca, quàm per accidentalia, & extrinseca cognoscitur, & manifestatur: sed definitio essentialis explicat quidditatem rei per essentialia, & intrinseca; descriptiua verò per accidentalia, & extrinseca: ergo ratio definitionis quid rei, quæ consistit in explicatione quidditatis eiusdem, principaliter, & perfectio;

tio;

tiori modo est in definitione essentiali, quàm in descriptiua.

Obijcitur primò contra primam partem conclusionis; quoniam dantur definitiones redundantes, nimirum quæ explicant quidditatem rei non tantùm per partes essentiales; verum etiam per proprietates, vt dum explicatur quidditas hominis e. g. dicendo, est animal rationale beatæ vitæ capax, &c. ergo prædicta diuisio non est adæquata, cùm præter definitionem essentialem, & descriptiuam detur definitio redundans, quæ licèt à Philosopho hìc cap. 1. reprehendatur, & pro loco ad euertendum tantùm problema definitionis apponatur, nihilominùs neque est definitio essentialis, neque descriptiua; sed aliqua tertia ex illis permista.

Respondetur, quòd tales definitiones, cùm explicent quidditatem rei per partes essentiales, ab essentialibus definitionibus non sunt excludendæ, & si ex alio capite adiungant, quæ nullam essentiæ partem significant; etenim denominatio fieri solet à nobiliori; quare cùm nobiliùs sit explicare quidditatem rei per essentiales partes, quàm per proprias passiones; hinc est quòd absolutè, & simpliciter dicendæ sunt definitiones essentiales.

Contra tamen est, quòd composita per accidens, vt album, dulce, musicus, &c. estò partes materiales eorum sint substantia, e. g. paries, lac, homo, &c. nihilominùs non sortiuntur ab ea denominationem, sed ab accidente, quo denominantur talia: ergo à pari in istis definitionibus; licèt pars materialis sit quid essentiale respectu definiti, attamen quia vlteriùs important proprietatem, debent appellari mistè, ex essentia, & proprietate, & consequenter tertiam definitionis speciem constituere.

Respondetur negando paritatem; etenim composita accidentalia important de formali, & directè, tanquàm pars intrinseca definiti, formam illam accidentalem, nempe albedinem, dulcedinem, &c. definitiones verò per additamentum, tantùm important illam proprietatem, illudque accidens extrinsecè, & indirectè, tanquàm aliquid superfluum. Ex quo fit, quòd priora denominationem à tali forma accipiant, licet sit ignobilior; posteriora verò nequaquam.

Obijcitur secundò contra eandem partem primam conclusionis. Quoniam definitiones illæ, quas vocant per additamentum, videlicet, quæ constant nomine aliquo, quod essentiam definiti quidem non significat, est tamen talis conditionis vt sine ipso, essentia definiti minimè intelligi queat; vt si dicatur, Pater est relatum quoddam, cuius respectus ad filium terminatur; nam etsi nomen filij non significet vllam partem essentiæ patris, tamen sine ipso, essentia, & natura patris, nullo modo intelligi potest; & sic de cæteris, vt dum definitur accidens per ordinem ad substantiam, animam per ordinem ad corpus, &c. Tales enim definitiones non sunt essentiales, cùm per eas non explicetur essentia definiti per partes essentiales; neque sunt descriptiuæ, cùm per aliquod accidens non explicent essentiam definiti, sed per ordinem prædicamentalem, aut transcendentalem ad terminum, aut subiectum, &c. quòd est quid necessarium definito, ad hoc vt sit, & cognoscatur: ergo præter definitionem essentialem, & descriptiuam danda est talis definitio per additamentum; & consequenter diuisio illa non erit adæquata.

Respondetur, definitiones illas esse reputandas essentiales, cùm dentur per id, quod necessarium est ad hoc, vt illarum definita sint, & intelligantur; etenim vel sunt relatiua prædicamentalia, quorum totum esse est ad aliud se habere, vt patet de patre, vel sunt entitates non omnino completæ, sed imperfectæ, vt patet de accidente, & anima, de quorum ratione est, vt quidditatiuè, & quietatiuè concipi nequeant absque tali additamento.

Obijcitur tertiò tandem contra secundam partem conclusionis; quoniam natura animalis, e. g. perfectiori, & nobiliori modo participatur ab homine, quàm à formica, &c. ratione differentiarum illam contrahentium; & tamen talis inæqualitas non tollit vniuocationem, neque sequitur diuisionem illius in tales species esse analogam, vt dictum est suprà disp. 9. q. 1. ergo à pari, licèt ratio definitionis quid rei perfectiori, & nobiliori modo participetur à definitione essentiali, quàm à descriptiua, tamen respectu earum non debet esse quid analogum; nec eiusdem diuisio esse analogi in sua analogata, sed tantùm generis in suas species. Probatur paritas; quoniam non minùs explicatio rei per partes essentiales, & explicatio eiusdem per proprietates, & passiones sunt differentiæ contrahentes definitionem quid rei, quàm rationale, & irrationale sint differentiæ contrahentes naturam animalis: ergo, &c.

Respondetur negando paritatem; & ratio disparitatis est, quia natura, siue conceptus animalis, estò vt contrahitur, & imbibitur in differentijs contrahentibus, ratione earum inæqualiter se habeant, vt probat argumentum: attamen secundùm se præcisè, omnino æqualiter se habet ad omnes; atque ideò vniuocè de ipsis prædicatur; At verò conceptus, siue ratio definitionis, cùm propriè non præscindatur, nec abstrahatur à definitionibus essentiali, & descriptiua, de quarum essentia, & quidditate omninò est (quod enim de essentia est, nullo modo præscindi potest ab eo, cuius est de essentia) non tantùm ratione illarum definitionum inæqualiter se habet, verùm etiam secundùm se, & ratione sui; vnde non potest non analogicè de ipsis prædicari; & consequenter illius diuisio erit tantùm analogi in sua analogata. Videantur interim ea, quæ superiùs dicta sunt disp. 9. citata qu. 4.

QVÆSTIO III.

Quæ requisita necessaria sint ad hoc vt rectè sumantur loca dialectica ex prædicato definitionis, eiusdem problema constructiuè terminatiua.

MVlta, & varia ad construendam optimam definitionem, vnde loca idonea ad eiusdem problema terminationem, siue probationem sumi possint, traduntur à Philosopho tum hìc, tum 7. metaphys.

summa 2. cap. 13., quæ omnia vt ad certas, & præcipuas regulas reduci possint; quinque conclusionibus duntaxat claritati, & breuitati consulendo, explicanda duximus; præcipuè cùm de his nulla sit controuersia apud Doctores, vnde necessarium sit plura distinguere, & adnotare.

Dicendum est ergo primò, quòd prædicatum definitionis, siue definitio ipsa debet esse clarior, & notior suo definito.

Probatur; quoniam quod explicat, & declarat quidditatem rei, debet esse ipsa clarius, & manifestius; alioqnin ignotum per æquè ignotum manifestaretur, quod repugnat; sed definitio est oratio explicans quidditatem rei, seu definiti: ergo debet esse notior, & clarior ipso. Probatur repugnantia sequelæ maioris; quoniam idem esset manifestatiuum, & non manifestatiuum; esset enim manifestatiuum, quia est definitio; non esset, quia æquè obscurum, & ignotius: sed esse manifestatiuum, & non esse manifestatiuum inter se contradicunt: ergo repugnat, &c.

Quare hoc preceptum non seruant, & loca tantùm ad destruendum definitionis problema ministrant, qui translationibus præsertim remotis, & difficilibus rem definiunt, vt Hominem, arborem inuersam ex Philosopho hic cap. 2. & 2. poster. text. 19. Item qui definiendo vtuntur verbis parum vsitatis, vt sanguine cassa, vel domiportante pro coclea; ex Philosopho hic cap. 2. Item qui ex verbis ambiguis definitionem extruunt, e.g. literæ, dicendo, quòd sint elementum; nam cùm diuersarum rerum diuersa sint elementa, nempe Mundi, vt aer, terra, &c. Numeri, vt sunt vnitates; Rei materialis, vt sunt materia, & forma, &c. nisi addatur hæc particula *sermonis*, nunquam possumus venire in cognitionem, quòd litera sit sermonis, & scriptionis elementum, ex Aristotele hic cap. 2. & 2. post. text. 15. Tandem neque illud omnino seruant, qui contrarium per suum contrarium definiunt, vt si quis definiat bonum esse id, quod est malo contrarium, ex Philosopho hic cap. 3. etenim contrariorum eadem est ratio, & cognitio. Quamuis hic modus definiendi nō sit penitus repudiandus, cùm ipso aliquando (videlicet quando nobis saltem contrarium vnum, altero sensibiliter notius aliquo modo est) vsi sint Oratores, & Poetæ, vt præcipuè patet ex illo Horatij 1. Epist. epist. 1. ad Mæcenatem, dum ait. *VIRTVS EST VITIVM FVGERE, ET SAPIENTIA PRIMA STVLTITIA CARVISSE.*

Dicendum est secundò, quòd Prædicatum definitionis non debet in se includere formaliter rem definitam.

Probatur; quia repugnat idem simul esse notius, & ignotius, cùm opponantur contradictoriè; sed si definitio includeret formaliter rem definitam, idem simul esset notius, & ignotius; ergo, &c. Minor probatur, etenim res in ratione definiti esset quid ignotius; in ratione verò partis definitionis esset quid notius cùm ex dictis definitio notior debeat esse definito: ergo idem simul esset notius, & ignotius.

Quare in hoc præcipuè peccant, & loca tantùm destructiua ministrant, qui idem per seipsum definiunt: nemo enim semetipso notius esse potest. Hoc autem non semper accidit explicitè, sed plerunque implicitè, vtpote cùm in definitione ponitur aliquod nomen, quod definitur, & declaratur per ipsum definitum:

A vtsi quis definiat solem per stellam apparentem in die; etenim cum dies definiatur motus solis super terram, definiendo solem per diem, definietur implicitè sol per seipsum, teste Philosopho hic cap. 3.

Dicendum est tertiò, quòd prædicatum definitionis non debet esse superfluum, nec diminutum; sed omnino adæquare debet definitum.

Probatur; quoniam de ratione definitionis est, vt clarè, & adæquatè explicet quidditatem rei definitæ: aliter enim frustraretur suo fine, cùm ad hoc inuenta, & instituta sit ex Philosopho hic cap. 3. loco 13 sed si staret oppositum conclusionis definitio, seu prædicatum definitionis non esset tale: ergo prædicatum definitionis non debet esse superfluum, &c. Minor probatur: etenim si esset superfluum, non claritatem, sed confusionem pareret, vtsi dicatur Homo

B est animal rationale album musicum, &c. etsi diminutum, non explicaret totam essentiam definiti, quemadmodùm si diceretur Homo est viuens sensibile: ergo si staret prædicatum oppositum conclusionis, prædicatum definitionis frustraretur suo fine.

Qua de re, valdè peccant in hac materia, & loca dirimentia tantùm ministrant, qui definitiones extruunt alijs rebus conuenientes; vt si quis terram definiret Corpus, quod suapte natura deorsum fertur: hoc enim de alijs rebus etiam dicitur; nempe de omni graue: Item qui assignant definitiones, quæ non conueniunt omnibus comprehensis sub definito; vtsi quis definiat aquam Corpus simplex frigore concretum: non enim omnis aqua frigore concreta est. Quòd si terra definiatur Corpus simplex, quod in infimum lo-

C cum suaptè natura fertur: aqua verò Corpus simplex, quod inter terram, & aerem suaptè natura quiescit: hae ex parte rectè habebunt definitiones, quòd cum rebus, quæ definiuntur recurrant, ac reciprocentur. Hinc etiam colligi potest, multas circumferri nominum interpretationes, quæ non sunt bonæ definitiones, vel quia latiùs patent, vt si dicatur Theologus est, qui de Deo loquitur; Consul est qui patriæ consulit (non enim solus Theologus de Deo loquitur, & solus Consul patriæ consulit); vel quia minùs latè, vtsi dicas, Geometria est ratio metiendi terram, cum etiam latiùs ad aliarum rerum dimensionem extendatur. Vnde aliquid sæpe addendum est huiusmodi interpretationibus, vt bonæ definitiones habeantur; quod plurimæ etiam descriptiones oratorum, & poe-

D tarum desiderant, teste Philosopho hic cap. 1.

Dicendum est quartò, quòd prædicatum definitionis debet constare ex genere, & differentia, vel saltem aliquo supplente vicem generis, & differentiæ.

Probatur; quoniam quælibet essentia rei creatæ habet aliquod commune, per quod conuenit cum alijs, & aliquod proprium, per quod ab alijs distinguitur: sed bona definitio debet explicare essentiam, & quidditatem rei adæquatè: ergo illam explicare debet per aliquod commune, & per aliquod proprium: sed quod est commune appellatur genus; & quod est proprium dicitur differentia: ergo ex ipsis constare debet. Hæc vltima consequentia ex eo patet, quòd vtique non posset per tales rationes definitum explicare, nisi constaret ex partibus rationem generis, & differentiæ habentibus; Minor subsumpta etiam liquet, quia hic sumitur genus largè, idest vt significat aliquod commune, siue illud sit prædicabile, siue prædicatum, sicut

nec

nec sumitur differentia strictè pro secundo praedicabili; sed pro eo, quod habet rationem proprij, vt contradistinguitur à communi. Minor autem, & prima consequentia manifestae sunt ex eo, quòd definitio debet explicare quidditatem rei adaequatè. Maior tandem probatur; quoniam nulla creatura est suum esse, cùm illud participet: ergo saltem constat ex esse, & essentia, siue ex potentia, & actu: sed esse, seu potentia, est quid commune, & indeterminatum ad hanc, vel illam essentiam; essentia verò siue actus est quid proprium, cùm à caeteris faciat distinguere; ergo quaelibet res creata habet aliquod commune per quod conuenit cum caeteris, & aliquod proprium, &c.

Vnde apertè in hoc videntur delinquere, & loca destructiua tantùm praebere, qui definiendo rem, non ponunt id quod est saltem implicitè loco generis; vt dicendo, Corpus est habens trinam dimensionem; cùm enim non ponatur genus corporis, quod est substantia, non explicatur, quòd sit id, quod habet trinam dimensionem, quod necesse est ad rectam definitionem. Item qui rem non definiunt per proprium genus, dicendo, homo est planta naturalis. Item qui definitionem construunt per genus remotum non enumerando ordinatim omnes differentias ipsum diuidentes, dicendo Iustitia est habitus effectiuus aequalitatis, etenim Iustitiam non definiunt, quia omittunt genus proximum *Virtutis*, neque enumerant differentias ipsius generis remoti, nempe *Habitus*. Item qui vel non definiunt per veram differentiam, vel si definiunt, non est differentia specifica, dicendo vel homo est animal album, vel est substantia corporea. Item qui rem, per se aequè respicientem plura, per vnum tantùm eorum, loco differentiae definiunt, vt dicendo, Grammatica est ars rectè legendi, cùm etiam sit ars rectè scribendi. Tandem qui loco differentiae aliquid per disiunctionem ponunt, dicendo Bonum est, quod delectabile per visum, vel auditum est; etenim sequeretur idem esse, & non esse bonum, quod manifestè patet ex eo, quod si delectabile per visum est bonum: ergo quod non est delectabile per visum non est bonum; atque ita delectabile per auditum ex alia parte esset bonum, vt supponitur; non esset autem bonum, quia non esset delectabile per visum. Ita Philosophus hic passim per totum primum, & secundum caput.

Dicendum est quintò, quòd praedicatum definitionis debet reciprocari cum subiecto definito.

Probatur facilè ex dictis: Quoniam si praedicatum definitionis ita explicat essentiam rei definitae, vt omnino eam adaequet; consequens est, vt cum eo conuertatur. Probatur consequentia, etenim conuerti non potest, nisi quod est aequale, ex dictis de differentia, & proprio: ergo si praedicatum definitionis adaequat subiectum definitum, non potest non conuerti cum ipso.

Qua de re, nullo pacto recipiunt hoc praeceptum, & loca tantùm dirimentia suppeditant omnes illi, qui à primae, tertiae, & quartae conclusionis praeceptis aberrant; nam cùm hoc a caeteris praedistarum conclusionum praeceptis inferatur, dubio procul, qui illa non seruant, & hoc pariter videntur despicere.

Obiicitur contra primam conclusionem tum auctoritate, tum ratione; auctoritate quidem Aristotelis 1. phys. text. 5. vbi habet; Nomina notiora esse suis definitionibus; quod exemplificat de circulo, qui notior est sua definitione: definitur enim, quòd sit *figura plana intra quam est punctus, à quo omnes lineae exeuntes ad circumferentiam sunt aequales*. Ratione verò, quia relatiuorum vnum per aliud definitur, cum sint simul definitione, ex dictis disp. 15. q. 4. pro secunda parte conclusionis, & alibi: ergo vnum non potest esse clarius alio; alioquin idem esset clarum, & obscurum.

Respondetur & primò ad auctoritatem; Philosophum loco citato tantùm voluisse inferre definitum esse notius definitione, cognitione confusa; non autem distincta, vt patet ex contextu; nos autem hic loquimur tantùm de cognitione distincta. Ad rationem verò dicendum videtur, nullum relatiuum (si propriè loquendum est) definiri per illud relatum, ad quod refertur, sed per respectum suum, qui in illud terminatur, ac desinit: e. g. Pater non definitur per filium, sed per suum respectum, qui in ipso inchoatur, & in filium desinit. Caeterum quia nullus respectus intelligi potest sine suo termino, fit vt respectus Patris intelligi non valeat sine filio; sicque in definitione Patris necessariò ponendus sit filius, parique ratione pater in definitione filij, & caetera relata in definitionibus eorum relatorum, quae ad se vicissim referuntur. Quare etsi relata ipsa se se inuicem respicientia sint aequè cognita, aut incognita; tamen respectus ipsi sunt naturae ordine notiores, quam relata. Itaque in relatiuis etiam definiendis hoc obseruatur, vt quod definitur, ex notioribus exprimetur.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, duplici ratione: prima, implicat idem esse notius, & ignotius tantùm respectu eiusdem, non verò diuersae considerationis intellectus: sed si res definita includeretur formaliter in definitione, esset simul quid notius, & ignotius tantùm respectu diuersae considerationis: ergo definitio poterit includere formaliter in se rem definitam. Consequentia patet; quia tota ratio cur definitio non potest includere formaliter in se rem definitam, est, quia idem simul esset notius, & ignotius. Minor autem probatur, quia res definita esset quid ignotius in ratione subiecti; esset verò quid notius in ratione praedicati, vt contingit in praedicatione identica, in qua idem secundùm diuersas considerationes est subiectum, & praedicatum: sed hoc est esse simul notius, & ignotius tantùm respectu diuersorum: ergo, &c. Secunda verò ratio, talis est; Nam concupiscentia definitur appetitus delectationis, ex D. Tho. p. 2. q. 1. art. 1. sed concupiscentia semper delectationis est: ergo idem erit dicere Concupiscentia est appetitus delectationis, ac dicere Concupiscentia delectationis est appetitus delectationis; & consequenter res definita, definitionem ingredietur; Minor patet ex eo, quòd concupiscibilis *nil aliud est, quàm vis imperans motum ad ea, quae aestimantur necessaria, & vtilia appetitui delectandi*; Consequentia verò probatur; quoniam non minùs implicitè continetur concupiscentia in appetitu delectationis formaliter, quàm sol in stella apparente in die: sed sol ex dictis ingreditur sui definitionem: ergo, & concupiscentia.

Respondetur, & primò ad primam rationem negando minorem ad cuius probationem dicendum est, quòd argumentum concluderet, si de ratione praedicati esset esse quid notius, & de ratione subiecti; quid ignotius quod vtique falsum est, vt cernitur in prae-

di-

dicationibus identicis vbi prædicatum, & subiectum æquè nota, & ignota sunt; vnde tales prædicationes non sunt doctrinales; nec ad scientiam pertinent, vt dictum est suprà disp. 2. q. 1. Quare diuersa consideratio in ratione prædicati, & subiecti non tollit, quin respectu eiusdem cognitionis, ac notitiæ intellectus idem non sit simul notius, & ignotius.

Ad secundam verò rationem respondetur negando consequentiam: quia concupiscentia tantum implicitè delectationem importat; non autem explicitè, sicut eam importat eius definitio. Quare nullum putandum absurdum est, cùm omnia definita in suis definitionibus contineantur implicitè, & virtute: satis enim est quòd non contineantur formaliter. Ad probationem autem negatur paritas; nam concupiscentia continetur implicitè tam in sui definitione, quàm in definitione suæ differentiæ, scilicet delectationis, sicut etiam homo tam in animali rationali, quàm in rationalitate (delectio enim non definitur per concupiscentiam, neque rationale per hominem, nisi virtualiter, & implicitè;) at verò sol licèt contineatur implicitè, & virtualiter in sui definitione; tamen in definitione diei continetur explicitè, vt in definitione suæ differentiæ: si enim velimus definire diem, vtique affirmabimus esse motum solis super terram. Vnde fit, quòd in tali definitione solis, definitum ingrediatur definitionem sui formaliter; in definitione verò concupiscentiæ tantùm implicitè, & virtualiter.

Obijcitur tertiò contra tertiã conclusionem. Tum quia Arist. 1. Elench. cap. 4. fatetur se longiori oratione Elenchum definiuisse: ergo aliquando datur definitio superflua. Tum etiam quia in definitionibus nequeunt assignari tot verba, quot opus est; cùm ex eodem Philosopho 4. physic. cap. 4. definitio talis esse debeat, vt ex ea omnes dubitationes, quæ de re habentur, dissoluantur; aliter enim non esset vera definitio: ergò nunquam dabitur definitio adæquata, sed semper diminuta. Tum denique quia graues auctores plerunque plura verba ponunt in definitione, quàm quæ satis esse videntur; quandoque verò plura omittunt, vt passim videre est apud ipsos: ergo non semper definitio debet esse ita adæquata, vt aliquando non possit esse superflua, aut diminuta, & esset tamen bona, & regulata definitio.

Respondetur & primò ad auctoritatem Philosophi; quòd non est inconueniens per accidens, hoc est ratione alicuius extrinseci: incidentis in disputando, definitionis verba plura facere: sæpe enim sophistarum importunitas cogit, pluribus verbis rem definire, quàm simpliciter definienda foret, quod se fecisse Aristoteles loco citato apertè fassus est. Ad secundam verò auctoritatem eiusdem Philosophi 4. physic. dicendum est non ita esse intelligendam, vt singulis pene argumentis diluendis, singula verba in definitione ponantur, quod multi incauti faciunt; sed quòd ita definitio sit constituta, vt ex paucis facilè omnium obiectorum solutio colligi possit, quod optimè sequitur, quando constat ex genere, & differentia. Ad tertiam tandem respondetur prædictos Auctores consultò id fecisse videlicet quando postulabat occasio, vt quæ captu difficiliora esse videbantur, pluribus definirentur verbis; & quæ facillimæ cognitionis erant, paucioribus, dummodò sufficerent: sed hoc tantùm accidentale, & extrinsecum est ipsi definitioni.

A Obijcitur quartò contra quartam conclusionem; nam quando definitur aliquid per negationem e. g. dicendo Lineam esse longitudinem sine latitudine non exprimitur differentia: ergo non est necesse quòd definitio semper constet ex genere, & differentia, &c. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: nam si tales negationes essent differentiæ, tunc genus, participaret differentiam, & speciem, itaut de ipso prædicaretur tota definitio speciei: sed hoc est absurdum, ex dictis tum disp. 52. q. 3. not. 1. vbi dicitur quòd differentia non est de formali conceptu generis, quare ab ipso formaliter participari nequit; tum disp. 2. q. 1. not. 1. vbi habetur quòd species non prædicatur essentialiter, & quidditatiuè de genere, & consequenter nequit esse prædicatum definitionis illius: ergo aliquando differentia in definitionibus non debet

B exprimi: sequela probatur; nam de quolibet verificatur affirmatio, aut negatio: sed habere latitudinem, & non habere latitudinem sunt affirmatio, & negatio: ergo de omni longitudine verificatur, quòd habet, vel non habet latitudinem: sed sic est, quòd longitudo est genus lineæ; & longitudo absque latitudine est definitio ipsius lineæ: ergo tota definitio lineę, quæ est species talis generis, scilicet longitudinis prędicaretur de ipso genere.

Respondetur negando anteced. ad cuius probationem negatur sequela. Ad id verò, quod in probatione talis sequelæ adducitur, negatur consequentia; cùm argumentum sit sophisticum, & arguatur à particulari ad vniuersale: etenim non rectè sequitur, quòd si negatio, aut affirmatio verificatur de hac latitudine, verificetur

C de omni latitudine in genere: siquidem affirmatio latitudinis verificatur de longitudine in superficie; sicut negatio illius verificatur de longitudine in linea; non autem de longitudine vt sic; nisi in sententia eorum, qui concedunt ideas, idest naturas separatas ab indiuiduis per se existentes, seu potiùs subsistentes, & consequenter singulares, cùm in rebus creatis, subsistere proprium sit suppositi singularis, teste D. Tho. q. 9. de potentia art. 5. ad 13. Nam secundùm illos, longitudo vt sic abstracta, & separata, &c. esset quid vnum numero; de vno autem numero optimè verificari potest altera pars contradictionis (contradicunt enim tantùm in hoc singulari, scilicet Petrus est Philosophus, Petrus non est Philosophus; vnde necesse est, quòd altera tantùm verificetur; non autem in hoc

D vniuersali, videlicet Homo est Philosophus;. homo non est Philosophus; cùm vtrunque prædicatum possit esse verum;) & consequenter allatum argumentum concluderet, probando, quòd tota definitio speciei, quæ est altera pars contradictionis, prædicaretur, & verificaretur de genere, scilicet de longitudine vt sic.

Quamobrem duo addit Philosophus cap. 2. huius, cuius etiam est allata responsio. Primum, quòd non solùm non est vniuersaliter absurdum, vt definitio fiat per negationem tanquàm per differentiam, sed id est omninò necessarium in definitionibus præsertim priuationum, in concreto: Cæcus enim definitur animal non habens visum, cùm debeat habere; ideòque negatio visus debet poni vt differentia addita animali, quod ponitur vt genus. Secundum quod addit est, quòd non solùm genus diuiditur per negationem, cùm exprimitur differentia negatiua; e. g. cùm dicitur,

quòd


quòd linea est longitudo non habens latitudinem ; sed etiam cùm exprimitur differentia affirmatiua, cui non opponitur alia differentia ex opposito diuidens genus, quàm negatiua : e.g. quia huic differentiæ, quæ est habere latitudinem, non opponitur alia differentia, quàm non habentis latitudinem ; ideò cùm exprimitur vt differentia longitudinis, hoc quod est habere latitudinem, virtualiter diuiditur genus etiam per differentiam negatiuam non habentis latitudinem.

Obijcitur tandem quintò contra quintam conclusionem ; quoniam si staret conclusio, quidquid affirmatur de prædicato definitionis affirmaretur etiam de subiecto definito, & è contrà : sed hoc non semper sequitur ; ergo nec semper prædicatum definitionis conuerti debet cum subiecto definito. Maior patet ex eo, quod supponuntur æqualia. Minor verò probatur ; nam de prædicato definitionis verificari potest, quòd sit oratio, aut modus sciendi, &c. definitio enim est oratio, & modus sciendi, ex dictis suo loco : sed hoc affirmari nequit de subiecto definito : non enim valet, definitio animalis e. g. est modus sciendi : ergo animal est modus sciendi : sicuti non valet, animal rationale est oratio : ergo homo est oratio.

Respondetur negando minorem ; ad cuius probationem dicendum est, talem regulam, nimirum quidquid prædicatur de definitione prædicatur etiam de definito, & è contrà, tantùm esse intelligendam de prædicatis realibus, de quorum numero non sunt modus sciendi, & oratio, quæ sunt denominationes rationis. Quare optimè sequitur si dicatur, animal rationale est substantia : ergo homo est substantia ; siue Homo est capax disciplinæ : ergo animal rationale est capax disciplinæ, &c.

DISP. QVINQVAGESIMAQVINTA.

De locis dialecticis per ordinem ad Problema definitionis, ex parte rei definitæ consideratum.



NON minùs loca dialectica, siue constructiua, siue destructiua problematis definitionis sumi possunt ex parte ipsiusmet definitionis, quàm ex parte rei definitæ ; cùm vtrobique adsit occasio tum construendi, tum destruendi : etenim cùm definitio, & definitum conuertantur, non minùs recta definitio loca constructiua ministrabit, quàm definitum illud, cui non repugnat posse definiri ; sicut non minùs mala definitio loca dirimentia ministrabit, quàm illud definitum, cui repugnat posse definiri. Quare, omnibus in præcedenti disputatione, examinatis, quæ ad prædicatum definitionis secundùm se considerata videbantur spectare, modò in præsenti A disputandum est de his quæ eidem ex parte rei definitæ considerato possunt conuenire.

QVÆSTIO I.

Vtrùm prædicatum definitionis, & subiectum definitum inter se distinguantur actualiter ex natura rei, an tantùm ratione ratiocinata.

B 

SI aliqua ex distinctionibus prædicatum definitionis, & subiectum definitum inter se non essent distincta ; frustra ex parte rei definitæ, terminatiua problematis definitionis loca quærerentur ; cùm probè sufficerent, sola loca ex parte definitionis desumpta, vtpote definitionem simul, & definitum indistinctè connotantia. Qua de re titulus vnum supponit, & aliud quærit : Supponit etenim prædicatum definitionis, & subiectum definitum esse distincta ; quærit autem qua distinctione, an scilicet actuali ex natura prædictorum, nullo cogitante intellectu, an ratione ratiocinata, idest intellectus operatione cum aliquo fundamento in re. Quod quidem non temerè, sed studiosè factum putatur; cùm C distinctionis qualitas, etiam loco ex parte rei definitæ præter ea, quæ ex parte definitionis sunt ad terminanda problemata eiusdem definitionis, ponendi rationem, non obscurè demonstrent.

Propter quod sciendum est, distinctionem esse separationem vnius ab alio, seu potiùs esse id, quo vnum non est aliud, quod cùm dupliciter possit contingere vel scilicet ex parte rei sic deposcentis, vel ex parte nostri intellectus sic concipientis ; duplex quoque erit distinctio, realis, scilicet, & rationis. Realis est, quæ versatur inter duo, quorum vnum à parte rei non est aliud, vt est distinctio illa, quæ intercedit inter Petrum, & Paulum, &c. Rationis verò est, quæ versatur inter ea, quæ cùm à parte rei sint idem, concipiuntur tamen ab intellectu vt plura. Distinctio autem realis D deinde subdiuiditur in negatiuam, & positiuam, in essentialem, & accidentalem ; in modalem, & in eam, quæ communiter dici solet includentis, & inclusi, de quibus suo loco ex professo tractabitur. Distinctio autem rationis diuiditur in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis ; prima sic vocatur, quia licèt à ratione fiat inter ea, quæ à parte rei sunt idem, habent tamen fundamentum in rebus, vt eas sic distinguat, & separet : vt quando intellectus distinguit in essentia hominis principium sentiendi, & ratiocinandi ex diuersis operationibus, quas in illo experitur. Secunda verò, nempe distinctio rationis ratiocinantis est, quæ ex mera intellectus operatione resultat nullo in rebus præcedente fundamento ; sitque vel per quandam disiunctionem eiusdem à seipso, vt quando dicimus, Petrus est Petrus ; vel per identitatem ad seipsum, vt quando illum apprehendimus vt idem sibi ipsi, vel aliis similibus modis.

Ad

Ad prædictas distinctiones reduci etiam solet distinctio formalis, & est illa, quæ sumitur à forma, siue quæ intercedit inter diuersas formalitates; quæ formalitates cùm possint esse reales, vel rationis, fiet inde vt nomen distinctionis formalis iam in vsu communi æquiuocum sit; itaut si connotet reales formalitates, dicatur distinctio realis; sin autem, dicatur rationis. Hoc totum itaque cognoscetur ex subiecta materia; idest quando exercetur vel in tali, vel tali forma; vel intercedit inter tales, & tales formalitates.

Præter autem istas distinctiones, Scotus in 1. dist. 2. q. 7. & in 2. dist. 3. q. 1. vt recitant, & defendunt ferè omnes illius discipuli, mediam distinctionem adinuenit, scilicet minorem distinctione reali, & maiorem distinctione rationis; quam vocant actualem ex natura rei, quæ Scotica distinctio an in nostra sententia accipienda, vel renuntianda sit, alibi examinabitur.

Vt autem certa à dubijs, quantùm fas est, socernamus; pro certo, & indubitato supponere debemus definitionem, & definitum inter se nullis ex adductis modis distingui realiter; quoniam ex communi omnium sententia, non differunt inter se penes rem significatam, sed tantùm penes modum eam significandi, ex eo scilicet, quòd quidquid definitum significat confusè, idipsum definitio significat distinctè, vt habetur 1. physic. text. 5. Nam si definitio non explicaret idem, quod significat definitum, iam non esset definitio eius, sed illius alterius, quod significaret. Item etiam pro certo supponere debemus prædicatum definitionis non distingui, à subiecto definito distinctione rationis ratiocinantis, & absque vllo fundamento à parte rei: etenim ex parte rei definitæ, supposito, quòd verè, & propriè possit definiri, adest semper sufficiens fundamentum, ad hoc vt intellectus valeat concipere genus, & differentiam, vel aliquos alios conceptus inadæquatos loco eorum, atque eos ab inuicem separare; ratione cuius separationis inde distinctam notitiam habeat, vbi priùs tantùm confusam habebat, vt magis explicabitur in sequenti quæstione. Denique pro certo etiam supponere debemus, quòd si definitio, & definitum sumantur pro secunda intentione, qua talia denominantur, non potest inter ea versari nisi distinctio rationis; cùm in tali casu essent entia rationis. Quare tota difficultas est de ipsis primò intentionaliter consideratis; videlicet an distinguantur actualiter ex natura rei ante omnem operationem intellectus; vel tantùm ratione ratiocinata.

Prima sententia docet prædicatum definitionis, & subiectum definitum distingui inter se actualiter ex natura rei ante omnem operationem nostri intellectus. Ita Faber theor. 7. cap. 2. Mastr. & Bell. disp. 1. log. q. 4. art. 2. § *Quintò ex tertia conditione, &c.* & ferè omnes Scotistæ qui pro se assumunt Scotum loco suprà citato.

Secunda verò sententia è contrà docet tantùm distingui inter se ratione ratiocinata. Ita Auerroes 12. metaph. text. 39. Henricus Gand. 2. p. summæ art. 27. q. 1. n. 24. & 29. Caiet. p. p. summæ q. 2. art. 1. & 1. post. cap. 3. Auersa q. 4. sect. 4. Morisanus disp. 11. logicæ q. 5. & ferè omnes Thomistæ.

Notandum est ergo primò, quòd conceptus obiectiui intellectus sunt in duplici differentia; quidam enim adæquati sunt, quidam verò inadæquati. Priores illi sunt qui rem adæquatè, ac totaliter repræsentant, non quidem secundùm ea omnia, quæ à parte rei illi conueniunt, vt sunt singularitates, materialitates (etenim conceptus obiectiui, seu, quod idem est, species intelligibiles rerum repræsentant naturas à conditionibus indiuiduantibus depuratas, vt ex professo dicetur suo loco) sed tantùm secundùm illas rationes, quæ per conceptus formales ab illa cognoscuntur, vt sunt conceptus de homine de equo, &c. Posteriores verò sunt, qui rem absque conditionibus indiuiduantibus item repræsentant, non quidem adæquatè; & totaliter sicut priores; sed tantùm partialiter, & inadæquatè. Quo fit vt priores saltem actualiter non possint esse multiplices, sed vnusquisque debet esse totaliter vnus, & indiuisus; cùm vnius rei vnicus debeat esse conceptus totalis; aliter enim totalis esset, & non totalis; vnus, & multiplex, quod repugnat, vt patet: Conceptus autem inadæquati actualiter plures, & plures sunt, cum intellectus, teste Auerroe loco citato, possit separare perfectiones; quæ à parte rei concepta, sunt idem, formareque de vnaquaque distinctum conceptum formalem; vt quando in homine cognoscit rationem animalis, sine rationali. Vnde patet, quòd debent admitti in qualibet re plures illi conceptus obiectiui inadæquati, nempe rationes illæ, seu gradus, qui correspondent conceptibus formalibus, quamuis à parte rei tales rationes, seu gradus non distinguantur.

Notandum secundò, quòd distinctio rationis ratiocinatæ dupliciter considerari potest, fundamentaliter scilicet, vel absolutè, & secundùm se, vt distinctio rationis est. Primo modo non potest esse distinctio actualis, cùm res sumpta obiectiuè, in qua fundatur, non sit actualiter multiplex, sed tantùm vniuersalis, & potentialis, cùm res obiectiuè considerata sit tantùm virtualiter, & potentialiter multiplex; (etenim conceptus obiectiuus adæquatus, virtualiter plures continet conceptus obiectiuos inadæquatos correspondentes pluribus conceptibus formalibus inadæquatis, quos formare potest intellectus, vt notatum est suprà) Secundo autem modo verè, & propriè est distinctio actualis, cùm actualiter ea separentur ab inuicem, quæ à parte rei cognita sunt vnum, & idem. Vnde sequitur, quòd distinctio illa actualis, siue potentialis, ad summum nihil aliud sit, quàm distinctio fundamentalis secundùm rationem; seu, quod idem est, fundamentum ad distinctionem rationis, & per intellectum, non autem actualis ex natura rei, vt ponit sententia contraria, nisi verbis velimus ludere.

Dicendum est ergo, quòd Prædicatum definitionis, & subiectum definitum inter se tantùm distinguuntur ratione ratiocinata.

Probatur: quoniam definitio, & definitum differunt solum secundùm confusè concipi, & distinctè concipi: ergo secundùm se nullam habent actualem differentiam; & consequenter distinguuntur ratione ratiocinata; Hæc vltima consequentia bene sequitur ex sufficienti distinctionum diuisione. Antecedens est euidens, quia non possumus fingere aliquam differentiam, quæ illam præueniat, aut maior illa sit, loquendo de differentia actuali. Consequentia verò probatur; quia concipi nihil reale ponit supra rem conceptam:

tam: ergo differentia secundùm concipi non est differentia quidditatis significatae per se, aut ex natura sua: ergo concipi distinctè, vel confusè non ponit distinctionem in re concepta secundùm se, siue ex natura sua; sed tantùm secundùm nostrum modum concipiendi cum fundamento tamen in ipsa re.

Respondet primo loco Faber, vt suprà, negando consequentiam: ad cuius probationem dicit, quòd concipi distinctè, & confusè non addit quidem aliquid reale supra rem conceptam; sed tamen importat terminum ex propria natura diuersum; quia conceptus distinctus, est diuersus conceptus à confuso ex natura sua, & ideò requirit diuersam vocem, qua exprimatur; & sic est terminus diuersus ex natura rei a confuso, tam quoad vocem, quàm quoad conceptum. Vnde subdit, quòd probatio nostrae conclusionis concludit duntaxat, quòd res, quae explicatur per nomen, seu definitum, & per definitionem, non est diuersa, quod etiam ipse libenter admittit; non autem concludit, quòd termini illi, scilicet nomen definiti, & definitionis, qui illam rem diuerso modo significant, non sint diuersi.

Contra tamen est, quòd vnius rei secundùm se, & ex natura sua vnicus debet esse conceptus obiectiuus adaequatus, vnumque nomen talem conceptum significans, aut adsummùm, quod idem est, plura synonyma: sed ex concessis per Fabrum res significata per nomina definiti, & definitionis non est secundùm se, & ex natura sua diuersa, sed quid vnum; ergo nec conceptus illi importati per terminos, neque termini ipsi secundùm se, & ex natura sua erunt diuersi, sed quid vnum; & consequenter erunt diuersa tantùm per intellectum diuidentem, ac separantem, quae à parte rei quid vnum sunt. Haec vltima consequentia benè sequitur; nam si praedicti conceptus, eorumque termini supponuntur distincti, & multiplices; si secundùm se, & ex natura sua tales non sunt, erunt saltem per intellectum; cùm esse distinctum, & non esse distinctum per intellectum, contradictoria sint, neque patiantur medium. Prior consequentia item bene deducitur; quia supposito quòd conceptus adaequatus, & nomen, seu nomina illum exprimentia secundùm se, & ex natura sua sumant vnitatem, vel multiplicationem ab illa re, cuius sunt conceptus adaequatus, & nomen, seu nomina, dato, quòd illa res sit vna, nequeunt non esse secundùm se, & ex natura sua nisi quid vnum. Minor iam concessa est. Maior verò probatur tùm ex notatis primo loco; tùm ex eo, quòd conceptus obiectiuus, praecipuè adaequatus, ex natura sua sequitur rem, & nomen conceptum, cuius est nomen: aliter enim non essent rei imagines, & repraesentationes; quod totum libenter conceditur ab ipso Fabro theoremate 94. de conceptu entis cap. 4. contra secundam responsionem Zimarae; ex quo probat vnitatem specificam esse realem, quia nimirum (inquit ipse) conceptus rei non est vniuocus propter operationem intellectus, sed ex parte rei, cùm conceptus sequatur rem: ergo vnius rei secundùm se, & ex natura sua vnicus actualiter debet esse conceptus.

Qua de causa, licèt animal, & rationale vt sunt duo conceptus inadaequati ipsius hominis, non tantùm ex natura sua, & secundùm se actualiter distinguantur ab homine, verùm etiam inter se nulla interueniente intellectus operatione (sunt enim duae formalitates A reales, ex quibus deinde simul, & indiuisè concurrentibus constituitur homo) tamen vt inuenta, & instituta sunt ad significandum vnicum, & adaequatum conceptum hominis, licèt virtualiter, & potentialiter sint plura; actualiter semper ex natura sua erunt quid vnum cum ipso homine, & tantum ab ipso, & inter se actualiter erunt distincta per intellectum non valentem concipere plura distinctè vt plura, vt notatum est suprà.

Respondet secundo loco Mastr. & Bell. item negando consequentiam, ad cuius probationem dicunt, quòd licèt concipi, nihil reale ponat supra rem; tamen ex parte rei supponit prorsus idem obiectum duplici modo ex natura rei esse conceptibile, confusè scilicet per nomen definiti, & distinctè per definitionem ipsam; & B hi duo modi conceptibilitatis sunt in obiecto ab inuicem distincti ante omne opus intellectus; quia confusio, & claritas cognitionis non tantùm se tenent ex parte intellectus cognoscentis; verùm etiam ex parte obiecti cogniti.

Contra tamen est, quòd esse conceptibile distinctè, & confusè per duos conceptus ex natura ipsius rei, cuius sunt conceptus ante omnem operationem intellectus, tantùm arguit distinctionem potentialem, & actualem praedictorum conceptuum ab inuicè, quam etiam nos concedimus, cùm sit distinctio fundamentalis secundùm rationem, non autem actualis, de qua procedit quaestio: ergo insufficiens responsio. Probatur antecedens, nam esse conceptibile praedicto modo, non potest afferre distinctionem actualem praedictorum conceptuum, nisi aliquo modo inter se sint C actu distincti, vt ex terminis patet; sed ante operationem intellectus non sunt actu distincti, cùm à parte rei animal rationale in homine nil aliud sit, quàm homo: seu ipsemet conceptus adaequatus hominis: ergo esse conceptibile praedicto modo ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus tantùm arguit distinctionem virtualem, & potentialem. Quòd autem à parte rei animal rationale in homine nil aliud sit, quàm vnicus conceptus adaequatus hominis, constat ex eo, quòd licèt extra hominem importet duplicem formalitatem realem actu, vt dictum est suprà; tamen in homine importat vnicam formalitatem actu, virtualiter, & potentialiter multiplicem tantùm; cùm vnicam tantùm rem significet, & vnius rei vnica tantùm sit adaequata formalitas.

D Obijcitur primò: quoniam si staret conclusio, sequeretur, quòd in demonstratione potissima daretur petitio principij, quod esset maximum absurdum: ergo, &c. Sequela probatur; quoniam in tali demonstratione ostenditur propriam passionem inhaerere subiecto, seu definito per definitionem ipsius tanquam per medium, vt iam diximus suo loco: ergo si à parte rei definitio, & definitum essent idem, daretur petitio principij, quae ex dictis tunc apertè sequitur, quando sumitur pro medio idipsum, de quo est quaestio: etenim cùm sit quaestio, an propria passio inhaereat definito, sumitur pro medio ipsa definitio, quae idem supponitur cum definito.

Confirmatur; quoniam etiam sequeretur, quòd in tali demonstratione potissima tantùm essent duo termini, scilicet subiectum, seu definitum, & passio; medium verò nequaquam: nam cùm medium sit definitio subiecti, seu definiti, si haec duo, re, idem sunt, tan-

tùm duo etiam erunt termini in demonstratione potissima, quod non est minoris notę absurdum, cùm daretur quidem cognitio scientifica, sed non per propriam causam.

Respondetur ad vtranque rationem ex dictis disp. 41. q. 1. ad 2. contra responsionem Zabarellæ; quòd scilicet ad tollenda talia absurda, sufficit, quòd inter definitum, & definitionem sit distinctio rationis ratiocinatæ. Nam sicut, ne propositio sit identica, sufficit vt idem confusè, & inadæquatè conceptum, dicatur de se ipso distinctè, & adæquatè concepto; ita ne petatur principium in demonstratione sufficit, vt per rem distinctè cognitam probetur, eidem confusè cognitæ aliquid conuenire; quod accidit vniuersaliter, dum etiam de transcendentibus, propriæ ostenduntur passiones per eorum conceptus quidditatiuos, vt suo loco dicetur.

Contra tamen instat Faber; quoniam in demonstratione non sufficit, quòd termini sint distincti per nostrum modum intelligendi, sed debent esse distincti ex natura rei; quia termini ingredientes demonstrationem, sunt subiectum, passio, & medium, siue causa; modò isti termini non distinguuntur sola ratione, sed ex natura sua, etiam cessante operatione intellectus, quæ distinctio probatur, quia habent diuersas proprietates, & de illis varia prædicata verificantur cessante operatione intellectus, quia de subiecto ostenditur passio, non de medio; medium est causa inhærentiæ passionis cum subiecto, non subiectum: ergo, &c.

Respondetur negando distinctionem rationis ratiocinatæ non sufficere. Ad probationem verò in contrarium dicendum est, quòd licèt subiectum, medium, & passio, nullo cogitante intellectu habeant diuersas qualitates, & de illis varia prædicata verificentur; tamen per hoc non tollitur, quin tantùm id possint habere etiam beneficio distinctionis rationis ratiocinatæ: nam sufficit in hoc casu, quòd medium, seu definitio subiecti, quę duplicem formalitatem realem importabat extra subiectum, seu definitum, ratione quarum verificantur diuersa illa prædicata, & affectiones nullo cogitante intellectu; in ipso subiecto, seu definito non concipiatur vt quid vnum cum ipso, sicut actualiter est à parte rei; sed vt distinctum, & diuersum ab eo, sicut erat actualiter extra ipsum definitum. Et in hoc consistit tota ratio distinctionis fundamentalis secundùm rationem, seu rationis ratiocinatæ, vt dictum est.

Obijcitur secundò, quoniam animal, & rationale primò intentionaliter sumpta, non sunt entia rationis, sed entia realia à parte rei actualiter existentia in quolibet indiuiduo speciei humanę: ergo nequeunt distingui ab homine in quo sunt, tantùm ratione. Probatur consequentia; nam implicat extrema diuisionis esse actu à parte rei, seu esse actualiter realia, & distinctionem non esse actu à parte rei, siue actualiter realem, cùm nihil aliud sit actualis distinctio, quàm esse actu ipsa extrema distincta: ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam: etenim aliud est habere esse per intellectum, & aliud est habere esse distinctum per intellectum. Habere esse per intellectum dicit in se nihil esse, sed concipi ab intellectu tanquam habens esse. At habere esse distinctum per intellectum dicit quidem esse aliquid reale in se, sed reperiri à parte rei in aliqua entitate immersum, & simul cum aliquo alio identificatum, atque beneficio intellectus ab eo secerni. Quare non est necesse, vt id quod reale est, per rationem, ab alio in quo immergitur, non possit distingui. Ad probationem verò consequentiæ respondetur, nullam esse implicantiam, extrema distinctionis dari à parte rei actualiter indiuisa, & non dari simul actualem distinctionem à parte rei; quæ implicantia vtique daretur si extrema essent actualiter diuisa, & distincta à parte rei; nam, vt concludit argumentum, actualis distinctio non est, extrema distinctionis vtcunque existere, sed actualiter distincta existere.

Obijcitur tertiò, quoniam si definitio, & definitum à parte rei essent idem, intellectus intelligendo non priùs cognosceret confusa, idest definita, quàm distincta, siue definitiones: sed hoc est contra Philosophum 1. physic. text. 5.: ergo, &c. Probatur sequela maioris; nam quod à parte rei est idem, non potest à parte rei simul habere rationem prioris, & posterioris, vt patet: sed intellectus per sui cognitionem cognoscit res, vt sunt à parte rei: ergo in tali casu non priùs cognosceret confusa, quam distincta.

Respondetur negando sequelam maioris; ad cuius probationem dicendum est, quòd intellectus duplicem cognitionem habet, confusam vnam, distinctam alteram; per primam cognoscitur res in ratione obiecti incomplexi, hoc est in confuso, & indistinctè, non considerando partes, aut prædicata, quæ illi conueniunt (homo enim e. g. vt quoddam incomplexum est, non habet actu distincta prædicata, neque distinctas partes siue physicas, siue metaphysicas à se ipso, cùm omnia in ipso identificata sint, & immersa) Per secundam verò cognoscitur res in ratione obiecti complexi, hoc est distinctè per partes, & partes, per prædicata, & prædicata, diuidendo quod est coniunctum, coniungendo, quod est diuisum (Animal enim rationale quatenus quoddam complexum est, habet suas partes, ac diuersa prædicata, vt patet) Quare non est necesse vt per priorem cognitionem priùs cognoscat confusa, deinde distincta; sed per priorem confusa; per posteriorem distincta; ex quo fiet, quòd idem non erit prius, & posterius respectu eiusdem cognitionis intellectus, sed tantùm respectu diuersarum, quod non uidetur absurdum. Et in hoc sensu locutus est Philosophus loco citato.

QVÆSTIO II.

Quænam requisita habere debeat subiectum definitum, ad hoc vt ex ipso loca sumantur tam construttiua, quàm destructiua problematis de prædicato definitionis.

PLura, & plura loca ex parte subiecti definiti sumi possunt tum ad construendum, tum ad destruendum problema de prædicato definitionis, cùm definitum, siue potius definibile pluribus, ac pluribus modis definiri queat; scilicet vel accidentaliter; & de-

scrip-

scriptiuè, vel essentialiter, & quidditatiuè, & his modis adhuc multipliciter, vt visum, & probatum est suprà: attamen loquendo propriè, & rigorosè videlicet tantùm de subiecto illo, quod rigorosa, & propria definitione essentiali potest definiri; loca quidem minora fient, cùm non omne subiectũ definibile habere queat omnia, & singula requisita, quæ à probatis Dialecticis assignari solent.

Quatuor autem assignantur; quorum primum est, vt sit ens reale positiuum. Secundum, quòd sit ens per se vnum, & non aggregatum per accidens. Tertium, quòd sit ens compositum aliqua compositione essentiali. Quartum tandem, quòd non sit singulare, seu indiuiduum, sed quid vniuersale; quæ requisita licèt communiter assignentur, non tamen communiter recipiuntur: Nam Tataretus q. 1. de genere § *Tertiò sciendùm, &c.* Blancus lib. 5. instit sect. 7. quos citant, & sequuntur Mastr. & Bell. disp. 1. logicæ q. 4. art. 3. ad secundum, tertium non ita rigorosè admittunt, vt Deus, & summa genera, estò non sint composita ex genere, & differentia, nequeant verè, & propriè definiri; quapropter tantùm, excludunt à rigore definitionis quidditatiuæ Ens, differentias vltimas, & proprias passiones, vtpotè simpliciter simplices. Blancus autem loco citato; Bonetus in Metaphysicis, quos sequitur Arr. disp. 3. summularũ n. 7. neque etiam recipiunt quartum; dum aiunt, Indiuiduum per se posse definiri; licèt per accidens non definiatur verè, & propriè, ex eo; quia in hoc statu non rectè cognoscimus differentias, indiuiduantes.

Cæterùm cùm omnes Doctores (istis solùm exceptis) talia recipiant præcepta; nostrum erit aliqua breuiter adnotare, vt ea probare, & rationibus in contrarium adductis simul satisfacere, omnino valeamus.

Notandum est ergo, vt rectè sciamus, quomodò hæc duo cohærere possint, nimirùm vt definibile sit ens per se vnum, & simul compositum; quòd vnitas, qua aliquid dicitur vnum, varijs modis sumi potest, vt docet Philosophus 5. metaphys. text. 13. nam vno modo accipitur pro vnitate aggregationis, quæ est in aceruo lapidum; alio modo pro vnitate ordinis, qualis est in exercitu, adhuc autem pro vnitate accidentali, quæ est inter accidens, & substantiam, & nullo ex his modis subiectũ definibile debet esse vnum; quia illi sunt modi vnitatis secundùm quid, & per accidens; vt constat; sed debet esse vnum vnitate simpliciter, & per se, quæ arguit naturam vnam, & essentiam vnam vnica definitione explicabilem, & in vna specie vnius prædicamenti reponibilem. Quia verò ista per se vnitas, non eiusdem rationis est in simplicibus, & compositis, propterea quòd cùm vnitas immediatè sequatur entitatem, diuersas entitates sequuntur diuersę vnitates; considerandum insuper est, nos hic non loqui de ea vnitate per se, à qua dicitur vnum simplex, quia sic euidens est nullam admitti compositionem; sed loqui de ea vnitate per se, à qua vnum dicitur compositum per se, & non per accidens.

Dicendum est ergo primò, quòd subiectum, definitum vera, & propria definitione essentiali debet esse ens reale positiuum.

Probatur; nam vera, propria, & essentialis definitio explicat veram quidditatem, & essentiam rei definitæ: sed tantùm ens reale positiuum habet veram quidditatem, & essentiam: ergo subiectum definitum vera, & propria definitione essentiali, debet esse ens reale positiuum. Maior patet ex 1. topic. cap. 4. vbi Philosophus dicit, definitionem essentialem esse explicatiuam quidquid erat esse, idest veræ, & propriæ quidditatis, & essentiæ rei. Minor verò probatur; nam entia rationis, negationes, priuationes, & non entia tantùm habent esse, vel quia intellectus illud sibi fingit; vel quia per analogiam ad ens reale positiuum illis attribuitur, vt passim dictum est suprà disp. 1. q. 3. ergo tantùm ens reale positiuum habet quidditatem, & essentiam. Hæc consequentia patet ex communi illo axiomate *Propter quod vnumquodque tale, &c.* nam si entia rationis, negationes priuationes, & non entia dicuntur habere esse, vel quia concipiuntur ad modum entis realis positiui, vel per analogiam ad ipsum; signum est, quòd ipsum ens reale positiuum multò magis, idest omnino propriè habet veram quidditatem, & essentiam.

Dicendum secundò, quòd subiectum definitũ vera, & propria definitione essentiali, nequit esse ens, siue aggregatum per accidens, sed ens per se.

Probatur; quoniam definibile debet esse determinatæ naturæ, determinatæque speciei; cùm definitio ex Philosopho 1. topic. cap. 4. sit terminus alicuius esse, sumpta metaphora à termino agrorum, vt dictum est suprà disp. 43. q. 1. vnde subdit idem Philosophus 8. metaph. text. 9. quòd sola species definiri potest: sed entia per accidens non sunt determinatæ naturæ, neque determinatæ speciei, cùm constent ex rebus diuersorum generum: ergo subiectum definitum vera, & propria definitione non potest esse ens per accidens, sed ens per se.

Dicendum est tertiò, quòd subiectum definitum vera, & propria definitione essentiali, debet includere in se aliquam compositionem.

Probatur ex Aristotele 8. metaph. text. 9. vbi ait, definitionem esse orationem longam exprimentem quid, & quale; quia distinctè, & per partes explicat quod definitum implicitè importat: ergo oportet quòd de definito possint plures conceptus formari, quidditatiuus nempe, per quem cum alijs conuenit; & qualitatiuus, per quem ab alijs differt; quod maximè patet ex dictis in antecedenti disputatione, vbi inter assignandum conditiones bonæ definitionis, eam esse præcipuam dicebamus; quòd constaret ex genere, & differentia, seu conceptu quidditatiuo, & qualificatiuo.

Dicendum est quartò, quòd subiectum definitum propria, & rigorosa definitione essentiali, nõn debet esse quid singulare, & indiuiduum, sed quid vniuersale.

Probatur; quoniam definibile per definitionem essentialem, debet habere differentiam quidditatiuam, & essentialem, vt patet: aliter enim non esset explicabile per definitionem essentialem, de cuius ratione est explicare quidditatem, & essentiam rei; sed singularia, & indiuidua, estò pertineant ad substantiam, & quidditatem rei, non tamen habent differentias constitutiuas essentiales, & quidditatiuas, sed tantùm indiuiduales: ergo subiectum definitum, &c. Minor probatur; etenim differentia quidditatiua, & essentialis non tollit communicationem illius naturæ, cu-

ius est differentia essentialis, cùm quidditas, & essentia sit communicabilis pluribus indiuiduis: sed differentia indiuidualis tollit omnem communicationem, cùm constituat indiuiduum, & singulare, quod est incommunicabile: ergo, &c.

Obijcitur primò contra primam conclusionem; tum quia in logica definiuntur genus, species, & cæteræ secundæ intentiones; nec respondere iuuat definitiones illas exactas non esse: quia sicut Logica ex dictis est verè, & propriè scientia, ita proprijs vti debet definitionibus. Tum etiam quia negatio habet distinctam formalitatem ab affirmatione, cui opponitur; aliter enim neque vera, neque realis esset inter eas oppositio. Et priuationes habent sua genera, & species, cùm alię materiales, aliæ spirituales sint, & vnaquæque earum sit huius, aut illius speciei, nempe huius, aut illius sensationis, aut intellectionis, aut volitionis: ergo subiectum definitionis possunt esse quoque entia rationis, negationes, priuationes, & non entia; patet consequentia, quia habent aliquo modo vnde sumi possunt genus, & differentia.

Respondetur, & primò ad primam rationem, non posse esse definitionem de secundis intentionibus, eo modo, quo definitio est ratio explicans veram quidditatem, & essentiam rei extra animam; sed eo modo, quo exprimit vnum conceptum per se in intellectu, quod sufficit ad scientiam propriè dictam; nam Logica non est scientia de rebus, sed de secundis intentionibus; quare non est necesse, vt definitionibus vtatur rerum, quæ sunt propriè, & rigorosè definitiones essentiales; sed definitionibus conceptuum, & intentionum, quæ licèt respectiuè ad definitiones entium realium sint impropriæ, attamen per ordinem ad entia rationis sunt omnino propriæ; cùm aliter nequeant talia entia definiri. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd sicut priuationes, & negationes verè, & propriè non sunt res, nec quidditates; ita verè, & propriè nequeunt habere essentiam; sed tantùm per analogia ad entia positiua, cuius sunt priuationes aut negationes. Quare licèt habeant diuersas formalitates à positiuis, & genera, & species; tamen quia hæc omnia non propriè, & secundùm se, sed impropriè, & per analogiam ad formalitates genera, & species entium positiuorum talia dicuntur; optimè sequitur quòd etiam verè, & propriè nequeant definiri; vnde negatur consequentia, quia verè, & propriè non habent formam, neque genus, neque differentiam, sed tantùm per attributionem, vel proportionem, dictum est.

Instet autem aliquis dicendo, quòd etiam accidens verè, & propriè non est ens, sed entis ens, & per analogiam ad substantiam, ex dictis disput. 9. q. 1. ad tertium, & tamen in abstracto optimè definiri potest vera, & propria, & rigorasa definitione, vt notatum est 1. loco disp. 3. q. 1. ergo licèt entia rationis, priuationes, & negationes sint entia impropriè, & per analogiam ad ens reale positiuum, tamen vera, & propria, & rigorosa definitione essentiali definiri poterunt.

Respondetur negando paritatem, & ratio disparitatis est, quia accidens licèt entis, siue substantiæ sit ens, & per analogiam ad ipsam tale dicatur; tamen est aliquid realiter, & positiuè illius; cùm inter ipsa non solùm intercedat analogia attributionis, & de-

A pendentiæ, verùm etiam proportionalitatis propriæ, de cuius ratione est, vt ratio importata per nomen analogum intrinsecè, sit in omnibus analogatis, vt dictum est suprà disp. 9. q. 2. Ens verò rationis, priuationes, & negationes, non solùm non sunt entia realia positiua, sed nec etiam aliquid realiter, & positiuè prædicatæ entitatis, nisi per analogiam attributionis aut proportionalitatis metaphoricæ; cùm omnia, quæ de illis in ratione entis consideratis affirmantur, per translationem ab ente reali, & positiuo dicantur.

Obiicitur secundò contra secundam conclusionem, Quoniam ens per accidens est substantiale, cùm de ipso in sententia probabili multorum detur scientia; ergo est definibile; probatur, consequentia; nam quod est scibile est demonstrabile; quod autem est

B demonstrabile, est definibile, cùm definitio sit medium demonstrationis potissimæ; ergo, &c. Nec valet dicere definiri non posse, quia directè plura importat entia, etenim hoc tantùm facit, vt vnica definitione non possit explicari, ex dictis disp. 3. q. 3. sed pluribus, cum quo stat, vt adhuc sit propriè definibile.

Respondetur, quòd ens per accidens (quidquid dicant alij) non est propriè scibile, sed tantùm impropriè in quantùm sumi, & concipi potest vt vnum per se, vt patet ex dictis concretis disp. 3. q. 3. citata; nam si concipiatur vt ens per accidens, vt saltem materialiter est, facit propositionem contingentem, & de contingentibus non datur scientia ex dictis disp. 38.

C q. 1. cùm scientia sit de necessarijs, quæ aliter se habere nequeunt, Qua de re tantùm eodem modo erit definibile, scilicet impropriè, & secundùm quid. Vnde ratio adducta pro responsione in argumento erit sufficiens; eo enim ipso, quòd aliquod non est vna definitione explicabile, confestim conuincitur non esse propriè definibile; alioquin etiam æquiuocum definiri posset; (intelligitur tamen primò intentionaliter, nam secundò intentionaliter æquiuoca definiri possunt, & de facto definita fuerunt, vt visum est suprà disp. 8. q. 1.) sed tantùm explicabile pluribus definitionibus, quas Aristoteles hic cap. 3. vocat complicatas definitiones, & sic explicare possumus, quid sit homo albus, assignando definitiones hominis, & albedinis.

Obiicitur tertiò cõtra tertiã conclusionem. Tũ quia

D definitio essentialis, explicat essentiam, & quidditatem rei, sed essentia, & quidditas est quid indiuisibile 8. metaphys. text. 11. ergo subiectum definibile non est necesse, quòd sit compositum, cùm indiuisibile sit, quod caret compositione, seu partibus componentibus vnde diuidatur. Tum quia definitio debet esse eorum, quæ per actum simplicem intelliguntur, cùm præcipuè spectet ad primam operationẽ nostri intellectus, ex dictis disp. 54. q. 1. not. 2. sed quæ intelliguntur hoc modo, non habent partes; aliter enim tantùm intelligerentur in confuso, & indistinctè, quod repugnat definitioni, de cuius ratione est, vt sit distinctior, & clarior definito (etenim definitio vnicum conceptum, & indistinctum; definitum verò, plures, & distinctos importaret) ergo subiectum definibile non debet esse compositum. Tum denique quia Deus, & summa genera habent suas definitiones, vt patet, & tamen non sunt composita: ergo, &c.

Respon-

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd essentia, & quidditas non est indiuisibilis ex eo, quia careat compositione; sed quia non suscipit magis, & minus secundum intensionem perfectionis specificæ, vt dictum est supra disp. 51. q. 1. quia licèt quod est indiuisibile, carere debeat compositione accidentali secundùm diuersas entitates completas; non verò essentiali secundùm diuersas formalitates, aut conceptus incompletos. Ad secundam verò rationem respondetur, negando minorem; nam sicut vno simplici oculorum intuitu perspicimus imagines rerum, ex pluribus constantes membris, ita vno simplici mentis obtutu possumus cognoscere quidditatem ex genere, & differentia constantem, eo vel maximè, quia multiplicitas illa partium non tollit vnitatem, vt probat Philosophus 7 metaph. text. 42. & 8. metaph. text. 15. Vnde talis cognitio non foret confusa, quia licèt sit vnicus, & simplex conceptus adæquatus, tamen quia constat saltem ex duobus conceptibus inadæquatis correspondentibus singulis formalitatibus à parte rei, distinctè omnino repræsentat omne id, quod ad quidditatem compositam videtur spectare. Ad tertiam tandem rationem respondetur, quòd Deus, & summa genera (quidquid dicant alij) propriè non definiuntur, cùm sint conceptus simpliciter simplices; sed tantùm eo modo quo possunt explicantur, cùm in ipsis non sit potentia, & actus, vnde genus, & differentia, vel aliqua loco eorum sumi possit; neque sub aliquo genere collocantur definitè, & limitatè. Quare definitiones, quæ de ipsis traduntur, tantùm accidentales, seu descriptiuæ sunt, vt dictum, & probatum est suprà disp. 13. q. 2. disp. 14. q. 2. & sequentibus disputationibus, vbi agebatur de singulis prædicamentis.

Objicitur tandem quartò contra quartam conclusionem. Tum quia illa possunt definiri definitione essentiali, quæ habent plures conceptus intrinsecos, quorum alter sit principium conueniendi, alter distinguendi: sed indiuidua erunt huiusmodi: ergo, &c. Probatur minor; nam estò principium distinguendi, seu differentia indiuidualis non sit quidditatiua; attamen est de integritate ipsius substantiæ, & consequenter est gradus intrinsecus rei: ergo indiuidua habent plures conceptus intrinsecos, quorum, &c. Tum etiã quia Aristoteles 2. post. text. 22. ait, faciliùs esse definire singulare, quàm vniuersale, & de facto Porph. cap. de specie definiuit indiuiduum, & cap. de substantia definitur à Philosopho prima substantia, quæ est indiuidua. Tum denique quia definitio speciei conuenit indiuiduo; ergo potest optimè, & propriè definiri.

Respondetur & primò ad primam rationem, quòd ad hoc vt aliqua definiri possint definitione in toto rigore essentiali, non sufficit habere plures conceptus illos intrinsecos vtcunque, sed essentiales, & quidditatiuos; aliter enim partes etiam integrales ingredi possent definitionem essentialem hominis e. g. quia etiam sunt de integritate substantiæ eius. Ad secundam verò dicendum est, Aristotelem ibi per singulare intelligere tantùm minus vniuersale, vt ex contextu patet. Porphyrius verò definiuit singulare pro secunda intentione, & in actu signato; non autem primò intentionaliter pro determinato, & in actu exercito, vt patet ex dictis disp. 4. q. 3. ad secundum; & in hoc sensu etiam definita fuit prima substantia à Philosopho. Tandem ad tertiam respondetur, definitionem speciei tantùm remotè conuenire indiuiduo, non autem proximè, & immediatè; quare nunquam potest dici, quòd secundùm se proximè sit definibile; in quo sensu tantùm intelligitur, nostra conclusio.

Ex dictis igitur, & adnotatis omnia loco tam ad destruendum, quàm ad construendum problema de prædicato definitionis sumi poterunt, & præsertim ad destruendum cùm ex Philosopho 7. huius cap. 3. facillimum sit; & ex eodem ibidem omnia loca, quę valent ad destruendum cætera problemata, valent etiam ad destruendum problema de definitione. Verumtamen ad hoc vt omnibus, construendi (quod est difficilius) prædictum problema per loca tam intrinseca, quàm extrinseca, & media, latè pateat aditus, quędam adducentur exempla, hoc vno de definitione problemate in medium exposito; videlicet An corruptio sit dissolutio substantiæ. Nam si id cupimus terminare per loca intrinseca, e. g. à specie ad genus; profectò dicetur, corruptio ligni est dissolutio substantiæ ligni: ergo corruptio vt sic est dissolutio substantię. Si autem idipsum per loca extrinseca, e. g. ab oppositis terminare volumus, vtique dicemus generatio est acquisitio substantiæ: ergo corruptio est dissolutio substantię. Si tandem per loca media, e. g. à coniugatis, & à casibus vtcribus volumus idem terminare, dicendum erit corruptiuum est dissolutiuum substantiæ, & corrumpere est dissoluere substantiam: ergo corruptio est dissolutio substantiæ. Pro quibus tamen, & cæterorum terminationibus problematum aduertere debemus, quòd licèt per singula loca tam intrinseca, quàm extrinseca, & media (proportione tamen seruata) quodlibet problema indifferenter terminari possit; nihilominus placuit nobis ipsa præcipuè, specialiterque terminare per loca ab oppositis, à coniugatis, & à casibus, quia vt docet Philosophus loco nuper citato cap. 2. prope finem, vtiliora, & opportuniora videntur; vnde semper in promptu sunt habenda, vtpote pluribus vtilia.

LIBER SEPTIMVS TOPICORVM:

EIVSQVE SYNOPSIS.




VIA Philosophus lib. 2. Topic. cap. 4. docuit, ad problemata generis, & definitionis reduci etiam problema de eodem, & diuerso, quod idcirco inter annexa enumeratur; iure optimo postquàm lib. 4. egit de locis generis, & lib. 6. de locis definitionis; lib. 7. tandem agit de locis eiusdem, & diuersi; quod vtique studiosè fecit, nempe vt non statim post problema de definitione ipsum adduxerit, cùm præcipuè ad definitiua problemata vtile sit; nam quibus locis monstramus hoc cum illo esse idem per eadem possumus etiam monstrare, quòd hæc definitio est eadem cum definito; & è contrà, quibus locis monstramus hoc cum illo non esse idem, per eadem quoque probare possumus definitionem non esse eandem cum definito.

Diuiditur autem præsens liber secundùm latinos interpretes in tria capita, in quorum primo Philosophus agit de eodem numero, quod appellat idem simpliciter; nam quod simpliciter sine additione est, puri numeri est; cætera verò, nempe idem specie, idem genere cum additione sunt; quare tantùm de ipso explicitè mentionem fecit, quasi implicitè cæteræ identitates in ipso contineantur: etenim quæ eadem numero sunt, specie, & genere pariter eadem sunt, sed non è contrà, vt patet. Prosequitur deinde tradendo, & docendo varia loca, nempe à casibus, à coniugatis, ab oppositis, à generatione, & corruptione, &c. per quæ terminari potest tale problema. In secundo verò capite tradit varia loca ad construendum problema de definitione tum secundùm se, tum secundùm suas partes, ipsa tamen dirigendo, & regulando per idem, & diuersum; nempe vel ex eadem, vel diuersa coniugatione; ex eadem, vel diuersa oppositione; & sic de singulis. Denique in cap. 3. docet difficiliùs esse definitionem construere, quàm destruere quod etiam affirmat de proprio, & de genere, licèt facta comparatione inter ipsa difficiliùs sit construere definitionem, quàm proprium, & genus. Deinde probat faciliùs esse destruere accidens vniuersale, quàm construere; & è contrà scilicet faciliùs esse construere accidens particulare, quàm destruere. Et hæc satis circa synopsim præsentis libri.

DISP. QVINQVAGESIMASEXTA.

De locis dialecticis per ordinem ad problema de eodem & diuerso.



DEM, siue vnum, quemadmodùm ex Philosopho huius intelligere iuuat triplex est; videlicet idem numero, idem definitione, & idem genere; quod etiam ex professo tradit 5. metaph. cap. 6. licèt insuper addat idem æqualitate, quod tunc sequitur, quando plurium est vnica proportio de quo satis dictum est suprà disp. 9. de analogis per totam. Idem numero vocat ea, quorum materia est vna; vt omnia quæ sunt in Petro e. g. dicuntur idem numero Petrus; quia vnicam possident materiam; Idem verò definitione siue forma appellat ea, quæ eandem speciem, & rationem habent; vt omnes homines, qui specie, & ratione sunt vnus homo. Tandem idem genere appellat ea, quæ sub vno, & eodem collocantur prædicamento; vt viuens; sensibile, rationale, &c. quæ sunt vnum, & idem intra genus substantiæ. At quia tot modis dicitur vnum oppositorum, quot aliud, ex eodem Philosopho 1. topic. cap. 12. & alibi, triplex quoque erit diuersum, nempe numero, definitione, & genere; primum est, quod importat diuersam materiam. Secundum diuersam speciem, & rationem. Tertium denique, quod importat diuersa genera, & prædicamenta. De hoc secundo nullam ex professo examinabimus quæstionem, sed tantùm de primo; nam quidquid de eodem dicitur, etiam de diuerso, proportione seruata, dicendum videtur.

✠

QVÆS-

QVÆSTIO I.

Vtrùm prædicatum de eodem numero, vnde sumi solent loca dialectica ad terminandum eiusdem problema, tantum dicatur de his quæ vnam numero participant physicam materiam.



Difficultatem hanc, sicut & cæteras huius disputationis radicitus attingere, nunquã erimus valituri, quoadvsque de indiuiduationis principio in metaphysicis ex instituto agatur. Verùm tamen est, quòd inquantùm ad eruenda loca problematum de eodem, & diuerso terminatiua inseruire potest ita in præsenti examinabitur vt nihil indecisum mutilumue videatur relinqui.

Pro tituli tamen clara, & distincta notitia supponere debemus, hic non esse sermonem de vnitate, neque de numero transcendentali; cùm ex notatis 2. loco disp. 14. q. 1. non solùm quæ habent materiam, verùm etiam Angelos, quinimmo ipsas tres Diuinas Personas, certum sit talem participare vnitatem numericam appellarique singula quid vnum numero; & consequenter ex talibus appellationibus ac prædicatis posse sumi loca omnino apta ad terminanda omnia illa problemata de eodem numero, & diuerso, quæ de ipsis proponi solent. Quare tantùm est sermo de vnitate, & numero prædicamentali, seu quantitatiuo, quærendo scilicet, an ad hoc vt prædicetur de aliquibus prædicta vnitas, & numerus prædicamentalis, participare debeant vnicam, numero prædicto physicam materiam. Vnde titulus ex vna parte videtur supponere prædictum prædicatum tantùm affirmari posse (quidquid dicant alij, de quibus in metaphysicis) de rebus habentibus materiam; ex alia verò videtur quærere an talis materia debeat esse prædicto numero vna, seu, quod idem est, beneficio quantitatis aliquo modo indiuidua.

Prima sententia docet non esse necessariam materiam numero, & vnitate prædicamentali vna seu aliquo modo quantitate sigillata, ad hoc vt de rebus materialibus affirmetur prædicatum de eodem, & diuerso, numero; sed sufficere esse vndè, & præest secundùm se partem materialem compositi, Ita Albert. relatus à Flandria 7. metaph. q. 22. art. 1. cui ex illa parte nempe in quantùm superfluam æstimant sigillationem illam quantitatis; Scotus, & Scotistæ cum Suarez vt testantur Mastr. & Bell. in metaph. disp. 10. q. 6. per totam.

Secunda verò sententia è contrà docet prædictum prædicatum ad hoc vt verificetur de rebus materialibus, supponere debere in ipsis materiam numero, & vnitate prædicamentali vna, idest sigillata, & indiuidua aliquo modo per quantitatem. Ita Philosophus 5. metaph. text. 12., & alibi, vt patebit infrà. D. A Tho. ibidem lect. 8., & alibi, & communiter Thomistæ, licèt non eodem modo se explicent, vt optimè tradunt Mastr. & Bell. vt supra qui etiam ex ea parte, qua Thomistæ negant materiam nudè sumptam sufficere in rebus materialibus, vt de his prædicetur idem numero, non parum cum cæteris Scotistis illis fauent.

Notandum est ergo primò, nomine materiæ quantitate signatæ tria posse intelligi. Primum quidem compositum quoddam accidentale consurgens ex materia, & quantitate ipsa, actu, & in exercitio habita. Et hoc modo vtique non est necesse, quòd res materiales ad hoc vt se subijciant prædicationi de eodem numero, participent materiam signatam saltem in ratione primæ radicis singularitatis numericæ: nam B (quidquid dicant Ferrariensis 1. contra gentes cap. 21. Soncinas 7. metaph. q. 34. Nazarius p. p. q. 3. art. 2.) in tali casu apertè sequeretur, quòd indiuiduum substantiæ, seu prima substantia vt talis, esset ens per accidens, quippe quæ composita ex rebus diuersorum prædicamentorum, scilicet ex substantia, & quantitate, vt forma inhærente, atque ita directè, & per se non poneretur in prædicamento substantiæ, quod tamen est falsum. Secundum verò potest intelligi materia ipsa non vt de formali, & in recto dicit quantitatem, sed vt dicit modùm quemdam eidem materiæ superadditum ratione cuius determinatur, seu signatur certa quantitate, idest hac quantitate, & non illa; Et hoc modo similiter non est necesse vt res materiales participent materiam signatam in ratione primæ radicis numericæ singularitatis, saltem ad C hoc vt dicantur vnæ numero: nam (pace Iauelli 5. metaph. q. 15. Bonnesij, & Zumelis p. p. q. 3. art. 2. vt loco suprà citato referunt Mastr. & Bell.) prædictus modus, vtpote singularis, & physicus præsupponeret materiam illam iam singularem, & vnam numero, & consequenter vel esset superfluus, vel saltem non esset prima radix talis singularitatis: ratio enim est, quia, vt dicitur in metaphysicis, hæc est differentia inter actum metaphysicum, & physicum, quòd licèt actus metaphysicus singularis non supponat potentiam metaphysicam singularem, sed eam actuando reddat illam singularem; & propterea Petreitas e. g. supponit potentiam specificam, scilicet naturam humanam, non verò numericam, & singularem; sicut differentia specifica, & metaphysica supponit solùm potentiam D genericam, & constituit potentiam specificam: attamen actus physicus, & singularis re ipsa secundùm suum esse formale receptus non potest non præsupponere potentiam physicam, & singularem. Tertium tandem intelligitur pariter materia ipsa, vt dicit quidem puram, & nudam entitatem materiæ absque prædicto modo, ei superaddito, & ex natura rei ab illa diuerso, cum quodam tamen connotato, idest prout dicit materiam ipsam vt præhabentem per modum primæ radicis hanc quantitatem, & non illam: seu (vt multi volunt) quatenus per modum principij primi, & radicalis dicit connexionem, vel habitudinem ad hanc quantitatem, & non illam; nam ratione huius designatur, & determinatur ad hanc formam, & hoc compositum, & ad hoc compositum potiùs, quam ad illud. Et hoc modo saltem necessarium est, vt eam participent res illæ materiales de quibus affirmari potest prædictum prædicatum de eodem numero prop-

propter rationem inferiùs pro nostra conclusione adducendam.

Notandum secundò, quòd quantitas non quidem secundùm communem accidentis, sed secundùm sui propriam rationem considerata, hoc habet peculiare inter alia accidentia, & quascunque formas receptibiles in materia, quòd ipsa in diuersos quodammodò conceptus inadæquatos sui bipartita, habet aliquo modo esse indiuiduam à subiecto, & aliquo modo indiuiduam à se tanquam à prima radice; nam secundùm quòd concipitur, vt extensio huius substantiæ, & non alterius, ac proinde vt exprimit hanc habitudinem ad hanc substantiam potiùs, quàm ad illam, indiuiduatur vtique ab ipsa substantia vt a subiecto; quia secundùm hanc rationem concipitur per modum formæ, & non qualiscunque, sed communicabilis suo subiecto, non minùs quàm cætera alia accidentia; & proptereà non potest aliunde, quam ex suo subiecto, tanquam ex prima radice indiuiduari. Vt autem concipitur inesse diuisibilis in plures partes eiusdem rationis, seu in plures partes entitatiuas solo numero diuersas, quatenus scilicet exprimit hoc, quod est habere determinatum situm, ortum ex partialibus sitibus suarum partium; ac proinde quatenus prædictæ partes ita conferuntur cum illa, vt retineant rationem materiæ, siue principij materialis respectu illius, ab alio non indiuiduetur, quàm à seipsa; tum quia hoc ipso, quòd secundùm talem conceptum, quantitas habet ex se partes eiusdem rationis, siue solo numero differentes, habet etiam ex se ipsa, vnde quodammodò sit vna numero. Tum etiam quia hoc ipso, quòd habet prædictas partes habet vtique eas secundùm distinctam positionem, & eo ipso possunt inter se numero distingui ex illo distincto situ, & positione quam habet. Et ideò si darentur duæ lineæ separatæ ab omni subiecto, possent intelligi, & esse numero diuersæ ex eo, quòd vna haberet distinctum situm ab alia.

Dicendum est ergo, quòd Prædicatum de eodem, & diuerso numero, vnde sumuntur loca dialectica eiusdem problema terminantia, dicitur de his tantùm quæ eandem numero prædicamentalem physicam participant materiam, seu quæ participant materiam non vtcunque, sed signatam quantitate.

Probatur primò ex Aristotele 5. metaph. text. 12. vbi ait: *Ampliùs autem alia secundùm numerum sunt vnū, alia secundùm speciem, alia secundùm genus, alia secundùm analogiam: numero quidem quorum materia vna, &c.* qui non est intelligendus de materia secundùm se præcisè, & nudè sumpta absque sigillatione quantitatis, quemadmodùm docet contraria sententia; tum quia idem Philosophus ibidem in calce capitis 6. inquit, distinctionem indiuiduorum intra eandem speciem prouenire ex diuisibilitate materiæ diuisibilitas autem nequit haberi nisi beneficio quantitatis saltem signatæ. Tum etiam quia 1. de gener. text. 31. ait quòd materia non est sine magnitudine, & loquitur de materia secundùm se, idest denudata à forma, & accidentibus, vt patet tam ex contextu, quàm ex 4. physic. text. 15. vbi docet, quòd licèt in materia non sit magnitudo, tamen sine magnitudine esse non potest. Neque minùs hæc testimonia intelligenda sunt; vt quidam existimant de magnitudinibus, & dimensionibus in terminatis; nam ex primo de generatione text. 24. in corruptionibus substantialibus nihil remanet in materia prima quod sit sensibile; quod vtique esset falsum, si tales magnitudines, & dimensiones manerent: ergo prædicatum de eodem, & diuerso, vnde, &c.

A

Probatur secundò ratione; quoniam prædictum prædicatum tantùm affirmari debet de rebus materialibus secundùm illam rationem consideratis, qua redduntur singulares, & incommunicabiles; cùm debeant esse quid vnum, & indiuiduum quoddam, sed tales res, in tantùm sunt quid vnum, & indiuiduum quoddam, in quantùm participant materiam numero prædicamentali, seu quantitate designata, vnam: ergo de illis prædicabitur tantùm, vt participant eandem numero materiam, quantitate prædicta, signatam. Minor probatur; quoniam materia secundùm se præcisè, & nudè sumpta est communis omnibus formis, & compositis sublunaribus, cùm ex 6. metaph. cap. 3. text. 8. sit omnia in potentia: ergo in tantùm prædictæ res materiales erunt quid vnum, &c. in quantùm participant materiam signatam quantitate, cùm quantitas ex notatis de se sit indiuidua, & prima radix singularitatis numericæ. Hæc consequentia patet: nam vt participant quid commune, quemadmodùm est materia prima secundùm se, & nudè sumpta, non possunt fieri indiuiduæ, & singulares, cùm nemo det, quod non habet: ergo, &c.

B

Diuersimodè respondent Scotistæ, & alij ex neotericis, prædictæ rationi, in quantùm tangit signationem materiæ in ratione principij indiuiduationis, quę illis minimè placet: At quia nostrum est hìc tantùm probare res materiales ad hoc vt dicantur idem numero prædicamentali, debere participare materiam quātitate signatam; minimè verò disputare de indiuiduationis principio: responsiones illorum in metaphysicis videri, & examinari debent.

C

Obijcitur primò; Tum quia compositum substantiale materiale, eo modo est vnum, & indiuiduum, quo ens, cùm vnum sequatur ens, & ad inuicem conuertantur ex ijs, quæ dici solent in metaphysicis: sed est ens substantiale materiale tantùm beneficio materiæ præcisè sumptæ: ergo ad hoc vt de ipso prædicetur idem, & diuersum numero, non debet habere materiam quantitate sigillatam. Tum etiam quia de quibus prædicatur vnitas, & identitas formalis, & specifica, non supponitur in ipsis forma, aliqua sigillatione affecta, sed præcisè secundùm se: ergo de quibus prædicatur vnitas, & identitas numerica, necessarium non est in ipsis supponere materiam sigillatam quantitate, sed præcisè, & secundùm se sumptam: etenim non est maior ratio de illis, quàm de istis, cùm non minùs identitas numerica sumatur à materia, quàm identitas formalis, & specifica à forma.

D

Respondetur & primò ad primam rationem, quòd cùm eodem modo compositum substantiale materiale sit vnum, & indiuiduum, quo ens; bene sequitur contra aduersarios, quòd non sit vnum, & indiuiduum, nisi pariter sit ens indiuisum à se, & diuisum à quocunque alio, quod cùm importet aliquo modo diuisionem non potest dari absque beneficio quantitatis saltem sigillatæ, & designatæ, modo suprà notato. Quare licet beneficio materiæ secundùm se præcisè sumptę sit prædictum compositum substantiale, materiale quid; minimè verò vnum, & indiuiduum. Ad secundam verò rationem respondetur negando paritatem; & ratio disparitatis est; quia forma de se, & cum præci-

cisione sumpta est, determinata ad tribuendam hanc specificationem, potiùs quàm illam: quia tantùm est nata tribuere semper vnicam, & eandem. Cæterùm materia, si secundùm se, & præcisè sumatur non habet sufficientem determinationem ad tribuẽdam hanc potiùs indiuiduationem, quàm illam, ex eo quòd sic sumpta potest reperiri in pluribus indiuiduis: & ita oportet, quòd aliquo modo determinetur, & signetur per quantitatem ad hoc, vt sit principium, & radix huius indiuiduationis potiùs, quàm illius.

Obijcitur secundò; quoniam vnitas generica in his, de quibus dicitur, non minùs sumitur à materia, quàm vnitas numerica, cùm vtraque sit materialis: sed vnitas generica sumitur à materia præcisè secundùm se: ergo non est necesse, quòd prædicatum de eodem, & diuerso numero dicatur tantùm de his, quæ materiam participant quantitate signatam. Consequentia patet ex eo, quòd vtraque vnitas desumitur à materia, & eodem modo. Minor etiam liquet ex ijs, quæ suprà diximus disp. 3. q. 1. pro probatione nostræ conclusionis; disp. 52. q. 1. not. 1. & q. 3. not. 1. Maior verò probatur; quoniam talis vnitas sequitur genus, cùm sit propria rationis genericę: sed genus est quoddam materiale, & potentiale, cùm se habeat ad instar materiæ, & potentiæ respectu differentiarum specificarum: ergo etiam talis vnitas debet esse materialis, & potentialis.

Respondetur, quòd vnitas generica non est vnitas potentiæ physicæ, seu materię primæ, sed tantù n potentiæ metaphysicæ, scilicet indifferentiæ contrahibilitatis per hanc potiùs differentiam specificam, quàm per illam: quare non est necesse, vt supponat materiam vnde sumitur (modo tamen explicato locis citatis) quantitate signata, seu aliquo modo determinatam per hanc potiùs quantitatem, quàm per aliam, sed potiùs in sua latitudine, & illimitatione propter prædictam indifferentiam contrahibilitatis, cuius est vnitas: præcipuè cùm gradus genericus non sit vltimus gradus vltimo determinatus, sed alteriùs determinabilis per differentias specificas. Vnitas verò indiuidualis, siue numerica, est vnitas potentiæ physicę siue rei materialis vltimatè determinatæ, seu diuisæ vltima diuisione: quare non est mirum, quòd petat, tanquàm primam radicem, materiam; non quidem indifferentem, & indeterminatam, seu materiam secundùm se, & cum pręcisione iam dicta, sed eandemmet, vt aliquo modo signatam, & determinatam per quantitatem.

Obiicitur tandem tertiò, quoniam materia secundùm se præcisè considerata est incommunicabilis, eo modo, quo substantia prima, & ratio superior in suis inferioribus: ergo adhoc vt prædicatum de eodem, & diuerso numero affirmetur de rebus materialibus, sufficit, quòd eandem materiam præcisè secundùm se consideratam participent non autem signatam quantitate. Antecedens patet ex eo, quòd materia prima secundùm se præcisè sumpta est primum subiectum, & consequenter incommunicabilis alicui alij subiecto. Consequentia verò probatur; etenim quod primum, & potissimum est in indiuiduo vt tali, est etiam ratio omnimodæ incommunicabilitatis iam dictæ: sed materia prima, præcisè secundùm se sumpta est primum, & potissimum subiectum in indiuiduo, vt indiuiduum est; ergo ad hoc vt tale prædicatum affirmetur, &c.

A non est necesse, quòd materia supponatur quantitate sigillata.

Respondetur, quòd cùm incommunicabilitas tam primæ substantiæ, quàm rationis superioris existentis in suis inferioribus, licèt formaliter, & in recto importet aliquod positiuum, nempe indiuiduationem tamen in obliquo, & connotatiuè importat etiam aliquod negatiuum, nempe carentiam communicabilitatis: qua de re si attendatur paritas, & comparatio materiæ primæ præcisè sumptæ, cum negatiuo illo importato obliquè, & connotatiuè per primam substantiam, & rationem superiorem in suis inferioribus, concedendum est antecedens; siquidẽ materia prima nudè sumpta est incommunicabilis, & indiuidua tantùm negatiuè, cùm sit vna tantùm negatiuè. Si autem

B attendatur paritas, & comparatio earundem cum illo, quod de formali, & in recto importatur per primam substantiam, &c. negandum est antecedens. Et deinde etiam negari debet consequentia; ad cuius probationem dicendum est, quòd id, quod primum, & potissimum est in indiuiduo vt tali, non est incommunicabilitas negatiua, sed positiua, quæ proinde non potest prouenire à materia, nisi ipsa præsupponatur vna, & incommunicabilis vnitate, & incommunicabilitate positiua, atque adeò aliquo modo per quantitatem signata.

QVÆSTIO II.

C

Vtrùm prædicatum de eodem, & diuerso siue genere, siue definitione, vnde sumi solent loca dialectica ad terminandum eiusdem problema; possit à parte rei affirmari etiam de vna numero natura.

CVM natura, e.g. humana sub triplici statu considerari possit, abstractionis scilicet reflexæ, siue comparatiuæ, vt dum refertur ad indiuidua, à quibus supponitur abstracta; abstractionis simplicis, &

D præcisiuæ, vt dum ab ipsis abstrahitur; & tandem contractionis ad ipsa indiuidua, vt dum realiter ab omnibus participatur: certum, & indubitatum est ex dictis disp. 2. q. 1. de tali natura, vt concipitur sub statu abstractionis comparatiuæ posse prædicari idem, & diuersum tùm definitione, seu quod idem est, specie, tum genere, cùm per intellectum detur vnitas formalis specifica, vel generica, seu vt magis propriè, & distinctè loquamur, vniuersale quod dicitur genus, & vniuersale, quod dicitur species. Sicut non minùs certum est, atque indubitatum de tali natura, vt concipitur sub statu abstractionis præcisiuæ, seu secundùm se, & sua prædicata essentialia, posse prædicari idem, & diuersum tum specie, tum genere à parte rei saltem negatiuè, siue per non repugnantiam, cùm talis natura de se, & secundùm sua prædicata essentialia, non petat alio modo esse vnam, estò positiuè, specie, vel genere, siue vnitate formali vna, & eadem

non sit. At quia non ita certum, & clarum est, saltem prout ad præsens attinet, an de tali natura sub statu contractionis, & indiuiduationis considerata affirmari possit à parte rei prædicatum de eodem, & diuerso, siue genere, siue specie; cùm non satis certum sit vsque modò, an vnitas formalis, de cuius ratione est vnum siue specie, siue genere; positiuè, & realiter detur à parte rei, siue actu multiplicata in indiuiduis, seclusa omni operatione intellectus: hinc est, quòd titulus quæstionis, ex suppositione quòd tale prædicatum affirmetur de natura sub vtroque statu abstractionis concepta, quærit insuper, an etiam à parte rei prædicari possit de natura contracta, & indiuidua; seu vt est vna numero, & materialiter.

Prima sententia est negatiua, quam defendunt communiter Nominales, Ocham, scilicet p. p. Logicę cap. 16. in fine, & cap. 17. Aureolus in 2. dist. 9. q. 2. art. 1. 2. & 3. cum cæteris, quos sequuntur Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. Auersa q. 8. Logicæ sect. 6. Ioannes à S. Tho. 2. p. Logicæ q. 3. art. 3. Hurt. disp. 5. metaphys. sect. 9. atque alij, licèt non omnes eodem modo se explicent.

Secunda verò sententia est affirmatiua, quam defendunt ex Philosopho 5. metaph. text. 12., D. Tho. opusc. 42. cap. 7., Scotus in 2. dist. 3. q. 6. §. *Ad quæstionem, &c.*, & vnanimiter omnes eorum discipuli, vt testatur Suarez disp. 7. metaphys. sect. 1. n. 2. pro qua etiam sententia videri possunt Antonius Andreas 7. metaphys. q. 17. & Caiet. de ente, & essentia cap. 4. q. 6. vbi asserit hanc sententiam esse adeò manifestam, vt nullus sanæ mentis possit eam negare.

Notandum est ergo primò, tot esse præcipua genera vnitatum, quot diuisionum: carentia enim diuisionis, quæ saltem in obliquo indispensabiliter importatur ab vnitate, specificari, & cognosci debet per formam oppositam, nempe per diuisionem ipsam. Diuisio autem ex Caiet. de ente, & essentia cap. 4. q. 6. præcipuè duplex est, materialis, & formalis. Materialis est, quæ causatur per principia materialia, seu differentias indiuiduales, quæ quia sumuntur à materia dicuntur materiales. Formalis verò est, quæ causatur per principia formalia, seu differentias essentiales, quæ quia sumuntur à forma dicuntur formales. Per primam diuiditur quælibet species infima in sua indiuidua; per secundam verò diuiditur genus in suas species. Quapropter etiam vnitas erit duplex materialis vna, formalis altera; prima erit entitas carens diuisione materiali; secunda verò entitas carens diuisione formali. Quia verò in diuisione formali nullo cogitante intellectu est latitudo, ita vt talis diuisio per differentias formales, magis, ac magis communes haberi possit (Petrus enim nullo cogitante intellectu ampliùs differt à planta per differentiam sensibilitatis, quàm à Leone per differentiam rationalitatis, & magis differt à lapide per differentiam animalitatis, quàm à planta, & Leone per differentias animalitatis, & rationalitatis, &c.) etiam in vnitate formali ante omne opus intellectus erit admittenda prædicta latitudo, vt patet (siquidem Petrus nullo cogitante intellectu non solùm caret diuisione formali, quia est rationalis, sed etiam, quia est sensibilis, animatus, &c.) Et hinc est, quòd eadem, quæ sunt eadem, vel diuersa siue specie, siue genere, dicuntur eadem, vel diuersa vnitate, vel diuisione formali; cùm tam vnitas, & diuersitas specifica, quàm generica contineantur sub tali latitudine.

A

Notandum secundò; quòd vnitas materialis, seu numerica est maxima vnitas, quia excludit omnem diuisionem; quam tamen non excludit vnitas formalis immo hæc quantò magis est communis, & superior tantò minor est; vt patet in Petro e. g. vbi vnitas numerica est maxima quia omnem diuisionem excludit: vnitas verò formalis, qua est homo, est minor vnitate numerica, quia admittit diuisionem numericam, sed est maior vnitate formali, qua est animal, quia ex vi huius non excluditur diuisio formalis, nempè quòd sit hoc animal, scilicet homo. Et ratio est; quia vnitas est priuatio diuisionis, & è contrà, sed priuatio eò est maior quò minùs relinquit de forma opposita: quapropter vnitas numerica erit maxima, quia nihil relinquit de diuisione; & similiter vnitates formales etiam erunt maiores, quò minùs relinquent de diuisione, vnde quia in vnoquoque indiuiduo nullo cogitante intellectu sunt multi gradus superiores essentiales (constituitur enim Petrus à parte rei in esse hominis per rationale, in esse animalis per sensibile, in esse viuentis per animatum, & sic de aliis) consequenter in illo à parte rei sunt plures vnitates formales, vt dictum est pro numero graduum essentialium, sed sola ratione distinctæ, sicut etiam ipsi gradus: quia verò isti gradus sunt quasi partes vnius integræ essentiæ, quæ ex illis resultat; ex prædictis omnibus vnitatibus formalibus resultat vna vnitas formalis integra, & completa, quæ est extra conceptum vnitatis numericæ; nam differentia indiuidualis ex qua resultat, est extra essentiam rei; & sic plus differunt (modo tamen in sequenti quæstione explicando) vnitas formalis, & numerica, quàm illæ formales inter se.

B

C

Dicendum est ergo, quòd prædicatum de eodem, & diuerso, siue genere, siue specie, vnde loca dialectica sumi solent ad terminandam eiusdem problemata, etiam affirmari potest a parte rei de illa natura, quæ est numero, & materialiter vna.

Probatur primò ex Philosopho 5. metaphys. text. 12. vbi ait: *Semper itaque posteriora, præcedentia sequuntur: vt quæcunque numero, specie vnum; sed quæcunque specie, non omnia numero; sed genere omnia vnum, quæcunque, & specie; quæcunque verò genere, non omnia specie, &c.* quod etiam ratificare videtur hic cap. 1. his verbis; nempe *Specie, vel genere eadem, non necesse est eadem numero esse*; quæ verba sic explicat Auerroes ibidem; nimirum, *Quòd si commonstretur de re quòd sit vna numero, commonstratum est, quòd sit vna specie, aut genere; & si commonstretur, quòd esset vna specie, aut genere, non esset commonstratum ipsam esse vnam numero*; ergo prædicatum de eodem, & diuerso tam specie, quàm genere vnde sumi solent loca, &c. à parte rei affirmari potest de illa natura, quæ est vna numero & materialiter. Patet consequentia; nam ex dictis Philosophi, & Auuerrois, Petrus qui est vnus numero, nullo intellectu cogitante est etiam vnus homo, & vnum animal.

D

Probatur secundò ratione. Quoniam prædicatum prædictum affirmari potest a parte rei, de illa natura, quæ est vna vnitate formali, cùm idem specie, & genere spectent ad vnitatem, & diuisionem formalem, ex notatis primò loco: Sed natura illa, quæ habet vnitatem materialem, & numericam, habet etiam à par-

parte rei vnitatem formalem: ergo prædictum prædicatum nullo cogitante intellectu affirmari potest de natura habente vnitatem materialem, & numericam. Minor probatur; nam vnitas formalis est entitas indiuisa formaliter: sed natura numero vna, e. g. Petrus à parte rei, & nullo intellectu cogitante habet entitatem indiuisam formaliter (etenim sicut Petrus à parte rei non est diuisus in plures materias, seu indiuidua, ita non est diuisus in plures formas, seu essentias) ergo natura illa, quæ habet vnitatem materialem, & numericam, habet etiam nullo intellectu cogitante vnitatem specificam, & genericam.

Respondent Aduersarij negando minorem; ad cuius probationem dicunt Petrum habere prædictam entitatem indiuisam formaliter tantùm per accidens, seu per aliud, nempe per entitatem indiuisam materialiter: nam Petrus à parte rei per ipsam vnitatem numeri eam non solùm caret diuisione materiali, sed etiam formali, & consequenter non solùm non diuiditur per eam in plura indiuidua, verùm etiam nec in plures formas.

Contra tamen est; quòd principia materialia prout sic; cùm ex dictis desumantur à materia prima tanquàm à prima radice, non possunt causare distinctionem essentialem, cùm hæc necessariò causetur per principia formalia, quæ à forma; tanquàm à prima radice desumuntur: ergo licèt Petrus entitatiuè, quatenus scilicet vnitas numerica, & formalis identificantur in ipso, per vnitatem numericam careat etiam diuisione formali; minimè verò formaliter, quatenus scilicet prædictæ vnitates formaliter per intellectum distinguuntur, vt dicetur infrà; Etenim hic non est quæstio, an à parte rei prædicatum de eodem, & diuerso siue specie, siue genere vt tales vnitates identificantur cum numerica, conueniat naturis indiuiduis ante operationem intellectus (nam circa hoc vix dubium esse potest) sed an conueniat prædictis naturis à parte rei, vt est etiam ab entitate numerica aliquo modo distinctum; seu, quod idem est, vt importat vnitates ab vnitate numerica aliquo modo distinctas.

Obijcitur in oppositum primò; quoniam à parte rei Petrus e. g. neque est species, neque genus, cùm vniuersale formale non detur à parte rei, vt dictum est supra disp. 2. q. 1. ergo neque à parte rei ipsi conuenire potest prædicatum de eodem, & diuerso genere. Probatur consequentia: quoniam non minùs tale prædicatum secum affert, denominationes secundæ intentionis, quàm genus, & species, quorum est annexum, cum tantùm importet identitatem, & distinctionem, seu diuersitatem eorundem: ergo si genus, & species à parte rei non dantur, neque naturæ conueniunt; neque idem, & diuersum specie, aut genere naturæ indiuiduę à parte rei conuenire poterit.

Respondetur, quòd hic non accipitur genus siuè species, seu idem genere, & specie logicè; hoc est pro natura formaliter vniuersali, aut vnitate, & diuersitate eiusdem; sed pro diuersis gradibus metaphysicis, vt important vnitatem, vel diuersitatem formalem; in quo sensu ea etiam accepit Philosophus locis citatis, vt patet; nam vtrunque dicit carentiam, seu entitatem carentem diuisione formali, in quo consistit tota ratio vnitatis formalis, quæ est proximum fundamentum ex parte naturæ respectu vnitatis specificæ, seu genericæ; vnde communiter appellari solet funda-

A mentaliter generica, seu specifica. Quare neganda est consequentia, ad cuius probationem dicendum est, quòd prædictum prædicatum, licèt ex ea parte, qua, propter penuriam vocabulorum componitur nominibus secundarum intentionum, secum afferat denominationes rationis; attamen vt connotat diuersos gradus metaphysicos, & reales secum affert denominationes reales, cùm realiter Petrus, etiam nullo intellectu cogitante, non solùm sit vnum indiuiduum naturæ humanæ; verùm etiam vnus homo, qui significatur per nomen speciei, & vnum animali, quod significatur per nomen generis.

Obijcitur secundò quoniam prædicatum de eodem, & diuerso siue genere, siue specie, etiam vt importat vnitatem, & diuersitatem formalem, non importat

B aliquid reale: ergo à parte rei nequit affirmari de natura indiuidua. Consequentia patet. Antecedens verò probatur; quoniam vnitas formalis, sicut & numeralis; cùm sequantur ens, debent esse eiusdem rationis cum ipso, itaut si est reale, eius vnitas sit realis; si verò rationis, eius vnitas sit rationis: sed vnitas numeralis sequitur ens reale; ergo vnitas formalis sequetur ens rationis; cùm tantùm sint genera entitatum, & non plura, videlicet realis, & rationis, vt in Metaphysicis dici solet.

Respondetur negando antecedens: ad cuius probationem negatur minor; quoniam cùm in vnoquoque ente reali materiali reperiantur à parte rei principia materialia, & formalia; non tantùm vnitas materialis, & numerica, vtpote desumpta ex principijs materialibus, ipsum sequetur, sed etiam vnitas formalis

C ex principiis formalibus eiusdem proueniens. Quare prædicta vnitas formalis, non est passio entis rationis nisi accipiatur logicè pro vnitate scilicet, & diuersitate harum secundarum intentionum, nempe speciei, generis, &c. Cuius signum patens, & manifestum est, quòd prædicta vnitas, non est aliquid commune, siue vniuersale, sed aliquid particulare, siue singulare, vtpote coniuncta cum vnitate numerica in vnoquoque indiuiduo; cum omnia, quæ à parte rei sunt in indiuiduis, sint singularizata, nihilque à parte rei commune sit.

Obijcitur tandem tertiò, quoniam vnitas, vel diuersitas, quæ ast à parte rei, non sequitur ad rationes formales etiam reales, quas noster intellectus formare potest de vnoquoque; sed prædicatum de eodem, &

D diuerso siue genere, siue specie sequitur modo explicato ad tales rationes formales; vt dictum est superiùs; ergo prædictum prædicatum nequit à parte rei affirmari de natura indiuidua, quamuis considerata secundùm sua principia, & secundùm tales rationes formales. Maior, in qua viget difficultas, sic probatur; etenim prædictæ rationes formales non faciunt, quòd id, de quo dicuntur, & affirmantur, à parte rei sit plura entia, siue plura vna; ergo vnitas, qua aliquod ens reale materiale est à parte rei vnum, non sequitur ad tales rationes formales, sed tantùm ad rationes materiales, & indiuiduales; & consequenter à parte rei tantùm affirmabitur de ente materiali, & reali prædicatum de eodem, & diuerso numerò; minimè verò prædicatum de eodem, & diuerso, siue genere, siue specie.

Respondetur negando maiorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt prædictæ rationes for-

formales non faciant, quòd id, de quo dicuntur, à parte rei sint plura entia, & plura vna propter identitatem, quam important à parte rei inter se, (non enim ab inuicem distinguuntur realiter ex statim dicendis) tamen faciunt, quòd id, quod tantùm à parte rei dicebatur vnum materialiter, dicatur etiam vnum, & idem formaliter.

QVÆSTIO III.

An vnitas formalis, dum à parte rei prædicatur de natura indiuiduali, distinguatur actualiter ex natura rei, vel potiùs ratione ratiocinata ab vnitate materiali, & numerica eiusdem.

Difficilè quidem, loca distincta ad terminanda problemata tum de eodem, & diuerso formaliter, tum de eodem, & diuerso materialiter, poterimus inuenire si qualitatem, inter ipsas distinctionis vnitates repertam, penitus ignorauerimus: qualitas enim distinctionis rerum diuersitatem à primis, & fontalibus principijs omnino manifestat. Quare suppositis omnibus illis, quæ de distinctionibus ex dictis disp. 55. q. 1. tradita sunt; quæritur modò an tales vnitates, quæ à parte rei, vt probatum est suprà, possunt esse prædicatum vnius, & eiusdem naturæ indiuiduæ, ex quo desumenda sunt loca dialectica problematum de eodem, & diuerso terminatiua, inter se actualiter ex natura rei, vel potiùs ratione ratiocinata tantùm distinguantur.

Vnde Titulus quæstionis hoc tanquam certum, & indubitatum videtur supponere, nimirum inter prædictas vnitates non intercedere distinctionem illam realem extremam tanquam rei à re; neque extremam illam ex libito intellectus nullo habito fundamento à parte rei; nam cùm gradus metaphysici, vnde tales sumuntur vnitates, inter se non distinguantur realiter tanquam res à re (quidquid dicant Auerroistæ) neque omninò per intellectum absque vllo fundamento à parte rei, vt dicendum est suo loco (quidquid dicant Nominales, & Neutrales eorum affeclæ) consequenter eorundem vnitates non erunt prædicto modo in vna, eademque numero natura distinctæ; etenim vnũ sequitur id, cuius est vnum, vt passio essentiam. Quare videtur duntaxat titulus dubitare, an aliqua ex illis distinctione, quæ appellantur mediæ, nempe vel actualiter ex natura rei; vel ratione ratiocinata distinguantur.

Prima sententia docet prædictas vnitates in vnica, & eadem natura identificatas distingui inter se actualiter ex natura rei, nullo adhibito intellectus auxilio. Ita videntur asserere omnes illi, qui cum Scoto 2. sent. dist. 3. q. 1. & sequenti; quodlib. 2. & 7. metaph. q. 16. defendunt naturam, & singularitatem inter se distingui actualiter ex natura rei ante omnem operationem intellectus, vt Tatar. q. 1. prædic. dub. 2. & 3. & in 2. dist. 3. q. 1. vbi Lichet. & alij expositores.

A Ant. And. 7. Met. q. 16. Ponc. disp. 3. log. q. 5. Ponf. 3. Met. cap. 6. q. 3. sect. 2. & q. 5. per totam. Piccolom. lib. 1. de anima comm. 8. & multi alij, quos referunt, & sequuntur Mast. & Bellut. disp. 9. Met. q. 3.

Secunda verò sententia, è contrà docet prædictas vnitates tantùm distingui inter se ratione ratiocinata. Ita videntur asserere omnes illi, qui cum D. Tho. cap. 3. de ente, & essen. atque alibi, defendunt naturam, & singularitatem in vno, & eodem supposito inter se distingui tantùm ratione ratiocinata, vt Caiet. de ente, & essen. q. 5. & p. p. q. 5. art. 6. Soncin. 7. Met. q. 3. Suar. disp. 5. Met. sect. 2. n. 9. Auersa q. 9. suæ philos. sect. 10. & sequen. Ruu. in Log. q. 8. vniuer. Sanch. ibidem q. 32. Moris. disp. 1. log q. 5. art. 2. Ouied. contr. 4. Met. punc. 3. Hurtad. disput. 5. Met. sect. 2. & 3. Compl. disp. 3. Log. q. 4. Ioann. B à S. To. q. 3. vniu. art. 6. Arriag. disp. 5. Log. sect. 1. sub sect. 2. & alij quamplures.

Notandum est ergo pro resolutione difficultatis, quòd cùm vnitas saltem de connotato, & in obliquo importet carentiam, & priuationem, vt proportionabiliter, loquendo de incommunicabilitate primæ substantiæ, dictum est suprà q. 1. ad 3. si consideretur in hoc sensu; vt scilicet talem importat carentiam, & priuationem; tota distinctio, seu ratio distinctionis inter vnitates petenda erit ex diuersitate, & distinctione diuisionum, quarum est carentia, & priuatio (negationes enim, & priuationes regulantur ad modum formarum, quas negant, quibusque priuant) diuisio ergo materialis, & numerica differt, & distinguitur à formali omnino C realiter, saltem negatiuè (supponuntur enim identificatæ in vna, & eadem natura indiuidua, aliter distinguerentur quidem realiter positiuè) cùm inter se distinguantur specie: siquidem diuisio formalis est verè essentialis, vtpote desumpta à forma: materialis quodammodò ad accidentalem pertinet, veluti desumpta à materia signata quantitate, quæ est accidens; quare valdè cautè, & consideratè dictum est superiùs, quæstione antecedenti, notando secundò, plùs differre vnitatem formalem à numerica, quàm formales inter se, cùm omnes vnitates formales sint eiusdem speciei, vtpote à principijs, & rationibus tantùm formalibus desumptæ. Quia verò non consideratur hic vnitas, quatenus de connotato, & in obliquo importat carentiam, & priuationem, cùm sumatur in D esse proprietatis, seu passionis ipsius entis, siue sumatur à principijs materialibus, siue à formalibus, & essentialibus eiusdem; nam vnitas transcendentaliter sumpta, de formali importat aliquòd positiuum, nempe ipsum ens, non quidem sub conceptu entis, sed secundùm quòd importatur per modum fundamenti negationis diuisionis; est enim proprietas, & passio alicuius realis positiui, & consequenter debet esse realis, & positiua, siue eiusdem rationis cum ipso: idcirco non à diuisione, seu carentia ipsius, quam formaliter non important, sed aliunde desumenda est inter prædictas vniones, distinctio, ad inuicem identificatas in vna, & eadem indiuiduali natura, nempe ab intellectu distinguente plures gradus, ac formalitates, quæ à parte rei sunt vnum, & idem, vtpote non valente clarè, & distinctè concipere omnes simul.

Dicendum est ergo, quòd vnitas formalis dum à parte rei prædicatur de natura indiuiduali, non distin-

guitur

guitur actualiter ex natura rei ab vnitatè materiali, & numerica eiusdem naturæ; sed tantùm ratione ratiocinata.

Probatur; nam differentia indiuidualis, & natura, in eodem supposito non distinguuntur actualiter ante intellectum: ergo neque earum vnitates, quæ inde sumuntur; & consequenter tantùm distinguuntur ratione ratiocinata. Hæc vltima consequentia patet à sufficienti distinctionum enumeratione: quoniam præter distinctionem rationis ratiocinatæ, omnes aliæ exclusæ sunt. Prima consequentia etiam patet; quoniam vnitas sequitur naturam eorum, quorum est vnitas, & vnde consurgit, vt constat ex nuper dictis. Antecedens autem, licèt directè non spectet ad præsentem difficultatem, tamen aliquo pacto probari debet, ne fundamentum nostræ rationis, omnino videatur supponi, & nullo modo probari. Itaque sic ostenditur: quoniam illud quod indiuiduum, seu differentia indiuidualis addit supra naturam, non est aliquid ab ipsa à parte rei distinctum; etenim si esset aliquid distinctum, sequerentur duo absurda: primum, quòd natura à parte rei haberet vnitatem formalem positiuam communem multis, siue vniuersalem: supposita enim illa distinctione, nec natura, nec ipsius vnitas haberent inter se vnde multiplicarentur, vt liquet; atque ita nec ab indiuiduis, nec à differentijs indiuidualibus multiplicarentur, cùm essent quid extrinsecum, & à parte rei distinctum. Sicuti, quia materia prima est distincta realiter à forma, & habet suam propriam unitatem, propterea talis unitas non multiplicatur per aduentum, & uariationem formarum, sed semper manet eadem numero. Secundum verò absurdum, quod sequeretur esset, quòd natura communis esset separata, vel saltem separabilis: nam licèt vnita cum differentijs indiuidualibus, remaneret tamen in se vna actu uniuersalis, ratione illius unitatis formalis; ac proinde ad minùs de potentia absoluta posset separari à singularibus, atque ita daretur uniuersale separatum, quod haberet unitatem formalem positiuè communem multis, & incideretur in sententiam Platonis de uniuersali separato, quam Philosophus, & cum eo omnes Peripatetici communiter reijciunt 1. 7. & 13. Met. & 1. Ethic. cap. 6. & 1. Post. text. 145. ergo differentia indiuidualis, & natura in eodem supposito non distinguuntur actualiter ante intellectus operationem.

Respondent communiter Aduersarij, negando antecedens; & ut suam mediam statuent distinctionem ex natura rei, diuersas rationes, ac varias adducunt instantias; quæ, cùm modò quæstio sit tantùm, qua distinctione unitas formalis distinguatur a natura indiuiduali, dum à parte rei de ipsa prædicatur; minimè uerò de ipsa distinctione actuali ex natura rei, an detur scilicet, uel repugnet; utique non faciunt ad rem; quare meritò relinquuntur.

Obijcitur primò in oppositum: nam, quæ distinguuntur definitione, non per intellectum, sed actualiter saltem ex natura rei distinguuntur; at prædictæ unitates sunt huiusmodi: ergo non distinguuntur ratione ratiocinata, sed actualiter ex natura rei. Consequentia cum minori patet: siquidem unitas formalis est entitas carens diuisione formali; & unitas materialis est entitas carens diuisione materiali. Maior uerò probatur: etenim, quæ distinguuntur definitione, habent plures & diuersas essentias, nullo intellectu cogitante, sed actualiter ex natura rei distinguuntur: ergo, quæ distinguuntur definitione, non per intellectum, sed actualiter ex natura rei debent distingui.

Respondetur, quòd si definitio tradatur de re secundùm id, quod est à parte rei, verum est, illa distingui à parte rei, quæ habent diuersas definitiones: nam habent à parte rei diuersas essentias, vt patet de definitione hominis, & equi. Si autem definitio tradatur de re secundùm quòd diuersimodè tantùm apprehenditur, & concipitur ab intellectu, cùm intellectus possit apprehendere vt distincta, quæ realiter, & à parte rei sunt vnum, vt contingit in præsenti materia; tunc falsum est, quòd à parte rei distinguantur, quæ differunt definitione; nam secundùm diuersas rationes formales de eadem re possunt dari diuersæ definitiones.

Obijcitur secundò; quoniam vnitas formalis, & vnitas numerica fundant relationes realiter, & specificè diuersas; nam supra vnitatem formalem fundatur ralatio similitudinis, siue identitatis in natura; supra vnitatem verò numericam fundatur relatio diuersitatis indiuidualis: ergo ex natura rei istæ vnitates actualiter distinguuntur.

Respondetur, quòd licèt eadem entitas à parte rei, non possit fundare in vnico subiecto plures relationes solo numero distinctas, etiam respectu diuersorum terminorum, vt dictum est suprà disp. 15. q. 2. not. 1. & alibi; bene tamen poterit fundare plures relationes specificè diuersas; eadem enim quantitas bicubita, est æqualis respectu alterius bicubitæ, & inæqualis respectu tricubitæ; & huiusmodi sunt relationes adductæ in argumento, vt dictum est loco citato.

Obijcitur tandem tertiò; quia indiuiduum ante operationem intellectus addit aliquid reale supra naturam specificam, ratione cuius conuenit illi negatio diuisionis materialis: ergo illud superadditum distinguitur à natura, aliqua distinctione actuali ante operationem intellectus. Probatur consequentia; etenim non potest intelligi additamentum, absque actuali distinctione: sed additamentum est ante operationem intellectus: ergo etiam distinctio. Cùm autem ad illud additamentum sequatur vnitas numerica, sicut ad naturam vnitas formalis; planè videtur colligi, tales vnitates distingui actualiter ante omnem operationem intellectus.

Respondetur, quòd licèt differentia numerica sumatur à principio realiter distincto; ipsa tamen non est realiter distincta à natura, sed est ipsa natura facta hæc per ordinem ad principium indiuiduationis: quare si additamentum propriè sumamus, per differentiam numericam nihil realiter additur naturæ. Dicimus tamen naturam contrahi per additamentum differentiæ indiuidualis, quia quodlibet augmentum, seu mutationem etiam rationis apprehendimus, & nominamus ad modum augmenti quantitatis, quod fit per additamentum.

Manet tamen pro corollario huius disputationis tantùm exemplificare quomodò per loca à prædicatis de eodem, & diuerso desumpta terminari queat eorundem prædicatorum problemata, quæ cùm in duplici sint differentia videlicet vel vt considerantur secundùm se, & absolutè, uel ut considerantur per ordi-

ordinem ad problemata generis, & definitionis, quorum sunt annexa; duobus etiam modis de eorum terminatione per locos tum intrinsecos, tum extrinsecos, & medios, exempla tradere debemus. Quapropter si accipiantur hoc secundo modo, eadem loca, ipsa terminabunt, per quæ ipsorum principalia, ex dictis pro singulis problematibus, terminata sunt, additis tamen huiusmodi terminis, *Idem* scilicet, & *Diuersum*. Terminandum sit, e. g. illud problema de genere, *An Prudentia sit virtus*; vbi ex dictis per locum à partibus ad totum, ita terminabitur, nempe Aristocratia est virtus: ergo & Prudentia; tantùm addendum est, Aristocratia est idem genere cum virtute: ergo & Prudentia. Similiter, si terminari debeat hoc problema de definitione, *An corruptio sit dissolutio substantiæ*, vbi, ex dictis per locum à specie ad genus, ita terminabatur, nempe corruptio ligni, est dissolutio substantiæ ligni: ergo corruptio vt sic, est dissolutio substantiæ; tantùm addendum videtur, corruptio ligni, est idem definitione cum dissolutione substantiæ: ergo, & corruptio vt sic, atque ita de cæteris per additionem alterius termini, scilicet *Diuersum*.

A

Si verò talia prædicata de eodem, & diuerso accipiantur absolutè, & secundùm se; satis erit exprimere prædictos terminos, *Idem* scilicet, & *Diuersum*, absquè eo, quòd addatur genere, aut specie. Proponatur e.g. huiusmodi problema, videlicet *An Prudentia, & Virtus sint idem*: vtique per locum intrinsecum, e. g. à partibus simul integralibus, & subiectiuis ad suum totum simul integrale, & vniuersale rectè terminabitur, si dicatur Prouidentia, & Virtus sunt idem: ergo & Prudentia. Item rectè terminabitur idem problema per locum extrinsecum, e.g. ab oppositis, si dicatur, Imprudentia, & vitium sunt idem: ergo Prudentia, & virtus erunt idem. Tandem per locum medium, e.g. a coniugatis, & casibus; optimè terminabitur idem problema, si dicatur, Prudens, & virtuosus sunt idem: prudenter agere, & virtuosè agere pariter sunt idem: ergo Prudentia, & virtus erunt idem.

B

LIBER OCTAVVS TOPICORVM,

EIVSQVE SYNOPSIS.



DVO præcipuè ad dialecticam disputationem, ex dictis, necessaria omnino esse, facilè colligere potuimus, quorum alterum ad inuentorum dispositionem referri videtur. Primum, quod ad inuentionem spectat est, vt Dialecticus habeat copiam argumentorum ad proposita problemata: secundum, quod ad inuentorum dispositionem refertur est, vt sciat ordinatè interrogare, seu arguere, & respondere. De primo, Aristoteles, & nos cum eodem, egimus vsque modò; de secundo autem erit sermo in hoc vltimo, & octauo libro, in quo ex professo traditur ars disponendi, ac proponendi ea, quæ sunt inuenta.

Liber iste secundùm Latinos, diuiditur in quatuor capita, in quorum primo; post quàm Aristoteles præmisit officium Dialectici, quod est, priùs loca, & problemata inuenire; deinde, ipsa apud se ordinare; tandem secùm disputanti proponere; ac similiter post quàm præmisit eiusdem Dialectici comparationem cum Philosopho, agit de quatuor generibus propositionum non necessariarum, quæ vltra propositiones necessarias sumuntur ab ipso Dialectico; nimirum de propositionibus inductiuis ex pluribus singularibus aliquod vniuersale, vt cùm dicitur, homo habet os, leo habet os, canis habet os vnde sumunt cibum, & sic de cæteris: ergo omnia animalia habent os: de ampliatiuis per superflua ipsam orationem, vt cùm dicitur, voluptas est secundùm naturam; quod est secundùm naturam est eligibile; quod est eligibile est honestum: ergo voluptas est quid honestum: de celatiuis conclusionum, aut præmissarum, vt dum aliquid probatur ex remotis, dicendo e. g. anima cognoscit: ergo est immortalis: etenim per immediata, anima immortalis probatur, quia se ipsam mouet; ac proinde se ipsam mouet, quia cognoscit, &c. Tandem de explicatiuis per exempla, aut similitudines non necessarias, vt cùm dicitur; idem visus est albi, & nigri; idem tactus est calidi, & frigidi; idem auditus est grauis, & acuti; idem gustus est dulcis, & amari: ergo paris, & imparis, est eadem ratio, & disciplina: etenim procedendo per necessaria, satis erat dicere, contrariorum est eadem disciplina: ergo & paris, & imparis.

C

D

Deinde vlteriùs prosequitur, tradendo quindecim præcepta, siue loca pro sumendis propositionibus celatiuis, quæ in hoc præcipue videntur consistere, vt respondens, difficilè possit venire in cognitionem illarum conclusionum, & præmissarum, quæ sunt intentæ ab arguente, & consequenter nesciat, quas earum negare debeat.

In secundo capite docet quomodò propositiones amplificandæ, & explicandæ sunt, quod declarat exemplis adductis superiùs. Deindè, tradit præcepta argumentandi per inductionem, vel syllogismum, atque interrogandi, & sumendi propositiones necessarias. Tandem explicat, quæ nam propositiones sint facilè, aut difficilè argumentabiles, aut defendibiles; & concludit, quòd propositiones, quæ difficilè impugnantur, vt sunt prima principia; vltimæ conclusiones

siones, seu valdè distantes à primis principijs; conclusiones immediatè sequentes ad prima principia; conclusiones, quæ continent nomina de quibus non patet an dicantur vniuocè, an multipliciter, an propriè, vel metaphoricè; ac propositiones omnes, in quibus non bene assignata est definitio terminorum; sunt etiam, quæ facilè defenduntur, & è contrà.

In tertio verò capite agit de responsione, ac tradit præcepta bene respondendi; circa quod, quinque facit: nam primò explicat quid sit munus arguentis, & respondentis in disputatione dialectica. Secundò distinguit varia genera propositionum, quæ possunt à respondente sustineri, ac tradit præcepta, tales positiones bene defendendi. Tertiò assignat præcepta bene respondendi ad interrogationes, & ad propositiones, quæ ab aduersario assumuntur. Quartò tradit B præcepta respondendi ad argumenta ex inductione, & explicat quo pacto debeat quis se præparare ad deputationem, & quas positiones debeat eligere ad defendendum. Quintò tandem tradit præcepta respondendi argumentis ex syllogismo, & exponit quo pacto syllogismi soluantur, vel saltem contrà instetur, non afferendo solutionem.

In quarto demum, & vltimo capite, quinque præcipuè facit. Primò agit de modis, quibus potest impediri, ne arguens concludat intentum. Secundò ostendit non esse idem, quòd aliqua ratiocinatio sit mala, ac reprehensibilis secundùm se, & quòd sit mala, & reprehensibilis relatiuè ad arguentem. Tertiò assignat ex quibus capitibus ratiocinatio sit reprehensibilis tum secundùm se, tum relatiuè ad problema, siue ad arguentem. Quartò verò loquitur de modis, qui- C bus ratiocinatio est perspicua, vel falsa; ac de modis, quibus petitur principium, vel contrarium. Quintò denique tradit duodecim præcepta de exercitatione Dialectica. Et hæc satis circa Synopsim octaui, & vltimi libri Topicorum.

DISP. QVINQVAGESIMA SEPTIMA

De Modis, quibus in disputatione dialectica, Interrogans, siue Arguens debet procedere.



Espondentis officium, estò non paucas patiatur difficultates, ideòque Philosophus hoc in libro, opportuna tribuerit præcepta, quæ nos superiùs lib. 3. nostrarum Institutionum cap. 10. compendiariè iam insinuauimus; nihilominus, quia Dialectica percontatrix est, & totam vim habet ab interrogatione ex 1. de reprehensionibus Sophistarum, cap. 11. satis ad præsens erit, si munus Interrogantis duntaxat explicauerimus, præsertim cùm apud Erasmum in adagijs testetur Plutarchus, accuratè volenti respondere, mentem interro- A gantis perdiscere, sufficere omnino; ne saltem illud sequatur proloquium; *Falces petebam, at hi ligones denegant*. Cætera verò, quæ Interrogantis intentum impedire valent, & consequenter, ipsimet Interroganti à Respondente improperari solent, nempe propositionum falsitas, ac dubietas; principiorum petitio, ac contrarietas, iam superiùs, tum in lib. Periherm. tum Prior. tum Poster. examinata, atque explicata manent. Quare nostrum tantùm erit, hic agere de modis, quibus in disputatione dialectica debet Interrogans procedere, vt victoriam consequatur. Hi autem modi, ex Philosopho cap. 2. huius, duo præcipue habentur, syllogismus scilicet, & inductio; cum hoc tamen discrimine, quòd *Vtendum* (vt verba ipsius Aristotelis afferamus) *in discurrendo quidem syllogismo ad Dialecticos magis, quàm ad multitudinem: inductione verò contrà, ad multitudinē magis, &c.* At quia syllogizando, & inducendo, etiam procedunt Demonstrator, & Sophista; disputandum videtur, an eodem, vel potiùs diuerso modo ab illis procedat Dialecticus, seu Interrogans vt sic, in dialecticis disputationibus.

QVÆSTIO I.

Vtrum in congressibus, ac dialecticis disputationibus sit vtile arguere ex hypothesi impossibili.



VIA omnis dialectica disputatio explicandæ, cognoscendæque veritatis gratia suscipitur; propria sanè talis disputationis ratio in argumentando, & respondendo omnino cernatur, necesse est: veritas enim, non meliùs quàm conferendo cùm altero sermonibus, ac rationibus elicitur, cùm nimirum alter nititur pro viribus, propositum defendere, alter autem impugnare. Duobus quippe modis in arguendo, ex Philosopho 1. Prior. cap. 30. & 40. & 1. Post. cap. 22. tex. D 41. syllogismo (vt ab ipso tanquam à digniori sumamus principium, inductionem ad sequentem reseruantes quæstionem) aliquid probatur, directè scilicet, & ex hypothesi. Primo modo iam patet ex dictis tum in lib. Prior. tum Post. atque in istis Topic. quare hic tantùm secundo modo erit talis probatio examinanda. At quia hypothesis, alia possibilis, alia impossibilis est; relicta possibili, vtpote facilioris negocij, de impossibili, quæ maiorem expetit discussionem, quærimus in præsenti, an ex ea aliquid vtiliter, & fructuosè, argumentando inferatur; ac probetur.

Prima sententia est negatiua, quam defendunt omnes illi, qui talem argumentandi formam vndequaque reijciunt, vt Godef. quodl. 7. q. 4. quemadmodùm refertur in margine Scoti 1. sent. dist. 11. q. 2. § *Hic dicitur*, &c. Aureol. eadem dist. q. vnica, vbi etiam Greg. q. 1. art 2.

Secunda verò sententia est affirmatiua, quam è contra

trà defendunt omnes illi, qui talem admittunt argumentationem, vt D. Tho. pluribus in locis, sed præcipuè p. p. q. 136. art. 2. vbi probat, contra Græcos, Spiritum Sanct. procedere à Filio ex hypothesi impossibili dicendo quòd si Spiritus Sanct. non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso. Scot. loc suprà citato, & alibi; vbi communiter omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd aliud est quærere an dato quòd secundùm rem, separetur ab indiuiduo, e. g. Petri, esse risibilem, tunc remaneret secundùm rem idem numero homo, sicut erat priùs ante talem separationem: aliud verò est, an possit hic numero Petrus concipi, non concepta risibilitate, & manere formaliter, & indiuidualiter homo. Primum enim non est probandum, neque defendendum, cùm non liceat hoc pacto syllogizare; ratio enim est, quia secundùm rem, tam risibile in ipso Petro includit hominem, quàm homo, risibile; cùm à parte rei, entitatiuè, & identicè idem sint, & consequenter secundùm prædictos conceptus totales, & adæquatos, sequerentur contradictoria ex vtraque parte illius hypothesis, Petri scilicet, vt risibilis, & non homo (Petrus enim, vt risibilis, esset, & non esset homo: sicut Petrus vt homo, esset & non esset risibilis) quare prædicta suppositio impossibilis non consisteret, sed se ipsa destrueretur; & ex hypothesi non consistente, iuxta regulas adductas in appendice q. 3. disp. 31. non valet syllogizatio. Secundum autem, omnino sustineri, & probari potest, cùm licitum sit ex tali hypothesi syllogizare: nam cùm risibile, & homo sint duo conceptus inadæquati ipsius Petri ita considerati, ac præconcepti, quorum vnus saltem, non est de essentia alterius, non sequuntur illa duo contradictoria per locum intrinseca, & essentialia; nempe quòd Petrus sit risibilis, & non sit risibilis, & quòd sit homo, & non sit homo, sed tantùm sequeretur, quod esset risibilis, & esset homo; quod secundùm diuersos conceptus inadæquatos, quorum vnus non est de essentia alterius, nullam secum affert implicantiam. Quapropter in hoc secundo sensu, tantùm sequetur vna pars contradictionis per locum intrinsecum, nempe affirmatiua, scilicet Petrum esse hominem: negatiua verò, quæ est non esse hominem per locum extrinsecum (colligitur enim talis negatiua per non esse risibile, quod est extrinsecum, & accidentale) nunquam verò vtraque per locum intrinsecum, quemadmodùm sequeretur in priori sensu; cùm à parte rei, & vt de facto existit, non minùs intrinsecum sit Petro esse hominem, quàm esse risibilem. Cæterum, vt ex hypothesi impossibili disputetur vtiliter aliqua quæstio, satis est quòd ex ea non sequantur duo contradictoria per locum intrinsecum, siue per essentialia vtriusque partis prædictæ hypothesis, licèt aliàs, saltem vnum necessariò sequatur; vel si duo, vnum per locum intrinsecum, aliud verò per extrinsecum, vt colligitur ex regulis citatis; nam eo ipso scitur quænam sit proprietas, & formalis ratio alicuius effectus, aut quasi effectus, quod vtique est id, quod vltimatè intendit Dialecticus in suis concertationibus.

Notandum secundò, quòd ad hoc, vt facilè, ac breuiter percipiamus quando ex impossibili suppositione liceat, vel non liceat arguere, hoc solet planè, ac compendiariè apponi signum, videlicet, quòd acceptâ hypotheticâ prædictæ categoricæ æquipollente,

A attentè consideremus, si hæc vtiliter disputari possit, nec ne; si primum, etiam ex hypothesi cui æquipollet, vtiliter disputari poterit: si autem secundùm, nequaquam. Etenim propterea hæc propositio, e. g. Si homo haberet alas, posset volare, vtiliter disputatur, quia habet hanc categoricam, Omne quod habet alas, potest volare, quæ vtiliter disputatur. Constat autem; prædictam propositionem continentem hypotheticam impossibilem, æquiualere huic categoricæ, Omne quod habet alas, potest volare, cùm easdem habeat terminorum proprietates; siquidem ly, *Si homo*, vtpote terminus communis in materia impossibili, potest extendi secundùm exigentiam prædicati ad maiorem suppositionem, omnium scilicet indiuiduorum cuiuscunque speciei, alas habentium, aut habiturorum, sicut de facto significat ly *Omne quod habet alas*.

B Quare si è contra sumatur hæc categorica, Quod non est animal, est animal, quæ æquiualet isti hypotheticæ, nimirum Si aliquid non esset animal, esset homo; sicut ex illa omnino inutiliter syllogizatur, ita ex ista inutiliter syllogizabitur.

Dicendum est ergo, quòd in dialecticis congressibus, siue disputationibus, vtiliter omnino ex hypothesi impossibili arguitur. Probatur; quoniam in dialecticis disputationibus tunc vtiliter disputatur, quando disputando adinuenitur ratio formalis, & essentialis rei; ac prædicata essentialia, & intrinseca eiusdem, ab accidentalibus, & extrinsecis distinguuntur; sed hoc optimè habetur in dialecticis disputationibus per argumentationem ex hypothesi impossibili: ergo ex ipsa omnino utiliter disputatur. Maior patet ex Philoso-

C pho 1. Topic. cap. 2. vbi, ut dictum est supra in proœmio horum librorum, habetur quòd Dialectica non tantùm inseruit exercitationibus, & colloquijs dialecticis, verùm etiam veritati indagandæ, quod tunc apprimè fit, quando diuidendo, & separando essentialia ab accidentalibus, aut eadem inter se cōparando, cognoscimus in quo consistat ratio formalis, & essentialis ipsius rei: nam hæc est tota ratio veritatis formalis, ex dictis disp. 21 per totam. Minor verò sic probatur. Etenim rationem formalem, & essentialem, illam esse colligimus alicuius rei, quam ab eadem ac nullo pacto concipere possumus separabilem; sed ex hypothesi impossibili, hoc optimè colligimus: siquidem data hypothesi, quòd Petrus e. g. non esset animal, si tamen adhuc esset homo; optimè collige-

D remus, animal non esse prædicatum essentiale neque respectu Petri, neque hominis: ergo in concertationibus dialecticis, hoc totum optimè sequeretur per argumentationem ex hypothesi impossibili. Et hinc est, quòd non tantùm Philosophi, verùm etiam Theologi, in ipso Deo, in quo summa simplicitas est, per prædictam argumentationem inueniunt distinctionem inter diuersas formalitates, vt patet dum quærunt, an si Deus non esset immobilis, esset æternus: an si tollerentur à Deo relationes, adhuc remanerent Personæ: an si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab ipso, &c. quod vtique non attingerent, si talis argumentatio esset inutilis.

Obijcitur primò; quoniam ex nuper dictis, & etiam loco citato ex disp. 31. non potest vtiliter argui ex hypothesi impossibili, nisi adsit constantia, siue consistentia prædictæ hypothesis; sed nullo modo hypothesis impossibilis, in argumentatione potest habere con-

consistentiam: ergo ex ea nunquam vtiliter argui poterit. Minor probatur; non tantùm ex ea parte, qua per hypothesim sequuntur contradictoria per loca intrinseca; sed etiam ex illa parte, qua sequuntur, vel contradictoria per loca intrinseca, vel vnum per locum intrinsecum, & aliud per locum extrinsecum: quoniam suppositio impossibilis nil aliud est, quàm hypothetica propositio conditionalis; sed conditionalis nihil ponit in esse, ex dictis tum lib. 2. nostrarum Instit. cap. 7. tum disput. 26. q. 1. not. 1. quare de se non importat veritatem, aut falsitatem, siue impossibilitatem categoricarum ex quibus constat: ergo hypothesis impossibilis, nullo modo in argumentatione habet consistentiam.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem distinguenda est minor. Sed conditionalis nihil ponit in esse materialiter, hoc est ratione illarum categoricarum, quas de materiali importat, concedenda est; etenim dicendo: Si homo haberet alas, volaret; neque dicimus hominem habere, vel non habere alas, & consequenter neque volare, aut non volare, cùm non absolutè, sed conditionatè loquamur: formaliter verò, hoc est ratione illationis, ob quam consequens rectè sequitur, vel non sequitur ex antecedenti, neganda est: etenim, vel ponit, vel non ponit bonam consequentiam; quòd si ponit, dicitur consistere, vt patet quando ex ea non inferuntur duo contradictoria per loca intrinseca: si autem non ponit bonam consequentiam, dicitur non consistere, vt patet quando ex ipsa duo sequuntur contradictoria per loca intrinseca.

Obijcitur secundò: quoniam vtilis, & bona argumentatio illa est, in qua consequens ex antecedente infertur, iuxta dicta disp. 31. q. 1. sed per argumentationem ex hypothesi impossibili, non infertur consequens ex antecedente: ergo talis argumentatio in concertationibus dialecticis inutilis, & vana est. Minor probatur; etenim ex antecedente, siue propositione negatiua de subiecto non supponente, seu non consistente, nihil sequitur; vt manifestum est quando dicitur, Antichristus, e. g. non est crudelis, ex qua nequit inferri, quòd sit mitis, aut aliquid aliud, cùm Antichristus non consistat; vnde tales propositiones dicuntur veræ, quia nihil inde sequitur ad differentiam propositionum affirmatiuarum de subiecto non supponente, ex quibus aliquid sequitur; vt patet si dicatur, Antichristus est crudelis; nam ex inde sequitur quòd sit immitis, & iniustus, atque ideò dicuntur falsæ, quia cùm Antichristus non consistat, nihil horum actualiter esse potest, vt patet ex communi Dialecticorum regula commemorata ex adducta disp. 27. q. 2. pro 2. argumento; sed hypothesis impossibilis, in argumentatione est antecedens, seu propositio de subiecto non supponente, vt constat dum dicitur, Si Petrus non esset risibilis, esset homo; etenim Petrus non risibilis non consistit; ergo per talem argumentationem non infertur consequens ex antecedente, cùm subiectum illius antecedentis non consistat.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem distinguenda est minor. Sed hypothesis impossibilis, est propositio de subiecto non supponente secundùm prædicata accidentalia (loquimur enim de suppositione adducta in exemplum; non autem de suppositione, & hypothesi vt sic) concedenda est; A est autem propositio de subiecto non supponente quoad prædicata essentialia; neganda est; etenim Petrus, qui est subiectum in tali propositione hypothetica, secundùm prædicata essentialia hominis consistit, vt patet: siquidem Petrus, vt Petrus nil aliud importat, quàm humanam naturam indiuiduatam, & consequenter vt præscindit à propria passione, & à quolibet prædicato accidentali, de quorum numero est risibilitas, quæ cùm non prædicetur essentialiter de homine, multò minùs prædicabitur essentialiter de tali homine, scilicet de Petro, quia ideò risibilis est, quia rationalis, & homo est. Quare omnino verum est, quòd ex hypothesi de subiecto non supponente quoad prædicata essentialia nihil sequitur, quia tunc admitterentur illa duo contradictoria per locum intrinsecum; B non autem ex hypothesi de subiecto non supponente quoad accidentalia; nam sequitur saltem quod essentiale, & intrinsecum est, vt patet exemplo adducto.

Obijcitur tandem tertiò; quia vtilis disputatio de aliqua re ostendit, vt vna pars contradictionis potiùs, quàm alia eligatur; cùm Interrogans de Respondente, ac viceuersa Respondens de Interrogante, victoriam quærat; sed ex hypothesi impossibili non potest vna pars potiùs quam alia contradictoriè illi opposita inferri: ergo ex hypothesi impossibili, non erit vtilis disputatio. Minor probatur ex illo communi axiomate, nimirum ex impossibile sequitur quodlibet, idest vtraque pars contradictionis: ergo ex prædicta hypothesi, non poterit vna pars potiùs, quàm alia opposita contradictoriè, inferri.

C Respondetur, quòd hypothesis impossibilis, dupliciter potest considerari; vel ex qua parte supponit impossibile; vel ex qua parte sequitur aliquid ad tale impossibile. Exempli gratia ista hypothesis impossibilis, scilicet. Si Petrus non esset risibilis, esset homo; habet duas partes: prima est: Si Petrus non esset risibilis, quæ vtique supponit impossibile: secunda verò, esset homo, quæ sequitur ad tale impossibile. Si consideretur itaque quoad primam partem, sequitur quidem quodlibet: nam si Petrus non esset risibilis, posset inferri, quòd esset homo, quia Petrus; & quòd non esset homo, quia non supponitur risibilis. Si autem consideretur quoad secundam partem, non sequitur quodlibet: nam si non esset risibilis, & esset homo, nil aliud sequeretur, quàm quòd ratio formalis, D & essentialis Petri, non esset risibilitas; vnde in hoc sensu distinxit Philosophus 1. Post. cap. 2. text. 5. suppositionem à definitione, dicens: *Suppositiones quidem sunt, cum alterutra pars enunciationes, veluti, aut esse aliquid, aut non esse sumitur. Definitiones verò sunt, in quibus neutrum accipitur.* Hoc totum autem practicè colligi potest ex difficultate illa, quam examinant Theologi in 1. sent. de principio constitutiuo, & distinctiuo personæ Spiritus Sancti: nam ex hac hypothesi impossibili, nimirum, Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; diuersæ Scholæ diuersa colligunt: etenim Thomistæ deducunt, quòd non distingueretur realiter ab ipso, Scotistæ verò, quòd distingueretur. En ecce quomodò ex hypothesi impossibili sequitur quodlibet. Verumtamen ex vtraque parte istius hypothesis, tantùm vnum sequitur; vel, scilicet in sententia Thomistarum, quòd principium constitutiuum, & distinctiuum Spiritus Sancti sit spiratio actiua; vel in

in sententia Scotistarum, quòd sit aliquid aliud.

Quare ad formam argumenti, distinguenda est minor, quæ vtique concedenda est quoad priorem partem hypothesis; neganda verò quoad secundam: ergo ex tali hypothesi inutilis est disputatio, in primo sensu verum est, atque ideò inutiliter penitus disputatur ex illis hypothesibus, quæ plures important terminos impossibilitatis; vt quando dicitur, Si Petrus esset rationalis simul, & hinnibilis, non distingueretur specie ab equo; quoniam etiam inferri posset, quòd per rationalitatem distingueretur specie. Non autem verum est in secundo sensu. Ad probationem verò minoris, iam constat ex dictis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm inductio in concertationibus dialecticis sit argumentatio formalis.

INductio, ex nuper dictis, est alter modus ex illis, quibus interrogari, seu argui solet in dialecticis concertationibus, præcipuè cùm quis exercitatur cum rudibus, ac vulgaribus, ex Philosopho, tum cap. 2. tum in fine huius libri, dicente; *Exercitatio autem facienda inductiuarum, quidem ad rudem, syllogisticarum autem ad expertum*; cuius rationem affert cap. 2. citato; nimirum, quia cùm plebs, & rudes magis sensibilia capiant, quàm intelligibilia; cum ipsis disputando, non syllogismo, qui ex vniuersalibus, quæ sunt intelligibilia; sed inductione, quæ ex pluribus particularibus, quæ sensibilia sunt, procedit; est vtendum. Quapropter visis, & explicatis ijs, quæ circa syllogismum, non vtcunque, sed quatenus ex hypothesi procedit impossibili (cùm cætera suis locis iam examinata sint) necessaria videbantur; aggredimur ea, quæ circa inductionem, non quidem præcisè secundùm se, sed quatenus dialecticis congressibus inseruit, difficultatem afferre solent. At quia ex Philosopho cap. 1. huius lib. Dialectici est in suis congressibus ordinatè, ac distinctè, idest forma, & dispositione agere; non omnino erit superfluum inquirere, an inductio in talibus congressibus saltem sit argumentatio formalis, cùm ex dictis lib. 3. nostrarum Instit. cap. 1. argumentatio formalis illa sit, in qua sequitur consequens ex vi artificij, seu dispositionis in antecedente inuentæ.

Quare titulus, vnum videtur supponere, & aliud quærere; supponit enim, inductionem secundùm se; vt scilicet, simplex discursus inductiuus est, non esse argumentationem formalem; ita enim non attenditur in ea aliquod artificium, siue ordo, aut forma, per quam constituatur potens ad aliquid inferendum, sed tantum consideratur materia locutionis, si faciat ad rem, de qua est discursus. Quærit autem, an in exercitationibus, seu concertationibus dialecticis, nimirum quando interrogans ordinatè, ac artificiosè procedit; inductio, qua vtitur aliquando, sit argumentatio formalis.

A Prima sententia est affirmatiua, quæ defenditur à Masio q. 5. Log. Blanco disp. 2. Plaza disput. de induct. q. 4. quos referunt, & sequuntur Mast. & Bellut. p. p. Instit. tract. 3. cap. 4. §. *Quares an inductio, &c.*

Secunda verò sententia est negatiua, quæ defenditur à Conimb. 1. Prior. cap. 1. q. 2. art. 3. Amico tract. 23. disp. 2. q. 2. dubio 5. Io. à S. Tho. p. p. Log. q. 8. art. 2. & à quibusdam alijs non paucis, quæ etiam videtur fuisse Aristotelis loco citando pro nostra conclusione.

Notandum est idcirco primò, quòd ascensus, & descensus per quos procedit quælibet inductio, quadruplex est, copulatiuus, disiunctiuus, copulatus, & disiunctus. Copulatiuus ascensus, & descensus est, quando singularia numerantur per propositiones copulatiuas, vt omnis homo est animal; ergo hic homo est animal, & ille homo est animal, &c. Disiunctiuus est B quando numerantur per propositiones disiunctiuas; vt aliquis homo est albus: ergo vel hic homo est albus, vel ille homo est albus, &c. Copulatus autem ascensus, & descensus est quando terminus aliquis per singulares resoluitur complexiuè numeratos; vt omnes Apostoli Dei sunt duodecim, resoluitur sic; ille, vel ille, &c. sunt duodecim, omnes tamen in vna propositione numerando. Disiunctus tandem est, quando aliquis terminus resoluitur per suos singulares diuisim numeratos in vna propositione; vt si dicatur, omnis homo est animal; illud prædictum *animal*, resoluitur disiunctim sic, omnis homo est hoc, vel illud, vel illud animal, ita tamen vt totum disiunctum sit prędicatum. Ex his autem descensibus, & ascensibus colligunt Au- C ctores quatuor illa artificia, siue regulas iuxta diuersas suppositiones terminorum, à quibus fiunt prædicti ascensus, & descensus; nimirum quòd si terminus supponat distributiuè, descendendum est à propositione vniuersali ad plures singulares copulatiuè, sic; Omnis homo est animal: ergo hic homo est animal, & hic homo est animal, &c. vel ad vnam de copulato extremo, & verbo singulari, sic; omnis homo est animal: ergo hic homo, & hic homo, &c. est animal. Ascensus verò debet fieri è contrà, vt patet in descensu, & ascensu copulatiuo. Si verò terminus supponat determinatè, descendendum est à propositione particulari, ad plures singulares disiunctiuè, vel ad vnam de disiuncto extremo hoc modo; aliquis homo est albus: ergo hic homo est albus, vel hic homo est albus, &c. vel sic; ergo D hic homo, vel hic homo, &c. est albus. Ascensus verò fit è contrà, vt patet in descensu, & ascensu disiunctiuo. Si autem terminus supponat collectiuè tunc ascendendum, vel descendendum est copulatim, sic; omnes Apostoli sunt duodecim: ergo hic Apostolus, & hic Apostolus, &c. sunt duodecim, vel è contrà, vt patet in descensu, & ascensu copulato. Tandem si terminus supponat confusè, descenditur à termino confuso ad singulares disiunctiuè, & ascenditur è contrà; vt omnis homo est hoc, vel illud, vel illud animal, vt patet in descensu, & ascensu disiuncto.

Notandum secundò, quòd inductio secundùm prædictum artificium, & dispositionem inducendi, vel deducendi vnum ex alio considerata, quæ dispositio, & artificium est eiusdem forma; non assumit medium vniens extrema ad probandum extrema vniri inter se; sed probat extremum, seu prædicatum aliquod conuenire alicui subiecto communi, quia conuenit singularibus

ribus si fiat per ascensum; aut singularibus conuenit, quia conuenit communi, si fiat per descensum. Quare hæc connexio singularium expertorum cum suo vniuersali, fundat quidem argumentationem, sed non absolutè formalem sicut syllogismus, cuius consequentia sequitur ex vi illius artificij in omni materia, sed formalem inductiuè, vel deductiuè, cùm non sequatur ex vi illius artificij in omni materia, vtpote non regulatam per illud vniuersale principium syllogisticum, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Horum autem radicalis, & fundamentalis ratio est, quòd cùm omnis argumentatio sit quædam consequentia, & illatio probatiua, & manifestatiua veritatis; omnis autem veritas, & scientia nostra habeat duos progressus, primum scilicet, in sui productione secundùm quòd oritur ex dependentia à sensibus; secundum autem in probatione ex propositionibus iam vniuersaliter conceptis; consequenter illatio ipsa veritatis secundùm formalem rationem argumentationis, & illationis, debet habere duplicem modum connexionis, & consequentiæ, scilicet in deducendo, seu introducendo nos ad cognitionem vniuersalium ex ipsis singularibus; & in probatione, seu discursu ex propositionibus vniuersalibus factis, ad alia. Inductio ergo habet dispositionem, & artificium argumentationis, & consequentiæ primo modo tantùm, ad differentiam syllogismi, qui eam habet secundo modo: quare continet in se vtique quidquid requiritur ad formalem consequentiam in ratione inductiui, non autem simpliciter, & euidenter probatiui, sicut syllogismus.

Dicendum est ergo, quòd inductio in concertationibus dialecticis non est argumentatio formalis. Probatur primò ex Aristotele 2. Post. cap. 5. text. 4. vbi ita loquitur: *Eum, qui inductione vtitur non probare rem necessariò*: hoc est, non demonstrare, vt communiter exponunt Interpretes: ergo inductio non est argumentatio formalis. Consequentia patet ex eo, quòd ex vi formæ in materia necessaria demonstratur, vt dictum est primo Priorum.

Respondent Mastr. & Bellut. loco suprà citato, negando consequentiam; quia (inquiunt ipsi) neque omnis, qui syllogismo vtitur demonstrat, & tamen non negatur, syllogismum esse argumentationem formalem: demonstratio igitur, vltra argumentationem formalem, habet quòd necessariò probat, & infert non solùm ratione formæ, verùm etiam ratione materiæ.

Contra tamen est, quòd inductio etiam in materia necessaria non demonstrat, seu quod idem est, non probat necessariò, cùm sit illatio inductiua si fiat per ascensum, vel deductiua si fiat per descensum, nunquam verò probatiua: etenim vera, & propria probatio per medium fit, quo caret inductio. Vnde Philosophus 2. Prior. cap. 23. ait: *Inductio, ratiocinationi contraria est aliquo pacto: hæc enim ex medio probat extremum in tertio: illa verò ab extremo confirmat tertium in medio*: ergo his non obstantibus, inductio non est argumentatio formalis.

Probatur secundò ratione: quoniam argumentatio formalis disponi, & regulari debet per illud primum, & vniuersale principium, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.* iuxta dicta disputationis 34. q. 1. ergo habere debet extremitates connexas, vel non connexas cum medio, quod habet rationem tertij: sed inductio

A in concertationibus dialecticis, vbi proceditur ordinatè, & artificiosè, non habet prædictas extremitates cum medio, ex modò dictis, & adnotatis: ergo inductio in concertationibus dialecticis non est argumentatio formalis.

Respondent Aduersarij negando minorem subsumptam; quia etiam inductio videtur habere saltem virtualiter, & implicitè suum medium, ratione cuius vniuntur inter se extremitates; sicut etiam patet ex adnotatis primo loco disp. 35. q. 1.

Contra tamen est id, quod diximus loco prædicto citato, nimirum quòd in tali casu, illud artificium inducendi, vel deducendi, non est ampliùs inductio, sed reductio, siue probatio inductionis per syllogismum; cùm inductio neque explicitè, neque implicitè

B petat regulari per illud vniuersale principium, *Quæ sunt eadem, &c.* est enim inductio artificium inductiuum, non autem probatiuum, vt dictum est suprà disp. 31. q. 2. tum contra responsionem Mastrij, & Belluti ad probationem primæ conclusionis, tum ad primum argumentum contra eandem: ergo inductio in concertationibus dialecticis, non habet prædictas extremitates inter se connexas ratione medij.

Obijcitur primò in oppositum; quoniam inductio est de ijs, quæ demonstrantur: sed de talibus est argumentatio formalis: ergo inductio in concertationibus, &c. est argumentatio formalis. Maior patet ex Philosopho 1. Post. text. 31. dicente. *Quòd Vniuersalia de quibus est demonstratio, non possunt cognosci absque inductione*. Minor verò probatur; nam quæ demonstrantur inferuntur per præmissas necessarias regulatas per

C illud vniuersale principium, *Quæ sunt eadem, &c.* cùm inferantur per medium connectens vtrunque extremum; sed argumentatio prędicto modo, est argumentatio formalis: ergo de quibus habetur demonstratio, est argumentatio formalis.

Respondetur, maiorem propositionem non parum habere æquiuocationis; quare si intelligatur, quòd inductio ita sit de ijs, quæ demonstrantur, vt per ipsam habeant demonstrari, omnino neganda est, cùm inductio non demonstret, sed inducat, vel deducat, vt sæpe dictum est. Si autem intelligatur, quòd inductio ita sit de ijs, quæ demonstrantur, vt ipsa, seu ea mediante inducantur vniuersales propositiones, ex quibus aliàs procedit demonstratio; omnino concedenda est: etenim cùm omnis nostra cognitio ortum ducat à

D sensibus, non possumus cognoscere vniuersalia, nisi per particularia, & sensitiua; & consequenter per inductionem, ascendendo à particularibus ad vniuersalia. Vnde si propositiones vniuersales alicuius scientię non sint ita abstractæ, & communes, quòd ex quocunque indiuiduo manifestari possit ipsarum veritas, sed ex plurium enumeratione, & experientia pendeat, vt patet in scientijs naturalibus, quæ non sunt ita certæ sicut scientiæ abstractiores, ac communiores, vt Mathematica, & Metaphysica, quarum principia, etiam in vno indiuiduo habent totam certitudinem; vtique cognosci nequeunt absque inductione; & hæc tantùm intendit affirmare Philosophus loco citato.

Obijcitur secundò; nam inductio ex dictis, est vera species argumentationis: ergo debet esse bona consequentia, & argumentatio; sed bona consequentia, & argumentatio, est argumentatio formalis: ergo inductio pariter erit argumentatio formalis. Prima con-

in sententia Scotistarum, quòd sit aliquid aliud.

Quare ad formam argumenti, distinguenda est minor, quæ vtique concedenda est quoad priorem partem hypothesis; neganda verò quoad secundam: ergo ex tali hypothesi inutilis est disputatio, in primo sensu verum est, atque ideò inutiliter penitus disputatur ex illis hypothesibus, quæ plures important terminos impossibilitatis; vt quando dicitur, Si Petrus esset rationalis simul, & hinnibilis, non distingueretur specie ab equo; quoniam etiam inferri posset, quòd per rationalitatem distingueretur specie. Non autem verum est in secundo sensu. Ad probationem verò minoris, iam constat ex dictis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm inductio in concertationibus dialecticis sit argumentatio formalis.

INductio, ex nuper dictis, est alter modus ex illis, quibus interrogari, seu argui solet in dialecticis concertationibus, præcipuè cùm quis exercitatur cum rudibus, ac vulgaribus, ex Philosopho, tum cap. 2. tum in fine huius libri, dicente; *Exercitatio autem facienda inductiuarum, quidem ad rudem, syllogisticarum autem ad expertum*; cuius rationem affert cap. 2. citato; nimirum, quia cùm plebs, & rudes magis sensibilia capiant, quàm intelligibilia; cum ipsis disputando, non syllogismo, qui ex vniuersalibus, quæ sunt intelligibilia; sed inductione, quæ ex pluribus particularibus, quæ sensibilia sunt, procedit; est vtendum. Quapropter visis, & explicatis ijs, quæ circa syllogismum, non vtcunque, sed quatenus ex hypothesi procedit impossibili (cùm cætera suis locis iam examinata sint) necessaria videbantur; aggredimur ea, quæ circa inductionem, non quidem præcisè secundùm se, sed quatenus dialecticis congressibus inseruit, difficultatem afferre solent. At quia ex Philosopho cap. 1. huius lib. Dialectici est in suis congressibus ordinatè, ac distinctè, idest forma, & dispositione agere; non omnino erit superfluum inquirere, an inductio in talibus congressibus saltem sit argumentatio formalis, cùm ex dictis lib. 3. nostrarum Instit. cap. 1. argumentatio formalis illa sit, in qua sequitur consequens ex vi artificij, seu dispositionis in antecedente inuentæ.

Quare titulus, vnum videtur supponere, & aliud quærere; supponit enim, inductionem secundùm se; vt scilicet, simplex discursus inductiuus est, non esse argumentationem formalem; ita enim non attenditur in ea aliquod artificium, siue ordo, aut forma, per quam constituatur potens ad aliquid inferendum, sed tantum consideratur materia locutionis, si faciat ad rem, de qua est discursus. Quærit autem, an in exercitationibus, seu concertationibus dialecticis, nimirum quando interrogans ordinatè, ac artificiosè procedit; inductio, qua vtitur aliquando, sit argumentatio formalis.

A Prima sententia est affirmatiua, quæ defenditur à Masio q. 5. Log. Blanco disp. 2. Plaza disput. de induct. q. 4. quos referunt, & sequuntur Mast. & Bellut. p. p. Instit. tract. 3. cap. 4. §. *Quares an inductio, &c.*

Secunda verò sententia est negatiua, quæ defenditur à Conimb. 1. Prior. cap. 1. q. 2. art. 3. Amico tract. 13. disp. 2. q. 2. dubio 5. Io. à S. Tho. p. p. Log. q. 8. art. 2. & à quibusdam alijs non paucis, quæ etiam videtur fuisse Aristotelis loco citando pro nostra conclusione.

Notandum est idcirco primò, quòd ascensus, & descensus per quos procedit quælibet inductio, quadruplex est, copulatiuus, disiunctiuus, copulatus, & disiunctus. Copulatiuus ascensus, & descensus est, quando singularia numerantur per propositiones copulatiuas, vt omnis homo est animal; ergo hic homo est animal, & ille homo est animal, &c. Disiunctiuus est
B quando numerantur per propositiones disiunctiuas; vt aliquis homo est albus: ergo vel hic homo est albus, vel ille homo est albus, &c. Copulatus autem ascensus, & descensus est quando terminus aliquis per singulares resoluitur complexiuè numeratos; vt omnes Apostoli Dei sunt duodecim, resoluitur sic; ille, vel ille, &c. sunt duodecim, omnes tamen in vna propositione numerando. Disiunctus tandem est, quando aliquis terminus resoluitur per suos singulares diuisim numeratos in vna propositione; vt si dicatur, omnis homo est animal; illud prædictum *animal*, resoluitur disiunctim sic, omnis homo est hoc, vel illud, vel illud animal, ita tamen vt totum disiunctum sit prædicatum.
C Ex his autem descensibus, & ascensibus colligunt Auctores quatuor illa artificia, siue regulas iuxta diuersas suppositiones terminorum, à quibus fiunt prædicti ascensus, & descensus; nimirum quòd si terminus supponat distributiuè, descendendum est à propositione vniuersali ad plures singulares copulatiuè, sic; Omnis homo est animal: ergo hic homo est animal, & hic homo est animal, &c. vel ad vnam de copulato extremo, & verbo singulari, sic; omnis homo est animal: ergo hic homo, & hic homo, &c. est animal. Ascensus verò debet fieri è contrà, vt patet in descensu, & ascensu copulatiuo. Si verò terminus supponat determinatè, descendendum est à propositione particulari, ad plures singulares disiunctiuè, vel ad vnam de disiuncto extremo hoc modo; aliquis homo est albus: ergo hic homo est albus, vel hic homo est albus, &c. vel sic; ergo hic homo, vel hic homo, &c. est albus. Ascensus
D verò fit è contrà, vt patet in descensu, & ascensu disiunctiuo. Si autem terminus supponat collectiuè tunc ascendendum, vel descendendum est copulatim, sic; omnes Apostoli sunt duodecim: ergo hic Apostolus, & hic Apostolus, &c. sunt duodecim, vel è contrà, vt patet in descensu, & ascensu copulato. Tandem si terminus supponat confusè, descenditur à termino confuso ad singulares disiunctiuè, & ascenditur è contrà; vt omnis homo est hoc, vel illud, vel illud animal, vt patet in descensu, & ascensu disiuncto.

Notandum secundò, quòd inductio secundùm prædictum artificium, & dispositionem inducendi, vel deducendi vnum ex alio considerata, quæ dispositio, & artificium est eiusdem forma; non assumit medium vniens extrema ad probandum extrema vniri inter se; sed probat extremum, seu prædicatum aliquod conuenire alicui subiecto communi, quia conuenit singularibus

ribus si fiat per ascensum; aut singularibus conuenit, quia conuenit communi, si fiat per descensum. Quare hæc connexio singularium expertorum cum suo vniuersali, fundat quidem argumentationem, sed non absolutè formalem sicut syllogismus, cuius consequentia sequitur ex vi illius artificij in omni materia, sed formalem inductiuè, vel deductiuè, cùm non sequatur ex vi illius artificij in omni materia, vtpote non regulatam per illud vniuersale principium syllogisticum, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Horum autem radicalis, & fundamentalis ratio est, quòd cùm omnis argumentatio sit quædam consequentia, & illatio probatiua, & manifestatiua veritatis; omnis autem veritas, & scientia nostra habeat duos progressus, primum scilicet, in sui productione secundùm quòd oritur ex dependentia à sensibus; secundum autem in probatione ex propositionibus iam vniuersaliter conceptis; consequenter illatio ipsa veritatis secundùm formalem rationem argumentationis, & illationis, debet habere duplicem modum connexionis, & consequentiæ, scilicet in deducendo, seu introducendo nos ad cognitionem vniuersalium ex ipsis singularibus; & in probatione, seu discursu ex propositionibus vniuersalibus factis, ad alia. Inductio ergo habet dispositionem, & artificium argumentationis, & consequentiæ primo modo tantùm, ad differentiam syllogismi, qui eam habet secundo modo: quare continet in se vtique quidquid requiritur ad formalem consequentiam in ratione inductiui, non autem simpliciter, & euidenter probatiui, sicut syllogismus.

Dicendum est ergo, quòd inductio in concertationibus dialecticis non est argumentatio formalis. Probatur primò ex Aristotele 2. Post. cap. 5. text. 4. vbi ita loquitur: *Eum, qui inductione vtitur non probare rem necessariò*: hoc est, non demonstrare, vt communiter exponunt Interpretes: ergo inductio non est argumentatio formalis. Consequentia patet ex eo, quòd ex vi formæ in materia necessaria demonstratur, vt dictum est primo Priorum.

Respondent Mastr. & Bellut. loco suprà citato, negando consequentiam; quia (inquiunt ipsi) neque omnis, qui syllogismo vtitur demonstrat, & tamen non negatur, syllogismum esse argumentationem formalem: demonstratio igitur, vltra argumentationem formalem, habet quòd necessariò probat, & infert non solùm ratione formæ, verùm etiam ratione materiæ.

Contra tamen est, quòd inductio etiam in materia necessaria non demonstrat, seu quod idem est, non probat necessariò, cùm sit illatio inductiua si fiat per ascensum, vel deductiua si fiat per descensum, nunquam verò probatiua: etenim vera, & propria probatio per medium fit, quo caret inductio. Vnde Philosophus 2. Prior. cap. 23. ait: *Inductio, ratiocinationi contraria est aliquo pacto: hæc enim ex medio probat extremum in tertio: illa verò ab extremo confirmat tertium in medio*: ergo his non obstantibus, inductio non est argumentatio formalis.

Probatur secundò ratione: quoniam argumentatio formalis disponi, & regulari debet per illud primum, & vniuersale principium, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.* iuxta dicta disputationis 34. q. 1. ergo habere debet extremitates connexas, vel non connexas cum medio, quod habet rationem tertij: sed inductio in concertationibus dialecticis, vbi proceditur ordinatè, & artificiosè, non habet prædictas extremitates cum medio, ex modò dictis, & adnotatis: ergo inductio in concertationibus dialecticis non est argumentatio formalis.

Respondent Aduersarij negando minorem subsumptam; quia etiam inductio videtur habere saltem virtualiter, & implicitè suum medium, ratione cuius vniuntur inter se extremitates; sicut etiam patet ex adnotatis primo loco disp. 35. q. 1.

Contra tamen est id, quod diximus loco prædicto citato, nimirum quòd in tali casu, illud artificium inducendi, vel deducendi, non est ampliùs inductio, sed reductio, siue probatio inductionis per syllogismum; cùm inductio neque explicitè, neque implicitè petat regulari per illud vniuersale principium, *Quæ sunt eadem, &c.* est enim inductio artificium inductiuum, non autem probatiuum, vt dictum est suprà disp. 31. q. 2. tum contra responsionem Mastrij, & Belluti ad probationem primæ conclusionis, tum ad primum argumentum contra eandem: ergo inductio in concertationibus dialecticis, non habet prædictas extremitates inter se connexas ratione medij.

Obijcitur primò in oppositum; quoniam inductio est de ijs, quæ demonstrantur: sed de talibus est argumentatio formalis: ergo inductio in concertationibus, &c. est argumentatio formalis. Maior patet ex Philosopho 1. Post. text. 31. dicente. *Quòd Vniuersalia de quibus est demonstratio, non possunt cognosci absque inductione*. Minor verò probatur; nam quæ demonstrantur inferuntur per præmissas necessarias regulatas per illud vniuersale principium, *Quæ sunt eadem, &c.* cùm inferantur per medium connectens vtrunque extremum; sed argumentatio prædicto modo, est argumentatio formalis: ergo de quibus habetur demonstratio, est argumentatio formalis.

Respondetur, maiorem propositionem non parum habere æquiuocationis; quare si intelligatur, quòd inductio ita sit de ijs, quæ demonstrantur, vt per ipsam habeant demonstrari, omnino neganda est, cùm inductio non demonstret, sed inducat, vel deducat, vt sæpe dictum est. Si autem intelligatur, quòd inductio ita sit de ijs, quæ demonstrantur, vt ipsa, seu ea mediante inducantur vniuersales propositiones, ex quibus aliàs procedit demonstratio; omnino concedenda est: etenim cùm omnis nostra cognitio ortum ducat à sensibus, non possumus cognoscere vniuersalia, nisi per particularia, & sensitiua; & consequenter per inductionem, ascendendo à particularibus ad vniuersalia. Vnde si propositiones vniuersales alicuius scientiæ non sint ita abstractæ, & communes, quòd ex quocunque indiuiduo manifestari possit ipsarum veritas, sed ex plurium enumeratione, & experientia pendeat, vt patet in scientijs naturalibus, quæ non sunt ita certæ sicut scientiæ abstractiores, ac communiores, vt Mathematica, & Metaphysica, quarum principia, etiam in vno indiuiduo habent totam certitudinem; vtique cognosci nequeunt absque inductione; & hæc tantùm intendit affirmare Philosophus loco citato.

Obijcitur secundò; nam inductio ex dictis, est vera species argumentationis: ergo debet esse bona consequentia, & argumentatio; sed bona consequentia, & argumentatio, est argumentatio formalis: ergo inductio pariter erit argumentatio formalis. Prima

consequentia patet ex eo, quòd argumentatio, quæ diuiditur in inductionem, & syllogismum, non est argumentatio mala, sed bona, & regulata, Minor verò subsumpta sic probatur; etenim bona consequentia, & argumentatio illa est, quæ non potest instari; sed argumentatio, quæ non potest instari, est argumentatio formalis; ergo bona argumentatio, & consequentia, est sola argumentatio formalis.

Respondetur negando minorem subsumptam; ad cuius probationem dicendum est, quòd bona argumentatio vtique illa est, quæ non potest instari suo modo, idest vt talis, & talis argumentatio est; non verò absolutè, & vt sic: nam licèt inductio, vt inductio nequeat instari, cùm habeat totam perfectionem ad inductionem requisitam: attamen respectiuè ad syllogismum, qui maiorem habet perfectionem, potest instari. Vnde licèt ex præcisa ratione inductionis sit vera species consequentiæ, sed non ita perfecta sicut syllogismus; neque ordinata ad probandum, seu conuincendum intellectum, sed ad introducendum in vniuersalia ex comparatione, & numeratione singularium; & in hoc genere inducendi habet formalem rationem consequentiæ non probatiuæ ex vniuersalibus, vnde potest instari; sed inductiuæ ex singularibus, vnde nequit instari. Quare eius bonitas non est, quòd plenè conuincat, sed quòd sufficienter inducat ad vniuersalia ex singularibus expertis.

Obijcitur tandem tertiò; quoniam aliquæ sunt inductiones, de quibus non potest dubitari, quòd sint consequentiæ formales; ergo absolutè non est negan-A dum, inductionem esse formalem consequentiam, & argumentationem. Antec. probatur; nam descensus copulatiuus in termino supponente distributiuè, & ascensus distinctiuus respectu termini supponentis determinatè, sunt consequentiæ, & argumentationes formales, cùm secundùm regulam assignatam disp. 31 q. 1. not. 2. in nulla materia possint instari, vt patet in istis argumentationibus, scilicet, Iste homo est albus; ergo aliquis homo est albus, Omnis homo est albus, & homo est: ergo iste homo, & ille, & ille est albus. Et similiter quando in ipsa inductione enunciantur omnia singularia, vel saltem cum particula, *Et sic de cæteris*; manifestum est esse argumentationem formalem, quia procedit à collatione omnium singularium ad vniuersale, quod nunquam potest instari; ergo, &c.

B Respondetur, quòd tales argumentationes, ac similes inductiones, tenent quidem in omni materia, non tamen ex vi inductionis præcisè, in quo sensu intelligenda est regula illa, loco citato; sed quia vel reducuntur ad formam syllogismi, vel alius locus arguendi sibi adiungitur, e. g. ex æquiualentibus, aut ex partibus sufficienter enumeratis, &c. qui habent efficacitatem, & insolubilem connexionem consequentis cum antecedente. Vnde argumentum ad summùm probat inductionem esse argumentationem materialem, cùm concludat ratione materiæ, & subiecti, cui applicatur tale artificium, quod & nos libenter concedimus. Et hæc satis.



IN

IN DVOS ELENCHORVM LIBROS DISPVTATIONES, ET QVAESTIONES.





Lenchus multa significat: nam Plinio teste lib. 9. cap. 35. Margaritæ maiores, fastigiata longitudine, elenchi vocantur, de quibus Iuuenalis Sat. 6.

Nil non permittit, Mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Aliquando pro librorum Indice vsurpatur, à verbo græco Elencho, quod etiam inuestigo, vel exploro significat: indicis enim adminiculo inquirimus quidquid toto opere continetur. Plerunque verò pro argumento quodcunque illud sit à verbo græco *elenchomai*, quod latinè est argumentor, accipitur. Hic tamen pro redargutione ab omnibus indifferenter intelligitur; cùm Aristoteles loca, quibus aliquis contra id, quod alter dicit arguit, tradat, & explicet; non quidem vtcunque (nam communia essent topicis, & demonstratiuis elenchis, siue redargutionibus, & contradictionibus) sed tantùm cauilloso, & sophistico modo: vnde talem syllogismum, non elenchum absolutè, & simpliciter, sed parexelenchum, siue paralogismum vocat, inscribendo hos duos libros, non de elenchis absolutè, & præcisè, sed de sophisticis elenchis. Quibus omnibus iam antea initium dederat Plato in Euthydemo cum Clinia Axioci filio, disputante, vbi doli nonnulli captiosi disputatoris ostenduntur, quos totos à primis initiis Aristoteles complexus, plerosque alios addit, & vt solet, in ordinem, & formulas digessit.

Est autem Parexelenchus, siue paralogismus duplex: alius qui procedit ex propriis alicuius scientiæ malè intellectis; vt si dicatur, Omnes lineæ ductæ ad centrum ad circunferentiam sunt æquales: sed lineæ rectæ, & curuæ ducuntur à centro ad circunferentiam: ergo sunt æquales. Maior enim est principium geometricum malè intellectum, quia tantùm debet intelligi de lineis rectis, & huiusmodi argumentationem appellat Aristoteles pseudographam, siue mendacis descriptionis, quæ & si in Geometria nomen obtinuit, in omnibus tamen scientijs reperiri potest: vnde eius cognitio propriè non pertinet ad Logicam, sed ad alias scientias, ex quarum principiis malè intellectis formatur. Alius autem est paralogismus, A qui constat ex apparentibus communibus, quæ scilicet pluribus materiis applicari possunt; vt si dicatur, Quidquid non amisisti habes: sed barbam non amisisti: ergo barbam habes. Maior enim illa, pluribus materiis applicari potest, quæ argumentatio à Philosopho appellatur sophistica, & omnino pertinet ad Logicum, qui cùm sit communis artifex, non solùm explicat loca vnde rationes probabiles communes desumuntur, sed etiam vnde rationes apparentes communes efformantur. Idcirco talis argumentatio, siue syllogismus sophysticus, non minùs erit obiectum horum duorum librorum, quàm argumentatio, siue syllogismus probabilis octo topicorum, cùm ad ipsum omnia, quæ hic tractantur, vt principia, passiones, & proprietates eiusdem quoque referantur. Et licèt B Herminius quidam, quem Philoponus imitatur, de hoc syllogismo, sicut de topico, ante demonstratiuum agat, ex eo quia illi videbatur in probabilibus, & apparentibus priùs nos esse exercendos, quàm in necessariis; attamen hoc loco, tanquàm congruentiori, teste Alexandro cum cæteris Philosophis, adaptandus est; cùm falsum, veritatis appositione arguatur; & obliquum per cognitionem sui recti cognoscatur, quod vtique non fiet, nisi priùs verum, & necessarium, posteà falsum, & probabile perdiscatur.

Doctrina verò horum librorum est maximè vtilis, & necessaria ad scientias, vt probat Philosophus initio libri secundi: cùm enim sciens debeat esse imperturbabilis, & vt talis sit, debeat scire causas sophismatum, & eorum solutiones; necesse est vt optimè teneat doctrinam de sophismatibus, eorumque C causis, ac solutionibus; quam doctrinam ita exhibuit Philosophus, tanquam de euitando veneno, scilicet vt per ipsam fugiamus sophisticas perturbationes; seu in Medicina agitur de venenis, & de pharmacis; de istis quidem, vt vtamur; de illis autem, vt fugiamus.

Duo ergo facit Philosophus in hac facultate sophistica. Primò explicat naturam Paralogismi, siue syllogismi sophistici, docetque eum construere quantùm inseruire potest argumenti. Secundò tradit eiusdem solutionem, modumque ipsum destruendi, quantùm inseruire potest respondenti. Quare totum hoc opus, in duos libros iuxta prædictas considerationes à Latinis interpretribus distribuitur, licèt à Græcis vnico libro absoluatur.

LIBER

LIBER PRIMVS ELENCHORVM:

EIVSQVE SYNOPSIS.



Iber iste secundùm Latinos, quatuordecim continet capita; in quorum primo, & secundo ponit Philosophus proœmium, in quo primò probat dari paralogismum, siue syllogismum apparentem: secundò ostendit Sophistas intendere facultatem apparenter syllogizandi, atque ideò necessarium esse, quòd in Logica agatur de syllogismo sophistico, vt possimus sophismorum redargutionibus occurrere: tertiò demum explicat, quo pacto hæc pars Logicæ continuetur cum præcedentibus. In cap. 3. incipiens agere de syllogismo sophistico, proponit quinque metas, seu fines, & scopos Sophistarum, nempe Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solœcismus, & Nugatio; & agit de modis, per quos Sophistæ conantur obtinere præcipuum finem redarguendi per fallacias tum dictionis, tum extra dictionem; atque explicat sex fallacias dictionis, videlicet Æquiuocationis, Amphibologiæ, Compositionis, Diuisionis, Accentus, & Figuræ dictionis. In cap. 4. explicat fallacias extra dictionem, quæ numero septem sunt, scilicet Accidentis, A secundum quid, ad simpliciter, Ignorationis elenchi, Consequentis, Petitionis principij, Non causæ vt causæ, & Plurium interrogationum vt vnius. In cap. 5. ostendit omnes sophisticas redargutiones reduci ad ignorationem elenchi; seu contradictionis. In cap. 6. explicat causas propter quas loci explicati habent apparentiam, & decipiunt. In cap. 7. ostendit quòd propter easdem causas fiunt omnes syllogismi, tum peccantes in forma, tum peccantes in materia. In cap. 8. probat, tradenda solùm esse in Logica, communia syllogismorum, tum probabilium, tum apparentium, non autem loca propria. In cap. 9. ostendit malam esse diuisionem, qua syllogismi sophistici diuiduntur in eos, qui sunt ad nomen, & in eos, qui sunt ad sententiam, siue intellectum. In cap. 10. explicat differentiam inter elenchos demonstratiuos, pseudographos, dialecticos, tentatiuos, sophisticos, & contentiosos. In cap. 11. ostendit dialecticam, tentatiuam, & sophisticam, non versari circa genus determinatum, neque circa determinatam partem contradictionis. In cap. 12. & 13. tradit loca per quæ Sophista ducit ad alias quatuor metas, falsi scilicet, inopinabilis, nugationis, & solœcismi. In cap. tandem 14. & vltimo, docet modum, quo Sophista debet ordinare suas interrogationes; atque ita concludit totum primum librum.



A

DISP. QVINQVAGESIMAOCTAVA

De Disputationis, Metæ, Locique sophistici diuisionibus.



T ostendat Philosophus, quo pacto hæc pars sophistica cum alijs Logicæ partibus, continuetur, coactus tradere fuit disputationũ, seu ratiocinationum genera, in quibus tota occupatur Logica: etenim si Sophista aliquam earum considerat, necesse erit cum Demonstratiuo, & Dialectico, qui cæteras attendunt, habere nexum, & vnionem. Quo vtique ostenso, tenetur etiam explicare, quibus metis, scopis, & finibus, quibusue locis, & instrumentis in talibus disputationibus procedat: aliter enim non appareret, quomodò ab illis differret; quod vndequaque absoluit, tradendo horum omnium exactas diuisiones. Quare vt ipsum imitemur, in hac præsenti disputatione, hæc omnia sedulò examinanda sunt.

B

C

QVÆSTIO I.

An diuisio Disputationis in doctrinalem, dialecticam, tentatiuam, & sophisticam, sit adæquata, generisque in suas species, vel analogi in sua analogata.



Ircà primam partem tituli supponendum est primò, quòd in disputatione, quinque communiter requiruntur, scilicet opponens, qui disputat; respondens, cui disputatur; illud, de quo disputatur; actio disputandi; & instrumentum, quo fit talis actio, quod est syllogismus: quare ipsa disputatio, hoc modo definiri solet, nimirum quòd sit *Actus syllogisticus vnius ad alterum*, scilicet

cet opponentis, ad respondentem, *ad aliquod propositum ostendendum*: in qua definitione explicatur causa formalis disputationis, cùm dicitur, *Actus syllogisticus*: actus enim, siue actio, se habet vt genus, & forma communis eius; & syllogisticus, se habet vt differentia, quæ sumitur ab instrumento, quo fit talis actio, scilicet à syllogismo. Per hoc autem quod dicitur, *vnius ad alterum*, explicatur causa efficiens disputationis. Et tandem per hoc, quod dicitur, *ad aliquod propositum ostendendum*, explicatur finis immediatus, & proximus disputationis; quia in omni disputatione ostenditur semper aliquid de aliquo.

Secundò supponendum est ex Philosopho hîc cap.2. quòd disputatio diuiditur in doctrinalem, dialecticam, tentatiuam, & sophisticam. Doctrinalis est, quæ ex proprijs principijs alicuius scientiæ syllogizat, non autem ex ijs, quæ videntur respondenti, cuius instrumentũ est syllogismus demonstratiuus: nã cùm disputatio doctrinalis sit generatiua scientię, in ipsa oportet arguere ex propriis principiis illius scientiæ, quæ generari debet; & non ex ijs, quæ videntur respondenti cum quo disputatur; cùm ipse respondens quatenus addiscens est, ipsi omnino debeat credere, vt patet ex dictis de syllogismo demonstratiuo. Disputatio autem dialectica est, quæ procedit ex probabilibus, & est collectiua contradictionum, cuius instrumentum est syllogismus dialecticus: nam cùm disputatio dialectica sit instituta ad generandam opinionem, quę ex communibus, & probabilibus comparatur; satis est, vt in ea ex communibus, & probabilibus, per quę ad vtranque partem contradictionis procedi potest, pariter arguatur, vt dictum est suprà de syllogismo dialectico. Disputatio verò tentatiua est, quæ ex ijs, quæ videntur respondenti syllogizat, quæ necessariò scire debet qui se simulat habere scientiam, cuius instrumentum est syllogismus tentatiuus, idest qui procedit ex ijs, quæ videntur respondenti, de cuius scientia sit experientia: nam cùm finis tentatiuæ disputationis sit habere experientiam de scientia respondentis; ideò procedere debet ex illis, quæ videntur esse probabilia ipsi respondenti, & quæ tenetur necessariò scire: etenim propriè non tentatur respondens, nisi de eo, quod sibi probabile videtur. Disputatio tandem sophistica est, quæ ex apparenter probabilibus syllogizat; cuius instrumentum est syllogismus sophisticus: nam cùm talis disputatio nata sit ad generandam apparentem scientiam; sufficit vt procedat ex apparenter probabilibus, vt patet ex dictis de syllogismo sophistico.

Circa secundam partem tituli tantùm supponere debemus, quòd licèt secundùm quid, ratione scilicet syllogismorum, diuisio disputationis, cuius sunt instrumenta, sit accidentis in sua subiecta, ex dictis disp. 33. q. 1. concl. 2. (ratio enim disputationis est accidens respectu syllogismi, cùm syllogismus optimè stare possit absque disputatione, vt patet) nihilominùs secundùm se, & absolutè, non est dicenda diuisio accidentalis, sed essentialis, cùm quodlibet prædictorum membrorum diuidentium sit essentialiter disputatio, & sine ratione, & conceptu disputationis intelligi nequeat. Quare solummodò erit dubium, an sit generis in suas species, vel analogi in sua analogata. Vnde licèt Doctores circa primam tituli partem, summa pace fruantur; non ita sanè circa secundam.

A Prima enim sententia docet, prædictam diuisionem esse generis in suas species. Ita Versorius parisiensis in Petr. hisp. tract. 6. cap. 2. ac nonnulli alii ipsum sectantes.

Secunda verò sententia est illorum, qui docent prędictam diuisionem esse analogi in sua analogata, analogia proportionalitatis propriæ. Ita Alb. Magn. 1. Elench. tract. 1. cap. 4. Domin. de Fland. ibidem quęsito 3. & ferè omnes.

Notandum tamen est, quòd disputatio potest dupliciter considerari; vno modo quantùm ad vim nominis: dicitur enim disputatio, quasi diuersorum putatio, & isto modo, disputatio dicitur per priùs de disputatione sophistica, secundò de tentatiua, tertiò de dialectica, quartò de demonstratiua, siue doctrinali.
B Ratio enim est, quia putatio, siue existimatio diuersorum, per priùs dicitur de ijs, qui magis videntur inter se diuersificari, quàm de iis, qui minùs: cæterùm cùm opponens, & respondens in disputationibus sophisticis, magis videantur inter se diuersificari, quàm in cæteris disputationibus: diuersorum putatio, ipsa scilicet disputatio, per priùs affirmabitur de disputatione sophistica, quàm de aliis: etenim in ea opponens, & respondens nullo pacto conueniunt, cùm ille vincere, iste non vinci intendat. In reliquis autem, aliquo modo non diuersificantur; nam licèt in tentatiuis opponens intendat, contrariando respondenti ex ijs, quæ illi videntur, experimentum sumere de ipso, & non è contrà, in quo non conueniunt; quia tamen respondens non repugnat, vt de se fiat tale experimentum, idcirco non omninò diuersificantur. Sicut
C in dialecticis, licèt opponens intendat tantùm, contrariari respondenti, ex probabilibus, in quo non conueniunt; tamen quia vterque tendit ad opinionem gignendam, minùs ac minùs inter se diuersificantur. Ac tandem in doctrinalibus, licèt scientificus, seu magister docere intendat, & non è contrà, in quo aliquantulum a discente discrepat; quia tamen præcipuus finis amborum est productio scientiæ, in hoc valdè conueniunt, ac minima differentia diuersificantur. Alio verò modo potest considerari disputatio in quantùm ad perfectionem finis eiusdem; & sic è contrà per priùs dicitur de disputatione demonstratiua, secundò de dialectica, tertiò de tentatiua, & vltimò de sophistica. Cuius ratio est, quia scientia, quæ est finis disputationis demonstratiuæ est perfectior opinione,
D quæ est finis disputationis dialecticæ: opinio autem perfectior est experientia, quæ est finis tentatiuæ, & experientia perfectior est vana gloria, quæ est finis sophisticæ.

Dicendum est ergo primò, quòd optima, & adæquata est diuisio disputationis in doctrinalem, dialecticam, tentatiuam, & sophisticam. Probatur primò: nam omnis disputatio valet ad aliquod propositum ostendendum, vt dictum est; vel ergo valet ad generandum habitum in aliquo, vel ad sumendum experimentum de habitu generato. Si secundum, sic est disputatio tentatiua. Si primum, hoc est dupliciter, quia vel valet ad generandum verum habitum, vel apparentem; si secundum, sic est disputatio sophistica; si primum, hoc est dupliciter, quia vel valet ad generandam scientiam, vel opinionem; si primum sic est doctrinalis, & demonstratiua disputatio; si secundum, & sic est disputatio dialectica, vel topica: ergo diuisio est adæquata.

Pro-

Probatur secundò; quia disputatio est actus syllogisticus: ergo vel talis actus procedit ex apparentibus tantùm; vel procedit ex existentibus. Si primum, sic est disputatio sophistica. Si secundum, hoc est dupliciter; vel procedit ex necessarijs, vel ex probabilibus: si primum, sic est disputatio doctrinalis: si secundum, hoc est dupliciter; quia vel procedit ex probabilibus indifferenter, vel ex ijs, quæ videntur probabilia respondenti: si primum, sic est disputatio dialectica; si secundum, & sic est disputatio tentatiua; sed cùm præter hæc membra diuidentia, alia non videantur assignanda: ergo talis diuisio est optima, & adæquata.

Dicendum secundò, quòd talis Disputationis diuisio, est tantùm analogi in sua analogata. Probatur; quoniam ratio disputationis quomodòcunque sumatur, vel scilicet etymologicè, vel ratione finis, principaliter, & absolutè dicitur de primo membro diuidente, de cæteris verò minùs principaliter, & proportionabiliter ad ipsum: ergo eiusdem diuisio est analogi in sua analogata. Consequentia bene infertur, vt patet ex dictis lib. 2. Instit. cap. 4. & alibi, de diuisione analogi. Antecedens autem probatur ex notatis; nam ratio disputationis secundùm etymologiam nominis per priùs, & perfectiori modo dicitur de disputatione sophistica, quàm de cæteris; è contrà verò secundùm considerationem finis secundùm quam considerationem per priùs dicitur, & perfectiori modo de disputatione doctrinali, quàm de alijs; ergo, &c.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis; tum quia, cuilibet argumentationi correspondet aliqua disputatio; quia secundùm quamlibet speciem argumentationis potest ostendi aliquod propositum; cùm igitur sit aliqua argumentatio prioristica; sequitur quòd etiam detur aliqua disputatio prioristica, de qua tamen non est facta mentio. Tum etiam quia aliquando disputatio fit per inductionem, atque ideò appellatur disputatio inductiua, de qua similiter non est facta mentio: ergo prædicta diuisio, valdè insufficiens, & diminuta est.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd hic non loquimur de disputatione, vt sic, & quasi in abstracto: nam in hoc sensu, sicut datur argumentatio prioristica, deberet etiam dari disputatio prioristica, vt probat argumentum: sed de disputatione, secundùm quòd applicatur alicui materiæ per propria instrumenta, & quasi in concreto. Cùm igitur quatuor modis, per quatuor instrumenta possit disputatio applicari materiæ, vt probatum est suprà, quatuor tantùm erunt membra ipsam diuidentia. Ad secundam verò rationem dicendum est, quòd cùm inductio sit syllogismus imperfectus reducibilis ad ipsum syllogismum, modo tamen explicato disp. 31. q. 2. ad 1. hinc est, quòd talis disputatio inductiua non ponit in numero, neque de ipsa explicitè loquimur.

Obijcitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis. Tum quia omnia necessaria sunt probabilia, vt patet, & alibi dictum est, cùm appareant omnibus, vel pluribus, aut sapientibus, in quo consistit probabilitatis ratio, ex dictis disp. 44. q. 1. Ergo disputatio dialectica, quæ procedit ex probabilibus, non differt à disputatione demonstratiua, quæ procedit ex veris. Tum etiam, quia nulla est disputatio, quæ generat apparentem opinionem: ergo pariformiter nulla erit disputatio generans apparentem scientiam, & per consequens non erit aliqua disputatio sophistica. Tum denique, quia disputationes distinguuntur secundùm suos fines, ex dictis in prima probatione conclusionis: sed disputatio doctrinalis, & dialectica ordinantur ambæ ad scientiam, quia etiam disputatio dialectica fit ad acquirendam disciplinam; ergo ista duo membra, malè inter se distinguuntur; & consequenter diuisio disputationis allata, erit vndequaque superflua.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd necessaria possunt dupliciter considerari; vno modo in sensu diuiso pro ijs, quæ necessaria dicuntur; & isto modo, necessaria possunt esse probabilia, vt dictum est loco citato: alio verò modo possunt considerari in sensu composito, videlicet vt necessaria sunt; & isto modo, necessaria inquantùm huiusmodi, non sunt probabilia; & in hoc sensu disputatio dialectica, & doctrinalis differunt. Ad secundam verò rationem negatur paritas, & ratio disparitatis est, quia scientia est tantùm verorum; opinio verò potest esse tam verorum, quàm falsorum; vnde bene potest esse apparens scientia, & non apparens opinio, quæ tamen si daretur, reduceretur vtique ad apparentem scientiam. Ad tertiam tandem rationem dicendum est, disputationes distingui secundùm suos fines proprios, & immediatos: modò scientia non est finis proprius, & immediatus disputationis dialecticæ, sed opinio; licèt posteà ex consequenti bene ordinetur ad scientiam, ad quam ipsa opinio disponit intellectum.

Obijcitur tandem tertiò in oppositum secundæ conclusionis: etenim disputatio in communi, non conuenit vni membrorum per alterum: ergo eius diuisio non est analogi in sua analogata. Consequentia patet ex eo, quòd ratio importata per nomen analogum, tantùm per primum, & principale analogatum conuenit alijs, vt patet de sanitate, cuius ratio conuenit vrinę, ac medicinæ tantùm per animal, quod est principale analogatum, cuius sanitas indicatur per vrinā, & causatur per medicinā: quare cùm allata diuisio secundū se non se habeat prædicto modo, non erit diuisio analogi, &c. Antec. probatur: nam ratio disputationis in communi, æqualiter dicitur de omnibus allatis disputationibus, cùm non minùs sit actus syllogisticus vnius ad alterum, ad aliquod propositum ostendendum disputatio dialectica, quàm doctrinalis: ergo non conuenit vni membro per alterum, aliter non æqualiter, sed inæqualiter conueniret.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm ratio disputationis secundùm etymologiam nominis principaliter, & perfectiùs dicatur de disputatione sophistica; & secundùm considerationem finis, de disputatione doctrinali, & demonstratiua, quàm de alijs, vt notatum est suprà; licèt omnes prædictæ disputationes sint actus syllogistici, &c. non tamen eodem modo, quod sufficit ad tollendam æqualitatem, & constituendam analogiam, vt patet de ratione entis respectu substantiæ, & accidentis.

QVÆS-

QVÆSTIO II.

An diuisio Meta Sophistarum in redargutionem, falsum, inopinabile, solœcismum, & nugationem sit adæquata, pariterque analogi in sua analogata.

SVpponendum est primò, hoc nomen *Meta* capi posse dupliciter; propriè scilicet, & transumptiuè. Primo modo capitur pro fine; & termino alicuius spatij, à verbo *metior metiris*; quia secundùm tales terminos, vel fines spatium mensuratur. Secundo verò modo (quantùm tamen facit ad rem nostram) capitur pro fine, & scopo, ad quem interrogans nititur ducere respondentem, quo adepto, cessat disputatio. De meta in primo sensu, non est hic sermo, sed tantùm in secundo; quæ cùm in præsenti negocio, non sit finis, & scopus interrogantis vtcunque, sed interrogantis sophistici, videlicet vt tantùm victoriam de aduersario consequatur, vel consequi videatur, nil aliud erit, quàm aliquod incommodum, vel absurdum, in quod, velut in terminum, ita respondens impingendo inhæreat, vt vltrà progredi, aut regredi nequeat.

Supponendum est itaque secundò, quòd *Meta redargutionis, siue reprehensionis, est præconcessi negatio, vel prænegati concessio, vi argumentationis, & in eadem disputatione*; vt si quis neget se nunc deambulare; Sophista verò sic contra argumentetur; Nonne quisquis heri eras, is etiam nunc es; heri autem eras deambulans: ergo & nunc deambulans es: quòd si concedat consequentiam, erit apertè redargutus. Notanter tamen dicitur *vi argumentationis*, quia si idem concederet, & negaret non vi argumentationis, sed problematicè defendendo, non propterea diceretur redargutus. Similiter signatè dicitur *in eadem disputatione*; quia si hoc accideret in diuersis, non idcirco ad tale reduceretur inconueniens, cùm possit quis pro libito progressu temporis mutare sententiam: *Meta verò falsi, est concessio alicuius manifestè falsi*; ad quam impellit Sophista, hoc modo: Quid quid nil repugnat fieri, nil repugnat vt fit; sed album nil repugnat fieri nigrum: ergo nil repugnat, vt album sit nigrum, quod est manifestè falsum. Vnde aduertendum est, quòd non debet esse falsum vtcunque, sed manifestè, ac patenter; quòd si fuerit tantùm occultè falsum, respondens non idcirco in metam incideret falsi, cùm circunstantibus saltem non appareret inconueniens, quod est præcipuus finis Sophistæ interrogantis. *Meta deinde paradoxi, idest inopinabilis, seu incredibilis est concessio alicuius, quod est contra opinionem sapientium, vel famosorum, vel aliquorum in aliqua scientia expertorum, vel vulgarium, vel illorum, de quorum secta est respondens.* Ad hoc incommodum cogit aduersarium Sophista, tali modo: Bonum non parit malum; veritas bona est, & odium malum: ergo veritas non parit odium, quod est inopinabile, & incredibile ferè apud omnes. *Meta verò solæcismi, est concessio orationis dissona regulis grammaticalibus, vi argumentationis*; ad quod incommodum redigere conatur arguens respondentem tali modo: Omnis homo est studiosus scientiæ; omnis mulier est homo: ergo omnis mulier, est studiosus scientiæ, quod vtique dissonum est Grammaticæ regalis. *Meta tandem nugationis, est alicuius orationis superflua concessio, vi argumentationis in eadem disputatione*; ad quem interrogans videtur inducere respondentem, dicendo: Binarius est numerus; sed par est numerus, qui in duas æquas partes diuiditur: ergo binarius numerus, est numerus, qui in duas æquas partes diuiditur.

Omnes doctores vnanimiter affirmant, diuisionem Metæ esse adæquatam, licèt non omnes asserant esse analogi in sua analogata; & præcipuè illi contrarium tenentur astruere, qui in antecedenti quæstione docebant, diuisionem disputationis esse vniuoci in sua vniuocata; cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia.

Notandum tamen est huiusmodi metas, siue inconuenientia, posse dupliciter considerari; vel scilicet principaliter; vel ordinatiuè, siue reductiuè. Primo modo spectant ad diuersas scientias, quia redargutio est contra illam scientiam, ad quam pertinet consideratio primi principij, nempe quòd contradictoria non sunt simul vera, hoc est ad Metaphysicam. Falsum est, contra Scientiam naturalem, & mathematicam, in quibus veritas est manifesta. Inopinabile verò, est contra Dialecticam, quæ procedit ex probabilibus, quæ sunt secundùm opinionem omnium, vel plurium, vel sapientium. Solæcismus est contra Grammaticam, quæ docet congruenter loqui. Nugatio tandem, est contra Rhetoricam, quæ docet ornatè loqui. Secundo verò modo talia incommoda, & metæ reperiri, & ordinari possunt ad singulas scientias, quia in qualibet scientia, respondens reduci potest ad singulas metas, vt patet.

Dicendum est ergo primò, quòd diuisio metæ Sophistarum in redargutionem, falsum, inopinabile, solæcismum, & nugationem, est optima, & adæquata.

Probatur; nam omnis meta est inconueniens conclusum contra respondentem: vel ergo illud inconueniens se tenet ex parte sermonis; vel ex parte rei. Si ex parte rei, hoc est dupliciter; vel scilicet se tenet ex parte rei absolutè; & sic est falsum; vel respectiuè, & sic dupliciter: nam, vel sumitur per respectum ad dicta respondentis; vel ad opinionem illorum, quos insequitur, & sectatur. Si primum, sic est redargutio. Si secundum, sic est inopinabile. Si autem se teneat prædictum inconueniens ex parte sermonis, hoc etiam intelligi potest dupliciter; vel scilicet, ita vt se teneat ex parte subiectæ orationis, & sic est nugatio; vel ex parte suorum accidentium, & suæ congruentiæ, & sic est solæcismus; sed præter hos modos, non potest concludi prædictum inconueniens contra respondentem, vt consideranti patere poterit: ergo prædicta diuisio est optima, & adæquata. Consequentia patet ex regulis bonæ diuisionis.

Dicendum est secundò, quòd prædicta metæ diuisio, est analogi in sua analogata. Probatur: etenim ratio metæ, siue inconuenientis in disputatione sophistica, per priùs, & perfectiùs, simpliciter, & absolutè, siue secundùm se dicitur de redargutione, de cæteris verò metis minùs perfectè, & per ordinem ad ipsam:

sam: ergo eiusdem diuisio est analogi in sua analogata. Consequentia patet; quia vbicunque ratio importata per nomen, non dicitur æqualiter de omnibus membris diuidentibus, signum est, quòd prædicta diuisio debet esse analoga, ex dictis de analogia. Antecedens autem probatur, quoniam nullum est manifestius, maiusque inconueniens in disputatione sophistica, quàm adducere respondentem, vt simul neget, & concedat duo contradictoria, cùm talis oppositio, & contrarietas sit omnium maxima, ex dictis disp. 18. q. 4. sed hoc omnino sequitur in redargutione: ergo ratio talis inconuenientis, per priùs, & perfectiùs dicitur de redargutione; de cæteris verò tantùm per respectum ad illam; sicut reliquæ contrarietates, & oppositiones dicuntur tales ratione oppositionis contradictoriæ, de qua participant, vt patet ex dictis, disputatione, & quæstione citatis.

Obijcitur primò in oppositum primæ conclusionis. Tum quia per barbarismum, quem alij vocant barbaralexim, non minùs inducitur respondens ad inconueniens sophisticum, quàm adducatur per enumeratas metas, vt patet dum arguitur hoc modo per fallaciam accentus, Omnis ara est in templo; sed porcorum stabulum, est hara: ergo porcorum stabulum est in templo: etenim barbarismus fit etiam per detractionem aspirationis, propter H scilicet, quam alij literam, alij aspirationis notam deputant: ergo vltra prædictas metas, erit alia addenda; & consequenter diuisio est insufficiens. Tum etiam, quia non loqui, seu tacere, dum scilicet respondens omnino conuictus, manet irresolutus, nihil dicendo, est quidem sophistica meta, & tamen hic non enumeratur: ergo diuisio est insufficiens, cùm non afferantur omnia membra diuidentia.

Respondetur, & primò ad primam rationem, barbarismum se habere ad solæcismum, sicut se habet defectus partis minùs principalis, ad defectum partis magis principalis: etenim barbarismus est defectus Ortographiæ, siue scriptæ, siue vocalis, quæ est pars minùs principalis Grammaticæ; solæcismus verò est defectus syntaxis, siue rectæ compositionis partium ipsius orationis, quæ est pars principalis Grammaticę, siue artis rectè loquendi. Quamobrem cùm vterque defectus sit vitium, regulas grammaticales inficiens, à quo pro viribus abstinendum censuit Quintilianus lib. 1. cap. 5. dum ait, *Prima barbarismi, ac solæcismi fœditas absit*; idcirco non est addenda noua meta sophistica per barbarismum, sed ad solæcismum, tanquam minùs ad magis principale, est vndequaque reuocanda. Ad secundam verò rationem respondendum est, quòd licèt non loqui sit meta, tamen est generalis, & non specialis, distincta à cæteris; quia dum respondens tacet, ducitur ad eandem metam, ad quam duceretur si loqueretur.

Obiicitur secundò in oppositum eiusdem primæ conclusionis. Tum quia respondens concedendo contradictoria ex vi disputationis, semper videtur concedere aliquod falsum, cùm non possint esse simul vera, sed vnum verum, & aliud falsum ex dictis disp. 25. q. 2. Ergo meta redargutionis nō erit distincta à meta falsi; & consequenter erit superfluum vnum prædictorum membrorum. Tum quia, omne manifestè falsum, est inopinabile, cùm sit contra opinionem omnium, quibus est manifestè falsum: ergo meta falsi non distinguitur à meta inopinabilis. Tum denique quia epizeusis siue repetitio verborum in oratione, magis confert ad ornatum, & clariorem expressionem sententiæ, vt patet ex illo Ciceronis, oratione 7. in Verrem n. 161. *Crux, crux inquam infelici, & ærumnoso*: ergo superuacaneè ponitur pro meta, & inconuenienti.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt concedens duo contradictoria semper concedat aliquod falsum, non tamen ducitur ad metam falsi, cùm non concedat aliquod manifestè falsum: nam ambo contradictoria sunt quandoque obscura, & per hoc distinguitur redargutio à meta falsi. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd aliunde sumitur falsum, aliunde inopinabile: falsum enim sumitur à non existentia rei; quoniam ex eo, quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, ex Philosopho cap. de substantia: inopinabile verò, ab opinione audientium, contrarium existimantium. Quare licèt manifestè falsum quandoque sit inopinabile; non tamen è contrà, inopinabile est manifestè falsum; quod sufficit ad hoc vt falsum, & inopinabile sint metæ distinctæ. Ad tertiam tandem dicendum est, quòd meta nugationis non est repetitio verborum vtcunque, sed omnino inutilis. Epizeusis autem non est inutilis verborum repetitio, sed teste Tullio, non tantùm loco citato sed clariùs 3. de Oratore 206. *Habet interdum vim, leporem aliàs*. Vnde Rhetores, ad orationis vehementiam, & suauitatem, & aurium delectationem, ea non infrequenter vtuntur.

Obijcitur tandem tertiò contra secundam conclusionem; quoniam ideò diuisio animalis e. g. in rationale, & in brutum est vniuoca, generisque in suas species, quia ab ipsis membris diuidētibus est abstrahibilis conceptus, & ratio simpliciter communis, nempe animal: sed etiam ab istis metis, & inconuenientibus, est abstrahibilis ratio, & conceptus similiter communis, nempe ipsummet inconueniens: ergo diuisio metæ erit vniuoca. Maior patet ex eo, quòd ab analogis non est abstrahibilis aliquis conceptus simpliciter communis, vt dictum est suprà disp. 9. q. 4. Minor verò probatur: nam ideò conceptus animalis est abstrahibilis ab homine, & bruto; quia non est de essentia illorum præcisè, & formaliter consideratorum; cùm genus non sit de essentia differentiarum illud contrahentium, vt dictum est suprà, disput., & quæst. citatis, atque alibi: sed etiam conceptus inconuenientis, & absurdi, non est de essentia prædictarum metarum præcisè, & formaliter sumptarum, cùm possit pluribus, ac pluribus aliis rebus simpliciter conuenire (sicut enim conceptus animalis, non tantùm simpliciter dicitur de homine, verùm etiam de bruto, cæterisque eius speciebus; ita conceptus inconuenientis, non tantùm simpliciter dicitur de redargutione, tanquam de primo analogato, verùm etiam de cæteris metis, rebusque infinitis) ergo conceptus inconuenientis, & absurdi, est abstrahibilis à metis, & inconuenientibus etiam enumeratis.

Respondetur, prædictum argumentum, haud parum laborare in æquiuoco, sumendo inconueniens, & absurdum aliquando in lata, aliquando in stricta significatione. Quare neganda est minor. Ad cuius probationem distinguendum est de absurdo, & inconueniente, quod si accipiatur in lata significatione, pro omni eo, quod simpliciter non decet, concedendum quidem est, eius conceptum non esse de essentia ha-

harum metarum, vt probat argumentum; si autem accipiatur sicut accipiendum est, in stricta significatione, prout tantùm significat incommodum, & inconueniens productum, & causatum per sophisticam disputationem, est vtique de essentia harum metarum formaliter, & præcisè sumptarum, secundùm priùs, tamen, & posteriùs, vt dictum est suprà; cùm quælibet earum etiam formaliter, & præcisè considerata, sit essentialiter, & formaliter meta, & incommodum Sophistarum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm tam diuisiones, quàm subdiuisiones loci sophistici, seu fallaciæ sint adæquatæ, analogique in sua analogata.

POstquàm in superioribus quæstionibus actum est tum de diuisione disputationis in illa quatuor membra, vt omnino sciamus, ad quod nam eorum sophisticus ordinetur syllogismus; tum de diuisione metarum, ne penitus ignoremus finem, ad quem Sophista, mediante sophistica disputatione ducere nitatur respondentem: vt denique talibus in negocijs ritè, ac ordinatè videamur procedere; manet tantùm agere in præsenti, de diuisione, ac subdiuisione ipsius loci sophistici, ac fallaciæ, quibus in arguendo vti debemus.

Quare supponendum est primò, quòd *Fallacia, vt sic, est idoneitas quædam decipiendi, faciens credere de non ente, quòd sit ens, mediante phantastica visione.* Dicitur *Idoneitas*, non vtique intellectus decipientis (etenim in hoc sensu, esset naturalis potentia de genere qualitatis) sed tantùm rerum, vel dictionum, quæ diuersimodè concipiuntur; vnde non est ens reale, sed rationis. Additur vlterius, *Faciens credere de non ente, quòd sit ens*; idest per apparentiam non simpliciter, & quatenus formaliter non est ens; nam tali modo crederetur vnum contradictorium verificari de alio, quod est impossibile. Tandem dicitur, *Mediante phantastica visione*, nempe apprehensione alicuius apparentis, & non existentis: quoniam intellectus non fallitur, nisi cùm miscetur sensui, aut phantasiæ per reflexionem ad ipsam, non valentem repræsentare naturas rerum, vt sunt in se. Ex quo fit, quòd in hac fallaciæ descriptione, duo considerari possint, nempe deceptio passiua, idest eius, cui paralogizatur, & deceptio actiua, nempe principium ipsum actiuum talis deceptionis. Prima, nil aliud est, quàm dolus causatus in respondente ex apparenti conuenientia termini inferentis ad terminum illatum; & de hac deceptione non est sermo in præsenti, nisi concomitanter, & consecutiuè, cùm verè, & propriè non sit locus sophisticus. sed effectus illius. Secunda verò deceptio nil aliud est, quam habitudo apparens termini inferentis, ad terminum illatum; & de hac loquimur in præsenti, cùm sit locus sophisticus, qui diuiditur in fallaciam dictionis, & hęc in fallaciam æquiuocationis, amphibologiæ, &c. & A in fallaciam extra dictionem, quæ similiter diuiditur in sua membra, nempe in fallaciam accidentis, secundùm quid ad simpliciter, &c. vt dictum est suprà lib.3. Instit. cap.8.

Supponendum est secundò, quòd eodem modo (proportione tamen seruata) philosophandum est de loco sophistico, ac de loco dialectico. Quare si locus dialecticus est sedes argumenti dialectici, vel id ex quo depromitur argumentum probabile; ita pariter fallacia, siue locus sophisticus est sedes, vel id ex quo educitur argumentum sophisticum, & apparens. Et sicut in eodem loco dialectico, plura dialectica fundantur argumenta; sic in eadem fallacia, plures fundantur paralogismi. Item sicut locus dialecticus diuiditur per locum maximam, & locum differentiam maximæ; ita B & locus sophisticus; cùm in qualibet fallacia locus maxima, & locus differentia maximæ, per similitudinem reperiatur, vt patet, tum in fallacia æquiuocationis, e.g. vbi maxima est hæc propositio, scilicet, Omnis dictio actualiter vna, habet tantùm vnum significatum, quod realiter falsum est, licèt apparenter videatur verum, vt patet dum dicitur, Canis latrat; sidus est canis: ergo sidus latrat. Differentia verò maximæ est æquiuocatio prædictorum terminorum, vel eorundem habitudines: Tum etiam in fallacia accidentis, vbi maxima est: Quidquid dicitur de accidente, dicitur de subiecto, quod similiter, licèt apparenter sit verum, tamen realiter est falsum; vt patet dum dicitur, Cognosco venientem; veniens est Coriscus: ergo cognosco Coriscum. Differentia verò maximæ, sunt prædicti termini, vel eorundem habi- C tudines. Ac tandem, sicut tam locus maxima, quàm differentia maximæ, in dialecticis diuiditur more quantitatis successiuæ, ac permanentis in eadem membra, vt dictum est suprà disput. 46. q. 3. in principio; ita in sophisticis eodem modo diuidi debet tam locus maxima, quàm differentia maximæ, nempe in fallaciam dictionis, & in fallaciam extra dictionem, & hæ in sua membra.

In hac quæstione, sicut & in superioribus, omnes Philosophi conueniunt circa adæquationem, & sufficientiam prædictæ diuisionis, atque subdiuisionum, partem sustinendo affirmatiuam; licèt circa qualitatem earundem, nempe an generis in suas species, analogique potiùs in sua analogata, non omnes consentiant.

D Notandum est idcirco primò, quòd ad quamlibet fallaciam duo requiruntur, nempe causa apparentiæ, & causa defectus. Causa apparentiæ est, quæ mouet ad credendum quod non est, quæ consistit in quadam apparenti conuenientia termini inferentis ad terminum illatum, vnde alio nomine vocatur primum motiuum, quod mouet hominem, vt argumento sophistico assentiat. Causa verò defectus est, quæ falsificat creditum, quæ consistit in defectu, & carentia necessariæ connexionis medij cum extremis; vnde vocari etiam solet causa non existentiæ, cùm in rei veritate nulla connexio existat, quæ tamen simulatur per apparentem illam conuenientiam termini inferentis ad illatum; vt patet in hac fallacia, e.g. accidentis, nempe, Cognosco venientem; veniens est Coriscus: ergo cognosco Coriscum: nam apparens illa conuenientia termini inferentis ad terminum illatum, nempe cognosco venientem, & cognosco Coriscum, est causa

apparentiæ; diuersitas verò subiecti, scilicet Coriscí, & accidentis, nempe venientis, est causa defectus. Quare licèt si non esset causa defectus in argumento, nulla esset fallacia, vt patet; tamen originaliter causa defectus prouenit à causa apparentiæ, ratione cuius tegitur, & occultatur in argumento. Talis autem causa apparentiæ duplex est; quædam enim est, quæ sumitur ex parte vocis, & est quando propter vnitatem vocis credimus vnitatem in significato, ex eo scilicet, quòd hæc vox *Canis*, e.g. est vna, credimus etiam, quòd habeat vnum significatum. Quædam autem est, quæ sumitur ex parte rei, & tunc euenit, quando propter vnitatem aliqualem duorum inter se, credimus illa esse eadem simpliciter, vt patet dum per conuenientiam subiecti, & accidentis, e. g. credimus illa simpliciter esse eadem.

Notandum secundò, quòd omnis fallacia in dictione fit secundùm aliquod multiplex, idest secundùm multiplicia significata in vna voce. Tale autem multiplex, triplex est, actuale scilicet, potentiale, & phantasticum. Multiplex actuale est dictio, vel oratio eadem in materia, & forma, habens diuersas significationes, seu diuersos sensus, vt hæc dictio *Canis*; vel hæc amphibologica oratio, *Inimicos velle me recipere*; vnde materia dictionis non est aliud, quàm literæ, ac syllabæ; orationis autem, dictiones ipsæ. Forma verò nil aliud est, quàm modus proferendi, scribendi, vel ordinandi maximè in oratione. Multiplex autem potentiale est dictio, vel oratio, eadem in materia, & diuersa in forma, diuersos habens sensus, ac significationes, vt hæc dictio *Populus*, quæ dum habet primam syllabam breuem, significat collectionem gentis, & dum habet primam longam significat arborem quandam; vel hæc oratio, *Socrates currens necessariò currit*, quia secundùm diuersos modos proferendi, ly *necessariò* potest referri ad currens, & ad currit, atque ibi sunt diuersa significata secundùm compositionem, & diuisionem. Et quia in tali multiplici est tantùm vnitas materiæ, scilicet vocis, non autem vnitas formæ, siue modi proferendi, a qua vnitate formæ sumatur actualis vnitas dictionis; ideò talis dictio, vel oratio est tantùm potentialiter vna, & non actualiter, vnde dicitur multiplex potentiale, quia ibi plicantur multa significata in voce, quæ est tantùm potentialiter vna. Multiplex tandem phantasticum est dictio, vel oratio tantùm vnum significans, cui tamen ex phantasia considerantis, attribuitur sibi alia significatio, seu alius sensus per similitudinem, quam habet cum alia dictione, vel oratione; vt hæc dictio *Frons*, quæ tantùm habet vnam significationem; sed propter similitudinem, quam habet cum alia dictione, e. g. *Pons*; sibi attribuitur alia significatio: vel hæc oratio *Petrus abit*, quæ etiam vnam habet significationem, cui ab imperitis attribuitur alia significatio propter similitudinem, quam habet cum hac alia oratione; nempe *Petrus habet*.

Dicendum est ergo primò, quòd diuisio loci sophistici in fallaciam dictionis, & in fallaciam extradictionem, est adæquata. Probatur; quoniam tot sunt loca sophistica, siue fallaciæ, quot subiecta, à quibus in disputatione sophistica, potest sumi causa apparentiæ ad decipiendum; sed talia subiecta sunt tantùm duo, dictiones scilicet, siue voces, & res quæ per voces in disputatione sophistica significantur: ergo &

A duo tantùm loca sophistica; & consequenter talis diuisio in fallaciam dictionis, &c. erit adæquata. Hæc vltima consequentia patet; nam cùm fallacia dictionis, ex dictis lib. 3. Instit. cap. 8. sumatur à vocibus res significantibus; & fallacia extra dictionem, à rebus ipsis significatis; fit inde, quòd si talia subiecta adæquant totam disputationem sophisticam; etiam diuisio fallaciæ in dictionem; & extra dictionem, fit adæquata. Prima consequentia bene deducitur. Maior etiam patet: quoniam cùm causa apparentiæ sit tota ratio loci sophistici, & fallaciæ, quinimmo & ipsius causæ defectus, vt notatum est suprà; tot erunt loca prædicta, quot subiecta, & materiæ, vnde sumuntur prædictæ causæ defectus, & apparentiæ. Minor verò probatur: quoniam omnis disputatio, vel

B est de rebus, vel de vocibus res significantibus; cùm nil aliud verti possit in disputatione, vt de se patet: ergo subiecta, & materiæ disputationis sophisticæ, vel sunt dictiones, siue voces; vel res per prædictas dictiones significatæ.

Dicendum est secundò, quòd diuisio fallaciæ dictionis, in fallaciam æquiuocationis, amphibologiæ compositionis, diuisionis, accentus, & figuræ dictionis, est adæquata.

Probatur ex Philosopho hic cap. 3. inductione, & syllogismo, quę probatio breuitatis gratia ad hanc formam reduci solet; nempe, quia omnis fallacia in dictione fit secundùm aliquod multiplex, ex notatis: vel ergo fit secundùm multiplex actuale, vel potentiale, vel phantasticum. Si secundùm multiplex actuale, hoc est dupliciter; vel secundùm multiplex actuale dictio-

C nis incomplexæ, & sic est æquiuocatio; vel orationis, & sic est amphibologia. Si secundùm multiplex potentiale, hoc est dupliciter; vel fit in dictione, & sic est accentus; vel in oratione, & sic est dupliciter; vel scilicet illa oratio est continuè prolata, & sic est fallacia compositionis; vel discontinuè, & sic est fallacia diuisionis. Si tandem secundùm multiplex phantasticum, & sic est fallacia figuræ dictionis: sed præter hęc multiplicia, non est aliud assignandum; ergo talis diuisio est adæquata.

Dicendum est tertiò, quòd diuisio fallaciæ extradictionem in fallaciam accidentis, secundùm quid ad simpliciter, ignorantiæ elenchi, petitionis principij, consequentis, non causæ, vt causæ, & secundùm plures interrogationes vt vnam, est adæquata.

D Probatur; quoniam omnis fallacia extradictionem, vel peccat contra syllogismum, vel contra elenchum; cùm omnis fallacia, cæteris paribus, deficiat circa syllogismum redargutorium, siue contradictionis, qui scilicet, & rationem syllogismi, & contradictionis simul habet. Quapropter si peccat contra syllogismũ tantùm, vel peccat circa materiam, vel circa formam; si primum, & sic, est fallacia plurium interrogationum, vt vnius; si autem peccat circa formam, vel peccat circa formam propositionum, vel terminorum, vel totius syllogismi, seu formam syllogisticam: si primum, & hoc dupliciter, vel scilicet quia propositio, apparenter videtur causa conclusionis, & sic est fallacia non causæ vt causæ; vel quia propositio apparenter videtur principium notius, quàm sit conclusio, & sic est petitio principij. Si verò peccet contra formam terminorum, qui apparenter videntur habere connexionem cum medio, & inter se, & sic

sic est fallacia accidentis. Si autem peccet contra formam syllogisticam, siue totius syllogismi, tunc oportet, quòd peccet contra consequentiam ipsam; sed hoc dupliciter, vel scilicet quia apparenter videtur consequens sequi ex antecedente, & sic est fallacia consequentis; vel quia inferens imperfectè infert, & sic est fallcia secundùm quid ad simpliciter. Si tandem peccet contra elenchum tantùm, hoc est circa leges veræ, ac rigorosæ contradictionis; & sic est ignorantia elenchi: Sed præter hos modos peccandi contra syllogismum, & elenchum, non videntur alij assignandi: ergo neque alia genera fallaciarum extra dictionem; & consequenter diuisio prædictæ fallaciæ est omnino adæquata.

Dicendum est tandem quartò, quòd prædictæ diuisiones, ac subdiuisiones fallaciarum extra dictionem, sunt tantùm analogi in sua analogata. Probatur; nam ratio fallaciæ, deceptionis, & apparentię, priùs, & simpliciter dicitur de fallacijs in dictione, & inter eas, priùs, & simpliciter de æquiuocatione, de cæteris verò secundariò, & per ordinem ad ipsas; sicut loquendo de fallacijs extra dictionem, priùs, & simpliciter dicitur de fallacia accidentis; de cæteris verò, similiter secundariò, & per ordinem ad illam: ergo prædictæ diuisiones, ac subdiuisiones, sunt tantùm analogi in sua analogata. Patet consequentia ex ijs, quæ dicta sunt de analogis disp. 9. Antecedens autem probatur, & primò de fallacijs in dictione: nam licèt res, ordine naturæ præcedant dictiones; non tamen præcedunt in disputatione, & præcipuè sophistica, quia res non cadunt in disputatione, nisi per voces; & consequenter per voces, priùs contingit deceptio respondentis: ergo ratio fallaciæ, &c. priùs, & simpliciter dicitur de fallacijs in dictione. Secundò probatur idem antecedens de fallacia æquiuocationis; nam talis fallacia peccat secundùm multiplex actuale in dictione: ergo præcedit omne multiplex, cùm per ordinem ad talem multiplicitatem, quidquid est multiplex, tale dicatur, vt patet: ergo ratio fallaciæ in dictione, quæ consistit in aliqua multiplicitate, vt notatum est suprà, priùs, & simpliciter dicitur de fallacia æquiuocationis. Tertiò tandem probatur idem antecedens, de fallacia accidentis; nam ratio deceptionis, & apparentiæ, ibi priùs, & simpliciter est, vbi plures, & grauiores captiones sequuntur in respondente; at per prædictam fallaciam accidentis, inter fallacias extradictionem, plures, & grauiores sequuntur captiones in respondente; cùm ex Philosopho 6. huius libri, per illam sapientes etiam homines sæpenumerò capiantur: ergo ratio fallaciæ extradictionem, per priùs, & simpliciter, &c.

Obijcitur primò in oppositum primę conclusionis. Tum quia nulla est fallacia in dictione tantùm, vel extra dictionem, cùm omne argumentum sophisticum, simul sit de rebus, & de vocibus ipsas res significantibus: ergo illa diuisio nulla. Tum etiam, quia fallacia amphibologiæ, & fallacia compositionis, & diuisionis, non accipit suam apparentiam ex parte dictionis, neque extra dictionem, sed tantùm ex parte orationis: ergo vltra fallacias in dictione, & extradictionem, est assignandum aliud membrum, nempe fallacia ex parte orationis.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd licèt omnis fallacia sit de rebus simul, & de vocibus, prædictas res significantibus; non tamen quælibet sumit causam suæ apparentiæ ex rebus, & ex dictione simul, sed quædam ex rebus tantùm, quædam verò ex dictione tantùm; & in hoc sensu sumitur prędicta diuisio. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd si accipiatur dictio pro voce incomplexa tantùm vt distinguitur contra orationem, sic amphibologia, &c. non fiunt in dictione; sed si capiatur dictio pro voce significatiua, quæ dicendo profertur, siue sit complexa, siue incomplexa; sic amphibologia, &c. fiunt in dictione; & in hoc sensu sumitur dictio in præsenti.

Obijcitur secundò in oppositum secundæ conclusionis. Tum quia septem sunt fallaciæ extra dictionem, vt patet 1. Elench. cap. 4. ergo, & septem sunt in dictione. Patet consequentia, quia tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis dicitur reliquum ex 5. Metaph. Tum etiam quia multiplex, est tantùm triplex, sed quælibet fallacia in dictione habet fieri circa aliquod multiplex: ergo tres fallaciæ tantùm sunt in dictione, & consequenter superflua, & inadæquata diuisio assignata.

Respondetur, & primò ad primam rationem, quòd loquendo de oppositis propriè dictis, & formalibus, tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis reliquum; hoc tamen non est vniuersaliter de oppositis communiter sumptis: prædicta autem diuisio fallaciæ in communi, non est diuisio per opposítas res, sed per oppositas rationes; quare ratio adducta non sequitur. Ad secundam autem respondetur, quòd licèt tantùm sit triplex multiplex in genere, plura tamen sunt in specie, vt per adductam, & assignatam rationem pro nostra conclusione patet.

Obijcitur tertiò in oppositum tertiæ conclusionis. Tum quia fallaciæ extra dictionem, ad differentiam fallaciarum in dictione, sumunt causam apparentiæ ex parte rei secundùm diuersas habitudines partium entis: ergo quot erunt diuisiones entis, tot erunt prædictæ fallaciæ; sed entis diuisiones sunt plures septem, vt docent Metaphysici; ergo & prædictæ fallaciæ. Tum etiam, quia fallacia consequentis est pars fallaciæ accidentis; quia vbicunq; est consequens, ibi est accidens, cùm accidens, semper sequatur; sed pars non distinguitur contra suum totum: ergo illæ duæ fallaciæ non distinguuntur inter se; & consequenter prædicta diuisio non erit adæquata.

Respondetur ad primam rationem, negando consequentiam; nam sufficit ad hoc, vt prædictæ fallacię suam accipiant causam apparentiæ, &c. quòd vnaquæque earum supponat aliquam diuisionem entis, sibi correspondentem: etenim quia vna diuisio entis, est in per se, & in per accidens, secundùm illam accipitur fallacia accidentis. Item alia diuisio entis, est in perfectum, & in imperfectum; secundùm conuenientiam membrorum eius, sumitur fallacia secundùm quid ad simpliciter. Alia autem diuisio est per oppositum, & non oppositum, secundùm quam sumitur ignorantia elenchi. Alia insuper diuisio est per idem, & diuersum, secundùm quam sumitur petitio principii. Alia est penes priùs, & posteriùs, secundùm quam sumitur fallacia consequentis. Alia item est penes causam, & effectum, secundùm quam sumitur non causa vt causa. Alia tandem entis diuisio est per vnum, & multa, secundùm quam sumitur fallacia plurium inter-

terrogationum vt vnius. Vnde superfluum est, quòd omnibus, & singulis diuisionibus entis correspondeat aliqua fallacia extra dictionem. Ad secundam verò rationem respondetur, fallaciam consequentis, vtique esse partem materialem fallaciæ accidentis, cùm in omnibus paralogismis fallaciæ consequentis, etiam reperiatur fallacia accidentis; nam quid quid consequitur ex aliqua re, vt homo e. g. ex animali, est eius accidens, vt docet Philosophus hic cap. 5. minimè verò partem formalem eiusdem, cùm fallacia accidentis possit esse, vbi non est consequens: nanque album, e. g. cùm sit accidens hominis, non est consequens hominis, quod in aliis etiam plerisque accidentibus cernere licèt. Vnde fit, vt omne sophisma consequentis, alia ratione spectatum, sit sophisma accidentis; non tamen omne sophisma accidentis, sit sophisma consequentis.

B

Obiicitur tandem quartò in oppositum quartę conclusionis. Tum quia ex eo, quòd aliqua ratio dicatur priùs, & simpliciter de vno membro diuidente, de cæteris verò minùs principaliter, & per ordinem ad illud, non semper sequitur quòd talis diuisio sit analoga; cùm differentiæ, etiam genus essentialiter contrahentes, inter se sint inæquales, & vna prior, & perfectior alia sit, vt patet de rationale, & irrationale contrahentibus animal: ergo adducta ratio pro conclusione, non tollit vniuocationem, neque facit diuisionem illam esse analogam. Tum etiam, quia ratio fallaciæ, si per priùs de aliqua fallaciarum diceretur, quàm de alia; non quidem de fallacia æquiuocationis in dictione, vel de fallacia accidentis extra dictionem, sed de fallacia ignorationis elenchi, cùm ex Philosopho hic cap. 5. omnes fallaciæ tam in dictione, quàm extra dictionem, ad ignorantiam elenchi sint reducendæ; sed ex prædicta reductione non tamen sequitur prædicatio, atque diuisio analoga, vt patet ex dictis: ergo neque aliunde; & consequenter tales diuisiones, & subdiuisiones, non sunt analogi in sua analogata, sed generis in suas species.

C

Respondetur & primò ad primam rationem, negando antecedens; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt differentiæ essentialiter contrahentes, & diuidentes genus, vna earum sit altera perfectior, & nobilior secundùm se; non tamen quæ imperfectior est, & ignobilior, suam sortitur positiuam perfectionem, ac nobilitatem proportionabiliter, & per ordinem ad perfectiorem, ac nobiliorem, cùm ex æquo diuidant genus; sed absolutè, & simpliciter, vt dictum est suprà disp. 18. q. 6. not. 2. Cæterum verò assignatæ fallaciæ, habent totam vim deceptionis, & apparentiæ proportionabiliter, & per ordinem ad perfectiorem, vt dictum est. Ad secundam verò rationem respondetur, ignorationem elenchi, posse dupliciter considerari, vel vt scilicet est specialis vna aliqua fallacia, ab aliis distincta, & in hoc sensu, non omnes fallaciæ reducendæ sunt ad ipsam, neque hoc docuit Philosophus, vt patet loco citato; aliter enim perfectum, quemadmodùm sunt fallaciæ in dictione, reduceretur ad imperfectum, vt sunt fallaciæ extra dictionem: uel aliter considerari potest, ut scilicet in communi, & in genere accipitur, nempe quatenus significat aliquam deceptionem, & apparentiam causatam ex ignoratione syllogismi redarguitiui, ut sic;

D

A

hoc est, non satis rectè considerati, ac perpensi à respondente; & in hoc sensu, omnes fallacię, etiam ignoratio elenchi, vt est vna specialis fallacia, reducendę sunt ad ipsam: nam omnes reducuntur ad deceptionem, & apparentiam, tanquàm ad unam rationem communem analogam, inęqualiter, & proportionabiliter participatam, ut dictum est.

DISP. QVINQVAGESIMANONA.

De Locis sophisticis, seu Fallacijs in dictione.



POST disputationem de fallacijs in communi, ad singulas in speciali descendimus, de singulis quæstiones instituendo iuxta seruatum ordinem a Philosopho. Et quia ex dictis, fallaciæ in dictione longè præstant fallacijs extra dictionem; de ipsis in hac disputatione agendum videtur, cæteras ad sequentem remittendo.

QVÆSTIO I.

An fallacia æquiuocationis consistat formaliter in vnitate vocis, siue termini, plura, vt plura significantis actu, vel tantùm aptitudine.



Æquiuocationis fallaciam, in vnitate vocis, siue termini, plura vt plura significantis, formaliter consistere, pro rato quidem habetur. Tum quia æquiuocatio contingit quando vox, formaliter & actualiter vna (ad differentiam vtique accentus, in quo vox, tantùm materialiter, & potentialiter vna est) plura vt plura significat; cùm *Æquiuocatio nil aliud sit, quàm multiplicitas dictionis eiusdem, secundùm substantiam, & modum perferendi*. Tum etiam, quia causa apparentiæ huius fallaciæ, est actualis vnitas dictionis, plura significantis, propter quam vnitatem credimus, quòd sicut dictio est actualiter vna secundùm vocem, quòd etiam habeat vnum significatum. Quare tantùm est dubium, an sicut fallacia æquiuocationis, formaliter consistit in actuali vnitate vocis, etiam debeat consis-

tere

tere in actuali significatione eiusdem.

Pro quo recolere debemus id, quòd superiùs disp. 20. q. 1. obseruauimus, nimirum per voces, & dictiones, duos in nobis generari conceptus, ipsius vocis scilicet, qui appellatur non vltimatus, & rei per vocem significatæ, qui vltimatus dicitur. De actuali significatione vocis, siue dictionis, secundùm quòd in nobis gignitur conceptus non vltimatus, non procedit præsens quæstio, cùm impossibile sit, actualem vocem actuali conceptu carere sui ipsius, etiam in idiomatis ignaris. Præter quàm quòd gratis quæreretur an fallacia æquiuocationis, formaliter consisteret in voce, plura vt plura actualiter significante, cùm quælibet vox, secundùm talem conceptum non vltimatum non plura, sed vnum, & idem significet apud omnes, cùm significet naturaliter. Quamobrem, tantùm procedit quæstio de actuali significatione vocis, & dictionis æquiuocæ, secundùm quòd in nobis formatur conceptus vltimatus.

Item obseruare debemus, quòd actualis significatio alicuius dictionis actualiter vnius, potest dupliciter intelligi; primò sub disiunctione, ita vt omnia sui significata, actualiter contineat disiunctiuè; vt dicendo, v. g. Canis mouetur, fiat sensus, vel terrestris, vel marinus, vel cœlestis; secundò verò sub copulatione, ita vt omnia sua significata actualiter contineat sub copulatione, vt dicendo, Canis mouetur, fiat sensus, terrestris, marinus, & cœlestis simul; & in vtroque sensu procedit quæstio.

Prima sententia est Auersæ q. 15. Logic. sect. 1. & aliorum, docentium fallaciam æquiuocationis, formaliter tantùm consistere in aptitudinali significatione plurium, ita vt actualiter nullum eorum, quæ significare potest vox æquiuoca significet, nisi beneficio alterius vocis superadditæ. Quare hæc dictio, Canis e.g. ratione cuius decipi, & falli potest respondens, actualiter per ipsam nullus canis significetur, donec addatur latrabilis, cœlestis, vel marinus.

Secunda verò sententia, è contrà, docet fallaciam æquiuocationis, formaliter consistere in actuali significatione uocis, plura, ut plura significantis, sed sub disiunctione. Ita nonnulli, quos sine nomine citant Mastr. & Bellut. disp. 2. q. 4. art. 1.

Tertia tandem sententia docet prædictam fallaciam, formaliter consistere in actuali significatione uocis, plura, ut plura significantis, sub copulatione tamen. Ita Scotus q. 10. Elench. & ferè omnes.

Notandum est idcirco primò, quòd talis actualis significatio plurium sub copulatione, bifariam intelligi potest; uel ita, quòd illa copulatio cadat inter ipsas res significatas, adeò ut, hoc nomen Canis, e.g. significet & terrestrem, & cœlestem, & marinum inter se copulatim, scilicet in ratione unius significati, siue unius copulati conceptus, ad instar orationis copulatiuæ; uel ita, ut illa copulatio cadat non inter res ipsas significatas, sed inter ipsos actus significandi tales res, siue inter ipsas significationes, adeò ut non res habeant rationem unius significati, sed tantùm prædicti actus, ratione unius actus cuiusque significationis, non quidem simpliciter, sed ratione copulæ unientis. Primo modo, fallacia æquiuocationis non potest formaliter consistere in actuali significatione plurium copulatim; tum quia in hoc sensu, dictio illa æquiuoca potiùs significaret unum, quàm plura: nam totum illud copulatum haberet unam rationem intelligendi, cùm posset esse extremum orationis, & consequenter unam rationem significandi; sicut & hoc aliud copulatum in ista oratione, scilicet, Duo & tria sunt quinque. Tum etiam, quia tunc ad terminum æquiuocum non esset respondendum per distinctionem, cuius oppositum docet Philosophus 2. Elench. cap. 3. sed concedendum esset, quòd propositio esset simpliciter vera, vel simpliciter falsa; vera, si prædicatum, omnibus significatis conueniret; falsa, si vni soli non conueniret; siquidem, ad copulatiuæ falsitatem sufficit, quòd altera eius pars sit falsa. Secundo verò modo, æquiuocationis fallacia, vtique potest formaliter consistere in actuali significatione plurium sub copulatione; nam dictio illa *Canis*, etiam in ratione vnius actus copulatim significandi, siue in ratione vnius copulatim significationis, significat actualiter plura, vt plura indeterminatè, nempe latrabile animal, marinam belluam, & sidus cœleste, inter quæ, nulla est habitudo, in qua negatione habitudinis consistit formaliter ratio æquiuocationis: etenim significata termini æquiuoci, nullam inter se habitudinem admittunt, licèt ratione alterius, scilicet alicuius conuenientiæ, & proportionis, possint admittere, vt constat in æquiuocis à consilio, siue in analogis, ratione quorum committitur fallacia æquiuocationis secundi generis.

Notandum secundò, quòd dictio, siue nomen, dupliciter considerari potest; materialiter, scilicet pro voce nuda, siue sono, antecedenter ad omnem significationem; & formaliter, nempe pro voce iam imposita ad significandum. Si consideretur primo modo prædictum nomen, non potest non esse vnum, quia vna vox, siue sonus est. Si autem consideretur secundo modo, potest adhuc dupliciter intelligi; primò, ita vt sit impositum ad significandum vnum, vel plura, secundùm eandem tamen rationem considerata, sicut homo significat Sortem, Platonem, & cætera indiuidua, in quantùm, scilicet, conueniunt in humanitate. Secundò verò, ita vt sit impositum ad significandum plura, vt plura sub diuersa ratione. Primo modo, similiter non potest non esse vnum, quia vnicam habet significationem, atque vnicam intellectionem (modus enim significandi fundatur supra modum intelligendi) Secundo autem modo, non est vnum, sed multiplex, atque diuersum, quia plura, & diuersa sub diuersa ratione, per modum plurium, ac diuersorum significat; & consequenter diuersam, & multiplicem habet intellectionem; cùm intellectus non possit simul intelligere plura per modum plurium, vt dictum est suprà disp. 22. q. 1. ad 2. Quare nomen æquiuocum, formaliter sumptum, cùm significet plura, vt plura, & diuersa, diuersamque habeat intellectionem, non erit vnum formaliter nomen, & dictio, sed multiplex, & diuersa; licèt non sit dicendum duo nomina propter rationem superiùs adductam disp. 8. q. 1. ad 2.

Dicendum est ergo primò, quòd fallacia æquiuocationis, non consistit formaliter in vnitate vocis, plura significantis in aptitudine. Probatur; nam si staret oppositum conclusionis, tolleretur omnino æquiuocatio: ergo æquiuocationis fallacia non potest consistere formaliter in tali vnitate. Consequentia certa est; quoniam repugnat esse fallaciam æquiuocationis, & non esse æquiuocationem. Antecedens autem probatur; nam si vox illa, plura tantùm significa-

ficaret in aptitudine, donec scilicet per appositionem alterius vocis, determinatè significaret aliquam rem, ex ijs, quibus competit, vt docet sententia opposita; non significaret amplius plura, vt plura indeterminatè, in quo consistit ratio æquiuocationis, sed tantùm determinatè vnum: ergo tolleretur omnino æquiuocatio, & poneretur vniuocatio, cùm significaret vniuocè: semper enim significaret determinatè ex vi illius oppositionis, vt patet.

Dicendum secundò, quòd fallacia æquiuocationis, formaliter consistit in vnitate vocis, plura, vt plura significantis actu. Probatur; quoniam talis fallacia tunc sequitur, quando vis significatiua vocis exercetur, vt constat, sed talis vis, non exercetur, nisi cùm actu profertur in ordine ad res, quibus imposita est: ergo talis fallacia consistit formaliter in vnitate vocis, plura, vt plura significantis actu. Patet consequentia ex vi illationis. Minor verò probatur: quoniam non sequitur deceptio ex vi significatiua vocis in auditore, nisi ipse actu aliquid ex illa concipiat: nam estò auditor ambiguus remaneat de intentione loquentis, ad quid scilicet significandum determinatè, illam vocem proferat; non sequitur tamen, quòd ipse, aliquid actu concipere nequeat ex prolatione illius vocis, licèt non ad intentionem loquentis: ergo talis vis non exercetur, nisi dum actu profertur.

Dicendum est tandem tertiò, quòd fallacia æquiuocationis non consistit formaliter in vnitate vocis, plura, vt plura actu significantis sub disiunctione, sed sub copulatione, modo tamen superiùs explicato. Probatur; nam vox æquiuoca, in qua formaliter consistit æquiuocationis fallacia, significat actu plura, vt plura; idest per vnam rationem plura significandi, diuersas res significatas; sed hoc est significare hoc, & hoc; non autem hoc, vel illud; idest per modum copulationis, non verò disiunctionis: ergo æquiuocationis fallacia, non debet formaliter consistere in vnitate vocis, plura, vt plura significantis actu sub disiunctione, sed tantùm sub copulatione. Maior patet ex eo, quòd ad dictionem multiplicem, est respondendum per distinctionem, quod vtique non esset dicendum, si per modum vnius rationis significandi, res diuersas non significaret. Minor verò probatur; nam significare hoc, vel hoc, siue plura per modum disiunctionis, est vnum eorum admittere, alterum excludere, dicente Boetio, coniunctionem disiunctiuam, talis esse naturæ, vt ea, quæ inter se disiungit, simul esse non permittat; sed illa dictio, quæ per vnam rationem significandi, diuersas importat res significatas, non tantùm in illa ratione, verùm etiam in se ipsis, simul prædictas res esse permittit; ergo tali modo significare, non est significare disiunctiuè, sed copulatiuè.

Obijcit primò in oppositum prima sententia, quòd si æquiuocationis fallacia, formaliter consisteret in vnitate vocis, plura, vt plura actu significantis; tunc hæc consequentia, scilicet Canis currit: ergo sidus cæleste currit, esset bona; sed hoc est falsum, vt patet ergo non in actuali, sed aptitudinali significatione consistit. Consequentia videtur certa, cùm in vtraque significatione, fallacia æquiuocationis nequeat formaliter consistere. Sequela maioris probatur; nam illud, quod actualiter significatur per terminum, necessariò sequitur ad ipsum; cùm igitur sidus cæleste actualiter significetur per terminum *Canis*; posito hoc termino *Canis currit*; optimè sequitur, quòd sidus cæleste currit.

A

Respondetur negando sequelam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd vtique illud, quod actualiter significatur per terminum antecedentem, si virtualiter in ipso contineatur, bene sequitur ad ipsũ; non autem si actu contineatur in ipso formaliter, & secundùm propriam rationem: etenim consequentia virtualiter, non formaliter continetur, aut contineri debet in antecedenti, vt dictum est suprà disput. 32. q. 1. ad 2. & alibi. Cum igitur consequentia illa, nempe *Ergo sidus caleste currit*, formaliter, & secundùm propriam virtutem contineatur in allato antecedenti, scilicet *Canis currit* (terminus enim ille, plura, vt plura formaliter significat, cùm formaliter significet rationes diuersas, ex dictis disput. 8. q. 1.) hinc est, quòd non solùm deducta consequentia, verùm etiam quælibet alia, prædicto modo contenta in tali antecedenti, non est bona.

B

Contra tamen est, quòd ex copulatiua sequitur quælibet pars, & sit bona consequentia, vt patet si dicatur Omnis homo currit: ergo non tam Petrus, sed etiam Paulus, & omnia eius indiuidua currunt, cùm ly *Omnis homo*, supponat distributiuè; sed quælibet pars, in copulatiua includitur formaliter, & secundùm propriam rationem; ergo malè respondetur, quòd illa consequentia, cæteræque inde deducendæ, non essent bonæ, ex eo, quia formaliter continentur in tali antecedente; cùm vox illa *Canis*, significet plura, vt plura copulatim:

Respondetur, quòd non semper ex copulatiua sequitur quælibet pars, & sit bona consequentia; sed tantùm quando illæ partes habent conceptum, siue rationem communem ab ipsis præcisam, vt patet in exemplo adducto: Petrus enim, Paulus, &c. conueniunt in conceptu, & ratione illa communi *hominis*. Quando verò non habent prædictum conceptum, & rationem communem, minimè sequitur quælibet copulatiuæ pars; vt patet in exemplo *Canis currit*, *&c.* nam licèt ei adderetur etiam signum vniuersale; tamen non supponeret distributiuè, cùm æquiuoca, præter nomen, & vocem, nihil habeant commune; quæ vox, cùm sit singularis, distribui non potest, neque potest supponere pro omnibus suis significatis; vnde non foret bona consequentia. Ratio enim est, quòd sicut terminus æquiuocus significat vnum significatum, ac si aliud non significaret; & vnum repræsentat respectu prædicati, ac si aliud non repræsentaret, hoc est sub nulla habitudine: sic etiam signum vniuersale distribuit vnum significatum ac si aliud non distribueret; hoc est, vnum distribuit sub vno actu distribuendi, & aliud sub alio: etenim distributio, est acceptio alicuius communis pro quolibet eius supposito, quorum quodlibet est ipsum. Cæterum in termino æquiuoco non est aliud commune super quod possit cadere distributio, quia ibi nihil est commune, nisi sola vox, atque ideò distributio cadit super vnum significatum, ac si super aliud non caderet, sed hoc est, alio actu distribuendi, & alio. Ita Scotus 1. Elench. q. 14.

C

D

Obijcit secundò in oppositum eadem prima sententia, quòd si prædicta fallacia æquiuocationis formaliter consisteret in actuali significatione vocis; tunc vox illa non posset contrahi neque mediatè, neque immediatè

diatè

diatè ad aliquod ex suis significatis; sed hoc est falsum: ergo & id vnde sequitur. Sequela patet; quia nihil contrahitur ad illud, quod actu significat: homo enim contrahi non potest ad naturam humanam, quia illam actu significat. Minor verò probatur; nam quod significat indeterminatè hoc, & hoc; potest tum mediatè, tum immediatè contrahi ad vnum, & non ad aliud ex suis significatis; immediatè quidem, vt si dicatur, Vox clara, e.g. nam *clarum*, quod est æquiuocum ad colorem, & vocem, tunc immediatè contrahitur ad vocem: mediatè verò si dicatur, Amor e.g. est bonus; nam ly *Amor*, quod est æquiuocum ad verbum, & nomen, mediante particula illa *bonus*, contrahitur ad nomen; sed vox æquiuoca indeterminatè significat hoc, & hoc: ergo potest contrahi, &c.

Respondetur concedendo sequelam, sed negando minorem: nam cùm vox æquiuoca non importet rationem communem, nequit contrahi neque mediatè, neque immediatè: contractio enim est determinatio alicuius communis, quod in æquiuocis reperiri non potest, saltem simpliciter, & propriè; cùm significentur sub proprijs rationibus, licèt aliàs, attributiuè scilicet, & proportionabiliter reperiri possit aliquid commune analogum, vt patet in fallacia æquiuocationis secundi generis; sed hoc non est simpliciter quid commune, cùm ab analogis ratio communis abstrahi non possit, ex dictis disp. 9. q. 4., sed tantùm secundùm quid, scilicet per attributionem, & proportionabilitatem. Vnde ad probationem minoris dicendum est, quòd concluderet argumentum, si illa significatio indeterminata, non esset actualis; sed cùm sit actualis, estò per impossibile terminus ille æquiuocus esset contrahibilis, non tamen contraheretur potiùs ab hoc significatum, quàm ad illud. Quare, licèt audiens, siue respondens per illa immediata, vel mediata adiuncta exemplificata in argumento, possit quandoque manu duci, vt accipiat terminum æquiuocum pro altero suorum significatorum determinatè; hoc autem esset per accidens, idest per discursum factum ab interrogante, per quem venit in cognitionem, potiùs loqui de isto, quàm de illo, non autem per se, ita vt de se, illa actualis significatio, potiùs trahatur ad illam, quàm ad hanc rem significatam.

Obijcit tandem tertiò secunda sententia Aristotelem 4. Met. dicentem, quòd illa per aliquem terminum disiunctiuè importantur, de quibus statim sermone prolato, contingit quærere, vtrùm illud, vel illud sit; sed sic est, quòd hoc termino prolato, scilicet canis currit, contingit quærere, vtrùm animal latrabile, vel sidus cœleste sit, & sic de alijs: ergo fallacia æquiuocationis formaliter consistit in actuali significatione plurium, vt plurium disiunctiuè.

Respondetur, negando minorem, quia omnia illa actu significantur, prolato sermone; quare idem Philosophus 2. Elench. cap. 1. loquendo de terminis æquiuocis, dixit, quòd si dicatur, quòd Callias, & Themi sunt domi, non contingit quærere vtrùm Callias sit domi.

Contra tamen est, quòd omnis vox significatiua ordinatur ad exprimendum mentis conceptum, ex 1. Periher. cap. 1. sed mentis conceptus, non potest esse multiplex, cùm intellectio sit vna: ergo actualis significatio vocis æquiuocæ, non poterit plura, vt plura, nisi disiunctiuè significare.

Respondetur, falsum esse vocem significatiuam æquiuocam, ordinatam esse ad exprimendum conceptum tantùm illius, qui determinatè ea vtitur; sed omnes illos conceptus, ad quos significandos est instituta; dicente Philosopho 1. huius; res esse infinitas; nomina verò, & orationes finitas: ideò necesse est, vnum nomen plura, & plura significare.

QVÆSTIO II.

Vtrùm amphibologiæ fallacia consistat formaliter in vnitate vocis complexæ, plura vt plura, actu significantis copulatim ex diuersitate constructionis.

AMphibologiæ fallaciam, formaliter consistere in vnitate vocis complexæ, diuersos sensus admittentis, siue plura, vt plura actu significantis copulatim, ex dictis, certum omnino videtur: nam cùm tantùm distinguatur ab æquiuocationis fallacia, per vnitatem vocis complexæ (non enim contingit fieri tum in termino incomplexo, tum in oratione, vt fallacia figuræ dictionis, sed tantùm in oratione;) fiet inde, vt sicut æquiuocationis fallacia, in vnitate vocis plures sensus habentis, siue plura, vt plura actu significantis copulatim, formaliter consistit; ita & ista, proportione tamen seruata. Vnde causa apparentiæ istius fallaciæ erit orationis, siue vocis complexæ vnitas: causa verò defectus, siue non existentiæ erit ipsa sententiæ, siue sensuum multiplicitas. Amphibologia enim, ab amphi, quod est dubium, & bolæ, quod est sententia, quasi multiplex, & dubia sententia dicitur. Cæterùm, quia sententiæ multiplicitas, plerunque oritur in oratione ex multiplicitate, ac diuersitate constructionis) ista enim oratio amphibologica, e. g. Vellem me inimicos occidere, intantùm habet duplicem sensum occidendi per inimicos, & occidendi per inimicos se ipsum, inquantùm habet constructionem diuersam, vt patet) manet dubium, an fallacia amphibologiæ in tali sensuum multiplicitate, vt causata à diuersitate constructionis, formaliter consistat.

Doctores inter se conueniunt, cùm omnes negent amphibologiæ fallaciam, in diuersitate sententiæ ex diuersitate constructionis in oratione causata formaliter consistere; vnde docent prædictam fallaciam aliquando causari aliunde; nimirum, ex diuersitate quidem sententiæ in oratione, sed non semper proueniente à tali diuersitate constructionis: attamen, quia nonnulla in contrarium adducuntur argumenta, idcirco aliqua breuiter adnotari debent.

Notandum est primò, quòd ex coniunctione vnius dictionis ad alteram resultet multiplicitas, dupliciter intelligi potest; vel scilicet, quòd hæc multiplicitas sit in oratione, in ratione totius coniuncti; & tunc erit amphibologia: vel quòd sit in oratione, ratione alicuius dictionis tantùm; & tunc erit æquiuocatio: si enim vna dictio coniuncta alteri, ita multiplicitatem con-

contrahit, vt multiplicitas illa non sit totius coniuncti, sed tantùm dictionis; planum est, multiplicitatem illam non facere amphibologiam, sed æquiuocationem. Exemplum enim possumus ponere de vtroque, dicendo, *Scit sæculum*; quoniam nec particula illa *scit*, est multiplex neque pariter particula *sæculum*, sed tantùm totum coniunctum multiplex est: & quia ista multiplicitas est totius orationis ideò non facit æquiuocationem, sed amphibologiam. At cùm dicitur, Laborans sanabatur; vel sedens surgebat; ly *sedens*, ex eo quòd coniungitur verbo præteriti imperfecti, aliquam multiplicitatem contrahit, quia potest supponere, vel pro sedente priùs, vel pro sedente nunc; ideò distinguenda est illa propositio *Sedens surgebat*; quòd si tamen hoc participium *Sedens* adderetur verbo alterius temporis, non videretur esse distinguenda; dicendo enim, sedens stat, videtur esse simpliciter falsa. Cùm ergo huiusmodi multiplicitas, non sit per se, & directè in tota oratione, licèt sit in hac dictione *Sedens*, ex eo, quòd coniungitur verbo præteriti temporis imperfecti; talis multiplicitas non facit amphibologiam, sed æquiuocationem.

Notandum secundò, quòd prædicta multiplicitas in oratione, siue, quod idem est, talis sententiæ, ac sensuum diuersitas in tota oratione, quæ prædictam causat multiplicitatem, ex duobus capitibus oriri potest; nempe, vel ex diuersitate construendi, vt patet in primo modo huius fallaciæ; vel ex translato propriæ significationis ad impropriam, vt patet in secundo modo eiusdem. Quare, cùm non semper ex eodem capite oriatur, sed ex vno, vel altero, neutrum eorum erit de essentiali ratione illius, sed vtrunque continget: sicut ex eo, quòd sanitas induci possit in animali, vel per artem, vel per naturam; & quòd generatio saltem imperfectorum animalium, aliquando fiat per putrefactionem, aliquando per procreationem; nullus prædictorum modorum erit de intrinseca, & essentiali ratione sanitatis, aut generationis, sed vterque continget; cùm repugnet aliquid esse alicui essentiale, & non semper, sed aliquando conuenire: etenim sequeretur, quòd semel existeret, vel saltem conciperetur sine sua essentia:

Dicendum est ergo, quòd amphibologiæ fallacia non consistit formaliter in multiplicitate sensuum, causata ex multiplicitate constructionis in oratione; sed in tali multiplicitate, vt sic: hoc est, siue hoc, vel illo modo causetur.

Probatur; nam quotiescunque vnum reperiri potest sine altero, nequit in eo formaliter consistere; sed amphibologiæ fallacia potest reperiri absque diuersitate constructionis, licèt non è contrà, non autem absque prædicta diuersitate sententiæ: ergo non in illa, sed in ista formaliter consistit. Maior patet; ex eo enim, quòd contingit reperiri animal sine homine, manifestè conuincitur, hominem non esse de ratione animalis, licèt non è contrà. Minor verò probatur; nam in hoc paralogismo, scilicet, Quicunque litus arat, litus aratro scindit; sed qui oleum, & operam perdit, litus arat: ergo qui oleum, & operam perdit, litus aratro scindit; adest fallacia amphibologiæ, cùm ibi reperiatur vnitas vocis complexæ secundùm materiam, & formam, & diuersitas significationis: sed in illo tantùm reperitur sensuum diuersitas, non autem diuersitas constructionis, vt patet; cùm sit

A eadem constructio verborum: ergo, &c.

Obiicitur primò in oppositum; quoniam in eo debet consistere formaliter fallacia, quod est causa defectus, siue non existentiæ ipsius; sed huiusmodi est constructionis diuersitas: ergo prædicta fallacia consistit formaliter, tantùm in diuersitate sensuum, causata ex diuersitate constructionis. Maior patet ex eo, quòd tota ratio fallaciæ est causa defectus in argumento, licèt abscondita, & occultata per causam apparentiæ, vt notatum est suprà primo loco q. 3. disp. 58. Minor verò probatur: etenim, id debet esse causa defectus in amphibologiæ fallacia, à quo oritur tota ambiguitas sensuum, atque sententiæ; cùm ex dictis, amphibologia sit dubia sententia; sed non oritur, nisi ex diuersitate constructionis; cùm etiam in translatis B diuersa reperiatur constructio, vt patet dum dicitur, *qui litus arat, litus aratro scindit, &c.* nam vno modo sit constructio in proprio sensu, alio verò modo, in sensu translato.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem, iterum neganda est minor: etenim quando in translatis accipitur significatū in diuerso sensu, non est constructio diuersa, sed eadem, licèt in diuerso sensu, cùm idem semper seruetur ordo verborum, quoniam non anteponitur, quod est postponendum, neque postponitur, quod est anteponendum; ijdemque casus, eademque verba sunt. Quare in illis; multiplicitas sensuum non oritur ex diuersitate constructionis, sed ex diuersitate proprietatis, & translationis.

Obiicitur secundò, quòd si amphibologiæ fallacia C formaliter consisteret, tantùm in multiplicitate sententiæ, vt sic, & non proueniente ex multiplicitate constructionis; nullo pacto distingueretur à cæteris fallacijs; sed hoc est falsum, vt patet ex dictis in antecedenti disputatione: ergo, &c. Sequela probatur; nam in quolibet paralogismo cuiuslibet fallaciæ, est multiplex, & dubia sententia: ergo si fallacia amphibologiæ, in hoc formaliter consisteret, nullo pacto distingueretur a cæteris.

Respondetur negando sequelam. Ad cuius protionem dicendum est, quòd amphibologia accipitur tripliciter, videlicet communissimè, communiter, & propriè. Communissimè accipitur pro omni dubiosa sententia, & sic est communis ad omnes fallacias, tam in dictione, quam extra dictionem. Communiter ve-D rò accipitur pro dubiosa sententia, quæ causatur ex actuali, vel aptitudinali multiplicitate, siue phantastica multiplicitate eiusdem dictionis, vel orationis; & isto modo est communis ad omnes fallacias in dictione. Propriè verò accipitur pro dubiosa sententia, quæ prouenit ex actuali multiplicitate orationis, non verò dictionis æquiuoce in genere causæ materialis, licèt in genere causæ efficientis, actualis multiplicitas, ex dubiosa oriatur sententia, vt notatum est suprà secundo loco; & hoc modo sumitur in præsenti, in quo sensu, præcipuam constituit fallaciam.

Obijcitur tandem tertiò, quòd Philosophus hic cap. 3. instituens nos circa huiusmodi fallaciam, nullum ponit paralogismum, qui non proueniat ex multiplicitate constructionis: ergo signum est, quòd prædicta fallacia, in tali multiplicitate tantùm formaliter consistit. Consequentia patet; nam sicut in fallacia æquiuocationis ponit paralogismos secundùm omnes

nes modos, quibus causari possunt; ita, & in ista fallacia, idem facere tenebatur, cùm inter se valdè conueniant.

Respondetur negando consequentia; nam vt docet Scotus hic q. 19. Aristoteles sufficienter instruxit nos quantùm ad hoc, quod per se requiritur ad amphibologiam; quia ad illam requiritur vnitas vocis secundùm materiam, & formam, & diuersitas sententiæ; & quantùm ad hæc duo, sufficienter nos instruxit; sed quia diuersitati sententiæ accidit diuersa ratio construendi, ideò Aristoteles ponit tales paralogismos, non verò cæteros. Quare ad probationem consequentiæ dicendum est falsum esse, Philosophum in fallacia æquiuocationis ponere omnes paralogismos, &c. cùm de ijs, qui causantur ex attributione, & analogia, penitus mentionem non fecerit, ob eandem fortasse rationem, videlicet, quia adducti paralogismi optimè sufficiunt ad erudiendum nos circa omne id, quod per se requiritur ad æquiuocationis fallaciam, ad quam tantùm requiritur vnitas vocis incomplexæ secundùm materiam, & formam, & multiplex significatum. Quòd autem causentur ex proprietate, vel ex transumptione sermonis, omnino accidit vnitati vocis, & multiplicitati significatorum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm fallacia compositionis, & diuisionis, formaliter consistant in sensu composito, & diuiso falsis.

CVM prædictarum fallaciarum causa apparentię, sit materialis identitas propositionis, seu orationis; & causa defectus, multiplicitas sensuum, cum hoc discrimine tamen, quòd causa apparentię in compositionis fallacia, est identitas materialis orationis compositæ cum diuisa; causa verò defectus, diuersitas sensuum eiusdem orationis compositæ cum diuersa; & è contrà, causa apparentiæ in diuisionis fallacia, est materialis identitas orationis diuisæ cum composita; causa vero defectus, est multiplicitas sensuum præ dictæ orationis diuisæ cum composita; apertè sequitur quòd vna illarum in sensu composito, altera in sensu diuiso, sub tali apparentia identitatis, consideratæ; formaliter consistit. Idcirco, dubium tantùm est; an sensus compositus fallaciæ compositionis, & sensus diuisus fallaciæ diuisionis, debeant ita necessariò esse falsi, quòd si essent veri, nulla prædictarum daretur fallacia.

Pro quo aduertendum est, quòd tale quæsitum, duplicem potest habere sensum, cùm possit dubitari, an ita prædicti sensus debeant esse falsi, vt vel cæteri veri, nimirum sensus diuisus in fallacia compositionis; & sensus compositus in fallacia diuisionis; vel similiter falsi sint. In hoc secundo sensu, nugatoria esset quęstio: nam si prædictæ fallaciæ secundùm vtrunque sensum essent veræ, uel falsæ; non possent decipere; quare nec minùs essent fallaciæ. Vnde titulus quæstionis, A tantùm intelligendus est in primo sensu.

Notandum est igitur pro resolutione difficultatis, quòd tam compositio, quàm diuisio in oratione, dupliciter considerari possunt. Primò in se, & absolutè; secundò verò, ut pertinent, uel inducunt ad aliquam sophisticam metam, seu finem. Primo modo, compositio nil aliud est, quàm ordinatio partium orationum, secundùm situm magis debitum; hoc est, secundùm quod magis occurrit intellectui, conuenitque dictionibus, ratione suorum modorum significandi, & enunciandi: ut quando determinatio determinat suum determinabile, eo modo, quo magis est nata, ipsum determinare; uel quando inter diuersa determinabilia, determinat illud, quod magis habet determinare. E contrà verò, diuisio nil aliud est, quàm prædicta ordinatio partium in oratione, sed secundùm situm B minùs debitum; ut quando determinatio determinat suum determinabile, sed eo modo, quo minùs est apta nata ipsum determinare; uel quando inter diuersa determinabilia, determinat illud, quod minùs habet determinare. Sit talis oratio, e. g. Quidquid uiuit semper est. In ista enim oratione sunt duo iam terminata, scilicet hoc uerbum *Viuit*, & hoc aliud verbum *Est*; & est vna determinatio, scilicet *Semper*. Si ergo talis determinatio determinat hoc verbum *Est*, quod ponitur à parte prædicati, sic est compositio, & oratio illa vocatur composita; quia tunc determinatio, determinat determinabile, quod magis aptum natum est determinari; cùm illud verbum *Est*, ponatur in situ determinato, scilicet in prædicato. Si autem determinat hoc verbum *Viuit*; sic est diuisio, atque C oratio illa appellatur diuisa, quia determinat illud determinabile, quod est minùs aptum natum determinari; cùm huiusmodi verbum *Viuit*, non ponatur in situ determinato ipsius verbi: verbum enim, loco prędicati poni debet. Compositio verò, & diuisio, secundo modo considerata, scilicet, vt pertinent, vel inducunt ad sophisticam metam, nil aliud sunt, quàm vel eorum, quæ iuxta prædictam positionem sui terminabilis diuidi debent falsa vnio, si sint compositio; vel eorum, quæ iuxta talem positionem debent componi falsa diuisio, si sit ipsa diuisio. Vnde fit, quòd ad compositionem, & diuisionem, primo modo consideratas, non est necesse, quòd sit sensus compositus, & sensus diuisus veri, aut falsi; nam ad potentialem multiplicitatem vt sic, & secundùm se, non requiritur, D nisi quòd materialia, nempe diuisiones, sub diuerso modo proferendi, quod est suum formale, diuersa significent. Quòd autem illa materialia sint vera, vel falsa, hoc omnino accidit potentiali multiplicitati. Ad compositionem autem, & diuisionem secundo modo consideratas, scilicet, prout ducunt ad metam sophisticam, omnino necessarij sunt sensus compositus, & sensus diuisus falsi: nam opponens sophisticè, intendit respondentem ducere ad metam; sed hoc non facit, nisi faciat ipsum opinari falsum esse verum, propter similitudinem falsi ad verum.

Dicendum est ergo, quòd fallaciæ compositionis, & diuisionis, formaliter consistunt in sensu composito, & diuiso falsis. Probatur; quoniam causa defectus per causam apprentiæ abscondita, & celata, in qua fallaciæ, siue loci sophistici, formaliter consistunt, debet esse id, quod ad aliquam metam sophisticam ducit respondentem: sed si in fallaciis compositionis, &

diuisionis, sensus compositus, & sensus diuisus non essent falsi; causa defectus illarum non duceret respondentem ad aliquam sophisticam metam; ergo prædictæ fallaciæ in sensu composito, & diuiso falsis, formaliter debent, consistere. Maior patet; nam cùm finis loci sophistici, ex dictis, sit ducere respondentem ad aliquam metam; causa defectus illius, ratione finis debet attendi; cùm ratio eorum, quæ sunt ad finem, ab ipso fine sumatur, ex Aristotele 5. Ethic. cap. 5. vbi, eum qui lucrandi gratia mæchatur dicit esse auarum, vel furem. Minor verò probatur; quoniam tunc ducitur respondens ad aliquam sophisticam metam, quando credit falsum esse verum; sed si vterque sensus in prædictis fallaciis non esset falsus, non crederet falsum, sed verum esse verum: ergo si vterque sensus non esset falsus, non duceretur respondens ad aliquam sophisticam metam.

Obiicitur primò in oppositum, quòd ex sensu composito, & diuiso veris in oratione composita, & diuisa, sequitur deceptio respondentis: ergo fallaciæ compositionis, & diuisionis, non consistunt formaliter in sensu composito, & diuiso falsis. Consequentia patet ex eo, quod nihil potest dari absque eo, in quo formaliter consistit: quare cùm prædictæ fallaciæ existere possint absque tali sensu composito, & sensu diuiso falsis, formaliter in illis non consistent. Antecedens verò probatur; quoniam potest dari casus, quòd ex falso contingenti concesso in argumentatione à respondente simul cum aliqua propositione vera de sensu composito, sequatur aliquod inconueniens, quod non sequitur cum eadem propositione vera in sensu diuiso, & è contra: Exempli gratia, in huiusmodi argumentatione, nempe, Quicunque numerus componitur ex duobus, & tribus, est duo, & tria; sed quinarius non est duo, & tria: ergo quinarius non componitur ex duobus, & tribus. Nam si respondens concedat huiusmodi falsum contingens, nempe minore, cum maiori simul, quæ est vera in sensu composito, sequitur hoc inconueniens, scilicet, allata consequentia, quod inconueniens non sequeretur, si maior esset vera in sensu diuiso, & è contrà; vt patet si diceretur in tali sensu diuiso, Quæcunque sunt duo, & tria; sunt duo, & tria; sed quinque sunt duo, & tria: ergo quinque sunt duo, & quinque sunt tria: ergo ex sensu composito, & sensu diuiso veris, in oratione composita, & diuisa, sequeretur deceptio, atque fallacia respectu ipsius respondentis.

Respondetur, negando consequentiam: nam aliud est dicere, prædictas fallacias sequi ex sensu composito, & diuiso veris; aliud verò, formaliter consistere in sensu composito, & diuiso veris. Primum enim verum est, cùm prædictæ fallaciæ sequantur, quando à sensu composito vero, arguitur ad sensum diuisum falsum, & è contrà. Secundum autem falsum est, cùm respondens non fallatur, nisi putando verum, esse falsum, & è contrà; vt patet manifestissimè in probatione antecedentis præfati argumenti.

Obiicitur secundò; nam vbi datur multiplex, ibi potest dari fallacia, saltem in dictione, ex suprà notatis secundo loco q. 3. disp. 58. Sed in sensu composito, & diuiso veris, datur aliquod multiplex: ergo ibi etiam dari potest fallacia: ergo fallaciæ sensus compositi, & sensus diuisi, formaliter non consistunt in vtroque sensu falso. Hæc vltima consequentia bene sequitur; A nam cùm tales fallaciæ dari possint in sensu composito, & diuiso veris, vtique non consistent formaliter in vtroque sensu falso. Prima consequentia bene infertur. Minor verò probatur: etenim si dicatur, e.g. Video hominem magnum baculum tenentem; tam sensus compositus, scilicet *Video, hominem tenentem magnum baculum*; quàm sensus diuisus, scilicet *Video hominem, magnum baculum tenentem*, verus est, vt patet; & tamen est distinguenda secundùm compositionem, & diuisionem, vt ostensum est: ergo est ibi aliquod multiplex, cùm ibidem detur distinctio.

Respondetur, distinguendo maiorem; vbi datur multiplex, plures faciens sensus, quorum alter si verus, & alter falsus, ibi dari potest fallacia; concedenda est, vt patet, si eadem oratio amphibologicè esset prolata; B nam faceret vnum sensum, scilicet *Video hominem magnum baculum tenentem*, & alium sensum, nimirum, *Video hominem, magnum baculum tenentem*, quorum alter, necesse est; quòd sit falsus. Vbi autem datur multiplex, plures faciens sensus, quorum vterque sit verus, aut falsus, ibi dari potest fallacia; negāda est: etenim fallacia, ex dictis disputatione, & quæstione citatis, est idoneitas quædam decipiendi, faciens credere de non ente, quòd sit ens, &c. quod vtique non sequeretur si illud multiplex, vnum sensum verum, alium falsum non importaret. Vnde concedenda est minor, de multiplici, hoc secundo modo; quia, vt obseruat, & docet Tataretus, hic cap. 9. § *Secundò sciendum, &c.* omnis oratio de infinito, vel se habens ad modum orationis de infinito, vt est oratio illa in exemplum adducta; est distinguenda. Sed hoc nihil ad C rem, cùm fallaciæ compositionis, & diuisionis, non sint soluendæ per distinctionem compositionis, & diuisionis vtcunque; sed per distinctionem compositionis, & diuisionis reddentium sensum verum, aut falsum: dicente Philosopho 2. huius cap. 3. *Quòd si diuisa, & composita oratio, aliud significat cùm concluditur, contrarium dicendum*; idest, si compositio, vt communiter docent Interpretes concludat falsum in proprio sensu, resoluenda est per sensum diuisum, & è contrà; iuxta illud commune Philosophorum proloquium; *Cùm compositio decipit, diuisio soluit, & è contrà*. Etenim secundùm eundem Philosophum, loco citato in principio capitis habetur, *Quòd recta solutio est manifestati falsi*; quod vtique non diceret, si multiplex illud, quod ad fallacias, saltem in dictione requiritur, vtrumque D sensum, vt verum, aut falsum admitteret.

Obiicitur tandem tertiò ipse Aristoteles cap. 6 huius, vbi docet causam omnium deceptionum sophisticarum: nam tradendo in quonam consistat ratio deceptionis sensus compositi, & sensus diuisi, nullam facit mentionem de veritate, aut falsitate prædictorum sensuum, dicendo: *In his autem, quæ sunt propter compositionem, & diuisionem* (subintelligitur, contingit deceptio) *eò, quòd nihil putetur differre composita, & diuisa oratio*: ergo per ipsum Philosophum, tota ratio illarum fallaciarum, consistit in simplici differentia sensus compositi, & sensus diuisi, siue veri, siue falsi sint.

Respondetur, Philosophum per prædicta verba includere, saltem implicitè, falsitatem prædictorum sensuum; nam dicendo, quòd tota ratio huius captionis consistit in eo, quòd respondens putat sensum compositum eundem esse cum sensu diuiso; de consequenti videtur affirmare hoc esse falsum: aliter enim non deci-

ci-

ciperetur respondens, hoc putando; quod etiam vi detur affirmare de cæteris captionibus, licèt in ipsis, nullam veritatis, aut falsitatis mentionem explicitè faciat. Quare, vt diligenter obseruat Scotus, hic q. 25. Philosophus determinans de locis sophisticis prout ducunt ad metam, & finem sophisticum, omnes orationes, quas ponit in compositione, fallunt in isto sensu dum putat respondens, sensum compositum esse verum; & omnes orationes, quas ponit in diuisione, sunt falsæ in isto sensu, dum scilicet respondens putat sensum diuisum esse verum.

QVÆSTIO IV.

An fallacia accentus, formaliter consistat in potentiali multiplicitate vnius, & eiusdem dictionis; hoc est, in modo proferendi, tantum diuersæ.

PRO intelligentia tituli supponere debemus, Accentum dupliciter sumi posse. Primò, strictè, & rigorosè, pro vocis, scilicet modulatione penes depressionem, vel eleuationem, aut inflexionem eiusdem in diuersis eius partibus; iuxta quam acceptionem, in grauem, acutum, & circunflexum, communiter à Grammaticis diuidi solet: etenim accentus, teste Diomede lib. 2. quasi ad cantus, hoc est iuxta cantum, dicitur; quia ad cantilenam vocis, nos cognoscere facit syllabas. Secundò verò sumitur largè, ac in ampliori significato, prout, scilicet non solùm importat prædictam modulationem, verùm etiam, prout non distinguitur ab alijs syllabæ accidentibus, nempe à tempore, & aspiratione: nam licèt quinque assignentur a Grammaticis accidentia syllabarum, tempus scilicet, siue breue, siue longum, &c. spiritus, seu aspiratio aspera, aut lenis; literarum numerus, duarum, trium, vel quatuor literarum vsque ad sex; & accentus prædictus; tamen prout facit ad præsentem difficultatem, excipitur literarum numerus, cùm certum sit, ipso variato, non remanere identitatem vocis, quæ indispensabiliter ad fallaciam accentus, cùm sit fallacia in dictione, requiritur. Quæstio igitur non procedit de fallacia accentus, prout accentus tantùm sumitur in stricta, & rigorosa acceptione; sed vt sumitur latè, cùm apud Dialecticos, etiam illæ fallaciæ, quæ consistunt in multiplicitate potentiali vnius, & eiusdem dictionis secundùm variationes temporis, & aspirationis, sint verè accentus fallaciæ; vt quando eadem dictio interdum est breuis, interdum longa; vt pendere, dum prouenit, a pendeo pendes, aut à pendo pendis, vel quando cum H, vel sine H profertur, seu scribitur, vt amare, pro diligere, & hamare, pro hamo capere.

Quare sequitur; quòd causa apparentiæ istius fallaciæ, sit identitas dictionis in materia seu penes materiam, ratione cuius creditur, quòd sicut illa vox, est materialiter vna: ita habeat vnicum proferendi modum, & consequenter, vnicum significatum.

A Causa verò defectus, multiplicitas, siue diuersitas eiusdem dictionis secundùm formam, scilicet secundùm diuersum modum proferendi. Idcirco, nulla erit difficultas, quin præsens quæstio, secundùm affirmatiuam sententiam resoluenda sit: nihilominùs, propter quædam argumenta, quæ in contrarium adduci solent; non erit inutile quædam diligenter adnotare.

Notandum est idcirco primò; quòd licèt aliquando diuersæ fallaciæ coincidant in vnam, & eandem orationem; tamen multiplicitas vnius, non est multiplicitas alterius; & causa multiplicitatis vnius, non est causa multiplicitatis alterius, vt præcipuè constat in compositione, & diuisione, atque amphibologia: possunt enim coincidere in eandem orationem, sed B tunc habent aliquem ordinem ad inuicem; quoniam, perpriùs accidit in oratione, compositio, & diuisio; perposteriùs autem amphibologia, vt ex hoc sophismate, omnino manifestari potest; videlicet *Omne quod est verum sciri à te est verum*: hoc enim est multiplex in primis secundùm compositionem, & diuisionem: etenim talis oratio diuisa est, secundùm quod discontinua prolatio est inter hæc duo, *à te*, scilicet; & *omne, quod est verum*, sub hoc sensu, nempe *Omne quod est verum*; deinde fiat pausa, & inferatur illud residuum, *à te sciri est verum*, & in hoc sensu, falsa est prædicta oratio. Ex alia verò parte, secundùm, scilicet, quòd est continua prolatio vnius cum altero, vt si dicatur, *Omne quod est verum sciri à te, est verum*; composita est, & in hoc sensu, vera. Deinde accidit multiplicitas secundùm amphibologiam, ex eo, quòd hoc C pronomen *Omne*, potest construi cum illo verbo *Sciri*, ita vt fiat sensus, *Omne sciri a te quod est verum, est verum*; & sic est falsa, & etiam potest construi cum illo verbo *Est*, ita vt sit sensus *Omne illud est verum, quod est verum sciri à te*; & sic est vera. Similiter dicendum est de æquiuocatione, & accentu, dum in vnam, & eandem coincidunt orationem: etenim in ea, per priùs est accentus, & postea per distinctionem eiusdem accentus, accedit æquiuocatio, ex eo, scilicet, quòd potest esse, e. g. nomen, vel aduerbium; vt patet in hac oratione, *Quidquid Deus facit in vite, facit inuitus*; quia ly *Inuite*, potest proferri tum prima breui, pro præpositione *In*, & secunda longa pro *Vite* nomen; tum prima, & secunda longa, pro aduerbio *Inuite*; hinc est, quòd committitur fallacia accentus; ita vt, D si sumatur primo modo, sequatur consequentia falsa; & si sumatur secundo modo, sequatur consequentia vera. Sed quia prædictus accentus distingui potest, vt dictum est, vel secundùm rationem nominis, cum præpositione adiuncta, adeò vt ly *Inuite*, plura significet, videlicet, omne id, quod in vite existit, vel secundùm rationem aduerbij, adeò vt, vnum tantùm significet, nempe *coactè*, sequitur deinde fallacia æquiuocationis tertij generis, in qua si accipiatur *Inuite* in primo sensu, sequitur similiter consequentia falsa; si autem in secundo, sequitur consequentia vera.

Notandum secundò, quòd fallaciæ peccantes secundùm multiplicitatem potentialem, nullo modo important sua significata sub copulatione, cùm eam non importent actu, sed tantùm materialiter, & in potentia; neque eadem important sub disiunctione, adeò vt inter ipsa significata cadat aliqua disiunctiua co-

copulatio; nam isto modo, non admitterent distinctionem aliquam, cùm disiunctiua oratio, non sit distinguenda (etenim altera parte vera existente, tota disiunctiua iudicatur vera) sed tamen significant ad modum disiunctiuæ, cùm possint importare hoc, vel illud significatum. Quare fit, quòd sicut æquiuocatio, & amphibologia vtpote peccantes secundùm multiplicitatem actualem, licèt significent ad modum copulatiuæ, modo scilicet superiùs explicato in hac disputatione q. 1. not. 1., quia tamen non important sua significata sub disiunctione cadente inter ipsa, sed tantùm se tenente ex parte significationis, eo proportionali modo, quo loco citato declarauimus, fallacias peccantes secundùm multiplicitatem actualem significare copulatiuè; vnde & istæ dicuntur significare, non disiunctiuè, sed ad modum disiunctiuarum; hinc est pariter, quòd omnino debent distingui, ex Philosopho 5. Topic. cap. 2. & 2. huius cap. 3. manifestè docente omnem orationem multiplicem in syllogismo, esse distinguendam.

Dicendum est ergo, quòd accentus fallacia formaliter consistit in potentiali multiplicitate vnius, & eiusdem dictionis, hoc est, in modo proferendi tantùm diuersæ. Probatur; quoniam fallacia accentus ad hoc inuenta est, ut decipiat respondentem; dum credit prolationem alicuius dictionis esse unam, sicut una, & eadem est ipsa dictio: ergo formaliter consistit in multiplicitate potentiali vnius, & eiusdem dictionis, &c. Antec. patet ex causa apparentiæ, & ex causa defectus eiusdem fallaciæ. Consequentia verò probatur; quia nullo pacto respondens crederet prolationem aliquam esse vnam, nisi per vnitatem materialem illius dictionis, cuius est prolatio tegeretur multiplicitas talis prolationis; sed hoc non est, nisi falli secundùm potentialem multiplicitatem vnius, & eiusdem dictionis, hoc est, alicuius dictionis, vnius, & eiusdem secundùm literas, diuersæ verò secundùm prolationem: ergo prædicta fallacia consistit formaliter in tali potentiali multiplicitate, &c.

Dicet fortasse aliquis, huiusmodi paralogismum, scilicet, Quidquid habet supernam dilectionem, habet charitatem; sed auarus habet super mnam dilectionem: ergo habet charitatem; esse fallaciam accentus, cùm consistat in diuersitate prolationis illius dictionis *Supernam*; etenim proferri potest per n. tantùm, & per m. & n. Ita vt sit sensus, super mnam, hoc est, super pecuniam; sed in tali fallacia, non est identitas materialis, cùm varientur literæ illius dictionis: ergo in tali fallacia non est necessaria talis identitas.

Respondetur; quòd licèt dictio illa *Supernam* varietur aliquantisper in literarum numero secundùm scripturam, cùm possit per n. tantùm, & simul per m. & n. scribi; tamen in prolatione vocis, tam minima est illa variatio, quòd vix facit sensationem; vnde in sono, & accentu ferè se habet, ac si materialiter maneret eadem.

Obiicitur primò in oppositum, quòd nulla fallacia consistit formaliter in eo, quod impedit, & tollit deceptionem, cùm fallacia sit idoneitas decipiendi, &c. sed si fallacia accentus formaliter consisteret in multiplicitate vocis diuersæ ex modo proferendi, impediretur, & tolleretur omnino deceptio: ergo, &c. Minor probatur; nam secundùm diuersos, & distinctos accentus prolationis cognoscuntur diuersa significata eiusdem; dicente Diomede Grammatico lib. 2. *Vt quidam rectè putarunt, accentus est veluti anima vocis*: sicut enim viuens, sine anima nihil, ita & vox sine accentu: ergo si fallacia accentus consisteret formaliter in tali diuersitate prolationis eiusdem vocis, tolleretur, & impediretur omnis deceptio.

Respondetur, negando sequelam minoris. Ad cuius probationem dicendum est quòd diuerso modo consideratur accentus apud Grammaticos, ac consideretur apud Sophistas; nam apud illos consideratur vt actualiter, ac distinctè discernit tonos, & significationes vocis, vt optimè probat argumentum: apud istos verò, vt tantùm potentialiter, & in confuso potest illos, vel illos tonos, & voces importare; est enim fallacia accentus dictio quædam, non actualiter, & distinctè, sed potentialiter, & confusè, diuersas importans prolationes, cùm non hoc, & illud; sed hoc vel illud significet, vt notatum est suprà. Quare licèt primo modo impediat, & tollat deceptionem, minimè verò secundo modo.

Contra tamen est, quòd Philosophus hic cap. 3. ait: *Propter accentum autem in ijs, quæ sunt sine scriptura, non facilè Dialecticis facere orationem: in scripturis autem, & poematibus, magis*. Sed in scripturis fallacia accentus actu, & distinctè discernit tonos, ac significationes vocis: ergo fallacia accentus, quæ magis habet locum in scripturis, quam in nuda prolatione, etiam apud Sophistas impediret, & tolleret deceptionem; & consequenter nequit formaliter consistere in multiplicitate vocis, tantùm diuersæ in modo proferendi.

Respondetur, quòd accentus in scripturis, item dupliciter considerari potest; vel secundùm se, quatenus scilicet, implicitè potest importare diuersas quantitates syllabarum; vel secundùm regulas ortographiæ, siue rectè scribendi; hoc est, quatenus longis, acutis, vel communibus, aut circunflexis signis, super dictiones exprimitur. Primo modo consideratur a Sophistis prout in præsenti, atque ita magis fallere potest in scripturis, quam in prolationibus, cum prolationes diuersæ, diuersos sensus significent, quod non accidit in scripturis, nisi secundùm quid, nempe, quatenus a Grammaticis sub diuersa signa iuxta ortographiæ regulas scribuntur. Secundo autem modo, propriè consideratur ab ipsis Grammaticis; atque ita minùs, aut vix in scripturis, fallere potest præcipue eos, qui talem facultatem sufficienter calient. Sed hoc, nihil ad præsens. Quare Philosophus loco citato aduertit hanc fallaciam vix potuisse habere locum in orationibus, vel poematibus scriptis, quia cùm Græci, tempore Aristotelis, vt notat Syluester Maurus ibidem, non significarent voces scriptas, accentibus, ac spiritibus, poterit quis, vocem, quæ debebat legi cum vno accentu, vel spiritu, legere cum alio; atque ita, orationem legere in sensu absurdo, & omnino decipi.

Obijcitur secundò, quòd si staret conclusio, prædicta fallacia accentus, non distingueretur à fallacijs compositionis, & diuisionis; sed hoc contrariatur ijs, quæ superiùs dicta sunt; ergo prædicta fallacia formaliter non consistit, &c. Sequela maioris probatur; nam fallaciæ compositionis, & diuisionis accidunt ex eo, quòd dictiones coniunctæ proferuntur vt diuisæ, & è contrà diuisæ proferuntur vt coniunctæ; sed hoc etiam contingit in fallacia accentus præcipuè tertij generis,

vt

vt patet dum dicitur, Tu es, qui es; sed quies est requies: ergo tu es requies: ergo si talis fallacia consisteret in multiplicitate vocis diuersæ secundùm modum proferendi, non distingueretur, &c.

Respondetur, negando sequelam maioris; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt prædictæ fallaciæ in hoc conueniant, videlicet quòd dictiones coniunctæ proferantur vt diuisæ, & vice versa, in hoc tamen valdè diuersificantur, nimirum quia in fallacia accentus, vel duæ dictiones coniunctæ proferuntur vt vna; vel vna vt duæ: at in fallacijs coniunctionis, & diuisionis, prædictæ dictiones semper retinent suam diuersitatem, siue in sensu composito, siue diuiso proferantur.

Obijcitur tandem tertiò, quòd admissa conclusione, fallacia accentus non esset vna, sed duplex fallacia: ergo non consistit formaliter, &c. Probatur antecedens: nam sicut se habet multiplicitas potentialis, scilicet identitas literarum, & diuersitas prolationum orationis ad orationem; ita se habet multiplicitas potentialis dictionis ad dictionem; sed secundùm multiplicitatem potentialem orationis, accipiuntur duæ fallaciæ, nempe compositio, & diuisio, quæ sunt distinctæ: ergo, &c.

Confirmatur; nam Aristoteles, soluendo orationes secundùm compositionem, & diuisionem, ait, quòd soluendæ sunt, eò quòd aliud significat oratio composita, & aliud oratio diuisa; sicut aliter significat nomen grauiter, & aliter nomen acutè prolatum; vnde vnam multiplicitatem, semper alteri assimilat: ergo si compositio, & diuisio sunt duæ fallaciæ, ita & fallacia accentus.

Respondetur, negando sequelam; ad cuius probationem negatur paritas; etenim identitas dictionis, & diuersitas prolationis in oratione composita, & diuisa, non habent aliquid commune vniuocum, hoc est, communem causam apparentiæ; nam, vel est identitas materialis orationis compositæ cum diuisa, vel è contrà, identitas materialis orationis diuisæ cum composita. Identitas autem literarum, & diuersitas prolationis in dictione, habent communem, & vniuocam causam apparentiæ, nempe identitatem materialem alicuius dictionis, sub qua vniuocè conueniunt. Vnde sequitur, quòd in oratione composita, & diuisa constituuntur duæ fallaciæ, minimè verò in illa multiplicitate dictionis.

Contra tamen est, quòd locus sophisticus constituitur in esse per suam causam apparentiæ, & non existentiæ; nam hæc duo integrant locum sophisticum: ergo vbi est reperire duas causas apparentiæ, specie distinctas; & duas causas nõ existentię, latentes sub illis causis apparentię, ibi necesse est distinguere duos locos sophisticos, seu duplicem fallaciã: sed sic est, quòd æquè euidens ratio apparet, vt distinguantur duæ causæ apparentiæ in accentu, sicut in compositione, & diuisione; ergo responsio nulla. Minor probatur; nam sicut ponitur quòd similitudo orationis compositæ ad diuisam, sit causa apparentiæ in compositione; sic dicendum est, quòd similitudo dictionis grauiter prolatæ, ad acutè prolatam, sit causa apparentiæ in accentu graui, & è conuersò in acuto: & consequenter, sicut prolatio materialium, sub sensu composito determinata facit credere, quòd solùm hoc vnum significet; ita prolatio dictionis sub accentu graui: ergo æquè euidens ratio apparet, vt distinguantur duæ causæ apparentiæ in accentu.

A

Respondetur, negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd diuersitas prolationis dupliciter intelligi potest; strictè, scilicet pro diuersitate vocis, naturalibus instrumentis tantùm prolatæ, vt contingit in locutione; vel latè, nempe pro diuersitate vocis, siue prædictis naturalibus instrumentis, siue artificialibus, vt calamo, stilo, &c. prolatę, vt contingit in scriptura. Si intelligatur primo modo, potest plerunque admittere duplicem causam apparentiæ, iuxta diuersas habitudines dictionis grauiter prolatæ, ad acutè prolatam, vt optimè probat argumentum, cùm ad variationem causæ defectus, varietur pariter causa apparentiæ, vt contingit in fallaciis compositionis, & diuisionis. Si autem intelligatur secundo modo non potest nisi vnicam causam apparentiæ admittere, nempe prædictam identitatem materialem, literarum scilicet, scriptarum; cùm literæ in scriptura, semper retineant eundem ordinem, eandemque habitudinem inter se, ratione cuius creditur, quòd causa defectus sit vna, sicut vna est causa apparentiæ. Cæterùm, diuersitas prolationis, non accipitur hic, vt docet Philosophus, in priori sensu; sed in secundo. Et ratio est, quia loci sophistici, siue fallaciæ non considerantur vtcunque, sed prout magis aptæ sunt ad decipiendum: etenim hoc modo, magis conducunt ad metam sophisticam. Cùm igitur accentus, magis aptus sit ad decipiendum in scripturis, quàm in prolationibus (nam prolatio, potiùs manifestat, quàm tegat tales defectus) hinc est, quòd prolationis diuersitas, in illo secundo sensu hic accipienda est.

B

C

Ad confirmationem tandem argumenti respondetur, comparationem illam tenere ad proportionem, quæ consistit in hoc, videlicet, in diuersitate significandi, cùm non minùs diuersè significent oratio composita, & diuisa; quàm nomen, grauiter & acutè prolatum; non autem tenet ad æqualitatem in omnibus, adeò vt, etiam easdem causas apparentiæ sortiantur: etenim paritates, & exempla, nunquam ambulant quatuor pedibus, semper quidem in aliquo claudicant.

D

QVÆSTIO V.

Vtrùm fallacia figuræ dictionis formaliter consistat in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum.

CVm Figura, ex Euclide 1. Geometricorum elementorum sit, *quæ termino, vel terminis clauditur*; termino quidem, vt Circulus, qui vnica circulari linea; terminis verò vt Triangulus, Quadrangulus, &c. qui pluribus clauduntur lineis; hinc est, quòd transumptiuè, dictionis terminatio, siue finitio, *Figura*, à Dialecticis appellatur. Dictio autem terminari, siue finiri potest, vel desinentia vocis, vel significato, vel signi-

significandi modo. Quare simili modo terminari, finirique dicuntur illæ dictiones, vel quæ habent similem desinentiam in voce, vt patet in hoc paralogismo; Substantia est bona; Poeta est substantia: ergo Poeta est bona; vel quæ simile important significatum; vt Omnis homo est animal; sed animal est genus: ergo omnis homo est genus; vel tandem, quæ similem habent significandi modum; vt quid quid emisti, comedisti; sed carnem crudam emisti: ergo carnem crudam comedisti. At quia dictionum similis terminatio prout ad præsens spectat, non debet esse vera, sed apparens (aliter enim nullo modo falleretur respondens, & consequenter nec esset fallacia) esto, vel quoad vocis desinentiam, vel quoad significatum, vel quoad significandi modum, vt inferius explicabitur dictiones videantur simili finiri, terminarique modo; nihilominus in his omnibus re vera, satis discriminantur: nam *substantia*, & *Poeta* in primo paralogismo, diuersam habent desinentiam vocis, cùm *substantia* desinat in a. fœminini generis; *Poeta* verò in a. masculini generis. Item *animal*, & *homo* in altero paralogismo, diuersum habent significatum, cùm iste, speciem; illud, genus significent. Denique, *Quidquid*, & *carnem crudam* in tertio paralogismo, diuersum etiã habent significandi modum, cùm *Quid quid* significet ad modum substantiæ; *carnem* verò *crudam*, ad modum qualitatis. Quamobrem causa apparentiæ in hac fallacia erit apparens similitudo terminationis dictionum, ratione cuius credimus tales dictiones conuenire in significato, esseque quid vnum cum ipso, siue in modo significandi, aut consignificandi, sicut videntur conuenire, esseque quid vnum in tali apparenti figura, siue terminatione. Causa verò defectus erit talis diuersitas dictionum, quæ in figura, siue in terminatione videbantur conuenire. Dictio autem, hoc loco, desumenda est largè; scilicet non tantùm pro dictione, verùm etiam pro omni signo ad placitum instituto, siue sit simplex dictio, siue oratio. Titulus ergo quæstionis, iuxta prædicta tantùm est examinandus.

Doctores omnes affirmant talem fallaciam formaliter consistere in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum; licèt non parum discriminentur inter se, assignando rationem quando semper sit in dictione, cùm aliquando prædicta similitudo videatur accipi extra dictionem, vt patet quando sumitur ex apparenti similitudine terminationis ratione significat, aut ratione modi significandi, vbi vix cernitur aliqua similitudo vocis, aut dictionis.

Notandum idcirco est, quòd inter cæteras fallacias in dictione, ista quodammodò magis appropinquat ad fallacias reales, siue extra dictionem; quapropter multi paralogismi peccantes secũdùm hanc fallaciam, peccant etiam per fallaciam accidentis, quæ est fallacia extra dictionem. Vnde Philosophus hic cap. 4. magis laborat ostendendo de hac fallacia quòd sit in dictione, quàm de alijs. Neque aliquod est inconueniens, quòd in eodem paralogismo simul sit fallacia in dictione, & extra dictionem; dummodò aliunde sumatur deceptionis initium, seu, quod idem est, causa apparentiæ in illa, & in ista fallacia: etenim in fallacia extra dictionem à rebus, vt in sequenti dicetur disputatione; in dictione verò ab ipsis vocibus, duntaxat sumi debet. Ratio autem cur in dictione à vocibus tantùm, nullo pacto à rebus sumi debent, illa videtur esse, quia causa apparentiæ in illa debet esse per se primò obiectum virtutis sensitiuæ, puta auditus, si prolatione sermonis sophismata formentur; aut visus, si calamo exarentur in paginis, &c. aliter enim captiones in dictione non essent. Res autem non possunt esse obiectum per se primò virtutis sensitiuæ, sed tantùm per accidens, ratione scilicet ipsius vocis, vel alterius qualitatis sensibilis. Quare non videtur sufficere dictum quorundam, nimirum in fallacia dictionis, deceptionis initiũ siue causam apparentiæ posse quoque sumi à rebus, dummodò non considerentur absolutè, & secundùm se, sed tantùm vt significantur, & exprimuntur per voces: etenim res illæ, nullo pacto essent obiectum per se primò virtutis sensitiuæ, quod indispensabiliter requiritur ad hoc, vt fallaciæ in dictione, à fallacijs extra dictionem distinguantur, cùm etiam fallaciæ extra dictionem possint habere deceptionis initium à rebus per vocem significatis, vt patet tum in fallacia secundùm quid ad simpliciter, si e. g. dicatur; Est homo mortuus: ergo homo; in qua initium deceptionis, non sumitur à re secundùm se: nam si varietur nomen, dicendo; Cadauer est hic intus: ergo homo est hic intus, non esset ampliùs fallacia, cùm deficiat, & desinat apparentia: etenim de facili respondens potest negare consequentiam: Tum etiam in fallacia plurium interrogationum, vt si dicatur, est ne cœlum, terra, mare, &c. non datur aliqua conuenientia prædictarum interrogationum in ea, nisi quatenus cadunt sub vno modo interrogandi: modus autem interrogandi non pertinet ad rem, sed ad ipsam vocem.

Dicendum est ergo, quòd fallacia figuræ dictionis formaliter consistit in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum. Probatur; quia talis fallacia, tantùm fit secundùm multiplex phantasticum, ex dictis disput. 58. q. 3. ergo formaliter consistit in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum. Probatur consequentia: nam multiplex phantasticum nil aliud est ex ibidem dictis, quàm aliqua dictio tantùm vnum significans, cui ex mera phantasia propter apparentem scilicet similitudinem, quam habet cum alia dictione, eodem modo terminata, & finita, attribuitur alius sensus, nempe eadem significatio, quam habet illa alia dictio, cum qua videtur habere similitudinem in terminatione; sed apparens similitudo terminationis diuersarum dictionum hæc omnia videtur importare: ergo si fallacia figuræ dictionis sit secundùm tale multiplex, non potest non formaliter consistere, nisi in tali apparenti similitudine.

Obiicitur primò in oppositum, quòd fallacia figuræ dictionis, plerunque nullam similem terminationem dictionum admittit: ergo non potest formaliter consistere in tali apparenti similitudine. Consequentia patet. Antecedens verò probatur. Nam omnes fallaciæ in dictione, vna tantùm primi generis excepta, non habent similem terminationem in desinentia vocis vt *animal*, & *homo*; neque in significato, cùm habeant diuersam appellationem; etenim vnum pro genere, aliud pro specie appellat; neque minùs in modo significandi, vt *quid quid*, & *carnem crudam*; nam primum significat per modum substantiæ, secundum verò per modum qualitatis: ergo tales fallaciæ, plerunque nullam

nullam similitudinem terminationis dictionum admittunt.

Respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd *animal*, & *homo*, & cæteræ huiusmodi dictiones, licèt non habeant similē terminationem in appellatione, vt docet argumentum, habent tamen in significato, cùm vtraque dictio significet substantiam viuam sensibilem, in quo saltem apparenter assimilantur, cùm cætera aliunde paria non sint: *homo* enim, in plus se habet, quàm *animal*, cùm insuper addat rationalitatem. Item, *quid quid*, & *crudam*, licèt non assimilentur in modo significandi, substantiam scilicet, & qualitatem; tamen apparenter saltem assimilantur in hoc, quòd vtraque dictio significat per modum subiecti: etenim *crudum*, estò importetur ad modum qualitatis, tamen quia concretum aliquod est, connotat etiam suum subiectum, in quo videtur assimilari cum substantia, quamuis vlteriùs addat qualitatem, quod omnino sufficit ad hoc, vt ista omnia, & cætera huiusmodi, apparentem dicantur habere similitudinem in terminatione diuersarum dictionum.

Obiicitur secundò, quòd de ratione fallaciæ in dictione omnino est, vt importet aliquam multiplicitatem, ex dictis disp. 58. citata; sed si fallacia figuræ dictionis consisteret formaliter in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum, nullam importaret multiplicitatem: ergo, &c. Minor probatur; nam si aliquam importaret, maximè multiplicitatem illam phantasticam, vt concessum est; sed si formaliter consisteret in apparenti similitudine, &c. neque talem importaret multiplicitatem: ergo, &c. Probatur minor, quoniam in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum, eadem dictio, vel oratio, non plura, sed tantùm vnum significaret, cùm in tali casu, non diuersa ijsdem nominibus, sed diuersis idem significaret; sed eadem dictio, vel oratio vnum significans, nullam importat multiplicitatem; nam sicut in loco operante veram multiplicitatem, necesse est eandem orationem, vel idem nomen plura significare; ita necesse est in apparenti multiplicitate, quòd aliqua dictio, vel oratio appareat plura significare: ergo si fallacia figuræ dictionis formaliter consisteret in tali apparenti similitudine, &c. phantasticam non importaret multiplicitatem.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem iterum neganda est minor; vnde ad id, quod pro ea adducitur, dicendum est, quòd licèt in apparenti similitudine terminationis diuersarum dictionum diuersis nominibus, non plura sed idem pro qualibet videatur significari (singulæ enim dictiones, singula significata habent) vnde non sequitur multiplicitas manifesta; sequitur tamen multiplicitas latens, ex collatione scilicet, & similitudine vnius dictionis ad aliam: nam licèt hæc dictio, e. g. *animal*, non significet plura in ista oratione, *Animal est genus*, nec etiam in ista alia, *Homo est animal*; comparando tamen, & assimilando talem terminum ad se ipsum prout accipitur in vna propositione, & prout accipitur in alia, videtur significare quale quid, scilicet dum dicitur *animal est genus*, & hoc aliquid scilicet dum dicitur *Homo est animal*, cùm tamen de se, tantùm significet quale quid, quatenus scilicet non primam, sed secundam importat substantiam: & hæc latens multiplicitas

A sufficit omnino ad multiplex phantasticum, de quo est sermo.

Contra tamen est, quòd talis latens multiplicitas non est sufficiens ad saluandam rationem figuræ dictionis: ergo fallacia figuræ dictionis non potest consistere formaliter in illa apparenti similitudine, &c. quæ talem operatur multiplicitatem. Probatur antec. quoniam ex Aristotele, in calce cap. 5. huius lib. habetur, quòd loci in dictione peccant contra contradictionem, cùm etiam ducant ad metam redargutionis; sed ad hoc vt aliqua fallacia peccet contra contradictionem, oportet quòd idem nomen, vel eadem oratio plura significet, cùm ad contradictionem necesse sit, vtranque partem esse veram, quod non potest fieri, nisi vterque significetur conceptus: ergo talis


B multiplicitas latens, non est sufficiens ad saluandam rationem figuræ dictionis.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicitur, quòd assertum Philosophi non est vniuersaliter verum, sed intelligitur tantùm pro maiori parte locorum in dictione: & ratio est, quia licèt in eodem citato loco etiam affirmet fallacias extra dictionem peccare contra syllogismum: tamen superiùs dixerat, quòd fallacia secundùm quid, & simpliciter, reducitur ad ignorantiam elenchi, eò quia non datur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; seu quod idem est, quia peccat in ignorantia, vel saltem pauca notitia conditionum contradictorij, vt ibidem docet Auerroes. Quare, sicut à locis peccantibus contra syllogismum excluditur fallacia secundùm quid & simpliciter; ita à locis peccantibus contra contradictio-

C nem, excludendus est locus figuræ dictionis, qui peccat contra apparentem, & phantasticam multiplicitatem, vt dictum est.

Obijcitur tandem tertiò, quòd si staret conclusio, sequeretur quòd quando apparens similitudo terminationis diuersarum dictionum sit ratione significati, ex ea non resultaret fallacia in dictione; hoc non est dicendum; aliter enim fallacia figuræ dictionis esset, & non esset in dictione: ergo prædicta fallacia non consistit formaliter, &c. Probatur sequela, quia deceptio prouenìens ex parte significatorum alicuius dictionis prouenit à parte rei; non autem à parte dictionis; sed in tali casu resultaret fallacia ex parte significati dictionum: ergo in tali casu non esset fallacia in dictione, sed tantùm extra dictionem.

D Respondetur negando sequelam maioris, ad cuius probationem dicendum est, quòd si considerentur significata dictionum secundùm se, quatenus scilicet res significatæ sunt; sic ab ipsis sumuntur fallaciæ extra dictionem. Sed si considerentur inquantùm redduntur dictiones similes in significando, bene possunt causare fallaciam in dictione; & hoc modo contingit in ista fallacia, quæ tantùm consistit in simili terminatione dictionum, ratione significati, secundo modo considerati, vt dictum est.



DISPVTATIO SEXAGESIMA.

De Locis sophisticis, seu Fallacijs extra dictionem.



VM fallaciæ inter se ordinentur secundùm quòd habent maiorem, vel minorem causam apparentiæ; examinatis igitur fallacijs in dictione, quæ maiorem causam important apparentiæ, ex eo quia per ipsas faciliùs possunt causari deceptiones in respondente propter multiplicitatem dictionis, & orationis; disputandum est modò de fallacijs extra dictionem, quæ minorem causam habent apparentiæ, vtpote ipsam sumentibus secundùm diuersas habitudines rerum, quæ minimam causant deceptionem in respondente: etenim apparentia, ratione cuius sequitur deceptio, magis contingit in vocibus, quàm in rebus. Cæterùm quia accidentis fallacia potissima est earum, quæ in rebus cernuntur, cùm omnium deterrima, & periculosissima sit, primo examinabitur loco, inde succedentibus alijs secundùm ordinem minoris, ac minoris deceptionis præhabitum disp. 58. q. 3. conclusione 4.

QVÆSTIO I.

Vtrùm fallacia accidentis syllogismorum affirmatiuorum consistat formaliter in partiali, & inadæquata identitate accidentis cum re subiecta: negatiuorum verò in partiali, & inadæquata diuersitate eiusdem cum eadem re subiecta.



RO tituli intelligentia scire debemus, quòd trium illorum terminorum syllogismum ingredientium, nempe medii termini, maioris ac minoris extremitatum; medius ipse dicitur accidens, non quia semper sit quintum prædicabile (non enim hic taliter sumitur accidens) sed pro extraneo accipitur, quatenus scilicet est ex parte idem, & ex parte diuersum cum alio termino, cui coniungitur, & de quo prædicatur; & sic tam superiora dicuntur accidentia respectu inferiorum, quàm inferiora respectu superiorum, propter inadæ-

A quatam identitatem inter illa. Minor autem extremitas dicitur res subiecta; & tandem maior dicitur attributum, eò quia regulariter minori extremitati attribuitur in conclusione. Quare licèt sub alijs terminis excitari soleat præsens quæstio; nimirum, an fallacia accidentis formaliter consistat in partiali, & inadæquata identitate medij cum minori extremitate; placuit tamen nobis eam sub allatis terminis proponere; cùm talis fallacia propriè non fiat ex medio, aut aliquo alio termino, sed ex accidentali habitudine ipsius medij ad extrema; vnde non medij, aut aliorum terminorum; sed accidentis fallacia absolutè vocatur. Quia tamen paralogismorum, qui de ea formantur, alii affirmatiui, alii negatiui sunt; cùm vtrobique non possit esse eadem ratio propter affirmationem, quæ consistit in identitate, & conuenientia; & negationem, quæ consistit in diuersitate, & disconuenientia; hinc est, quòd in vtroque sensu debet explicari.

B Huiusmodi fallaciam in partiali, & inadæquata identitate accidentis cum re subiecta formaliter consistere, omnes docent Doctores: nam communiter tenent causam apparentiæ illius esse partialem identitatem duorum, seu, quod idem est, conuenientia aliquorum duorum in aliquo tertio secundùm partem: causam verò defectus, eorundem diuersitatem. Valdè tamen videntur inter se differre circa modum explicandi quid per nomen accidentis importetur in hac fallacia, cùm quidam maiorem, aut minorem extremitatem syllogismi, quidam verò medium, accidens appellent. Cæterùm licèt res ita appareat, in veritate tamen idipsum sapiunt, vt rectè obseruat B. Alb. C Magnus, tract. 3. huius libri cap. 3.

Notandum est idcirco primò ex Scoto, q. 44. huius libri, quòd tam maior, & minor extremitas, quàm medius terminus possunt habere rationem accidentis in hac fallacia, dummodò vnus prædictorum terminorum, vt ad alium comparatur, diuersam includendo rationem, sit illi extraneus; qua de causa, dicebat Philosophus hic cap. 4. *Propter accidens captiones sunt, quando similiter quodcunque estimabitur rei, & accidenti inesse.* Hoc est, quando idem videtur affirmandum de prædicato, quod accidit rei subiectæ; ac de ipsa re subiecta, vel è contrà. Ratio autem est, quia fallacia accidentis contingit ex variatione tam maioris, & minoris extremitatis, quàm medij in syllogismo, diuersimodè tamen; nam medium variatum, secundùm diuersas rationes comparatur vni extremo, & alteri; D sicut extremum variatum, secundùm vnam rationem comparatur medio, & secundùm alteram rationem, alteri extremo in conclusione; cùm enim accidentis fallacia, teste Philosopho cap. 5. huius, peccet contra syllogismum, fitque immediatè defectus formæ syllogisticæ, non debet tantùm contingere in præmissis, & consequenter tantùm consisteret in medio, verùm etiam in conclusione: forma enim syllogistica, non solummodò consistit in præmissis, sed in præmissis, & conclusione simul, ex dictis lib. 3. Instit. cap. 2. & alibi) & consequenter etiam consistere in extremitatibus, quæ manent in conclusione, vbi medium non ingreditur. Sit exemplum in hoc paralogismo; Hic canis est pater; sed hic canis est tuus; ergo est pater tuus: nam si consideretur canis, vt coniungit vtrunque illud extremum sub diuersa ratione, ea ratione qua videtur conuenire vni, non conuenit alij, & è contrà, cùm sit vtri-

vtrique extraneum; quare accidentis fallacia ex hac parte videtur in eo consistere, & ex eo resultare. Si autem consideretur *pater*, & *tuus* vt quid extraneum sunt respectu *canis*, & consequenter ratione cuius inter se se non conueniunt; accidentis fallacia in vno, vel altero eorum videtur consistere. Cæterùm, attentis omnibus, non maior, vel minor extremitas, absolutè loquendo appellari debent accidentia, seu, quod idem est, ratione cuius, accidentis fallacia contingit in syllogismis; sed tantùm medius terminus: nam si intantùm maior, & minor extremitas sunt accidentia, & causæ huius fallaciæ, inquantùm ratione alicuius tertij, scilicet medij, non conueniunt inter se, licèt videantur conuenire; multò magis ipsum medium, quod sub diuersis, & extraneis rationibus ipsas coniungit extremitates; erit dicendum accidens, causaque huius fallaciæ, iuxta illud *Propter quod vnumquodque tale, &c.*

Notandum secundò; aliqua posse esse quid vnum quadrupliciter: primò enim ea dicuntur vnum, quæ vnum prorsus significant, quamuis sub diuersis nominibus, aut modis diuersis; quo pacto duo synonyma dicuntur vnum; similiter definitum, & eius definitio; hoc tamen discrimine intercedente, quòd illa in voce differunt, hæc verò in modo significandi; cùm definitum confusè, definitio idem distinctè, & explicitè dicat. Secundò verò quædam dicuntur vnum, quę cùm non eandem naturam significent, vnum tamen est de essentia alterius; sicut genus, vel differentia idem sunt cum specie, & species cum indiuiduo, vt puta homo, & animal; homo, & rationale; homo, & Petrus. Tertiò insuper quædam alia dicuntur vnum, minori tamen vnitate quorum vnum est alterius proprium; puta homo, & risibile; cùm risibile non sit de essentia hominis. Quartò tandem, quædam alia dicuntur vnum, quorum vnum, alterum claudit tanquā accidens, vt homo, & album. Ista tamen quatuor, non ita vnum sunt, quin aliqua inter ipsa, differentia inueniatur; nec ita pariter sunt diuersa, quin etiam aliquo modo vnum sint; ex quo fit, quòd aliqua, quę vni tribuimus, etiam alteri damus; aliqua verò vni applicamus, quæ alteri non concedimus; dicimus enim album esse coloratum, currere, & sedere; quæ etiam de homine albo prædicamus, sed album esse accidens, colorem qualitatem dicimus, quæ de homine non enunciamus. Ex his ergo omnibus, fallacia sciri potest accidentis, quæ scilicet fit quoties tribuimus vni omnia, quæ tribuimus alteri, vt dictum est; quæ tamen non illi, qua parte cum altero vnum est conueniunt; existimantes tamen propter identitatem, & vnitatem id licere.

Dicendum est ergo, quòd fallacia accidentis syllogismorum affirmatiuorum consistit formaliter in partiali, & in inadæquata identitate accidentis cum re subiecta; negatiuorum autem in partiali, & in inadęquata diuersitate eiusdem cum re subiecta.

Probatur; quoniam fallacia accidentis tā in affirmatiuis, quàm negatiuis syllogismis ex Philosopho cap. 4. huius tunc sequitur, quando aliquid similiter attribuitur rei subiectę, & accidenti, cùm tamen dissimiliter insit: ergo in affirmatiuis formaliter consistit in partiali, & in inadæquata identitate accidentis cum re subiecta, è contrà verò in negatiuis. Probatur consequentia; nam tunc aliquid similiter attribuitur rei subiectæ,

A & accidenti, cùm tamen dissimiliter insit: quando in affirmatiuis syllogismis non omnimoda, sed aliqua est identitas; in negatiuis verò non omnimoda, sed aliqua est diuersitas accidentis cum re subiecta: aliter enim ibi nulla adesset apparentia, simul cum defectu identitatis, vel diuersitatis vt de se patet; sed non omnimoda, sed aliqua identitas accidentis cum re subiecta; & è contrà, non omnimoda, sed aliqua diuersitas eiusdem cum re subiecta est partialis, & inadæquata identitas; vel partialis, & inadæquata diuersitas: ergo fallacia accidētis affirmatiuorum syllogismorum consistit formaliter in partiali, & in inadæquata identitate; negatiuorum verò in partiali, &c.

Obijcitur primò in oppositum, quòd si partialis, & inadæquata identitas accidentis cum re subiecta, esset tota ratio fallaciæ accidentis in affirmatiuis; quilibet
B syllogismus affirmatiuus posset continere fallaciam accidentis, quod etiam proportione seruata affirmari posset de negatiuis; sed hoc est falsum: ergo & illud. Falsitas consequentis probatur; etenim in hoc syllogismo affirmatiuo, scilicet Omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal, non est fallacia, quinimmo concludit necessariò; & tamen in eo, medium, scilicet homo coniungitur cum vno extremo secundùm vnam rationem, & cum alio secundùm diuersam: ergo falsum est, quòd quilibet syllogismus affirmatiuus contineat fallaciam accidentis.

Respondetur, concedendo sequelam, cæteris paribus, idest si quilibet syllogismus affirmatiuus habeat apparentiam simul cum defectu, in quo sensu negatur minor. Ad cuius probationem dicendum est, quòd
C ad fallaciam accidentis non tantùm requiritur vt medium secundùm vnam rationem vniatur vni extremo, & secundùm aliam alteri vtcunque; nam vlteriùs requiritur, quòd illæ rationes, quatenus ad tertium comparantur sint extraneæ, ac repugnantes; cæterùm, cùm in adducto syllogismo, ratio *animalis*, & ratio *Petri* vt conueniunt in homine non sint repugnantes, & extraneæ, sed sint omnino idem, ibi non sequitur fallacia accidentis.

Obijcitur secundò, quòd si staret conclusio, fallacia accidentis non distingueretur à fallacia secundùm quid ad simpliciter: ergo non potest formaliter consistere in tali partiali identitate. Consequentia liquet, cùm idem debeat esse principium constitutiuum, & distinctiuum rei. Sequela verò probatur; etenim si
D staret conclusio, eadem esset causa apparentiæ in fallacia accidentis, ac in fallacia secundùm quid ad simpliciter, cùm etiam in ista, causa apparentiæ sit identitas partialis; vt constat cùm dicitur, Cadauer est homo mortuus; sed hoc (ostendendo aliquid) est cadauer: ergo est homo. Quoniam *homo*, & *mortuus*, habent identitatem partialem in cadauerę; sed vbi est eadem causa apparentiæ, non distinguuntur fallaciæ: ergo, &c.

Respondetur negando sequelam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd admisso, quòd identitas partialis sit causa apparentię in fallacia secundùm quid ad simpliciter, de quo statim, suo loco; attamen partialis identitas in fallacia accidentis, esset diuersa à partiali identitate, in fallacia secundùm quid ad simpliciter; nam identitas partialis in fallacia accidentis, ita importat in illo tertio rationes diuersas, & repugnantes, vt vna non includat aliam, etiam de-

defectiuè, ac diminutè; vt patet de *Patre*, & *tuo* in *cane*, in quo, vnum nullo pacto alterum includit. Cæterùm identitas partialis in fallacia secundùm quid ad simpliciter, ita importat in illo tertio rationes diuersas, vt vna (diminutè saltem) aliam importet, vt patet de *homine*, & *homine mortuo* in cadauere; vbi vnum, saltem diminutè includit aliud.

Obijcitur tandem tertiò; quòd intantùm partialis identitas illa, est tota ratio fallaciæ accidentis in syllogismis saltem affirmatiuis, inquantùm per ipsam variatur medium, dum sub vna ratione vnit vnum extremum, & sub alia alterum, vt dictum est suprà; sed hoc non sufficit ad gignendam fallaciam accidentis: ergo non potest formaliter consistere, &c. Minor probatur; nam potest dari casus, quòd medium mutetur, & tamen fallacia accidentis non sequatur, vt patet per syllogismos vtiles: nam maiore existente de necessario, & minore de contingenti; sequitur conclusio de contingenti; sequitur enim; Omnis homo de necessitate est animal; sed contingit ad vtrunlibet album esse hominem: ergo contingit album, esse animal. Item etiam sequitur; Omnis homo de necessitate est animal; album est homo: ergo album est animal; & tamen medium, scilicet *homo*, diuersa ratione comparatur maiori, & minori; quia maiori comparatur sub modo necessitatis; minori autem per modum contingentis, vel per verbum de inesse: ergo talis variatio medii non sufficit ad talem fallaciam accidentis gignendam.

Respondetur concedendo maiorem, si tamen adsunt cætera requisita, & negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt medium, nempe *homo* in adducto syllogismo comparetur maiori sub modo necessitatis, & minori sub modo contingentiæ; quia tamen sufficienter est idem cum extremis respectu conclusionis de contingenti, & de inesse, cùm vniformiter accipiatur in maiori, & minori respectu talis conclusionis; hinc est, quòd ibi non resultat accidentis fallacia: nam quotiescunque medius terminus, vel quilibet alius terminus comparatur vni extremo secundùm vnam rationem, & alteri secundùm aliam; ita quòd illæ rationes non includant se inuicem in tali illatione, necessariò erit accidens, seu continget fallacia accidentis; si autem includant se, vt patet in adductis syllogismis, nullo pacto contingit fallacia, vt rectè probat argumentum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm fallacia à secundùm quid ad simpliciter; vel è contrà, à simpliciter ad secundum quid, consistat formaliter in analoga identitate rei significatæ per dictionem affectam determinatione minuente, vel priuante, cum re significata per dictionem non affectam tali determinatione, & econtrà.

A PRO tituli enucleatione, in primis scire debemus; quòd identitas analogica, licèt idipsum importare videatur, ac identitas partialis, & inadæquata; attamen, re bene considerata, in plus se habet, quàm illa: etenim omnis analogica identitas, est partialis, & inadæquata; non autem omnis partialis, & inadæquata, est analogica, cùm identitas partialis, & inadæquata rerum, sumatur ab ipsis secundùm se consideratis; analogica verò secundùm habitudinem, & proportionem, quam ad inuicem important; vnde minor identitas etiam videtur esse, quàm illa, cùm minor identitas rerum sit, quæ secundùm proportionem, quàm quæ secundùm se ad inuicem se respiciunt; & de hac identitate, propriè procedit quæstio.

Item sciendum est, quòd dictum simpliciter, & dictum secundùm quid dupliciter sumi possunt, largè scilicet, & strictè. Primo modo, tunc sumitur dictum simpliciter, quando accipitur sine addito, vel cum minori addito respectu suiipsius dum sumitur cum maiori addito: vt terminus *homo* e. g. dum sumitur secundùm se, vel cum minori addito, ac sumatur dum consideratur cum addito albedinis, prudentiæ, sanitatis, &c. Sicut eodem modo capitur dictum secundùm quid, quando accipitur cum addito, vel maiori addito, ac sumatur dum consideratur secundùm se, vel cum minori addito; vt *homo* dum sumitur cum addito albedinis, prudentiæ, sanitatis, &c. vel aliquo alio maiori addito ac dum sumitur secundùm se. Secundo verò modo consideratur dictum simpliciter, quando accipitur sine aliqua, vel pauciori determinatione respectu sui ipsius sumpti cum aliqua determinatione; vt huiusmodi terminus *homo*, dum accipitur absolutè, præcisè, ac secundùm se. Sicut eodem modo consideratur dictum secundùm quid, quando accipitur cum aliqua determinatione, vel saltem cum maiori determinatione ac dum sumitur secundùm se; vt idem terminus *homo*, dum sumitur sub determinatione contrahente ad albedinem, vel diminuente, per albedinem scilicet secundùm dentes, &c. De dictis ergo simpliciter, & secundùm quid in priori sensu non procedit præsens quæstio; cùm in omnibus semper non sequatur fallacia, ob defectum conditionum spectantium ad talem fallaciam. Quare tantùm procedit de illis in secundo sensu.

Illud tamen ignorandum non est, quòd prout ad præsens spectat, triplex est determinatio dictionem afficiens, nempe contrahens, siue restringens; diminuens, vel alienans; & distrahens, siue priuans. Contrahens, siue restringens, est, quæ restringit dictionē à maiori ad minorem suppositionem, vt de restrictione dictum est suprà lib. 1. Instit. cap. 6. vt homo albus, &c. & hæc non facit locum sophisticum; cùm valeat consequentia si dicatur, Socrates est homo albus: ergo est homo; sed facit locum dialecticum à parte in modo ad suum, totum, vt dictum est supra disp. 47. q. 3. concl. 4. Diminuens, siue alienans est illa, quæ diminuit significatum dictionis; vt æthiops est albus secundùm dentes; vel alienat à propria, ad impropriam significationem; vt duo leones marmorei sunt in foro. Distrahens denique, siue priuans est, quæ omnino tollit rationem sui significati; vt cadauer est homo mortuus: & istæ duæ determinationes faciunt locum sophisticum; de quo est sermo: non enim valet, æthiops est albus secundùm dentes: ergo est albus; neque, duo leo-

leones marmorei sunt in foro : ergo duo leones sunt in foro : sicut non valet, cadauer est homo mortuus: ergo est homo. Quare hic locus nil aliud est, quàm deceptio proueniens à conuenientia apparenti dicti secundùm quid, ad dictum simpliciter; vel è. contrà. Quamobrē causa apparētiæ, erit illa apparens conuenientia, seu analogica identitas ; causa verò defectus, diuersitas significatorum.

Notandum tamen est primò, quòd determinatio diminuens, siue alienans, quæ tantùm determinat secundùm partem materialem, siue integralem, potest dupliciter considerari; vel scilicet, vt determinat tantùm secundùm partem denominantem totum, ratione illius formæ, quam importat ipsa denominatio, vel non; si primum, optimè sequitur consequentia à secundùm quid, ad simpliciter, vt constat quando dicitur, Est crispus secundùm caput : ergo est crispus: Est simus secundùm nasum: ergo est simus; quia à talibus partibus secundùm tales formas totum denominatur tam in priuationibus, & habitibus naturalibus; vt patet, dicendo ; Est cæcus secundùm oculum ; ergo est cæcus: Est rectus in ambulando secundùm pedes: ergo est rectus; quàm in habitibus acquisitis; vt quando dicitur ; Est prudens in operando secundùm iustitiam ; ergo est prudens. Huiusmodi verò causa est, quia formæ, vel priuationes istarum partium, siue membrorum à quibus denominatur totum, sunt in organis, & membris potioribus ipsius corporis; vnde ab his fit denominatio totius. Si autem talis determinatio diminuens, vel alienans, determinet partem integralem, denominat tantùm secundùm aliquam formam, quæ non est in ipsa, vt in organo, & potiori membro ipsius corporis; sed tantùm, vt in parte materiali, & integrante; tunc ex dicto secundùm quid, nequit inferri dictum simpliciter; non enim valet; æthiops est albus secundùm dentes : ergo est albus: cycnus est niger secundum pedes; ergo est niger, &c. Sicut in relatiuis etiam, non sequitur ; Bonum est secari, ne putrescat corpus ; ergo bonum est secari : Bonum est vti dieta tali, in loco infirmo: ergo bonum est vti dieta tali, &c.

Notandum secundò; quòd licèt huiusmodi fallacia contingat à secundùm quid ad simpliciter; & ad simpliciter ad secundùm quid; tamen est putanda duplex; sicut duplex est locus dialecticus à parte ad totum, & à toto ad partem. Et ratio est, quia principium decipiendi, siue causa apparentiæ (penes quam fallaciæ tantùm habent distingui) est vna, nempe similitudo in dicto secundùm quid, & in dicto simpliciter, & proximitas secundùm rem, vt dictum est; siue consideretur habitudo dicti secundùm quid, ad dictum simpliciter; siue consideretur è conuersò habitudo dicti simpliciter ad secundùm quid. Loci verò dialectici, non ita distinguuntur; sed potius penes differentias maximarum: alia enim est habitudo partis ad totum, & alia totius ad partem, quia diuersis maximis confirmantur, vt dictum est suprà suo loco. Hoc tamen ignorandum non est, quòd dictum siue simpliciter, siue secundùm quid, non accipitur in hac fallacia præcisè secundùm se, sed prout subiacet rei, & significatur in eo, quod est in re : in omnibus enim fallacijs tam in dictione, quàm extra dictionem, oportet sermonibus vti; at sermo in fallaciis extra dictionem sumitur prout subiacet rei; in fallaciis autem dictionum sumitur prout res subiacet sermoni.

A Dicendum est ergo, quòd fallacia secundùm quid ad simpliciter, & è contrà consistit formaliter in analogica identitate rei significatæ per dictionem affectam determinatione minuente, vel priuante, cum re significata per dictionem non affectam tali determinatione, & è contrà.

Probatur; quoniam, vt ex verbis Philosophi cap. 4. huius deduci potest, talis fallacia est idoneitas decipiendi proueniens ex apparenti conuenientia dicti secundùm quid ad dictum simpliciter, & è contrà : ergo consistit formaliter in analogica identitate rei significatæ, &c. Consequentia probatur : etenim apparens conuenientia dicti secundùm quid ad dictum simpliciter, & è contrà, non potest non esse nisi quædam identitas partialis, & inadæquata rerum dicentium habitudinem ad inuicem, non vtcunque, sed quatenus B significantur per dictiones affectas aliqua determinatione apta nata ad fallendum; vt consideranti innotescere potest; sed talis identitas nil aliud est, quàm analogica identitas, siue conuenientia rei significatæ per dictionem affectam determinatione minuente, vel priuante, cum re significata per dictionem non affectam tali determinatione, & è contrà; cùm nulla alia identitas, neque vlla alia determinatio apta nata sit ad fallendum, vt ex dictis constat : ergo fallacia secundùm quid ad simpliciter, & è contrà, formaliter consistit in analogica identitate, &c.

Obiicitur primò in oppositum; tum quia in hoc paralogismo, Petrus est perfectus latro; vel est monachus albus; non sequitur; ergo est perfectus, vel est albus; & tamen ly *perfectus*, & ly *albus* non sunt determina- C tiones diminuentes, aut priuantes; sed tantùm restringentes: ergo fallacia secundùm quid ad simpliciter, formaliter non consistit, &c. Tum etiam quia in hoc alio paralogismo; Cadauer, est homo mortuus; optimè inferri potest; ergo est mortuum : ergo hæc fallacia formaliter consistere non potest in analoga identitate rei significatæ per dictionem affectam determinatione distrahente.

Respondetur ad primam rationem, quòd in illo paralogismo non est fallacia secundùm quid ad simpliciter, sed accidentis; quare non est mirum, quòd inibi non reperiatur determinatio diminuens, aut priuans; sed tantùm restringens; non vtcunque (etenim non in omnibus casibus sequitur, cùm plerunque à termino affecto determinatione restringente ad alium non D affectum, sequatur consequentia, vt dictum est suprà) sed quia in tali determinatione restringente, vnum prædicatum conuenit subiecto propter aliud : nam prædicatum *perfecti* conuenit Petro, propter prædicatum *latronis*. Ad secundam verò rationem respondetur, quòd in tali paralogismo sequitur consequentia, ex eo, quia non fit progressus à determinato, determinatione distrahente, ad non determinatum, sed iterum ad ipsum determinatum saltem implicitè.

Obiicitur secundò, quòd ab vno termino sumpto cum determinatione distrahente ad alium sumptum simpliciter, tenet quandoque consequentia : ergo fallacia secundùm quid ad simpliciter, non consistit formaliter, &c. consequentia patet, cùm fallacia formaliter esse non possit vbi tenet consequentia. Antec. autem probatur, nam quod intelligitur in aliquo, sequitur ad ipsum, seu, quod idem est, ab eo in quo intelligitur ad se ipsum tenet consequentia; sed homo e.g. sim-

simpliciter sumptus intelligitur in hoc adiecto cum A determinatione distrahente, scilicet *homo mortuus*: ergo ab vno termino sumpto cum determinatione distrahente ad alium simpliciter sumptum tenet consequentia. Maior patet; valet enim, Est homo: ergo animal, cùm animal intelligatur in homine. Minor verò probatur: nam vbi adest oppositum, siue implicantia in adiecto, id cui fit oppositio, & implicantia, non potest non intelligi in toto obiecto, præcipuè si definitiones pro oppositorum nominibus ponantur; sed *homo mortuus* facit implicantiam in adiecto, cùm *homo* sit habens vitam, *mortuus* non habens vitam: ergo *homo* simpliciter sumptus intelligitur in hoc adiecto cum determinatione distrahente, scilicet in *homine mortuo*.

Respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem neganda est minor, quoniam homo mortuus, B non est homo, sed hominis cadauer; quare homo non intelligitur, sed potiùs excluditur ab illo toto. Ad illud verò, quod additur de implicantia in adiecto, dicendum est, quòd hæc oratio, scilicet *homo mortuus*, potest dupliciter considerari; nempe, vel respectu alicuius tertij, videlicet ipsius cadaueris, quod importat; vel respectu suarum partium diuisim sumptarum. Si consideretur primo modo, non affert oppositionem in adiecto, cùm dicat tantùm corruptionem hominis. Si autem consideretur secundo modo, importat quidem oppositum in adiecto, vt probat argumentum (importat enim oppositionem suarum partium, sed hoc nihil ad nos, qui consideramus ipsum, tantùm primo modo, vt patet dum dicitur, *Cadauer est homo mortuus*. Et licèt argumentando à toto ad partes, ex C dictis in topicis, teneat consequentia; non tamen quando adest terminatio minuens, aut distrahens, vt ostensum est.

Obijcitur tandem tertiò, prædictum confirmando argumentum, quòd significatum dictionis post eius impositionem, est sibi essentiale: ergo non potest per aliquod accidentale impediri, cùm accidentale non tollat essentiale; sed significatū hominis, e.g. est natura humana: ergo non potest impediri per aliquod superadditum, nempe per mortuum, quin per bonam consequentiam sequatur ad ipsum, cùm significatum sit essentiale, vt dictum est; additum verò accidentale.

Respondetur distinguendo primam consequentiam; ergo non potest per aliquod accidentale impediri, si tale accidentale non sit minuens, vel distrahens; con- D cedenda est consequentia: si autem sit minuens, vel distrahens; neganda est consequentia: nam significatum *hominis* in illo aggregato, est quidem natura humana, sed sub ratione *mortui*, siue corruptionis; vnde ex prædicta determinatione non sequitur est homo simpliciter, sed est homo mortuus, vt constat.

***

QVÆSTIO III.

Vtrùm fallacia ignorationis elenchi formaliter consistat in apparenti identitate apparentis contradictionis cum vera.

IN primis, circa huiusmodi quæsitum scire debemus ex Philosopho in hoc libro cap. 1. quòd elenchus, siue redargutio est argumentatio probatiua conclusionis, contradictoriæ, vel contrariæ positioni respondentis. Quare tres conditiones ad ipsum requiruntur Prima, quòd sit argumentatio; ideò mala consequentia non est elenchus. Secunda, quòd, sit argumentatio probatiua; ideò syllogismi, & consequentiæ procedentes per præmissas falsas, vel ex minùs notis, non sunt elenchi. Tertia verò, quòd sit argumētatio probatiua conclusionis contrariæ, vel contradictoriæ positioni respondentis; ideò syllogismi, & consequentiæ non inferentes contradictiones, non sunt elenchi. Ex quibus etiam sequitur, quòd ad verum elenchum requiruntur primo loco, omnes conditiones spectantes ad veram argumentationem, nimirum, quòd sit vnius, & eiusdem, non nominis tantùm, nec rei tantùm, sed nominis, & rei simul; & quòd procedat necessariò ex ijs, quæ posita, & concessa sunt. Qua de re, per primas conditiones remouentur omnes fallaciæ in dictione, quæ non sunt respectu eiusdem nominis, & rei simul, sed tantùm nominis. Per secundas autem, excluditur omnino à ratione elenchi fallacia accidentis. Deinde requiruntur etiam omnes conditiones necessariæ ad argumentationem probatiuam; nimirum quòd non procedat ex falsis, aut synonymis, aut minùs notis, per quas excluditur syllogismus pseudographus, & fallacia petitionis principij. Denique requiruntur vlterius omnes conditiones spectantes ad veram contradictionem, aut contrarietatem, quæ videntur esse quatuor; nimirum, ad idem secundùm idem; similiter, & in eodem loco, siue tempore. Respectu ergo primæ, non erit verus elenchus si dicatur, Quinque est medietas denarij, & non est medietas binarij: ergo est medietas, & non est medietas: etenim, illa contraria non sunt ad idem. Respectu secundæ pariter non erit verus elenchus si dicatur, Lignum est alteri æquale secundùm longitudinem, & inæquale secundùm latitudinem: ergo est æquale, & inæquale: etenim illa contraria non sunt secundùm idem. Respectu tertiæ nec etiam erit verus elenchus si dicatur, Homo est species; & nullus homo est species: ergo est, & non est species: etenim non est similis, & eadem suppositio terminorum. Tandem respectu quartæ conditionis, non erit verus elenchus si dicatur; Petrus hodie currit, & cras non currit: ergo currit, & non currit: vel Petrus audit sacrum in templo, & non audit in cubiculo: ergo audit, & non audit sacrum: etenim deest identitas temporis, vel identitas loci; vnde tantùm erunt apparentes, & sophistici elenchi, seu fallaciæ ignorationis veri elenchi. Omnes autem allatæ conditiones

videntur apertè contineri in illa vulgata elenchi descriptione, cùm dicitur: *Elenchus est syllogismus probatiuus contradictionis vnius, & eiusdem, non nominis tantùm, nec rei tantùm, sed nominis, & rei simul, non synonymi; sed ex ijs, quæ dicta sunt de necessitate accidere, non connumerando, quod erat in principio ad idem, secundùm idem, similiter & in eodem tempore, vel loco.*

Elenchus autem contingere potest vno modo, dum syllogizatur oppositum illatæ conclusionis ex oppositis principiis; vt contingit quando respondens ponit aliquam enunciationem, e.g. quòd aliquod animal sit immortale ex eo, quòd non constat ex contrariis principiis, vnde contrà sic argumentatur, nempe; Nulla res constans ex quatuor vulgatis elementis, est immortalis; sed omne animal constat ex huiusmodi elementis: ergo nullum animal est immortale. Alio verò B modo contingere potest elenchus quando syllogizatur ex opposito conclusionis cum altera præmissarum concludendo oppositum alterius præmissæ; vt contingit quando respondens ponit hanc conclusionem in *Brocardo* videlicet, Quoddam animal non est album, ex eo, quòd aliquis homo non est albus, & omnis homo est animal; vnde contrà sic argumentatur in *Barbara*; Omne animal est album; omnis homo est animal: ergo omnis homo est albus.

Ex ignorantia tamen allatarum conditionum, in vtroque elencho sequitur captio, siue locus sophisticus, cùm in tali casu non sit amplius verus elenchus, sed tantùm fictus, & apparens. At quia talis ignorantia capi potest dupliciter, vno modo largè, pro omni omissione scilicet alicuius conditionis requisitæ ad verum syllogismum probatiuum, & ad veram contra- C dictionem; alio verò modo strictè, videlicet pro omissione alicuius particulæ, seu conditionis requisitæ ad veram contradictionem, quæ est tota ratio, & formalitas elenchi, per quam distinguitur à syllogismo probatiuo vt sic; hinc est etiam, quòd fallacia ignorationis elenchi capi potest dupliciter: vno modo largè, & sic est idoneitas decipiendi, prouenіens ex apparenti obseruatione omnium contradictionum requisitarum ad verum elenchum, seu ad argumentationem probatiuam, & contradictionem simul: alio verò modo strictè; atque ita est idoneitas decipiendi, proueniens ex apparenti obseruatione quatuor illarum conditionum requisitarum ad veram contradictionem; propter quam apparentiam credimus, quòd discursus sit bonus, & probatiuus, qui tamen non est. Primo D modo, non est fallacia ab aliis distincta, ex dictis disp. 58. q. 3. ad 4. sed est fallacia generalis, cùm omnis fallacia, ex Aristotele hic cap. 5. peccet contra verum elenchum. Secundo verò modo est fallacia specialis, de qua tantùm est sermo in præsenti.

Notandum est idcirco primò pro resolutione difficultatis, quòd ignorantia prout ad præsens spectat, congruenter diuiditur per ignorantiam puræ negationis; & per ignorantiam prauę dispositionis. Prima est pura carentia cognitionis tam actualis, quàm habitualis, vnde alio vocabulo, nescientia appellari solet, vt contingit in pueris nondum cognoscentibus, qui de rebus siue in vniuersali, siue in particulari, nihil penitus sciunt. Secunda est falsa apprehensio rei cognitæ, quæ tunc fit, quando quis est malè dispositus ad aliquid sciendum; quod cùm possit contingere, vel ratione principiorum, vel ratione conclusionum, A ex eo quia malè adaptantur principia ad concludendum, vt dum adaptantur sine modo, & figura, vel aliquo alio indebito modo; hinc est quòd talis ignorantia prauæ dispositionis, adhuc in simplicem, quæ est falsa apprehensio principiorum; & in compositam, quæ est falsa apprehensio conclusionum, diuidi solet. Ignorantia igitur elenchi, de qua loquimur, non est ignorantia puræ negationis, cùm aliquam supponat cognitionem; neque est ignorantia prauæ dispositionis composita, cùm rectam syllogismi structuram, tam in figura, quàm in modo supponat; sed est ignorantia prauæ dispositionis simplex, ex eo quòd deficiat in recta apprehensione contradictionis, quæ est tota ratio, & principium huius fallaciæ. Vnde causa apparentiæ erit apparens obseruatio conditionum requisitarum ad veram contradictionem, ratione cuius creditur, quòd in antecedente, seu principiis paralogismi sit vera contradictio, vbi tamen est contradictio tantùm apparens, & per talem apparentem contradictionem in consequente, seu conclusione, infertur contradictio simpliciter; vt si dicatur: Iuuenis est maior puero, & minor sene; ergo est maior, & minor. Eius verò causa defectus erit omissio alicuius illarum conditionum, quæ requiruntur ad veram contradictionem.

Notandum secundò, quòd licèt huiusmodi fallacia haud parum conueniat cum fallacia secundùm quid ad simpliciter; tamen tres differentiæ valdè considerandæ assignari solent inter ipsas; quarum prima est, quòd paralogismi fallaciæ secundùm quid ad simpliciter aliquando procedunt cum vna determinatione; vt quando dicitur, Scutum est album secundùm medietatem: ergo est album; aliquando verò cum duplici; vt quando dicitur, Scutum est album secundùm vnam medietatem, & nigrum secundùm aliam: ergo est album, vel nigrum: Paralogismi verò ignorantiæ elenchi semper procedunt saltem implicitè cum duplici terminatione; vt quando dicitur, Hoc est duplum ad illud secundùm longitudinem: ergo est duplum, & non duplum. Secunda verò differentia est, quòd paralogismi fallaciæ secundùm quid ad simpliciter procedunt cum determinatione impropria, seu diminuente, aut priuante de ratione eius, quod est simpliciter: Paralogismi verò ignorantiæ elenchi procedunt cum determinatione illa duplici impropria, seu diminuente, vel priuante de ratione contradictionis. Tertia tandem differentia, quæ assignatur inter ipsa est, quòd paralogismi secundùm quid ad simpliciter, semper peccant in consequendo, & probando: Paralogismi verò fallaciæ ignorationis elenchi, nequaquam; sed tantùm in contradicendo.

Dicendum est ergo, quòd fallacia ignorationis elenchi formaliter consistit in apparenti identitate apparentis contradictionis cum vera. Probatur; nam talis fallacia tantùm peccat contra conditiones veræ, ac realis contradictionis: ergo formaliter consistit in apparenti identitate apparentis contradictionis cum vera. Antecedens patet ex dictis, cùm talis fallacia, quatenus specialis est, sit tantùm circa rationem formalem, ac differentialem elenchi, quæ est realis, & vera contradictio. Consequentia verò probatur; quia defectus veræ, ac realis contradictionis in apparenti, ac sophistico syllogismo, non potest non esse, nisi cùm apparenti contradictione, cùm causa defectus in ipsis sem-

semper fit cùm causa apparentiæ, vt dictum est multoties; sed talis simultas contradictionum, non est nisi apparens identitas apparentis cum vera: ergo prædicta fallacia consistit formaliter in tali apparenti identitate, &c.

Obiicitur primò in oppositum, quòd posita tali identitate apparentis contradictionis, &c. sequitur tamen bonus processus, & bona consequentia: ergo fallacia ignorationis elenchi non potest formaliter consistere in prædicta identitate, &c. Consequentia est certa; nam vbi est bonus processus, & bona consequentia, ibi fallacia esse non potest. Antec. verò probatur; nam stante tali identitate; adhuc tamen optimè argumentari valet, dicendo, Istud est magnum ad hoc; & est paruum ad aliud: ergo est magnum, & paruum; vt constat per Philosophum in prædicamentis cap. 7. & tamen ibi videtur esse ignorantia elenchi ex omissione illius conditionis *ad idem*.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd in prædicta argumentatione, non est fallacia ignorationis elenchi, quia in relatiuis valet talis processus; vnde bene sequitur, Iste est pater respectu huius, & filius respectu alterius: ergo est simpliciter pater, & filius; quia esse relatiuorum est ad aliud: magnum autem, & paruum sunt de numero relatiuorum; vt cap. 6. præd. dictum est. In formis autem absolutis, non valet talis processus: non enim sequitur, Hoc est album per comparationem ad illud, ergo est simpliciter album; sicut non valet, Hoc est magnum secundùm longitudinem, & est paruum secundùm latitudinem; ergo est magnum, & paruum: etenim vt patet ex dictis, disp. 14. q. 1. ad 2. magnum, & paruum secundùm extensionem, sunt de genere quantitatis, & quid absolutum: vnde communiter dici solet, quòd hæc fallacia maximè attenditur in formis absolutis.

Obiicitur secundò, quòd prædicta identitas non est sufficiens ad distinguendam istam fallaciam, à consequentis fallacia: ergo nec formaliter potest ipsam constituere; cùm idem, debeat esse principium distinctiuum, & constitutiuum. Antec. probatur; quoniam in hoc paralogismo; scilicet, Istud est duplum ad hoc; sed non est duplum ad aliud: ergo non est duplum; & per consequens idem est duplum, & non est duplum: ibi enim est talis identitas, & tamen est fallacia consequentis, cùm arguatur à destructione antecedentis, vt patet: ergo talis identitas non est sufficiens ad distinguendum, &c.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem respondetur ex dictis disp. 19. q. 4. not. 1. quòd scilicet non est inconueniens in eodem paralogismo esse plures fallacias secundùm diuersas considerationes, vt contingit in præsenti; vnde non sequitur, quòd talis identitas secundùm vnam considerationem non distinguat prædictam fallaciam, à fallacia consequentis, vt probat argumentum, & secundùm aliam distinguat, videlicet vt est identitas apparentis, ac veræ contradictionis, vt dictum est.

Obijcitur tandem tertiò, quòd prædicta identitas non distinguitur formaliter ab identitate fallaciæ secundùm quid ad simpliciter: ergo in ipsa non potest formaliter ignorationis elenchi fallacia consistere. Consequentia certa est ex eo, quòd non potest esse eadem formalitas diuersorum. Antec. autem probatur; quia in fallacia secundùm quid ad simpliciter, quandoque est tantùm vnum secundùm quid, & vnum simpliciter: in fallacia verò ignorationis elenchi, semper duo sunt secundùm quid, & duo simpliciter; per quod, ex dictis videbantur inter se distingui istæ fallaciæ; sed hoc non est sufficiens ad distinctionem earũ, cùm vnum sit pars duorum, & pars cum suo toto non faciat numerum: ergo nec earundem prædicta identitas.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd fallaciæ, atque earundem identitates, non sunt attendendæ secundùm terminos tantùm, sed secundùm habitudines terminorum ad inuicem. Cùm igitur alia sit habitudo vnius ad vnum, & alia habitudo duorum ad duo, vel ad vnum, & sic de singulis (habitudo enim vnius ad duo, est habitudo subdupli: habitudo verò duorum ad vnum, est habitudo dupli) hinc est, quòd diuersas habent identitates, & consequenter sunt diuersæ fallaciæ, vt notatum est supra.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm fallacia petitionis principij consistat formaliter in apparenti diuersitate cum vera identitate antecedentis, & consequentis, siue præmissarum, & conclusionis.

PRincipium in hoc loco nil aliud est, quàm principale propositum, seu, quod idem est, illa propositio, quam opponens à principio intendit probare contra respondentem, & contradicit positioni ipsius respondentis; vt e.g. quando interrogans intendit probare hanc conclusionem, scilicet *Hominem currere*, quę negata fuit à respondente: nam talis conclusio appellatur principium ex eo, quia est finis intentus, qui est quid primum in intentione, licèt quid vltimum in executione. At quia Dialecticus, assumendo præmissas ad probandum aliquam conclusionem, quandoque procedit interrogando, vt patet in hac argumentatione; scilicet, est ne verum, quòd contrariorum eadem est disciplina; vt hæc contraria sunt: ergo contrariorum est eadem disciplina; hinc est, quòd interrogando respondentem, an tale principale propositum, quod interrogans vult probare, velit ne concedere; dicitur ipse interrogans petere à respondente principium, siue talem conclusionem sibi concedendam. Quod duobus modis contingere potest: Primo, itaut petat sub eodem nomine, aut duobus synonymis; vt contingit quando vult probare hominem, e.g. currere, ex eo quòd animal rationale currit. Secundo verò modo, diuersis nominibus, & vocabulis; vt quando vult probare, contrariorum eandem esse disciplinam ex eo, quòd omnium oppositorum est eadem disciplina, & sic de cæteris, procedendo vel per æquè ignota, aut minùs nota. Primo modo appellatur petitio principii *statim*, de qua non est sermo in præsenti, cùm talis processus non sit in arte; neque peccet contra

tra syllogismum simpliciter, vnde nec potest esse fallacia, siue apparentia aliqua. Secundo verò modo appellatur petitio principii *non statim*, de qua loquimur in præsenti, cùm talis processus peccet contra syllogismum dialecticum, siue probatiuum, qui est syllogismus contractus ad materiam dialecticam, vel demonstratiuam; ad quem exigitur, quòd aliud sit probans, & notius; & aliud probatum, & ignotius in quo potest dari fallacia, seu apparentia veræ probationis, estò non sit. Quare Philosophus hic cap. 4. accuratiori vocabulo, quàm vtatur vulgus, qui indifferenter vocat hos duos modos petitionem principii; appellat hunc secundum modum petitionem ex principiis, vel petitionem eius, quod est in principio, cùm tantùm primus verè, & propriè sit petitio principii. Principii tamen petitio, siue vno, siue altero sumatur modo, non est ita illigata interroganti, vt communicari minimè valeat etiam respondenti, dum assignat pro ratione negationis id, quod negauit, vel aliquod æquè, aut magis dubium, & incertum.

Ex quibus apertè sequitur, quòd causa apparentiæ huius fallaciæ est apparens diuersitas antecedentis, & consequentis, ratione cuius creditur antecedens esse notius consequente, & habere virtutem probatiuam consequentis, cùm sit æquè ignotum, vel ignotius consequente; & non sufficit quæcunque diuersitas antecedentis, & consequentis, sed oportet quòd sit cum identitate ipsorum, & etiam quòd talis diuersitas faciat apparentiam magis noti, & minùs noti ex parte nominis, & rei. Causa verò defectus, aut falsitatis eiusdem fallaciæ erit talis identitas antecedentis, & consequentis. Vnde talis fallacia petitionis principij definitur, quòd sit idoneitas decipiendi, proueniens ex apparenti diuersitate secundùm notitiam antecedentis cum consequente. Idcirco non peccat ista fallacia contra illationem, cùm non impediat syllogismum simpliciter; sed tantùm circa probationem, & syllogismum dialecticum.

Notandum est ergo, quòd petitio principii duplex est; nam alia est secundùm veritatem; alia verò secundùm opinionem. Prima tunc contingit, quando aliquid probandum, quod non est per se notum, petitur in eo, quod est per se notum; vt quando primò probatur causa per effectum (effectus enim non est per se notus, sed per aliquid aliud probandus, scilicet per causam, quæ est per se nota) & deinde effectus probatur per causam; tunc enim secundùm veritatem, effectus probatur per effectum; quia in tali casu, quod probat principium, probat etiam principiatum; & quod est principium principii, est etiam principium principiati: nam causa non probatur per effectum, nisi fortasse in demonstratione *Quia*; vt quando dicitur Luna est in capite, vel cauda Draconis; & tunc interponitur terra inter ipsam, & solem: ergo luna eclipsatur. Secunda verò petitio principii, scilicet secundùm opinionem, tunc contingit, quando id, quod est natum ostendi per se, ostenditur per idem; quia existimatur esse aliud, propter intentionem aliam, quam habet aliquis, secundùm quam existimatur notius esse, & probabilius illo; sicut effectus in causa acceptus, probabilior æstimatur, quàm in se ipso; & causa in effectu accepta aliquando probabilior est, quàm in se, saltem secundùm sensum; & sic causa ostensa per effectum, ostendit effectum; & per consequens ostenditur

A effectus per se ipsum. Et in hoc secundo sensu tantùm sumitur in præsenti fallacia petitionis principii; cùm petitio principii propriè, nil aliud sit, quàm quædam obliquitas syllogismi dialectici, siue probatiui, non quidem simpliciter (nam syllogismus probatiuus simpliciter, procedit ex veris, cùm procedat ex probabilibus simpliciter, quia vera tantùm simpliciter probabilia sunt) sed syllogismi dialectici obuiatiui, siue oppositionem facientis, qui non semper procedit ex probabilibus simpliciter, sed quandoque ex probabilibus aliqualiter, scilicet secundùm existimationem, quæ non semper vera sunt; quia vt habetur 8. Topic. cap. 4. Nihil refert, quædam falsa, quibusdam veris esse probabiliora. Quapropter (& hoc maximè aduertendum est) multi modi petendi principium, non sunt

B vitia, neque captiones ex ipsa argumentationis natura; sed (vt dici solet) ad hominem, hoc est apud eum respondentem, qui ita affectus est, vt putet ea magis esse nota, quæ secundùm se minùs, vel æquè nota sunt, & è contra.

Dicendum est ergo, quòd fallacia petitionis principii consistit formaliter in apparenti diuersitate cum vera identitate antecedentis, & consequentis, siue præmissarum, & conclusionis.

Probatur; quoniam syllogismus probatiuus, siue recta argumentatio consistit formaliter in vera diuersitate antecedentis, & consequentis; cùm ex dictis lib. 3. *Instit.* cap. 1. recta argumentatio sit oratio, in qua vnum ex alio inferri denotatur; ergo fallacia petitionis principii, è contra formaliter consistere debet in apparenti diuersitate cum vera identitate eorundem.

C Consequentia probatur; etenim fallacia petitionis principii non peccat contra syllogismum simpliciter, hoc est contra simplicem illationem; sed contrà syllogismum probatiuum, seu contra rectam argumentationem, vt dictum est suprà; aliter enim peccare posset contra nugatoriam, & ridiculam argumentationem, quæ non cadit sub arte syllogistica, quod manifestè videtur falsum, cùm ibi nec apparentia, neque fraus vlla esse possit; sed non potest prædicto modo peccare, nisi simul cum vera identitate, apparentem afferat diuersitatem; ergo in tali apparenti diuersitate, &c. formaliter consistet.

Obiicitur primò in oppositum, quòd apparens diuersitas cum vera identitate antecedentis, & consequentis, non est sufficiens ad fallendum, nisi pariter

D adsit defectus circa materiam, aut formam syllogisticam: ergo fallacia petitionis principii, non potest formaliter in tali diuersitate consistere. Consequentia certa est ex eo, quòd nihil potest formaliter consistere in aliquo, quod non est sufficiens ad ipsum constituendum, & specificandum: homo enim formaliter non consistit in animalitate, sed in rationalitate, per quam constituitur, & specificatur. Antec. autem probatur; quia omnes paralogismi vel peccant in materiam, vel in formam syllogisticam, vt consideranti patere potest; sed apparens diuersitas cum vera identitate antecedentis, & consequentis non causat defectum circa materiam syllogisticam, cùm eius paralogismi fiant ex probabilibus; neque circa formam, cùm possint esse in figura, & modo: ergo prædicta apparens diuersitas non est sufficiens ad fallendum, &c.

Respondetur distinguendo antecedens: Apparens diuersitas non est sufficiens, &c. nisi pariter adsit de-

fectus circa formam syllogisticam tanquam aliquid illi superadditum, quemadmodùm rationale additur animali; & sic negandum est: tanquam aliquid ipsi conueniens de connotato; & sic concedendum est; quoniam impossibile est, quòd detur apparens diuersitas absque eo, quòd simul non detur defectus in probatiuo syllogismo, quod idem est, absque eo, quòd saltem non sit aliquod peccatum etiam circa materiam syllogismi; quoniam paralogismi non dicuntur peccare in materiam syllogisticam ex eo tantùm, quòd altera præmissarum, vel ambæ sint falsæ; sed etiam quia antecedens non probat consequentiam; per quod etiam patet ad probationem eiusdem antecedentis.

Obijcitur secundò; quòd vbi potest esse recta probatio, ibi nequit formaliter consistere hæc fallacia, cùm peccet contra syllogismum probatiuum; sed in tali apparente diuersitate, potest esse recta probatio: ergo, &c. Probatur minor, quia in tali apparente diuersitate probari potest ignotius per notius, vt patet in hoc paralogismo; Animal rationale currit: ergo homo currit, cùm definitio notior sit definito; sed dum probatur ignotius per notius est recta probatio: ergo in tali apparente diuersitate potest esse recta probatio.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd definitio dupliciter considerari potest; vno modo in quantùm includit principia essentialia definiti, quæ sunt propria causa inhærentiæ passionis, & proprietatis ipsius definiti; & hoc modo ab ipsa definitione sumitur locus tantùm demonstratiuus. Alio verò modo consideratur, in quantùm stat sub intentione communi definitionis; sed hoc dupliciter: vno enim modo respectu prædicatorum, quæ notiori modo conueniunt definitioni quàm definito; & sic ab ipsa definitione sumitur locus dialecticus: alio verò modo respectu prædicatorum, quæ conueniunt notiori modo ipsi definito, quàm definitioni; & sic à definitione sumitur locus sophisticus, qui est petitio principij, cùm antecedens sit idem re, ac simul apparenter diuersum à consequentia. Qua de causa, cùm aliquando contingat, quòd apud respondentem definitio in ratione definitionis habeat prædicata, quæ notiori modo conueniant definito, quàm definitioni; hinc est, quòd in tali apparente diuersitate antecedentis, & consequentis, adest fallacia petitionis principij saltem secundùm opinionem, licèt non adsit secundùm veritatem; vt dictum est.

Obijcitur tandem tertiò, quòd si staret conclusio, nullus syllogismus, siue verus, siue apparens, esset petitio principij; sed hoc est falsum: ergo, &c. falsitas consequentis patet ex eo, quod petitio principij saltem, est paralogismus, siue syllogismus apparens. Sequela verò probatur; nam omnis syllogismus est argumentatio; cùm argumentatio ex dictis lib. 3. Instit. cap. 1. communiter diuidatur in syllogismum, inductionem, enthymema, & exemplum; sed si staret conclusio, nulla petitio principij esset argumentatio; cùm talis fallacia peccet contra argumentationem, siue syllogismum probatiuum: ergo si staret conclusio, nullus syllogismus esset petitio principij.

Respondetur negando sequelam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm syllogismus apparens non sit recta consequentia, sed mala argumentatio; falsum omnino erit, quòd omnis syllogismus sit argumentatio, quemadmodùm intendit argumentum; nam paralogismus, siue apparens syllogismus non collocatur sub argumentatione simpliciter, & vt sic; ita vt bona, & mala argumentatio sint duæ species vnius generis vniuoci argumentationis; sed sub argumentatione, & consequentia mala, quæ tantùm, ex dictis disp. 31. q. 1. concl. 1. conuenit analogicè, analogia attributionis cum argumentatione bona, quæ tantùm absolutè, & simpliciter dicenda est argumentatio: argumentatio enim mala, tantùm est argumentatio secundùm quid, & per attributionem ad bonam.

QVÆSTIO V.

Vtrùm fallacia consequentis formaliter consistat in apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima.

VSque modò egimus cum Philosopho hic cap. 4. de fallacijs extra dictionem, quæ videntur principaliores; quare cum eodem agendum restat de cæteris, quę non ita principales, sed illis quodammodò videntur annexæ. Vnde primo loco examinabitur fallacia consequentis, quæ peccat contra elenchum, vt est illatiuus; siue contra bonam, & formalem consequentiam, vt conducit ad metam redargutionis; quæ fallacia annectitur fallaciæ accidentis, cùm & illa peccet contra talem elenchum; siue, quod idem est, contra formam syllogismi redargutiui, saltem ex parte terminorum, eo quia non habent connexionem cum medio, vt dictum est suprà disp. 58. q. 3. pro 3. concl. Deinde in sequentibus quæstionibus explicabitur tum fallacia non causæ vt causæ, quæ peccat contra elenchum, vt est probatiuus, cùm videatur probare per veram causam, & annectitur petitioni principii, quæ & ipsa peccat contra talem elenchum, cùm videatur probare per quid notius: tum fallacia plurium interrogationum vt vnius, quæ peccat contra elenchum, vt est contradictorius; seu, quod idem est, contra elenchum tantùm, & annectitur fallaciæ ignorationis elenchi, cùm & ipsa peccet contrà prædictum elenchum, vt dictum est suprà, loco citato.

Circa verò propositam fallaciam consequentis, sciendum est, quòd consequens dupliciter accipi potest; primò largè, scilicet pro aliqua propositione, quæ denotatur sequi ex alia, mediante illationis nota, siue debitè sequatur, siue non. Secundò verò strictè, nempe pro propositione debitè ex alia sequente, mediante illationis nota. De consequenti in hoc posteriori sensu, non est sermo in præsenti, cùm talis fallacia non peccet contra syllogismum vtcunque, sed contra syllogismum bene formatum, vt dictum est superiùs. Quare tantùm erit sermo de consequente in priori sensu; quod adhuc dupliciter considerari potest, vel scilicet, vt infertur ex vno solo antecedente, vt contingit in categoricis; vnde & vocari solet simplex consequentia: vel vt infertur ex alio antecedente, & consequente; vt contingit in hypotheticis; vnde etiam vocari solet consequentia composita. Si consideretur primo mo-

modo, propriè & principaliter non spectat ad hanc fallaciam, sed ad fallaciam accidentis, vt patet quando dicitur, Leo est animal; tu es animal: ergo tu es leo. Si autem consideretur secundo modo, verè & propriè spectat ad hanc fallaciam: ex hoc enim contingit aliquem credere, quòd sicut consequens sequitur ad antecedens; ita è conuersò antecedens ad consequens sequatur; cùm hæc fallacia nil aliud sit, quàm idoneitas quædam decipiendi ex apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cùm prima proueniens, per quam creditur secunda consequentia esse bona sicut prima. Ex quo apertè patet, quòd huiusmodi fallacia in duabus consistit consequentiis, quarum vna est vera, altera falsa, vt patet si dicatur; Si Socrates currit: ergo mouetur; sed ista ad quam proceditur, nempe *Mouetur*: ergo *currit*, est falsa. Idcirco causa apparentiæ in ea, erit apparens conuertibilitas secundæ consequentiæ cum prima: causa verò defectus erit non conuertibilitas earundem ad inuicem. Cùm ergo ex dictis disp. 58. q. 3. citata notando primo, causa apparentiæ in qualibet fallacia sit tota ratio, & tota origo occultandi ipsum defectum, in qua occultatione formaliter consistunt omnes fallaciæ; hinc est, quòd quæritur in præsenti, an consequentis fallacia formaliter consistat in apparenti illa conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima, quæ est causa apparentiæ in ipsa.

Notandum est ergo primò, quòd huiusmodi fallacia non solùm committitur dum proceditur à positione consequentis ad positionem antecedentis, vt dictum est, verùm etiam à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, vt patet in illa argumentatione Melissi, relata à Philosopho hic cap. 4. qua intendebat probare, Vniuersum esse infinitum; dicendo: Si vniuersum est factum, seu genitum: ergo habet principium; sed non est factum, siue genitum: ergo non habet principium, & consequenter est infinitum, cùm termino careat: supponebat enim idem esse, atque omnino conuerti, esse factum, & habere principium, quod vtique est falsum: nam estò, quod est factum habeat principium; non tamen quod habet principium semper est factum; cùm in plus se habeat habere principium, quàm esse factum, siue generatum; vt patet de corporibus cælestibus, quæ etiam secundùm Græcos Philosophos habuerunt principium, licèt sint ingenerabilia. Quare argumentando à destructione antecedentis ad destructionem consequentis in materia inconuertibili, committebat hanc fallaciam; cùm adsit peccatum contra illam tritissimam Dialecticorum regulam; nimirum, ab inferiori ad superius negatiuè, non valet consequentia: non enim valet, Non est homo: ergo non est animal. Quod cùm ita sit, non tamen inde sequitur, quòd sicut argumentando à positione consequentis ad positionem antecedentis in inconuertibilibus, talis deceptio appellatur fallacia consequentis; ita ex opposito argumentando à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, sit appellanda fallacia antecedentis: nam si perpendatur hæc argumentatio à destructione antecedentis, &c. semper in rei veritate, est à positione consequentis ad positionem antecedentis; vnde fallacia, seu defectus in ea, non antecedentis, sed consequentis absolutè dicendus est. Et ratio quidem videtur esse, quia quantò aliquid affirmatiuè acceptum est specialius, tantò generalius

A

fit si negatiuè capiatur: nam si dicatur, *Animal est homo*; ly *homo*, cùm importet tale animal, magis speciale est, quàm *animal* vt sic. Si verò dicatur, *Non animal non est homo*, ly *Non est homo*, magis generale fit, quàm *non animal*; quia *Non est homo*, addit ad *non est animal* aliquid aliud, nempe omnia sensibilia à se ipso, & cætera entia, cùm competat omnibus aliis, quæ non sunt homines: non animal enim tantùm affirmari potest de insensibilibus. Cùm igitur quod est in plus, & generalius sequatur ad id, quod est in minùs, & specialius, & non è contrà (animal enim, quod est in plùs sequitur ad hominem, non vice versa) fiet inde, vt *non est homo*, vtpote generalius quàm sit *non est animal*, sequatur ad ipsum, & non è contrà; atque ita tantùm sit consequens, nullo modo antecedens. Quare procedendo à destructione antecedentis ad destructionem

B

consequentis, talis processus semper erit ab eo, quod est generalius, & consequenter ab eo, quod habet rationem consequentis. Vnde fallacia ista, etiam procedendo à destructione antecedentis, erit à positione consequenti; & idcirco fallacia consequentis, minimè verò antecedentis appellanda est: negatio enim facit de antecedente consequens, & de consequente antecedens, vt explicatum est.

Notandum secundò pro maiori dilucidatione eorũ, quæ in principio dicta sunt, id quod Philosophus cap. 5. huius primi libri docuit, nimirum fallaciam consequentis contineri quodammodò sub fallacia accidentis: nam quidquid consequitur ex re aliqua, vt animal ex homine, est eius accidens (ea videlicet accidentis significatione, qua in fallacia accidentis, vo-

C

cabulum accidentis acceptum est) non tamen quidquid est accidens alicuius rei, est eius consequens: nanque album, e. g. cùm sit accidens hominis non est consequens hominis, quod in aliis etiam plerisque accidentibus cernere licet. Hinc fit vt omne sophisma consequentis, alia ratione spectatum, sit sophisma accidentis; non tamen omne sophisma accidentis sit sophisma consequentis.

Dicendum est ergo, quòd fallacia consequentis formaliter consistit in apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima. Probatur, quia talis fallacia peccat contra bonam consequentiam: ergo consistit formaliter in apparenti conuertibilitate termini antecedentis cum termino consequente. Antec. patet ex dictis. Consequentia verò probatur, quia pecca-

D

tum contra bonam consequentiam in hoc consistit, quòd terminus consequens, antecedentem inferat, quando vterque non est simul antecedens, & consequens; seu, quod idem est, quando prædicti termini non sunt conuertibiles; cùm bona consequentia sequatur, quando terminus antecedens, verè infert terminum consequentem; non autem viceuersa, nisi per accidens, ratione scilicet veræ conuertibilitatis prædictorum terminorum ad inuicem, vt ex dictis, atque notatis disp. 31. q. 1. colligi potest: ergo talis fallacia, cùm peccet contra bonam consequentiam, formaliter consistit in apparenti conuertibilitate secundæ cum prima consequentia, dum scilicet iudicatur quòd ex termino consequenti, seu secunda consequentia possit inferri terminus antecedens, seu prima consequentia per apparentem, non verò per realem conuertibilitatem eorum.

Obiicitur primò in oppositum, quòd nihil formaliter

liter consistit in eo, quod est sibi improprium, & omnino extraneum, atque accidentale; cùm forma ex Philosopho 2. Phys. tex. 28. sit quidquid erat esse, scilicet vltimum esse quidditatiuum, & essentiale rei; sed conuertibilitas quaecunque illa sit, est quid omnino improprium, extrinsecum, & accidentale fallaciae consequentis: ergo nequit in ea formaliter consistere talis fallacia. Probatur minor; nam conuertibilitas, siue conuersio ex dictis tum lib. 2. Instit. cap. 8. tum in principio disput. 25. est passio, & proprietas propositionum, cùm resultet ex habitudine, & comparatione vnius propositionis ad aliam: ergo erit quid accidentale, & improprium consequentiae, eiusdemque fallaciae; cùm proprietas, soli rei, cuius est proprietas conueniat.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd conuertibilitas, siue conuersio potest dupliciter considerari; vel prout est mutatio praedicati in subiectum, & è contrà; vel prout est mutatio vnius propositionis in aliam, siue antecedentis in consequens, & è contrà. Si consideretur primo modo, vtique est passio propositionis, & nequit conuenire per se consequentiae, sed tantum de materiali, & accidentaliter, vt probat argumentum. Si autem consideretur secundo modo, non est proprietas propositionis, sed consequentiae, & argumentationis: quia conuersio, siue reductio tali modo considerata, ex dictis in principio disp. 34. & cap. 5. lib. 3. Instit. inter passiones, & proprietates syllogismi, siue argumentationis, & consequentiae ab omnibus Dialecticis enumeratur.

Obijcitur secundò, quòd paralogismi huius fallaciae contingere possunt, vbi nulla est apparens conuertentia termini antecedentis, & consequentis; quinimmo vbi manifestè apparet falsitas talis conuertibilitatis; ergo nequit in ipsa conuertibilitate formaliter consistere. Consequentia patet, cùm formae sint inuariabiles sicut numeri, ex Philosopho 8. Met. tex. 10. Antec. verò probatur: nam argumentando in secunda figura, ex puris particularibus affirmatiuis, vt quando dicitur aliquis homo est animal; aliquis equus est animal; ergo aliquis equus est homo; formantur paralogismi consequentis, cùm à positione termini consequentis, nempe *animal*, vtpote in plus se habens, procedatur ad positionem antecedentis, nempe *homo*, qui est in minùs; vnde idem est ac dicere; Si est homo: ergo est animal; sed est animal; ergo homo. Sed in tali casu nulla est apparens conuertibilitas, sed potiùs manifesta falsitas praedictae conuertibilitatis, cùm ibidem sit inutilis coniugatio, hoc est, non regulata per dictum de omni, vt explicatum est suprà, tum lib. 3. Inst. cap. 4. tum disput. 33. q. 3. & 4. ergo paralogismi huius fallaciae contingere possunt, vbi nulla, &c.

Respondetur negando antec. Ad cuius probationem dicendum est, quòd terminus consequens dupliciter accipi potest: primò vt causat puram obliquitatem, seu defectum syllogismi simpliciter: secundò verò vt causat, vel importat aliquam apparentem conuertibilitatem cum termino antecedenti. Si accipiatur primo modo, vtique est inutilis illa coniugatio, de qua dictum est loco citato, quae cùm peccet contra syllogismum simpliciter, non causat istam fallaciam, nisi de consequenti. Si autem accipiatur secundo modo, cùm innitatur non verae, sed apparenti illi maxi-

A mae, *Quae sunt eadem vni tertio, &c.* peccat contra bonam consequentiam, vt dictum est suprà, & hoc modo, saltem apud incautos, causat hanc fallaciam. Quare in hoc sensu, neganda est minor.

Obiicitur tandem tertiò, quòd admissa tali apparente conuertibilitate dum fit processus à positione consequentis ad positionem antecedentis, adhuc tamen necessariò tenet consequentia: ergo fallacia consequentis non cosistit formaliter in tali apparenti conuertibilitate, &c. Consequentia patet; nam vbi consequentia tenet necessariò, ibi fallacia esse nequit, cùm in fallacijs, tantùm apparenter teneant consequentiae. Antecedens verò probatur; quia admissa illa apparenti, & non vera conuertibilitate, consequens semper habet rationem posterioris, & antecedens prioris; sed posito posteriori, necessariò ponitur
B prius: ergo procedendo à positione consequentis, quod est posterius, ad positionem antecedentis, quod est quid prius, necessariò tenet consequentia, etiam admissa, & supposita apparenti conuertibilitate.

Respondetur negando antec. Ad cuius probationem dicendum est, quòd admissa tantùm apparenti conuertibilitate consequentis, & antecedentis; dum progredimur à positione consequentis ad positionem antecedentis, non sequitur necessariò consequentia, vt patet dum dicitur; Si mel est, flauum est; sed est flauum: ergo mel; cùm possit etiam esse fel, aut aliquid aliud eiusdem coloris. Nam licèt secundùm vim illationis, consequens semper sit posterius antecedente; tamen secundùm rationem, & ambitum communitatis, ac generalitatis, consequens potest esse quid
C prius antecedente: nam estò flauum, vt infertur ex melle sit quid posterius; tamen quia secundùm ambitum generalitatis pluribus conuenit, videtur quid prius. Vnde necessariò nunquam tenet consequentia, nisi data vera, & reali conuertibilitate terminorum.

QVAESTIO VI.

Vtrùm fallacia non causae consistat formaliter in apparenti conuenientia praemissae non causae cum praemissa causa.

D

PRO declaratione tituli supponere debemus, quòd nomen causae dupliciter sumi potest. Primò strictè pro causa, scilicet rei duntaxat: secundò largè, nempe pro quacunque causa illatiua, etiamsi significet effectum rei, quae concluditur, aut aliquid aliud. Hic autem non est sumendum primomodo, cum agere de causis rerum spectet ad Philosophum; sed tantùm secundo modo quod spectat ad Dialecticum. Vnde sicut causa in syllogismo dicitur esse praemissa faciens aliquid ad illationem conclusionis, & qua remota non sequitur conclusio; ita non causa, vice versa, erit praemissa nihil faciens ad conclusionem, & qua remota, nihilominùs sequitur conclusio, licèt apparenter videatur aliquid facere; vt patet si dicatur; Omnis leo est rugibilis; omne animal est leo, & omnis homo est ani-

animal ; ergo omnis homo est leo. Præmissa causa est *omne animal est leo*, quia ea remota nunquam sequeretur illa conclusio ; *ergo omnis homo est leo*. Præmissa verò non causa, est *omnis leo est rugibilis* ; nam ipsa remota, tamen sequeretur prædicta conclusio. Quotiescunque ergo Sophista ex euersione illius conclusionis, ad cuius impossibilitatem, absurditatemque ducit respondentem, ex quibusdam concessis reuertitur ad euertendam aliquam ex præmissis vt causam absurditatis, falsitatisue illius conclusionis, quæ tamen re vera, causa non est, committit expresse hanc fallaciam, vt patet dum subinfert ; sed quòd omnis homo sit leo est falsum, & absurdum ; ergo & quòd omnis leo sit rugibilis, quam fallaciam vtique non committeret, si relinquendo prædictam præmissam non causâ, vtpote non conferentem ad illationem consequentiæ, B euerteret tantùm præmissam causam dicendo ; sed quòd omnis homo sit leo est impossibile : ergo & quòd omne animal sit leo. Idcirco nil aliud erit huiusmodi fallacia, quàm idoneitas decipiendi, proueniens ex eo, quòd præmissa non causa, apparet conferre ad illationem conclusionis ; propter quod creditur, quòd sicut conclusio est falsa, ita & illa præmissa non causa. Talis autem apparentiæ causa erit apparens conuenientia præmissæ non causæ cum præmissa causa. Causa verò defectus diuersitas earundem.

Notandum est ergo primò, quòd syllogismus non solum diuiditur in categoricum, & in hypotheticum, rectum, & obliquum, communem, & singularem, siue expositorium, &c. de quibus satis tum lib. 3. Instit. cap. 2. tum disput. 33. q. 1. sed etiam in ostensiuum, & C ducentem ad impossibile, quorum primus est, qui vnico progressu ex duabus præmissis infert suam conclusionem ; vt si dicatur ; Omnis homo est animal ; Petrus est homo : ergo Petrus est animal. Secundus verò est, qui ex duabus præmissis, vna manifestè vera, & alia manifestè falsa, infert aliquid manifestè falsum ; propter quod falsum interimitur aliqua præmissarum, quæ verò causa est talis falsitatis ; vt si dicatur, Omnis homo est leo ; sed hæc conclusio est falsa ; ergo & illa præmissa vnde sequitur ; non quidem minor : ergo maior. Quamobrem hæc erit inter ipsas differentia : Primò, quia in syllogismo ad impossibile sunt plures processus, & plures conclusiones ; in ostensiuo verò est vnicus tantùm processus, & vnica conclusio. Secundò quia syllogismus ad impossibile semper habet aliquam præmissam falsam, aliter enim nunquam con- D cluderet falsum, cùm falsum non sequatur ex vero, vt dictum est suprà lib. 3. Instit. cap. 1. syllogismus autem ostensiuus, potest esse tam ex veris, quàm ex falsis. Quo manifestè fit, vt hæc fallacia non causæ (quidquid dicat Ægidius Romanus hic cap. 4.) semper contingat in syllogismo ducente ad impossibile fieri ; cuius ratio est, quia hæc fallacia committitur quando ex falsitate conclusionis, fit malè regressus ad interimendum aliquam præmissarum, quia interimitur vna præmissa, quæ non erat causa falsitatis conclusionis. Cùm igitur talis regressus à falsitate conclusionis ad interimendum aliquam præmissarum solum fit in syllogismo ad impossibile, & non in syllogismo ostensiuo, vt dictum est ; apertè sequitur, quòd tantùm contingere possit, huiusmodi fallacia in prædicto syllogismo ducente ad impossibile. Quare aiebat Phylosophus 2. Prior. cap. 8. seu apud alios cap. 19. quòd semper in A syllogismo ad impossibile superfluit vna præmissa, quæ nullo modo facit ad illationem conclusionis. Quare sequitur illa fallacia, seu ille defectus, quem vocat, Non propter hoc accidere falsum.

Notandum secundò, quod præmissa non causa potest esse duplex ; nam quædam est, quæ non conuenit cum præmissa causa in aliquo terminorum, videlicet, neque in subiecto, neque in prædicato ; vt quando dicitur, Sol est in cancro ; omne animal est leo ; omnis homo est animal : ergo omnis homo est leo. Quædam verò, quæ conuenit vel in subiecto, vt si dicatur ; Omne animal est substantia ; omne animal est leo ; tu es animal : ergo tu es leo ; vel in prædicato, vt si dicatur, Nullus lapis est animal ; omnis leo est animal ; Petrus est leo ; ergo Petrus est animal. Ratione præmissæ primo modo consideratæ, non committitur aliqua fallacia ; & ratio est, quia licèt talis præmissa sit non causa ; tamen quia hoc manifestè apparet, cùm ibi nulla sit occultatio, & apparentia, neque potest esse aliqua captio siue dolus. Ratione verò præmissæ secundo modo consideratæ, potest esse deceptio ; cùm propter apparentem conuenientiam talium præmissarum cum subiecto, vel prædicato, possit aliquis credere, quòd sicut vera causa facit ad illationem conclusionis falsæ ; ita præmissa non causa inferat talem conclusionem, & propter hoc videatur esse interimenda.

Dicendum est ergo, quòd fallacia non causæ, vt causæ consistit formaliter in apparenti conuenientia præmissæ non causæ cum præmissa causa. Probatur, quoniam huiusmodi fallacia peccat etiam contra syllogismum probatiuum ducentem ad impossibile : ergo formaliter consistit in apparenti conuenientia præmissæ non causæ cum præmissa causa. Antecedens patet ex dictis. Consequentia verò probatur ; quia tunc peccatur contra prædictum syllogismum, quando destruitur præmissa vera, loco falsæ, quæ verè non est causa consequentiæ impossibilis ; sed hoc nequit contingere, nisi præmissa vera, quæ non est causa impossibilitatis, aliquo modo videatur conuenire cum præmissa falsa, quæ est vera causa prædictæ impossibilitatis : ergo talis fallacia, in illa apparenti conuenientia debet formaliter consistere. Minor potest probari ex eo, quia non appareret vnde intellectus hallucinaretur sumendo præmissam non causam pro præmissa causa.

Obiicitur primò, quòd talis conuenientia non est sufficiens ad specificandam fallaciam non causæ vt causæ ; ergo talis fallacia nequit in ea formaliter consistere. Consequentia patet ex eo, quòd quidquid in aliquo formaliter consistit, ab ipso debet specificari, vt inductione cognosci potest. Antec. verò probatur ; nam in omni fallacia, per apparentiam videtur antecedens vere esse causa consequentis, licèt in rei veritate non sit, cùm ostendatur, & probetur per ipsum, saltem apparenter quælibet consequentia, vt explicatum est ; quod vtique non foret, nisi aliquo modo, consequens cum antecedente videatur conuenire ; sed quod conuenit indifferenter omnibus fallaciis, non est sufficiens ad specificandam aliquam fallaciam in particulari, cùm tantùm habeat rationem generis, minimè verò differentiæ, de cuius ratione est specificare : ergo talis conuenientia non est sufficiens ad specificandum, &c.

Respondetur negando antecedens ; ad cuius probationem

tionem dicendum est, quòd non causa vt causa potest capi dupliciter, largè scilicet, & strictè, seu communiter, & propriè. Primo modo sumitur pro omni eo, quod aliquo modo non est causa, & videtur causa, siue inferendo aliquid conferat, siue non conferat ad conclusionem, itaut etiam sequatur prædicta conclusio, ipso remoto, & ablato; vt dictum est suprà. Si ergo consideretur non causa vt causa, primo modo, vtique apparens conuenientia falsæ cum vera causa, est communis omnibus fallaciis: at verò si consideretur secundo modo, tantùm conuenit fallaciæ non causæ vt causæ, ipsamque specificat, & formaliter constituit.

Obiicitur secundò, quòd si staret conclusio, sequeretur quòd huiusmodi fallacia non causæ vt causæ, esset fallacia, & non esset fallacia; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur sequela; etenim esset fallacia, vt supponitur; non esset verò, quia non peccaret contra syllogismum dialecticum; sed tantùm contra syllogismum ducentem ad impossibile, vt dictum est, quo Dialectici propriè non vtuntur, cùm ex inconuenienti, & impossibilitate parum probetur, sicut parū, aut nihil soluitur. Cùm igitur omnis fallacia peccet contra syllogismum dialecticum, & probatiuum; peccando ista contra prædictum syllogismum ducentem ad impossibile, non erit propriè fallacia.

Respondetur negando sequelam; ad cuius probationem dicendum est, quòd non valet dicere, ista fallacia peccat contra syllogismum ducentem ad impossibile: ergo non contra syllogismum dialecticum: nam syllogismus ducens ad impossibile, qua ratione aliquid probat, potest dici etiam dialecticus. Quare ad id, quod additur, scilicet quòd Dialectici non vtuntur tali syllogismo ducente ad impossibile, sed ostensiuo; respondendum est, quòd non ita debet intelligi, vt omnino Dialecticis prohibeatur prædictus syllogismus; sed tantùm vt ostendatur quòd syllogismus ducens ad impossibile, non est ita conueniens ad vsum Dialectici, sicut syllogismus ostensiuus, ob rationem adductam in argumento.

Obijcitur tandem tertiò, quòd ideò hæc fallacia consistit formaliter in apparenti illa conuenientia, &c. quia peccat contra syllogismum ducentem ad impossibile, vt dictum est; sed hæc ratio est falsa, quia etiam peccare potest contra syllogismum ostensiuum: ergo, &c. Minor probatur ex Philosopho 2. Rhet. cap. 25. vbi exemplificans ad mentem Demadis de ista fallacia, conficit syllogismum ostensiuum, dicendo: Post quòd fiunt multa mala, est causa malorum; sed post administrationem factam in ciuitate per Demosthenem, fiunt multa mala: ergo talis administratio in ciuitate est causa malorum: ergo talis fallacia, peccat etiam contra syllogismum ostensiuum.

Respondetur negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd in prædicto exemplo Philosophi non sumitur præmissa non causa, scilicet administratio illa Demosthenis ad concludendam conclusionem falsam, vt ibi fiat status, & permanentia, vt contingit in syllogismo ostensiuo; sed vt ex isto falso aliquis suadeatur, administrationem illam esse destruendam propter hoc, quòd malum videtur ex ea secutum fuisse. Quare ibi, licèt non expressè, tamen virtualiter est syllogismus ducens ad impossibile: aliter enim Philosophus sibi contradiceret: nam hic cap. 4. apertè docuit, quòd huiusmodi fallacia accidit in syllogismis ad impossibile ducentibus: necessarium enim est in his aliquid interimere ex ijs, quæ posita sunt.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm fallacia plurium interrogationum vt vnius consistat formaliter in apparenti conuenientia plurium interrogationum cum vna.

VT clarè, ac distinctè in hac procedamus difficultate, scire debemus, quòd enunciatio, propositio, & interrogatio, licèt ratione differant, sunt tamen quid vnum secundùm rem: nam eadem oratio dicitur enunciatio vt est significatiua veri, vel falsi absolutè; vt verò est alterius ostensiua, & ponitur pro alio, scilicet pro conclusione inferenda, propositio; & quando sumitur, & profertur cum signo interrogatiuo, interrogatio. Idcirco sicut enunciatio, vel propositio dicitur multiplex tripliciter; vel scilicet, quia in ea prædicantur plura de vno, vt Socrates currit, & mouetur; vel vnum de pluribus, vt Socrates, & Plato currunt; vel plura de pluribus, vt Socrates, & Plato currunt, & disputant: ita interrogatio multiplex, tribus modis continget; vel scilicet interrogando plura de vno, dicendo: Est ne homo animal, & albus, vel vnum de pluribus dicendo: Est ne Sortes, & Bucephalus rationalis; vel tandem plura de pluribus; dicendo: An homo, & talpa sint videntes, vel non videntes. Qui modi interrogandi, licèt in specie sint tres, in genere tamen tantùm sunt duo, cùm primus, & secundus in idem redeant: interrogando enim plura de vno, & vnum de pluribus fit tantùm variatio, ratione subiecti, & prædicati. Cæterùm omnes indifferenter possunt inducere captionem, cùm propter apparentiam conuenientiæ, & modi interrogandi, possint videri non plures, sed vnica interrogatio, vnusque modus interrogandi: nam fallacia plurium interrogationum vt vnius nil aliud est, quàm idoneitas quædam decipiendi, proueniens ex similitudine, vel conuenientia interrogationis multiplicis cum interrogatione vna, cuius apparentiæ causa est prædicta similitudo, & conuenientia, ratione cuius credimus, quòd sicut ad interrogationem vnam, datur tantùm vnica responsio; ita etiam ad interrogationem multiplicem, sit tantùm danda vnica responsio. Causa verò defectus erit diuersitas interrogationum, seu significatorum prædictæ interrogationis multiplicis. Vnde quæritur, an allata causa apparentiæ, ita sit talis conuenientia; seu, quod idem est, vnicus apparens interrogandi modus, vt huiusmodi fallacia plurium interrogationum, nequeat in aliquo alio formaliter consistere.

Ægidius Romanus hic cap. 4. ad euitandum huiusmodi incommodum, ne scilicet fallacia ista videatur esse in dictione, & non extra dictionem, docet causam apparentiæ illius, non esse prædictam inconuenientiam interrogationum, seu modi interrogandi, sed conuenientiam rerum interrogatarum; & consequenter tan-

tantùm formaliter in ea consistere hanc fallaciam. Cæteri verò Dialectici docent causam apparentiæ, effectalem conuenientiam interrogationum; & consequenter huiusmodi fallaciam in ea tantùm formaliter consistere.

Pro quo tamen est adnotandum, quòd licèt hæc fallacia non conducat ad aliquã sophisticã metã, nisi paralogizando supra datam responsionem: nam interrogando, an Socrates, & Plato sit homo, non ducitur respondens ad aliquod inconueniens, nisi data responsione, e.g. affirmatiua, ita paralogizetur: Ergo qui percutit Socratem, & Platonem, non homines, sed hominem percutit: nihilominùs, per prius causat deceptionem in interrogando propositiones plures, quàm paralogizando, quia ibi fit deceptio respondentis, quando ad interrogationem multiplicem dat solummodo vnicam responsionem, non potest paralogizari secundùm paralogismos huius fallaciæ, quamuis illa responsio non sit de essentia huius fallaciæ, eiusque paralogismorum, sed tantùm causa, sine qua non fieret talis deceptio. Et quoniam respondens ad talem interrogationem dat suam responsionem, potest duci verè, vel apparenter ad inconueniens, quia interrogatio multiplex est vera pro vtraque parte; tunc si respondens respondeat negatiuè, potest duci verè ad redargutionem; & si affirmatiuè, ducetur apparenter ad inconueniens, quia videbitur ignorare multiplicitatem interrogatorum. Si autem sit falsa pro vtraque parte, sic fit è conuerso; idest si respondeat affirmatiuè, verè ducitur ad inconueniens; si verò negatiuè, tantùm apparenter. Si tandem fuerit in parte vera, & in parte falsa; tunc si respondens det vnam responsionem affirmatiuè, concedit æquiualenter vnam copulatiuam, cuius altera pars est falsa, & sic verè ducitur ad redargutionem; si autem det vnam responsionem negatiuè; tunc negat æquiualenter vnam copulatiuã, cuius altera pars est vera, & sic tantùm apparenter ducitur ad inconueniens, vt magis, & clarius explicabitur infra.

Dicendum est ergo, quòd fallacia plurium interrogationum vt vnius formaliter consistit in apparenti conuenientia plurium interrogationum cum vna. Probatur; quoniam huiusmodi fallacia tunc sequitur, quando quis opinatur, pluribus interrogationibus, eodem modo, & vnica responsione posse satisfieri sicut vni; sed nullus opinatur hoc modo, nisi plures illæ interrogationes videantur, & appareant conuenire cum vna: ergo in tali apparenti conuenientia formaliter consistit hæc fallacia. Probatur minor. Nam si plures interrogationes, apparentem saltem conuenientiam non haberent cum vna, essent omnino manifestè plures, & diuersæ, cùm in tali casu non haberent in quo conuenirent, aut viderentur conuenire; sed nullus opinatur, pluribus & manifestè diuersis interrogationibus posse satisfieri sicut vni, nempe per vnicam tantùm responsionem; cùm diuersæ interrogationes, diuersas postulent responsiones, ex Philosopho 2. Elench. cap. 2.: ergo nullus opinatur prædicto modo, nisi illæ interrogationes saltem videantur, & appareant conuenire cum vna.

Obiicitur primò in oppositum, quòd fallaciæ extra dictionem, non debent ex dictis formaliter consistere in apparenti vnitate diuersarum dictionum, sed in apparenti vnitate diuersarum rerum; at si huiusmodi fallacia formaliter consisteret in apparenti conuenientia plurium interrogationum cum vna, consisteret formaliter in apparenti vnitate diuersarum dictionum: ergo, &c. Minor probatur; nam vnitas plurium interrogationum, est vnitas plurium dictionum, siue orationum significatiuarum ad placitum; cùm interrogatio sit idem secundùm rem cum propositione, quæ est oratio, & vox quædam significatiua ad placitum: ergo si consisteret in apparenti conuenientia plurium interrogationum cum vna; consisteret formaliter in apparenti vnitate plurium dictionum.

Nec valet si dicatur, quòd huiusmodi fallacia consistit quidem formaliter in tali apparenti conuenientia plurium interrogationum cum vna, sed non vt voces tantùm sunt, sed vt connotant res significatas: nam sequeretur quòd talis fallacia simul esset in dictione, & extra dictionem, & consequenter haberet duas causas apparentiæ, vnam in dictione, scilicet vnitatem apparentem plurium interrogationum; & aliam extra dictionem, nempe apparentem vnitatem rerum interrogatarum, quod nunquam stare potest; nam in tali casu esset, & non esset fallacia extra dictionem, quod repugnat.

Respondetur, negando minorem; ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt vnitas plurium interrogationum, sit vnitas plurium dictionum, propter rationem adductam in argumento; tamen huiusmodi fallacia plurium interrogationum, non consistit formaliter in ipsa præcisè, sed in vnitate diuersarum rerum sub vnitate interrogationum, seu modi interrogandi contenta, vt dictum est supra disp. 59. q. 5. in adnotatione. Quare vnitas dictionum, quæ consistit in vnitate modi interrogandi, dicitur esse causa apparentiæ in hac fallacia non secundùm se præcisè, sed quatenus sub tali vnitate modi interrogandi, plura quæruntur, quod non temerè, sed rationabiliter dicitur; tum quia si plura interrogentur secundùm plures modos interrogandi, nulla erit deceptio, vt si quæratur, e.g. An Sortes currat, & canis sit homo; talis interrogatio multiplex non apparet vna, vnde interrogatus non moueretur aliqua apparentia ad dandam tantùm vnam responsionem. Tum etiam, quia Philosophus hic cap. 4. assignat duos modos huius fallaciæ ex modo interrogandi, & non ex ipsis interrogatis; vnde signum est, quòd etiam secundùm Philosophum, causa apparentiæ huius fallaciæ sumitur ex parte modi interrogandi, & non ex parte rerum interrogatarum; quia aliter, vbi maior esset conuenientia rerum interrogatarum, absque conuenientia modi interrogandi, esset maior causa apparentiæ, cuius oppositum apertè constat: non enim maiorem apparentiam vnitatis habet huiusmodi interrogatio multiplex, Est ne Sortes risibilis, & Plato sensibilis, quàm habeat ista; An scilicet Sortes, & leo sint animal rationale; sed potiùs è contra: nam licèt Sortes, & Plato maiorem conuenientiam habeant inter se ratione *sensibilis*, & *sensibilis*, quàm Sortes, & leo, ratione *animalis rationalis*; tamen quia Sortes, & leo proponuntur sub vnico modo interrogandi; maiorem apparentiam vnitatis, & conuenientiæ habent, quàm Sortes, & Plato, qui sub duplici modo interrogandi proponuntur.

Quare instantia illa nihil facit contra responsionem adductam in argumento; quoniam non duæ causæ apparentiæ, sed vnica tantùm, nempe vnitas, & conue-

ue-

uenientia plurium interrogationum, siue vnitas modi interrogandi sub quo plura quæruntur, tali fallaciæ videtur assignari; & consequenter tantùm erit extra dictionem, ratione scilicet rerum, quæ quæruntur per illum vnicum modum interrogandi; non autem in dictione, & extra dictionem, vt contendit probare argumentum.

Obijcitur secundò; quòd posita huiusmodi apparenti conuenientia interrogationum, siue modi interrogandi, non tamen sequitur hæc fallacia plurium interrogationum, sed alia, & alia diuersa: ergo hæc fallacia nequit consistere formaliter in tali conuenientia. Consequentia patet, quoniam posita forma, tantùm sequitur id cuius est forma, & nihil aliud. Antec. autem probatur: nam si quæratur an canis e. g. currat; in rei veritate est multiplex interrogatio, cùm nomen canis plura significet, quæ tamen apparet vna, propter apparentem conuenientiam, quam habent talia significata in isto nomine *canis*; & nihilominùs non sequitur huiusmodi fallacia plurium interrogationum, sed tantùm fallacia æquiuocationis, quæ valdè diuersa est, cùm non sit extra dictionem, sed tantùm in dictione: ergo posita huiusmodi conuenientia, sequuntur aliæ fallaciæ omnino diuersæ ab ista.

Respondetur negando antec. Ad cuius probationem dicendum est, quòd duplex est interrogatio multiplex; nam vna est tantùm multiplex secundùm significata; alia verò secundùm significata, & secundùm vocem, seu modum interrogandi. Prima non consistit in apparenti conuenientia diuersarum vocum, seu interrogationum, plura quærentium, sed in apparenti vnitate plurium significatorum, cùm secundùm vocem non sit multiplex, sed vna; quare posita hac conuenientia significatorum tantùm, resultat quidem alia fallacia, à fallacia ista, de qua est sermo. Secunda verò cùm sit multiplex & secundùm significata, & secundùm vocem, seu modum interrogandi clara, necessariò debet consistere in apparenti conuenientia interrogationum, plura vt plura quærentium, qua posita, & admissa, tantùm sequitur hæc fallacia plurium interrogationum, &c. de qua est sermo. Cùm igitur in adducto paralogismo non sit interrogatio multiplex secundo modo, scilicet secundùm vocem & significata simul, & consequenter nec apparens conuenientia diuersarum vocum plura significantium; hinc est, quòd inde sequitur fallacia æquiuocationis, & non fallacia plurium interrogationum vt vnius.

A Obijcitur tandem tertiò, quòd hæc fallacia contingit, quando vnica responsio non sufficit ad interrogata, vt communiter docent Dialectici; sed posita tali apparenti conuenientia interrogationum, seu apparenti vnitate modi interrogandi, optimè potest quis, vnica responsione satisfacere pluribus interrogationibus: ergo huiusmodi fallacia non consistit formaliter in tali apparenti conuenientia, &c. Consequentia est clara. Minor verò probatur: nam si aliquis proponat, an homo, & talpa e. g. sint videntes, faciet vtique plures interrogationes, licèt ratione modi interrogandi videatur vna, & consequenter committet huiusmodi fallaciam; sed potest optimè quis, vnica responsione negatiua, satisfacere duplici illi quæsito, dicendo; non sunt videntes: ergo, &c.
B Probatur minor, quoniam tunc vnica responsione satisfit pluribus quæsitis, quando talis responsio habet veritatem circa id, quod quæritur; sed prædicta responsio negatiua est verissima, cùm ex dictis disp. 16. q. vnica ad 1. ad veritatem copulatiuæ negatæ, sufficit quòd saltem vna pars sit vera: ergo, &c.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd illa responsio negatiua potest dupliciter considerari, absolutè scilicet; vel ex suppositione. Si consideretur primo modo, vtique satisfacere potest ad interrogata, propter rationem adductam in argumento, cum nulla ex inde vera sequatur redargutio, sed tantùm apparenter. Si autem consideretur secundo modo, minimè potest satisfacere pluribus quæsitis: nam supposito, quòd id, quod conuenit pluribus, scilicet *Non sunt videntes*, non con-
C ueniat illis de quibus dicitur collectiuè, hoc est simul singulis, licèt non diuisim, sicut de facto conuenit; sed tantùm distributiuè, nempe omnibus, & singulis simul, & seorsim sumptis, quod tamen non est verum; sequetur ex tali suppositione vera redargutio. Nam si talpa non est videns, est videns homo. Quod non obscurè docuit Philosophus in fine cap. 4. huius libri, dicendo: *Quandoque autem, assumpto quibusdam, redargutio etiam fit vera, vt si quis concedat similiter & vnum, & plura dici alba, & nuda, & cæca, &c.* Qua de causa, siue vno, siue altero modo sumatur, semper sequitur aliqua redargutio, scilicet aut verè, aut saltem apparenter, quod sufficit ad formandam huiusmodi fallaciam, vt ostensum est suprà. Et hæc satis circa primum Elenchorum librum.



LIBER SECVNDVS ELENCHORVM:

EIVSQVE SYNOPSIS.



N hoc secundo libro agit Philosophus de solutione sophismatum; vnde cap. 1. proœmiali explicat vtilitates sophisticæ facultatis, & ostendit tradendam esse doctrinam de solutione sophisticarum rationum. Cap. 2. agit de solutione apparenti, hoc est habita cum distinctione propositionum sophisticarum, quæ non verum sed apparentem formant elenchum, vt dictum est. Cap. 3. agit de vera solutione paralogismorum dictionis. *Est autem Vera solutio, manifestatio falsi syllogismi ob quancunque interrogationem, seu præmissam accidat ipsum falsum.* Cap. 4. & 5. agit de vera solutione paralogismorum extra dictionem. Cap. 6. agit de solutione paralogismorum nugationis, & solæcismi; hoc est, qui ducunt ad prædictas metas. Cap. 7. explicat, quæ sit ratiocinatio facilis, vel difficilis ad soluendum; & quæ sit ratiocinatio acuta; & dicit, ratiocinationem facilem esse illam, quæ parum occultat suum vitium; difficilem verò, quæ omnino occultat; acutam verò (quæ inter difficiles ab ipso enumeratur) esse illam, quæ maximè facit dubitare, quia eo ipso pungit, ac mordet maximè mentem respondentis. Cap. tandem 8. & vltimo epilogat dicta in libris Elenchorum, ac Topicorum, atque explicat, quo pacto Logica fuerit ab ipso Aristotele inuenta, & perfecta; & concludit hos libros esse totam Logicam.

DISPVT. SEXAGESIMAPRIMA.

De solutione paralogismorum omnium fallaciarum.



Ristoteles, teste Laertio, lib. 5. cap. 1. frequenter dicere solebat: *Ad pariendam sapientiam, tria potissimùm necessaria esse, Naturam, Doctrinam, & Exercitationem: exercitatio enim, nisi naturæ, & doctrinæ accedat, nil solidæ eruditionis hauries.* Qua de re, supposita tum ad probabilia, tum ad apparentia loca inuenienda, innata promptitudine: cum iam in topicis, & in sophisticis, eorundem locorum doctrinam sufficienter explicauerimus; tantùm superest, vt sicut in octauo, & vltimo topicorum libro, probabilium

A exercitationem tradidimus; ita in hoc secundo, & vltimo Elenchorum cum eodem Philosopho, sophisticorum afferamus. At quia talis exercitatio in sophismatibus soluendis maximè viget, cùm non omnes, eadem promptitudine, ac facilitate, qua paralogismos formant resoluere sciant; idcirco præsentem disputationem instituimus.

QVÆSTIO I.

B

An tantùm sint duo modi soluendi paralogismos.



Vplex est paralogismorum solutio; apparens scilicet, & vera; prima est apparens manifestatio alicuius falsi, quæ fit non reddendo causam talis falsitatis; vt dum respondens tantùm distinguit propositiones, non
C manifestando defectus earum; an scilicet in materia, vel in forma sit. Secunda verò, è contrariò est vera manifestatio falsi, quæ fit reddendo causam talis falsitatis; vt dum respondens distinguendo, aut interimendo propositiones manifestat defectus earum; an scilicet in materia, vel forma sint. Prima solutio non est necessaria ne Sophistæ redarguant, sed ne videantur redarguere: nam redargutio est syllogismus contradictionis ex præmissis non æquiuocis; quare ratiocinatio ex præmissis æquiuocis, qua frequenter vtuntur Sophistæ, non est verus syllogismus, neque vera redargutio; & consequenter non erit necessarium distinguere propositiones æquiuocas, & amphibologicas, ne verè redarguamur, sed ne videamur redargui: Sophistæ nanque in sophisticis dispu-
D tationibus, non tam conantur, vt verè syllogizent, & redarguant; quàm vt videantur syllogizare, & redarguere; vnde respondens pari modo debet conari, non tam vt verè syllogizetur, ac redarguatur; verùm etiã ne videatur syllogizari, ac redargui. Ideòque cùm in fallacijs, & causa apparentiæ, & causa defectus sint; necesse omnino erit, vt respondens in disputationibus sophisticis, antequam opponens concludat contra ipsum, ac verè redarguat, vt apparenti vtatur solutione, ne vllo pacto quoque videatur redargui. Quod adeò necessarium putauit Philosophus hic cap. 2. vt apertè docuerit, etiam in oratione vera secundùm vtrunque sensum esse distinguendum: & ratio quidem est; quia faciendum est de oratione multiplici, sicut de

de quæstione multiplici; sed quæstio multiplex est distinguenda, licèt vera sit in vtroque sensu, ne saltem apperenter videamur redargui, vt dictum est suprà disp. 60. q. 7. ad 3. ergo & oratio multiplex.

Ex quibus ergo apertè sequitur, quòd in præsenti non est sermo de solutione apparenti; nam cùm fiat distinctione duntaxat, ridiculum esset quærere an duo tantùm sint eius modi, sed duntaxat de solutione vera, siue recta, cuius Philosophus hic cap. 3. duos assignauit modos nempe distinctionem, & interrogationem, de quibus quæritur an ita duo sint, vt plures esse nequeant.

Pro resolutione ergo difficultatis notandum est, quòd interemptio, quæ idem est ac negatio duplex est; nempe interemptio consequentiæ, & interemptio propositionum in consequentia, seu argumentatione. Hæc secunda habet tantùm fieri in syllogismis peccantibus in materia; prima verò, etiam in syllogismis peccantibus in forma, cum hoc discrimine tamen, quòd in syllogismis peccantibus in materia habet fieri tantùm implicitè, seu virtualiter; in syllogismis verò peccantibus in forma, habet fieri omnino explicitè, & formaliter. Et ratio est, quia syllogismi peccantes in materia, cùm concludant falsum, ambas vel saltem vnam ex præmissis debent habere falsam; falsum enim nunquam ex vero sequitur, licèt non è contrà, vt dictum est libro 3. Instit. cap. 1. & disp. 31. q. 3. Quare cùm illud falsum contineatur implicitè, & virtualiter in præmissis tanquam effectus in sua causa; fit inde, vt interemptis explicitè præmissis falsis, interimatur implicitè, & virtualiter etiam conclusio falsa, nulla scilicet facta de ea explicita mentione. Cæterùm verò, quia syllogismi peccantes in forma, vel fiunt ex propositionibus non regulatis per prima principia syllogistica, de quibus lib. 3 Instit. cap. 4. vel fiunt ex propositionibus multiplicibus; quocunque modo fiant, semper explicitè neganda est consequentia: nam si primo modo contingunt, ex illis præmissis nihil omnino rectè sequitur; si autem secundo modo, cùm multiplex sit distinguendum, semper vt seruetur ratio formæ syllogisticæ, neganda est consequentia in eo sensu in quo præmissæ distinctæ, sunt negatæ. Quare interemptio consequentiæ, in hoc ab interemptione præmissarum in consequentia differre uidetur, quòd illa omnino compossibilis est cum distinctione; ista verò nequaquam; cùm falsum semper sit absolutè negandum.

Dicendum est ergo, quòd duo tantùm sunt modi rectè soluendi paralogismos; videlicet distinctio, & interemptio. Probatur; quoniam duo tantùm sunt defectus syllogistici, vnus scilicet ratione formæ; alius ratione materiæ: ergo duo tantùm modi rectè soluendi paralogismos; sed primus soluitur distinctione, & secundus interemptione; ergo tales modi soluendi, sunt distinctio, & interemptio. Hæc vltima consequentia bene sequitur ex illa minori subsumpta. Prima etiam, sequitur ex antecedenti; cùm tot debeant esse modi soluendi, quot defectus, qui tales solutiones postulant. Antecedens pariter patet, cùm in syllogismo, præter materiam, & formam nil aliud sit, vt dictum est passim per totum tertium librum Instit; quapropter paralogismi, siue defectus syllogismi erunt tantùm duo; vnus ratione formæ, alius ratione materiæ: nam omnis fallacia ex dictis disput. 38. q. 3. pro nostra conclusione, peccat (proportione tamen seruata) contra verum syllogismum, & elenchum. Minor autem subsumpta, in qua est difficultas, sic probatur. Nam defectus formæ, vel sunt propositiones multiplices; vel mala consequentia, siue illatio. Defectus autem materiæ est tantùm falsitas propositionum; sed falsitas propositionum est absolutè neganda, siue interimenda, interemptione propositionum in consequentia: multiplicitas autem propositionum, vel mala consequentia est distinguenda, vt notatum est suprà; cùm non minùs mala consequentia in vno sensu sit interimenda interemptione consequentiæ, quæ compossibilis est cum distinctione, & in alio concedenda, quàm multiplex propositio; vt patet quando respondens dicit; hæc consequentia falsa est, non quatenus procedit ex præmissis falsis; sed quatenus secundum se omnino falsa est; quemadmodùm contingit, vel quando in tertia figura proceditur ex duabus affirmatiuis; vel in qualibet figura, ex duabus negatiuis veris: nam ex præmissis veris, nunquam ex vi illationis sequitur falsum, vt patet ex dictis lib. 3. Instit. cap. 1. ergo defectus in forma soluendus est distinctione; defectus verò materiæ, interemptione.

Obijcitur primò in oppositum, quòd non duo, sed tres sunt defectus syllogismorum, seu modi peccandi in syllogismis: ergo tantùm erunt tres modi soluendi paralogismos. Consequentia patet ex ratione adducta pro nostra conclusione. Antec. autem probatur; quia omnis syllogismus vel peccat in materia tantùm, vel in forma tantùm, vel in materia, & forma simul; sed dum peccat in materia, est vnus defectus, & dum peccat in forma est alius: ergo dum peccat in vtraque simul, erit tertius defectus; cùm aliud sit peccare in partibus, ac peccare in toto, cùm primum tantùm dicat interemptionem partium; secundum verò, & partium, & vnionis earundem.

Respondetur distinguendo antecedens; tres sunt defectus, &c. inter se ita realiter distincti, vt sicut defectus in forma, & defectus in materia, ab inuicem realiter distinguuntur, ita defectus in vtraque realiter distinguatur ab ipsis; & sic negatur; ita vt tantùm ratione ab eis distinguatur; & sic conceditur. Quare satis est, quòd syllogismi peccantes in materia, & forma simul, eisdem solutionibus soluantur sicut alij, cùm totum, in probabili sententia multorum, non distinguatur realiter à partibus simul sumptis, & vnitis. Nec valet id, quod additur, nimirum quòd defectus in vtraque interimit partes, & ipsarum vnionem; nam cùm vnio sit nexus partium, non interimitur nisi ad interemptionem partium, & consequenter, si defectus in partibus soluendus est duobus tantùm modis dum intelliguntur seiunctæ; ergo, & dum considerantur vnitæ.

Obijcitur secundò, quoniam id, quod tantum est negandum, non duplici, sed vnico modo soluendum est, nempe interemptione; sed paralogismi omnes sunt tantùm negandi: ergo non duplici, sed vnico modo soluendi sunt. Maior patet ex eo, quòd si esset soluendum etiam distinctione, non esset tantùm negandum. Minor verò probatur; nam quod est falsum, tantùm est interimendum, cùm illi nunquam assentiri possit intellectus, qui est circa verum; sed paralogismi sunt falsi syllogismi: ergo sunt tantùm interimendi.

Respon-

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd illud, quod in omni sensu est falsum, vtique est tantùm interimendum; sed quod in vno sensu est falsum, & in alio verum; in quo sensu est falsum, est interimendum; in quo sensu autem est verum, debet construi, siue affirmari: ideòque paralogismi non tantùm soluendi sunt interemptione, vt dum peccant in materia; sed etiam distinctione, vt dum peccant in forma: nam licèt sint falsi syllogismi ex eo, quòd peccant vel in materia, vel in forma; non tamen semper continent propositiones omnino falsas.

Obijcitur tandem tertiò, quòd Philosophus in hoc 2. lib. cap. 4. vltra prædictas solutiones alias, & alias addit: ergo non tantùm duo, sed plures sunt modi soluendi paralogismos. Antec. probatur; nam paralogismos ignorationis elenchi docet esse soluendos, tantùm ostendēdo interroganti conditionem omissam veræ contradictionis: paralogismos petitionis principij; tantùm dicendo tu petisti principium: paralogismos verò non causæ vt causæ, dicendo quòd propter præmissam superfluam non sequitur impossibile: & tandem paralogismos secundùm plures interrogationes vt vnam, dando plures responsiones: ergo Philosophus præter prædictas solutiones, addit plures alias.

Respondetur, Philosophum, loco citato, præter adductas solutiones, alias, & alias vtique adduxisse, sed ad illas omnino reducendas tanquam secundarium ad primarium: nam licèt omnes illæ fallaciæ de quibus factus est sermo in argumento, directè, & immediatè non soluantur per distinctionem, neque per interemptionem; tamen illarum solutiones reducuntur, vel ad interemptionem, vel ad distinctionem: nam ostendendo interroganti in fallacia ignorationis elenchi omissionem alicuius conditionis veræ, ac rigorosæ contradictionis, interimitur illa propositio, vbi est talis defectus. Item dicendo, tu petisti principium; interimitur illa propositio, in qua principium petitur, etiam si probabilis esse videatur. Sicut dicendo in fallacia non causæ vt causæ, quòd propter præmissam superfluam non sequitur impossibile; interimitur consequentia, quasi non bene illata ex tali præmissa non causa. Ac tandem, dando plures responsiones, interimitur illa propositio multiplex, quæ apparebat vna.

QVÆSTIO II. ET VLTIMA.

An Philosophus sufficienter doceat soluere paralogismos tam in dictione, quàm extra dictionem.

ARistoteles in hoc secundo libro, à cap. 3. vsque ad 6. exclusiuè tradidit omnes, ac singulas solutiones pro quibuscunque paralogismis tam in dictione, quàm extra dictionem; quas omnes, mira claritate, ac breuitate, hoc pacto recitauit Fons. lib. 8. Inst. A logic. cap. 18. nimirum, quòd sophismata, quæ ex æquiuocatione, ambiguitate, compositione, diuisione, aut accentu ducta sunt; quia hæc omnia multiplicitate aliqua vnius, aut plurium propositionum peccant; distinctione multiplicis orationis soluenda sunt. Sophismata verò, quæ ex figura dictionis, ex accidente, ex eo, quòd simpliciter dicatur, aut cum addictione, ex consequente, aut ex non causa vt causa nominantur, sumptionibus admissis; negatione consequentiæ eludenda erunt. Sophismata denique petitionis principij, atque ignorationis elenchi, ea sumptione, in qua petitur principium, & apparenti contradictione negata, dissoluenda sunt. Ea verò, in quibus Sophista, pluribus interrogationibus, quasi vna vtitur, facilè dilues, si tot responsiones interro- B gationi reddideris, quot in ea implicitæ sunt: possunt tamen nonnunquam, etiam distinctione dissolui; vt si quærant Sophistæ, Sit ne Plato, & Socrates homo; respondeas verum id esse, accepto verbo *est* copulatiuè; falsum verò accepto copulatim. Quibus igitur positis, & assignatis; propter nonnulla argumenta, quæ in contrarium adduci solent, quæritur in hac secunda, & vltima quæstione; an Philosophus per tales solutiones, rectè, ac sufficienter doceat soluere omnes, ac singulos paralogismos tam in dictione, quàm extra dictionem.

Notandum idcirco est, quòd distinctio dupliciter sumi potest, vel ex parte nominis siue vocis, vel ex parte rei. Si sumatur primo modo, spectat tantùm ad fallacias in dictione, cum omnes accipiant multiplex ex parte vocis, licèt non eodem modo: quædam C enim accipiunt multiplex actuale, quædam potentiale, & quædam phantasticum, vt dictum est suprà disp. 58. q. 3. Vnde omnes aliquo modo, distinctione ex parte vocis soluendæ sunt. Si autem sumatur secundo modo, spectat tantùm ad fallacias extra dictionem, quæ similiter omnes aliquo modo, distinctione ex parte rei soluendæ sunt. Consultò diximus, *aliquo modo*, non autem absolutè, ac simpliciter; quia sicut formantur fallaciæ in dictione, vel quæ explicitè habent multiplicitatem secundùm nomen, vel tantùm implicitè, & interpretatiuè, vt quando non fiunt ex propositionibus multiplicibus, sed ex præmissis non regulatis per principia prima dialectica, vt notatum est suprà in antecedenti quæstione: ita formantur fallaciæ extra dictionem, vel scilicet, quæ explicitè, vel D implicitè, & interpretatiuè habent multiplicitatem ex parte rei; cùm eadem res, non minùs possit habere plures acceptiones, quàm eadem vox plures significationes. Ideòque, falsò putabant aliqui Philosophi, quos arguit Aristoteles 1. Elench. cap. 9. qui asserebant fallacias omnes diuidi tantùm secundùm vocem, & secundùm sententiam, seu, quod idem est, secundùm plures, aut vnum sensum; & consequenter omnes indifferenter habere suam multiplicitatem secundùm nomen, & vocem: nam vt rectè argumentatur Aristoteles, ratione octaua, & vltima; fallaciæ extra dictionem neque habent suam multiplicitatem secundùm nomen, hoc est secundùm diuersos sensus sub aliquo nomine, neque secundùm intellectum, idest secundùm eundem sensum sub eodem nomine; sed eam habent tantùm secundùm rem diuersimodè acceptam.

Dicendum est ergo, quòd Philosophus sufficienter docet soluere omnes paralogismos tam in dictione,

quàm extra dictionem. Probatur quoniam tunc rectè, ac sufficienter soluuntur paralogismi omnium fallaciarum, quando manifestatur eorum falsitas, adducendo causam ipsius; sed Philosophus docuit tali modo soluere omnes paralogismos omnium fallaciarum: ergo docet sufficienter, ac rectè eos soluere. Maior patet ex definitione rectę solutionis habita per eundem Philosophum in hoc libro cap: 3. Minor verò probatur; nam soluendo fallacias æquiuocationis, amphibologiæ, compositionis, diuisionis, & accentus per distinctionem, manifestat earum falsitatem adducendo illius causam, quæ est multiplicitas explicita, quæ apparenter videbatur quędam vnitas vocis. Soluendo autem fallacias figuræ dictionis, accidentis, secundùm quid, & simpliciter, consequentis, & non causæ; per interemptionem consequentiæ manifestat earum falsitatem adducendo causam, quæ est multiplicitas implicita, seu interpretatiua propter malam illationem, quæ videbatur bona. Soluendo tandem fallacias petitionis principij, negatione illius propositionis in qua petitur principium: fallacias ignorationis elenchi, negatione apparentis contradictionis: ac fallacias plurium interrogationum vt vnius, pluribus responsionibus, aut distinctione interrogationis, manifestat tum falsitatem primarum fallaciarum adducendo causam, quæ est illa propositio omnino eadem, quæ apparebat diuersa; tum secundarum, item adducendo illius causam, quæ est falsa contradictio; tum denique tertiarum, adducendo similiter causam, quę est interrogatio multiplex, quę videbatur vna: ergo eas soluit per rectam solutionem, quę est prædicta manifestatio falsi cum additione causę talis falsitatis.

Obijcitur primò in oppositum, quòd dantur aliqui paralogismi fallaciæ æquiuocationis, qui etiam vt peccant in forma debent solui interemptione propositionis: ergo malè docet Philosophus omnes esse soluendos distinctione. Antecedens probatur; etenim si dicatur, Omnis canis currit; quædam stella est canis; ergo quædam stella currit; cùm terminus *omnis* distribuatur pro omnibus suis suppositis, facit maiorem simpliciter falsam, & tamen peccat in forma, cùm medium in maiori amplietur, & in minori restringatur, quod est contra quintam regulam syllogisticam, de qua lib. 3. Instit, cap. 4. ergo illa propositio non est distinguenda, sed interimenda, cùm sit simpliciter falsa; & consequenter talis paralogismus, non distinctione, sed interemptione propositionis soluendus est.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dicendum est, quòd in adducto paralogismo, terminus *Omnis* non distribuitur pro suppositis omnium suorum significatorum; sed tantùm pro omnibus suppositis vnius significati, nempe pro omnibus terrestribus: cuius ratio est, quia terminus æquiuocus, vnica distributione distribui non potest pro suppositis plurium significatorum; quia vnitas distributionis supponit vnitatem significationis. Cùm igitur ibi propter multiplicitatem significatorum non sit vnica distributio, sed multiplex; illa propositio non est simpliciter neganda, cùm simpliciter non sit falsa, sed tantùm distinguenda, vt rectè docet Aristoteles.

Obijcitur secundò, quòd paralogismi fallaciæ non causæ potiùs peccant in materia, quàm in forma: ergo

A malè docet Philosophus eos soluere principaliter per interemptionem consequentiæ. Consequentia ex eo patet, quia paralogismi peccantes in materia, debent solui interemptione propositionis, vt dictum est suprà in antecedenti quæstione. Antec. autem probatur per huiusmodi paralogismum; videlicet, Nullus leo est animal rationale; sed homo est leo, & Sortes est homo: ergo homo non est animal rationale; sed hoc est impossibile; ergo Sortes non est homo. Nam huiusmodi paralogismus ducens ad impossibile, est in quarto modo primæ figuræ, nempe in *Ferio* licèt habeat minorem falsam: ergo potiùs peccat in materia ratione falsitatis, quàm in forma.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd cùm paralogismi huius B fallaciæ non causæ semper habeant aliquam præmissam superfluam, vt docet Philosophus 2. Prior. cap. 8. vel 10. vt volunt aliqui; quæ in rei veritate non est causa illius impossibilis, non possunt non peccare in forma syllogistica, licèt alias etiam peccent in materia, ratione scilicet illius præmissæ falsæ, quæ vtique esset interimenda in secundo processu syllogistico, tanquam vera causa illius consequentiæ impossibilis, nisi loco illius interimeretur per sophistam præmissa vera, quæ videtur causa, licèt non sit prædictæ consequentiæ impossibilis. Quare optimè soluit Philosophus tales paralogismos per interemptionem consequentiæ secundi processus syllogistici.

Obijcitur tandem tertiò, tum quòd fallacia petitionis principii peccat in forma syllogismi, vt dictum est suprà disp. 58. citata q. 3. cùm in ea principium videa- C tur notius, quàm conclusio, quod tamen in rei veritate, æquè notius, vel ignotius est: ergo iuxta dicta quæstionis antecedentis debet solui, vel per distinctionem, vel per interemptionem consequentiæ; sed Philosophus eam soluit per interemptionē propositionis: ergo, aut non bene docet soluere, aut falsa sunt, quæ ibidem diximus de solutione fallaciarum peccantium in forma. Tum etiam, quòd fallacia plurium interrogationum, ex dictis eadem disputatione 58. citata peccat in materia syllogismi: ergo iuxta dicta quęstionis antecedentis soluenda est interemptione propositionis; sed Philosophus eam soluit distinctione multiplicis interrogationis: ergo vel malè soluit, vel falsa sunt dicta in antecedenti quæstione.

Respondetur ad vtranque rationem, quòd falla- D ciæ, quæ peccant in forma, non ita necessariò tali modo peccant, vt non possint peccare in materia, & è contrà; cùm non ita recta forma syllogistica sit alligata materiæ veræ, quin etiam possit vniri materiæ falsæ: sicut non ita materia falsa, est alligata defectuosæ formæ syllogisticæ, vt etiam non possit vniri rectæ formæ syllogisticæ, vt consideranti patere potest. Quare nullum est absurdum si Philosophus, fallaciam plurium interrogationum, quæ directè peccare solet in materia; non tantùm propria solutione, scilicet interemptione propositionis multiplicis; verùm etiam distinctione, quæ respicit defectum in forma propter multiplicitatem rei, quam saltem de connotatò importat, indifferenter soluat. Neque minùs erit absurdum, si fallaciam petitionis principii, quæ directè peccare solet in forma, soluat interemptione propositionis, quæ supponit defectum in materia: præcipuè cùm talis propositio in qua petitur principium, sit eadem

dem in rei veritate cum consequentia negata, licèt apparenter videatur diuersa; vnde non minùs ipsa interimitur propositio, quàm interimatur consequentia; & consequenter miro artificio, talem fallaciam non solum vt directè peccat in forma, verùm etiam vt connotat defectum aliquem in materia, vnica solutione omnino soluit.

Hæc itaque sunt, quæ Dialecticorum arbitror syllogę contineri potuisse: nam, & si breuem admodùm præceptorum in summam (vt quidem mos est) eadem A redigere perfacilè esset: malui tamen spatiosiùs talia disponere, ac legentium vtilitati consulere, quàm ad arctiora, & breuiora capita reuocare, ac paruum vel nullum emolumentum afferre. Si quid ergo commodi ex iis, quæ dicta sunt huius facultatis studiosi carpere poterunt, voti compos factus existimabor; sin autem, minùs; tamen volui certè, atque conatum præstiti, qui à bonis laudari solet, etiam cùm non optimus est rei euentus.

SOLI DEO SIT GLORIA.





D Aristophanis, & Cleantis lucernam, vt emendandis cauerem erroribus, in hoc propemodùm opere lucubraui satis. Verùntamen, cùm in typorum graphide, quos diligenter in tenebris veluti aduerti, non ita incudi reddere valui, quin inexculti prodirent ad lucem: fieret quidem mihi sicut ijs, qui noctu optimè vident, ferè interdiu conniuent, nisi ipsos diligentiùs expolirem, iterumque recoquerem. Quod vt feliciori succedat euentu, Lectoris præstat magis remittere humanitati, quàm rursus censuræ committere seueritati; eò vel maximè, quòd vix sensus integritas, sed Ortographiæ leges tantùmmodò soluantur.



INDEX ALPHABETICVS RERVM PRÆCIPVARVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus numerus paginam, secundus columnam, litera marginalis locum distinctum significant.

A

Abstractio totalis, vniuersalis, formalis, & praecisiua, quae. pag. 49. colum. 2. lit. B.

Abstractum accidentale, quando est de essentia alterius abstracti accidentalis, potest formaliter praedicari de illo. ibidem.

Abstractum substantiale non potest praedicari de alio simili, quando non pertinet ad essentiam illius. ibid. C.

Abstractum differentiae nequit praedicari de abstracto speciei. ibid. D.

Abstractum generis, nequit praedicari de abstracto differentiae. ibid. d.

Abstracta differentiae superioris nequeunt praedicari de abstractis differentiae inferioris. ibid. d.

Abstracta substantialia, quorum vnum est de essentia alterius, in sensu identico possunt ad inuicem praedicari. 50. col. 1. a.

Abstracta substantialia prout important, abstractionem formalem, non possunt de suis inferioribus praedicari. ibid. col. 2. a.

Abstracta substantialia, seruata eorum natura possunt accipi absque praecisione à suis inferioribus, & de illis praedicari. ibid. a. b.

Abstracta quando praedicentur, & quando non praedicentur de concretis. pag. 52. col. 1. a.

Abstracta directè collocantur in praedicamento accidentis, & in praedicamento substantiae indirectè. pag 107. col. 2. a.

Accidentis definitiones, & diuisiones. pag. 47. col. 1. a.

Accidentia plura, solo numero diuersa, nequeunt simul reperiri in eodem subiecto. pag. 34. col. 1. d.

Accidentia, tantùm in abstracto possunt rigorosè definiri. pag. 57. col. 2. b.

Accidentia in concreto quomodò valeant definiri. 57. 2. b.

Accidentia quomodò debeant definiri quando ignoratur eorum subiectum. 59. 2. d.

Accidentis definitio explicatur. 78. 1. a. b.

Accidens per ordinem ad quae constituatur in esse vniuersalis. 78. 2. c. d.

Accidentia omnia conueniunt sub vna ratione analoga accidentis. 109. 2. a.

Accidens logicum, & praedicamentale quid sit. 158. 2. b.

Actionis, & passionis proprietates. 81. 2. d.

Actio, & passio non sunt simul natura. 149. 1. d.

Actio, & passio, formaliter non sunt idem. 150. 1. d.

Actio quid sit. ibidem.

Actionis essentia in quo consistat. 150. 2. c.

Actio vnde sumat speciem. 151. 2. d.

Actionis definitio est bona. ibidem.

Actionis diuisio, quae sit adaequata, & vniuoca. 152. 1. b. c.

Actionis proprietates, quae sint quarto modo. 152. 2. a.

Aequipollentia generalis, & particularis, quae sit. 11. 1. d.

Aequipollentiae regulae. 11. 2. a. b.

Aequipollentia propositionum supponit earundem oppositionem. 240. 1. b.

Aequipollentia propositionum, quae requisita habere debeat. 240. 2. b.

Aequipollentia propositionum quid sit. 242. 2. a.

Aequiuoca, quae nam sint. 80. 2. a.

Aequiuocorum definitio est optima. 83. 1. c.

Aequiuoca non significant vnam rationem communem immediatè, sed proprias rationes aequiuocatorum. 83. 2. d.

Aequiuoca à casu, & à consilio, quae sint. 90. 2. a.

Aequiuoca, quomodò mathematicis proportionibus assimilentur. 92. 1. c. d.

Affirmatio, & negatio sunt differentiae essentiales propositionis. 222. 1. a.

Alienatio quid sit. 5. 2. a.

Alteratio terminatur ad qualitatem. 82. 1. d.

Ampliatio qua, & quotuplex. 5. 1. c.

Amphibologia quid sit. 389. 2. c.

Analogiae nomen quid significet. 85. 1. d.

Analoga in communi quid sint. 85. 2. a.

Analoga attributionis, proportionis, ab vno, ad vnum, & secundùm intentionem tantùm, sunt idem. 86. 2. d.

Analoga proportionalitatis, siue secundùm intentionem, & esse, quae sint. 87. 1. a.

Analoga proportionalitatis propria, & metaphorica, quae sint. 87. 1. b. c.

Analoga transcendentia, quae sint. 87. 1. c. d.

Analogiae logicae, tantùm sunt duae species. 88. 1. b.

Analogum non significat aliquam rationem communem ab analogatis praecisam, & abstractam. 89. 2. d.

Analogia omnes, quomodò mathematicis proportionibus assimilentur. 92. 2. b.

Analogum, quomodò aliquando dicatur abstrahi à suis analogatis. 97. 1. a.

Analysis, quid, & quotuplex. 247. 2. a.

Appellatio, quid sit. 5. 2. b.

Appellationum quatuor regulae. ibid. d.

Argumentatio, quid sit. 8. 2. b.

Argumentationis species, quae sint. 16. 1. a. b.

Argumentationis regulae. 16. 1. d.

Arguentis, & respondentis conditiones. 23. 2. a. b. c.

Argumentatio à non distributo ad distributum est mala. 215. 1. a.

Argumentatio praedicta, quare non sequatur in modalibus particularibus negatiuis de contingente rigorosè accepto; bene tamen in vniuersalibus negatiuis. 258. 1. d.

Ascensus, & descensus quid sint. 292. d.
Assensus principiorum continetur formaliter in assensu conclusionis, 302. 2. c.
Assensus principiorum causat efficienter assensum conclusionis, 303. 2. b.
Assensus præmissarum, & assensus conclusionis distinguuntur specie, 306. 2. c. 308. 1. c.
Assensu præmissarum necessitatur intellectus quoad specificationem ad assentiendum conclusioni, 310. 1. c.
Assumptio quid sit, 16. 2. d.
Axioma illud, Quæ sunt eadem vni tertio, quomodò explicandam sit, 18. 1. b.
Axioma illud, Quæ sunt eadem inter se distinguuntur ab vno tertio, quomodò explicandum sit, ibid.
Axioma illud, Tot modis dicitur vnum oppositorum, dicitur, & aliud, quomodò explicandum sit, 55. 1. d.
Axioma illud, Analogum per se sumptum, stat pro famosiori significato, quomodò explicetur. 93. 1. d.
Axioma illud, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quomodò explicandum sit, 324. 2. b. c. d.

B

Barbarismus quid, & quomodò differat à solæcismo, 490. 1. c
Barbaralexis quid sit, ibid. b.
Bonitas reperitur in illatione, non autem veritas, 192. 1 b. c.
Bonitas vna maior est alia. 197. 2. d.
Bonum, & malum, quomodò opponantur, 170. 2. d.
Bonum creatum non potest necessitare quoad exercitium voluntatem, 311. 1. b. c.
Bonum, bonitate potentiæ non postulat esse in actu, sed sufficit vt se habeat in potentia, 410. 1. b. c.
Bonum, quomodò ab intellectu, voluntati proponatur, 436. 1. c. d.
Bonum in communi est obiectum adæquatum primarium, & specificatiuum voluntatis, ibid. 2. a. b.
Bonum consequendum cum aliqua difficultate, quomodò alliciat, & non alliciat voluntatem, 437. 2. b. c.

C

Casus, à quibus sumitur locus topicus, qui, & quot sint; 421. 2. c.
Casus obliqui excluduntur à vera ratione nominis per illam particulam Recta positam in definitione, 209. 2. d.
Categoria quid sit, 80. 1. b.
Causa æquiuoca, abstrahit ab vniuersali, & particulari, 306. 2. d.
Causa eadem, secundùm diuersas rationes, potest producere diuersa, & repugnantia, 387. 2. b.
Causa apparentiæ, & causa defectus, in qualibet fallacia, quid sint, 491. 2. d.
Certitudo dicit firmam adhærentiam intellectus cum totali exclusione formidinis, 322. 2. c. d.
Certitudinis radix est inuariabilitas, 354. 1. c.
Character Baptismi spectat ad potentiam passiuam de genere qualitatis, 142. 2. d.
Character Confirmationis, & Ordinis spectant ad potentiam actiuam, ibidem.
Circulus, quid propriè sit, & quomodò committatur, 139. 2. c. & 335. 2. c. d.
Cognitio intuitiua, & abstractiua, quæ sint, 233. 2. a.
Cognitio discursiua tandem sistit in notitia terminorum; 295. 2. c. d.
Cognitio scientifica debet esse circa conclusiones formaliter, 354. 1. d.
Cognitio perfecta simpliciter habetur per omne genus causæ, 366. 1. a.
Communiter accidentium, quotuplex sit distinctio, 411. 1. a. b
Compositio logica, physica, & metaphys., quæ sint, 439. 1. d.
Compositum homogeneum & heterogeneū, quid sit, 206. 1. b.
Conceptus formalis, & obiectiuus intellectus, quid sint, 96. 1. d. & 186. 2. d.
Conceptus obiectiui expressi distinguuntur à conceptu formali per modum rei à re, 187. 1. a.
Conceptus simplices iidem sunt apud omnes, non autem complexi, 190. 2. c. d.
Conceptus obiectiuus impressus, & expressus, quid sint, & quomodò inter se differant, 197. 1. d.
Conceptus formalis intellectus, est vna simplex qualitas, 219. 1. d.
Concludere directè, & indirectè quid sit, 17. 1. d. & 281. 2. c. d
Conclusio semper sequitur debiliorem partem, 16. 2. a.
Conclusio, quomodò sit de essentia syllogismi, 270. 1. a.
Conclusio virtualiter continetur in præmissis, 294. 1. c.
Conclusiones, vnde sumant vnitatem specificam, 346. 1. b.
Conclusio eadem potest demonstrari per omne genus causæ, 366. 1. b.
Concreta prædicantur de concretis, 49. 1. a.
Concreta, & abstracta, in quo conueniant, & differant, 51. 2. a.
Concreta accidentalia, eodem modo definienda sunt, ac substantiæ compositæ, 58. 1. c.
Concretum accidentale, non rectè definitur per concretum superius, loco generis, 59. 2. d.
Concreta collocantur directè in prædicamento substantiæ, indirectè verò in prædicamentis accidentis, 107. 2. a.
Coniugata, quæ, & quotuplex sint, 421. 2. b.
Coniunctionum oppositio, quid, & quotuplex sit, 10. 2. c. d.
Consequentia ab affirmatiua ad negatiuam, & è contrà, variato prædicato definito in infinitum tenet, 253. 2. b. c.
Consequentiæ diuisio in bonam, & malam, est diuisio analogi analogia attributionis in sua analogata, 260. 1. d.
Consequentiæ diuisio in formalem, & materialem est accidentalis, 260. 2 b.
Consequentiæ, & consequentis discrimen, 261. 1. c.
Consequentia non distinguitur, sed consequens, ibidem.
Consequentiæ diuisio in formalem, & materialem, quæ nam sit, 261. 2 b.
Consequentiæ regulæ tam generales, quàm particulares, 264 1. a. b. c 2. a. b. c.
Consequentiæ regulæ particulares reducuntur ad tres principaliores, 264. 1. a.
Consequentiæ ex hypothesi impossibili regulæ quot, & quæ sint, 267. 1. 2. a. b. c.
Consequentia ab inesse ad esse in prædicatis accidentalibus, non semper tenet, 429. 1. c. d.
Contrarietas propriè dicta, quæ sit, 233. 2. a. b.
Contrariorum conditiones, & proprietates, 170. 1. b.
Contraria, quomodò possint, & non possint esse in eodem subiecto, ibid.
Contraria, quomodò debeant se expellere. 171. 1. a.
Conuersio non habet locum in propositionibus hypotheticis, 252. 2. b.
Conuersio per contrapositionem extremorum, non est propriè conuersio, ibid. d.
Conuersio generaliter loquendo reperitur in modalibus ra-

tione

tione dicti, non autem modi, 255. 1. b.
Conuersionis regulæ in modalibus eædem sunt, ac in propositionibus de inesse, ibid.
Conuersio per transpositionem reperitur etiam in modalibus, sed de ipsa parum curatur, ibid. c.
Conuersionis modalium regulæ sunt bene assignatæ, 255. 1. d. 2. a. b. c. d.
Conuersionis per impossibile regula generalis pro omnibus figuris, 286. 2. b.
Conuertibilitas, quando sit passio propositionis, & quando syllogismi, 516. 1. b.
Conclusio propositionis quæ, & ad quid deseruiat, 11. 2. c.
Conuersio propositionis, quotuplex sit, ibid. d.
Copula implicationis, quæ sit, 8. 2. d.
Correlatiua debere esse sub eodem genere, quomodò intelligi debeat, 68. 2. a. b.
Corruptio terminatur ad substantiam, 82. 1. d.
Creatio passiua, est relatio tertij generis, 142. 1. a.
Creatio passiua, non est passio de prædicamento, 151. 2. c.
Cresi filius iam mutus, quomodò sit locutus, 191. 1. b. c.

D

Definitio quid sit, 7. 1. c. & quotuplex, ibid.
Definitionis leges, & regulæ, ibid. 2. b. c. & 460. 1. a. b. c. d.
Definitio non rigorosa potest dari per membra negatiua, 112. 2. d.
Definitio aliquando potest dari per proprietates oppositas, 217. 2. d.
Definitio analogicè diuiditur in quid rei, & in quid nominis, 296. 2. c.
Definitio essentialis, & descriptiua quæ sint, 313. 2. a.
Definitio per metaphoram quando liceat, & quando non, 392. 1. a.
Definitio quatenus modus sciendi est, quomodò considerari debeat, 454. 1. c. d.
Definitionis quid rei diuisio est adæquata, sed analoga, 458. 1. a.
Definitio per negationem dari licet, 462. 2. d.
Definitiones complicatæ, quæ sint, 468. 2. c.
Demonstratio est obiectum librorum posteriorum, 291. 1. d.
Demonstrationis medium est definitio, 297. 1. a.
Demonstratio quia, & propter quid, quæ sint, & quomodò distinguantur ab inuicem, 320. 2. a. b c. d.
Demonstratio potissima, quæ sit, 297. 2. d.
Demonstrationis definitiones sunt optimæ, quarum prima est descriptiua, secunda verò essentialis, licèt non formalis, 313. 1. d.
Demonstrationis priores conditiones, quomodò intelligi debeant, 314. 1. c.
Demonstratio potissima, ex quibus procedere debeat, 317. 2. b. c.
Demonstratio Quia, tribus modis contingere potest, 320. 2. c. d
Demonstratio circularis, quæ sit, & quando admittenda, 336. 1. d.
Demonstrationis plures aliæ diuisiones, 332. 1. b. c. d.
Demonstrationis diuisiones in Quia, & propter quid, qua ratione dicenda sit accidentis in sua subiecta, 332. 1. d.
Demonstrationis diuisio in Quia, & propter quid, propriè loquendo est diuisio analogi in sua analogata, 334. 2. c.
Demonstrationis medium potest esse quodlibet genus causæ, 363. 2. d.
Demonstrationis potissimæ medium debet esse causa formalis, 364. 2. b. c. d.
Demonstrationis potissimæ medium, tantùm est definitio formalis, 370. 1. d.
Denominatiua respectu formæ denominantis non sunt vniuoca, bene tamen respectu inferiorum, 56. 2. c. & 84. 2. c.
Denominatiua, quæ nam sint, 80. 2. b.
Denominatiuorum conditiones, 84. 2. a.
Descensus, & ascensus, quid sint, 29. 2. d.
Descensus disiunctiuus quid sit, 285. 2. a.
Determinatio contrahens, dirimens, ac minuens, quid sint, 508. 2. d.
Determinatio minuens, siue alienans duplex est, & quæ faciat locum sophisticum, 509. 1. a. b.
Dialectica disputatio, quibus præcipuè modis agenda sit, 479. 2. a.
Dialectici officium quid, 478. 1. c.
Dialecticis in disputationibus omnino vtiliter disputatur ex hypothesi impossibili, 480. 2. b.
Dici de omni, & dici de nullo, quomodò intelligatur, 18. 1. c. d. & 275. 2. a. b.
Dici de omni, & dici de nullo prioristicum, & posterioristicum, quid sit, 282. 2. d.
Dictionis figuratio, & terminatio, quid & quotuplex sit, 504. 1. a.
Differentiæ diuisiones, & definitiones, 46. 2. b. c.
Differentiæ superiores prædicantur de infima per modum adiacentis, 49. 2 d.
Differentiæ diuisio est adæquata, 70. 1. b.
Differentiæ diuisio in propriam, & proprijssimam, &c. etiam secundò intentionaliter sumpta, est analoga, ibid. 2. b. c.
Differentiæ definitiones, tantùm secunda, & vltima sunt exactæ, 71. 2. b.
Differentiæ subalternæ definitio, nequit conuenire differentijs vltimis, etiam per non repugnantiam, 72. 1. a.
Differentia non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad propria inferiora, de quibus in quid tantùm prædicatur, 73. 1. a.
Differentiarum inuentio, est instrumentum abundandi in syllogismo topico, 389. 1. d.
Differentiarum inuentio, quid postulet, vt rectè fiat, ibid. 1. b c.
Dignitas, quid sit, 299. 1. d. & 316. 1. c.
Diminutio terminatur ad quantitatem, 82. 1. c. d.
Discursus quid sit, 220. 1. b & 295. 1. c. d.
Discursus tam mentalis, quàm vocalis non est vna simplex qualitas, 220. 1. b.
Discursus, entitatiuè non distinguitur à iudicio, sed tantùm formaliter, ibid. b. & 295. 1. d.
Discursus, quas conditiones postulet, ibid. & 271. 1. b.
Dispositio, vt qualitas est, vnde sumat speciem, 140. 2. b.
Dispositio, & habitus distinguuntur essentialiter, ibid. b. c.
Dispositiones, & operationes accidentales, indicant perfectionem, aut imperfectionem formæ, 434. 1. a.
Disputationis diuisio, 487. 1. a. b.
Disputationis diuisio simpliciter est essentialis, secundùm quid accidentalis, ibid. d.
Disputationis diuisio simpliciter est analoga, 488. 1. a. b.
Distinctio penes intrinsecam, & extrinsecam denominationem, non potest causare diuersa prima genera, 147. 2. a.
Distinctio quid, & quotuplex, 462. 2. c. d.
Diuisiones eorum, quæ dicuntur, & sunt, 80. 2. b. c.
Diuisio eorum, quæ dicuntur quomodò explicãda, 100. 2. a. b.
Diuisio eorum, quæ sunt quomodò explicanda, 101. 2. a.
Diuisum, quando completè, & adæquatè diuiditur duplici diuisione, altera necessariò est accidentalis, 105. 2. d.
Di-

Diuisibilitas radicalis est essentia quantitatis, 124. 2. a.
Diuisio analoga est essentialis, sed non generis in suas species, 221. 2. b.
Durare potest aliquid absque tempore, 158. 1. c.
Durationis diuisio, 258. 2. a.

E

Effectus, aliquando sunt signa suarum causarum, aliquando non, 185. 1. a.
Effectus idem numero non est, quando procedit à diuersis causis disparatis, 270. 2. b.
Effectus causa instrumentalis excedit semper in perfectione ipsum instrumentum, 306. 1. a.
Elementa propriè, & per se non sunt contraria, 117. 1. b.
Elenchus quid sit, 510. 2. b. c. d. & 511. 1. a.
Elenchi ignorantia, duobus modis cõtingere potest, 511. 1. b c.
Elenchi ignorantia prout constituit locum sophisticum, qualis esse debeat, 511. 2. a.
Emanationes, non sunt actiones de prædicamento actionis, 151. 2. b.
Emanationes accidentium ad quæ datur per se motus, sunt actiones de prædicamento, ibid.
Ens reale, & ens rationis quid sint, 26. 1. c.
Ens rationis est obiectum formale Logicæ, 27. 1. a.
Ens rationis, prout existit in intellectu, habet aliquam scibilitatem, 28. 2. b.
Entis rationis diuisio, 29. 1. b.
Ens per se, & ens per accidens, quæ dicantur, 62. 1. c.
Entia realia quomodò sint obiectum libri prædicamentorum, 82. 1. b.
Ens dicitur analogicè de Deo, & creaturis, 86. 1. b.
Ens est analogum ad substantiam, & accidens, 86. 1. d. & 87. 1. b.
Ens in genere intelligibilium est primum cognitum, 98. 2. c.
Entia, quæ in prædicamentis collocari debent, quas conditiones debeant habere, 101. 1. c. & 107. 1. d.
Entis passiones non distinguuntur ab ipso realiter, 144. 2. d.
Entis rationis existentia, est suum cognosci, 249. 2. c.
Entia rationis, quomodò valeant, & non valeant definiri, 457. 1. e.
Ens per accidens, quomodò possit definiri, 468. 2. b. c.
Enthymema, & exemplum quid sint, 16. 1. c.
Enthymema reducitur ad syllogismum, ibid.
Enthymema exemplum, & inductio sunt argumentationes materiales, 263. 2. a.
Enthymematis reductio ad syllogismum, quomodò fiat, 290. 1. b c.
Enthymematis pro conuersione regulæ, 290. 2. c. d.
Enunciationis, & propositionis differentia, 215. 2. a.
Enunciationis definitio essentialis, quæ sit, 217. 2. a.
Enunciationis differentiæ essentiales, quæ nam sint, ibidem, & 222. 1. a.
Enunciatio eadẽ, de affirmatiua nequit fieri negatiua, 217. 1. a
Enunciationis definitio est descriptiua, 218. 1. d.
Enunciatio eadem manens, potest de vera fieri falsa, 218. 2. a
Enunciatio vocalis, & scripta non sunt vna simplex qualitas, 219. 1. c.
Enunciatio mentalis non est conceptus formalis intellectus, sed obiectiuus, 219. 1. d.
Enunciationes in potentiis sensitiuis sunt plures qualitates, & species intentionales, 220. 2. a. b.
Enunciatio mentalis in ratione speciei expressæ est vna simplex qualitas, non autem in ratione enunciationis, 220. 2. d.
Enunciationis diuisio in simplicem, & compositam, est analoga, 221. 2. b.
Enunciationis diuisio in affirmatiuam, & negatiuam, est subdiuisio, ibid. c.
Enunciationis prædicta subdiuisio, est generis in suas species, 221. 2. d.
Erroris ratio formalis, & materialis, quæ sint, 307. 2. d.
Error, quoad rationem formalem per vnicum actum scientificum excluditur, non autem quoad rationem materialem, ibidem.
Erroris habitus, quomodò possit, & non possit stare simul cum habitu scientiæ, 341. 1. b.
Error quomodò committatur ab intellectu, & quomodò distinguatur ab opinione, & à scientia, 386. 2. d.
Essentia, & proprietas alicuius rei, nequit illi conuenire per non repugnantiam, 72. 1. a.
Esse in alio octo modis dicitur, 102. 1. b.
Essentia Dei, Angelorum, & Animarum, non sunt signa, 184. 2. a.
Essentia diuina est generans, est propositio particularis, 254. 1 b.
Essentia, & quidditas, quomodò dicantur indiuisibiles, 469. 1. a.
Etymologia reducitur ad definitionem quid nominis, 7. 1. d.
Etymologia, translatio, & interpretatio, quomodò differant, 398. 1. d.
Etymologia, quid sit, 456. 2. c.
Eubulia quid sit, 35. 1. b.
Euidentia suscipit magis, & minùs, 322. 2. c.
Euidentia radicalis est de intrinseca perfectione scientiæ, ac per ipsam distinguitur à fide, 353. 1. d.
Exemplum quid sit, 289. 2. c. d.
Exempli reductio ad syllogismum, quomodò fiat, ibid. d.
Exemplum tum ad primam, tum ad tertiam reuocatur figuram, 290. 1. d.
Exercitatio, quid sit, 377. 2. a.
Existentia est quid incompletum, & analogum, 55. 2. b.
Existentia dependet à voluntate libera Dei, 185. 1. c.
Experientia est cognitio accepta ex pluribus particularibus, 25. 1. a.
Experientia non generat actum scientificum, sed tamen est occasio ad hoc vt intellectus illum generet, ibid.
Ezechiæ mors, quomodò futura fuerat determinatè, 234. 2. b.

F

Fallaciæ tum dictionis, tum extra dictionem, quæ, & quot sint, 486. 1. b
Fallaciæ diuisio, qualis sit, 492. 1. d.
Fallacia qualibet duo habet, scilicet causam apparentiæ, & causam defectus, & quæ sint, 491. 2. d.
Fallaciæ diuisio in dictionem, & extra dictionem est adæquata, 492. 1. d.
Fallacia omnis peccat contra elenchum, sed proportione seruata, 492. 2. d.
Fallaciarum prædictarum diuisiones sunt analogi in sua analogata, 493. 1. a. b.
Fallacia ignorationis elenchi, in genere, & in specie, quid sit, 494. 1. d.

Fallaciæ æquiuocationis causa apparentiæ, quæ sit, ibid. 2. d.
Fallacia æquiuocationis formaliter consistit in vnitate vocis, plura vt plura significantis actu, 496. 1. a. b.
Fallacia amphibologiæ in quo formaliter consistat, 498. 1. c. d
Fallaciæ amphibologiæ causa apparentiæ, & causa defectus, quid sint, 497. 2. c.
Fallaciarum compositionis, & diuisionis causa apparentiæ, & defectus, quæ sit, 499. 1. c. d.
Fallaciæ compositionis, & diuisionis, formaliter consistunt in sensu composito, & diuiso falso, ibid. 2. d.
Fallaciæ accentus, causa apparentiæ, & causa defectus, quæ sint, 501. 1. d.
Fallaciæ diuersæ, quando in vna, & eadem oratione coincidunt, quomodò ordinandæ sunt, ibid. 2. b.
Fallacia accentus, in quo formaliter consistat, 502. 1. b.
Fallacia figuræ dictionis, quot modis habeat dictionem figuratam, siue terminatam, 504. 1. a.
Fallaciæ figuræ dictionis causa apparentiæ, & causa defectus quæ sint, ibid. b. c.
Fallacia figuræ dictionis in quo formaliter consistat, ibid. 2. c.
Fallacia figuræ dictionis fit secundùm multiplex phantasticum, ibid.
Fallacia accidentis, omnium periculosissima est, 506. 1. b. c.
Fallaciæ accidentis, quid sit, ibid 2. b.
Fallacia accidentis, tam affirmatiuorum, quàm negatiuorum syllogismorum, in quo formaliter consistat, 507. 1. d.
Fallaciæ secundùm quid ad simpliciter, causa apparentiæ, ac defectus, 509. 1. a.
Fallacia secundùm quid ad simpliciter in quo formaliter consistat, ibid. 2. a.
Fallaciæ ignorationis elenchi, causa apparentiæ, & defectus, quæ sit, 511. 2. a. b.
Fallacia ignorationis elenchi, in quo formaliter constitat, ibid. d.
Fallaciæ petitionis principij, causa apparentiæ, & causa defectus quæ sit, 513. 1. b.
Fallacia petitionis principij in quo formaliter consistat, ibid. 2. b.
Fallaciæ consequentis, causa apparentiæ, ac defectus, quæ sit, 515. 1. b.
Fallacia consequentis, in quo formaliter consistat, ibidem 2. c.
Fallaciæ non causæ; causa apparentiæ, ac defectus, quæ sit, 517. 1. b.
Fallacia non causæ in quo formaliter consistat, ibid. 2. b.
Fallaciæ plurium interrogationum causa apparentiæ, & defectus, quæ sit, 518. 2. d.
Fallacia plurium interrogationum in quo formaliter consistat, 519. 1. c.
Fallaciarum solutiones sunt rectè assignatæ à Philosopho, 523. 2. d.
Falsitas formalis, quid sit, 199. 1. d.
Falsitas vna est maior altera, 199. 2. d.
Falsitas formalis, in quo formaliter consistat, 200. 1. b. & 2. c.
Falsitas transcendentalis, quæ sit, 200. 1. d.
Falsitas quando suscipiat, & non suscipiat magis, & minùs, 315. 1. c.
Fides, quid sit, 35. 2. a.
Fides producit scientiam imperfectè, 352. 2. d. & 353. 1. a.
Fides, & euidentia nequeunt stare simul, & opponuntur contradictoriè, 359. 1. a.
Fides supernaturalis, amitti non potest per dissensum circa vnum articulum, quin amittatur circa omnes; non autem quando amittitur per euidentiam, 360. 2. d.
Fides nequit esse simul cum scientia perfecta, benè tamen cum imperfecta, 361. 1. c.
Fides humana, non est virtus intellectualis, 362. 2. a.
Figuræ syllogismorum, quot, & quæ sint, 17. 1. c.
Figurarum syllogismorum regula, 18. 1. d.
Figura tertia syllogismorum idonea est ad conficiendum syllogismum expositorium, 18. 2. d.
Figuræ syllogisticæ diuisiones, 272. 2. b.
Figura Galeni, quæ, & quot sint eius modi, 275. 1. a.
Figurarum syllogismorum distinctio, & diuersitas vnde sumantur, ibid. d.
Figura Galeni, ac modi illius, sunt prima figura Aristotelis, eiusdemque modi, ordine tamen contrario, 275. 2. a.
Figura Galeni quomodò reducatur ad primam Aristotelis, 276. 1. b. c.
Forma propositionis, quæ sit, 9. 1. a.
Forma, & figura syllogismorum, quæ sint, 16. 2. d.
Formæ sunt inuariabiles sicut numeri, 516. 1. c.
Formido de opposito solum tollit firmitatem, non verò determinationem circa obiectum, 357. 2. a.
Formido radicalis, ita est de intrinseca ratione opinionis, vt per eam tantùm distinguatur essentialiter à scientia, 356. 2. c.
Fortitudo quid sit, & in quo differat ab audacia, 415. 1. d.
Futura contingentia, quomodò habeant veritatem, & falsitatem, 172. 2. a. b.
Futurum quid, & quotuplex, 234. 2. b. c.
Futurum ad hoc vt sit, quid requiratur, ibid. 2. b.
Futurum necessarium, & contingens quid sint, 234. 2. c.
Futurum necessarium, quomodò aliter euenire possit, ibid.
Futurum necessarium est determinatè verum, vel determinatè falsum, ibid.
Futurum contingens absolutum, & conditionatum, quid sint, 235. 1. b.
Futurum contingens, post diuinum decretum est determinatè verum, vel determinatè falsum, 235. 1. c.
Futurum nihil potest esse de se independenter à causa prima, & à diuino decreto, 236. 1. b.
Futurorum contingentium esse obiectiuum, non datur ante decretum diuinum, & si daretur, non haberet determinationem vllam, 236. 1. d.

G

Generis acceptiones, quæ, & quot sint, 46. 1. a.
Generis in definitione, definitum est secunda intentio in concreto significata, 62. 1. d.
Generis definitio conuenit naturæ vt quod; secunda verò intentionis, vt quo, ibid. 2. a.
Generis in definitione, sicut & cæterorum prædicabilium quid ponatur loco generis, 64. 1. a.
Generis definitio est optima, 65. 1. b.
Generis definitio non est essentialis, ibid. d.
Genera, & species collocantur in recta linea prædicamentali, 103. 2. d.
Genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, necessariò habent diuersas speciei differentias constitutiuas, 104. 2. d.
Genera prædicta, nequeunt habere differentias easdem essentiales diuisiuas, 105. 1. d.
Genera subalternatim posita, possunt habere easdem diffe-

differentias essentiales, tam inadaquatè constitutiuas, quàm inadaquatè diuisiuas communes, 106. 1. a.
Genus logicum quid sit, 46. 1. a.
Genus generalissimum, & subalternum quid sint, ibid. c. d.
Genus, & species sunt correlatiua, 66. 1. c.
Genus importat conceptum communem pracisiuum, 97. 1. c.
Genus non potest diuidi bis essentialiter in species, 106. 1. a.
Genus formaliter habet rationem totius potentialis, 108. 1. b
Genus, & differentia sumuntur à tota natura specifica, sed diuersimodè, 440. 2. a.
Genus non pradicatur de specie per modum partis formaliter, sed tantùm materialiter, ibid. c. d.
Genus non continet actu differentias, etiam implicitè, & quare, 443. 2. a.
Genus quomodò pradicetur verè de speciebus, & differentijs, 444. 1. d.
Genus in quo sensu dicatur pradicari per se de differentijs, & in quo non. 445. 1. b. c.
Genus, & pradicatum generis, quomodò sint, & non sint idem, 453. 2. d.
Genus, & species logicè, & metaphysicè, quid sint, 475. 1. d.
Generatio terminatur ad substantiam, 82. 1. c.
Geometra probans principia, Perspectiua, quare non dicatur formaliter perspectiuus, 351. 2. d.
Gratia habitualis spectat ad primam speciem qualitatis, 142. 2. D.
Grauitas, quomodò intendatur, & remittatur, 126. 1. & 2. a.

H

Habendi, septem modi, sunt rectè assignati, 178. 2. b.
Habere, quomodò pradicamentum, & post pradicamentum sit, ibid. 1. d. & 2. d.
Habitus conficitur ex actibus, eandemque sortitur speciem cum ipsis, 33. 1. c.
Habitus scientifici possunt acquiri, etiam per vnicum actum, & ideò aliquando sunt imperfecti, 34. 2. d & 360. 2. c.
Habitus primorum principiorum, qui sit, 35. 2 a. b. & 373 1. c.
Habitus naturales non dantur ad simpliciter, sed ad faciliùs posse, 41. 2. c.
Habitus vt est qualitas, quid sit, 140. 1. b.
Habitus, vt est qualitas, vnde sumat speciem, 140. 2. b.
Habitus, & dispositio distinguuntur essentialiter, ibid.
Habitus importat quid medium inter vestem, & vestitum, 164. 2. d.
Habitus ad hoc, vt propriè existat in habente, quid debeat exigere, 165. 1. a.
Habitus definitio est bona, ibid. c.
Habitus diuisio ex adiacentia vestium, & ex adiacentia armorum est generis in suas species, ibid.
Habitus vnde sumat speciem, & distinctionem, 165. 1. d.
Habitus proprietates sunt benè assignata, & qua conueniat illi quarto modo, ibid.
Habitus, quomodò suscipiat magis, & minùs, ibid.
Habitus arbor, 167.
Habituum diuisio essentialis, qua sit, 152. 1. c.
Habitus est tantùm causa actuum eiusdem speciei cum illis ex quibus generatur, 308. 1. c.
Habitus principiorum, ex quibus assensibus generetur, 309. 1. b.
Habitus principiorum, non potest producere assensus conclusionis, etiam vt causa aquiuoca, 309. 1. d.
Habitus est causa actus in genere causa efficientis, & actus est causa habitus in genere causa finalis, ibid.
Habitus principiorum, concurrit efficienter ad productionem assensus conclusionis, & quomodò, 309. 2. b.
Habitus pracisè per primum actum productus, non potest intendi, & remitti, donec succedant alij actus, & quare, 341. 2. a.
Habitus, quomodò possit esse simul scientificus, & erroneus, ibid. c. d.
Habitus supernaturales non tantùm dantur ad facilè, verùm etiam ad simpliciter operandum, 344. 2. b.
Habitus specificantur proximè per actus, 360. 2. a.
Habitus principiorum obiectum, quid sit, 372. 2. b.
Habitus principiorum actus quid sit, ibid. c.
Habitus principiorum quid sit, 373. 1. c.
Habitus principiorum, quare dicatur intellectus, siue intelligentia, ibid d.
Habitus principiorum est partim naturalis, & partim acquisitus, 374 1 d.
Habitus principiorum per assensus intensiores, & remissiores, non intenduntur, neque remittuntur, ibid. 2. a. & 375. 1 b
Habitus principiorum, non est inditus à natura in prima rerum constitutione, ibid. d.
Habitus principiorum speculatiuorum distinguitur specie ab habitu principiorum practicorum, 375. 2. d.
Homogeneum quid sit, 8. 1. c.
Homonyma, qua sint, 82. 2 c.
Hypothesis impossibilis, quomodò se habere debeat, ad hoc vt per ipsam vtiliter arguatur, 480. 1. c. d.
Hypothesis impossibilis per quam rectè arguitur, regula facillima, ibid. d.
Hypothesis nihil ponit in esse, quomodò intelligi debeat, 481. 1. b.
Hypothesis impossibilis quomodò sit, & non sit propositio de subiecto non supponente, ibid. d.
Hypothesis impossibilis quando sit inepta ad arguendum, ibid 2. a. b.
Hypothesis impossibilis, quando inferat vnam, & simul vtramque partem contradictionis, 481. 2. c. d.

I

Idea Platonis quid sit, 462. 2. c.
Idem numero est etiam idem specie, & genere, sed non è contrà, 470. 1. b.
Identitas, seu vnitas formalis, & specifica, quomodò differant inter se, 473. 1. a.
Ignorantia, quotuplex, & qua sit, 511. 1. d.
Implicantia in adiecto, quando sequatur, 510. 1. b.
Incertitudo negatiua, qua sit, 359. 2. a. b. c.
Indiuiduum quid, & quotuplex sit, 46. 2. a.
Indiuidui proprietates, ibid.
Indiuiduum vagum, quare non sit pradicabile, 55. 2. b.
Indiuiduum pradicatur de vno solo, pradicatione identica, non formali, 68 2. d.
Indiuidui prima definitio est bona, 69. 1. b. c.
Indiuidui essentialis definitio in abstracto, qua nam sit, ibid. c.
Indiuiduationis principium in substantijs materialibus, quod sit, 434. 2. b.
Inductio quid sit, 16. 1. c.
Inductionis diuisio, 29. 2. d.
Inductio per quid distinguatur essentialiter à syllogismo, 262. 1. c.

Inductio tam fit per ascensum, quàm per descensum, ibid.
Inductio quomodò reuocetur, & non reuocetur ad syllogismum, 263. 1. d.
Inductio est argumentatio materialis, ibid. 2. a.
Inductio, ratione sui ad 3. reuocatur figuram, ratione conuersionis autem ad primam, 290. 1. d.
Inductionis ascensus, & descensus quotuplex fit, 482. 2. a.
Inductionis quoad ascensum, & descensum regula, ibid. c.
Inductio, etiam in concertationibus dialecticis, non est argumentatio formalis, 483. 1. c.
Inductio non demonstrat, ibid. 2. c. d.
Inductio quomodò possit, & non possit infirmari, 484. 1. a. b.
Infinitatio tollit officium nominis, 207. 2. B.
Inhærere subiecto quid sit, & cui proprium, 81. 1. a.
Inhærere subiecto optimè definitur, 102. 2. a.
Instantanea incipiunt per primum sui esse, 229. 2. b.
Instrumenti artificiosi effectus in materia, quid sit, 306. 1. c.
Instrum. abundandi in syllogismis dialecticis quid sit, 388. 1. a
Instrumenta abundandi in syllogismis, quot, & quæ, ibid. & 389. 1. d.
Instrumenta abundandi prædicta, possunt inuenire propositiones, & quomodò, 388. 1. b.
Instrumenta abundandi, &c. vnde sumantur, 389. 1. d.
Intellectus operationes, quot, & quæ, 1. 2. a.
Intellectus actus, possunt aliquo modo dici obiectum materiale Logicæ, 31. 2. a.
Intellectus diuisio in practicum, & speculatiuum, est adæquata, & totalis, 38. 2. a.
Intellectus nequit satiari in cognitione formæ inhærentis, nisi etiam cognoscat subiectum, 58. 1. b.
Intellectus conceptus formalis, & obiectiuus, 96. 1. d.
Intellectus, quomodò ferat iudicium de aliqua re, 180. 1. a.
Intellectus in ratione potentiæ intellectiuæ exigit transformari in obiectum intelligibiliter, 192. 2. b.
Intellectus vltima perfectio est veritas, vt cognita, ibid. b. c.
Intellectus iudicium, non supponit, sed causat veritatem formalem, 195. 2. c.
Intellectus non tendit vltimatè in aliquam relationem tanquam in finem, 196. 2. a.
Intellectus quomodò possit, & non possit plura intelligere, 202. 1. d. & 306. 2. c.
Intellectus apprehendendo non dicitur verus, vel falsus, sed iudicando, 219. 1. a. b.
Intellectus à principio est tanquam tabula rasa, 293. 2. b.
Intellectus pro hoc statu in cognitione rerum materialium mouetur à sensu, ibid. c.
Intellectus non intelligit plura, vt plura, sed per modum vnius, 306. 2. c. & 202. 1. d.
Intellectus, etiam vt subditur imperio voluntatis, necessitatur per assensum præmissarum quoad specificationem ad assentiendum conclusioni, 310. 1. c.
Intellectus secundùm se, est potentia naturalis, & necessaria, 311. 1. b. c.
Intellectus per assensum præmissarum, necessitatur quoad exercitium ad assentiendum conclusioni, 310. 2. d.
Intellectus circa verum particulare, & creatum, necessitatur quoad exercitium necessitate ex suppositione, non autem absoluta, 311. 1. b. c.
Intellectus noster non cognoscit directè indiuiduum materiale, sed quasi reflexiuè, 344. 1. d.
Intellectus, quomodò decipiatur, 491. 1. D.
Intentio secunda logicalis, quæ nam sit, 29. 2. b. & 52. 1. d.
Intentionis secundæ diuisio, 29. 2. b. c. d.
Intentiones secundæ logicales, quomodò sint modus sciendi, 30. 1. a.
Intentio vna secunda quomodò possit prædicari de alia tam in abstracto, quàm in concreto, 53. 1. a. b.
Intendi, & remitti, quid exigat, 234. 1. b.
Introductionis ad Logicam finis proximus, & remotus, 1. 1. a
Introductionis ad Logicam diuisio, ibid. 2. a.
Interpretatio, translatio, & etymologia, quomodò differant, 398. 1. d.
Interrogatio dialectica, qualis esse debeat, 382. 1. c. d.
Interrogatio est idem cum oratione, & enunciatione, & aliquando differunt, 518. 2. b.
Inuentio ingenij est, facilè autem inuenire, artis, 388. 1. a.
Iris, quomodò possit esse signum naturale, & ad placitum, 185. 2. d.
Iuuentus, quomodò spectet ad prædicamentum qualitatis, & ad prædicamentum Quando, 160. 1. b.

L

Latio, siue motus localis terminatur ad Vbi, 82. 1. d.
Libertas, vel indifferentia contrarietatis, siue specificationis, & contradictionis, siue exercitij, quæ, 310. 1. b.
Libri prædicabilium obiectum, & diuisio, 45. 1. & 2. a.
Librorum posteriorum obiectum quid sit, 291. 1. d.
Librorum topicorum obiectum quid sit, 377. 1. b.
Loca syllogismi topici, quot & quæ sint, 20. 2. b.
Locus Quomodò sit, & non sit species quantitatis, 123. 1. d.
Locus, ad hoc vt sit talis, non est necesse, quòd recipiat aliquod accidens à re locata, 148. 1. d.
Locus puncti, & punctus idem sunt, 156. 1. a.
Locus topicus quare ita vocetur, 391. 1. a.
Locus topicus quid sit, ibidem 2. b.
Loci topici, communes sunt Dialectico, & Demonstratiuo, 291. 2. a. b.
Locus maxima, & locus differentia maximæ, quid sint, 392. 2. b. d.
Loci definitionis, auctoritatis, &c. Loci verò à definitione, auctoritate, &c. qui dici debeant, 393. 1. a. b.
Locus dialecticus sufficienter diuiditur in locum maximam, & locum differentiam maximæ, ibid. b.
Locus intrinsecus, extrinsecus et medius qui sint, 394. 1. a. b. c
Loci differentiæ maximæ diuisio in locum intrinsecum, &c. est analogi in sua analogata, 394. 1. d.
Loci prædicti diuisio est adæquata, ibid. 2. c.
Locus à substantia quid sit, 395. 2. d.
Locus à concomitantibus substantiam quid sit, ibid.
Loci intrinseci diuisio, est analogi in sua analogata, 396. 1. d.
Loci prædicti diuisio est adæquata, ibid.
Loci à substantia diuisio, 397. 1. c.
Loci definitionis argumenta, & maximæ, quot, & quæ sint, 397. 2. d.
Locus à definitione quid sit, 398. 1. b.
Locus à descriptione, & interpretationis cum suis reuocatis, quid sit, ibid. c.
Loci à concomitantibus substantiam diuisio, 399. 2. a.
Locus à toto vniuersali, à toto integrali, à toto in quantitate, à toto in modo, à toto in loco, & à toto in tempore, quid sint, ibid. b. & 400. 2. c.
Locus à toto vniuersali ad suam partem tenet tantùm negatiuè, à parte verò subiectiua ad suum totum, tenet tantùm affirmatiuè, 400. 2. d.
Locorum prædictorũ maximæ quot, & quæ, ib. & 401. 1. a. b.
Locus à toto integrali ad partem integrantem tenet tantùm affirmatiuè, à parte verò integrante ad suum totum, tenet tantùm negatiuè, 401. 1. b.

Locorum prædictorum maxima quot, & quæ, ibid. c. d.
Locus à toto in quantitate ad suam partem, & è contrà, à partibus ad suum totum, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè, ibid. d.
Locorum prædictorum maxima quot, & quæ, ibid. & 2. b.
Locus à genere ad speciem apud Dialecticos, & Rhetores, quid sit, 401. 2. d.
Locus à toto in modo ad suam partem, tenet tantum negatiuè, 402. 1. a.
Locus à parte in modo tenet tantùm affirmatiuè, ibid.
Locorum prædictorum maximæ, quot, & quæ, ibid. b. c.
Locus à toto in loco ad suam partem, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè, 402. 1. d.
Locorum prædictorum maxima, quot, & quæ, ibid.
Locus à toto in tempore ad suam partem, & à partibus in tempore ad suum totum, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè, 402. 2. d.
Locorum prædictorum maxima quot, & quæ sint, ibid.
Locus à causa efficiente ad suum effectum, & è contrà tenet affirmatiuè, & negatiuè, 406. 2. d.
Locorum prædictorum maximæ, ibid. & 407. 1. b.
Locus ab effectu causæ materialis, tenet tantùm affirmatiuè, &c. 407. 1. c.
Loci prædicti maxima, ibid. c. d.
Locus à causa formali ad effectum, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè, 407. 2. a.
Locorum prædictorum maximæ, ibid. b.
Locus a causa finali ad suum effectum, & è contrà, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè, 407. 2. c.
Locus à generatione ad genitum, & è contrà, tenent tam affirmatiuè, quàm negatiuè, 409. 2. d.
Locorum prædictorum maximæ, ibid.
Locus à corruptione ad corruptum, & è contrà, tenent tam affirmatiuè, quàm negatiuè, 410. 1. a.
Locorum prædictorum maximæ, ibid. b.
Locus ab vsibus ad rem vsitatam, & è contrà tenent tam affirmatiuè, &c. 411. 2. b.
Locorum prædictorum maximæ ibid.
Locus ab vno ex communiter accidentibus ad aliud, quorum vtrunque vicissim dicit necessariam, & conuertibilem habitudinem, tenet tam affirmatiuè, &c. ibid. c.
Locorum prædictorum maxima, ibid c. d.
Locus à posteriori communiter accidentium ad priùs, quæ necessariò, sed non conuertibiliter se consequuntur, tenet tantùm affirmatiuè, 411. 2. d.
Locus verò è contrà, à priori prædictorum ad posterius, tenet tantùm negatiuè, ibid.
Locorum prædictorum maximæ, ibid.
Loci extrinseci diuisio, 413. 1. b.
Locus ab oppositis quid, & quotuplex. ibid. c.
Locus a relatiuè oppositis, tenet tantùm negatiuè, 414. 1. b.
Loci prædicti maxima, ibid. c.
Locus ab oppositis contrariè contrarietate mediata, tenet tantùm negatiuè, ibid. d.
Loci prædicti maxima, ibid.
Locus ab oppositis contrariè contrarietate immediata, tenet tam affirmatiuè, &c. 414. 1. D.
Loci prædicti maxima, ibid.
Locus à priuatiuè oppositis, siue priuatione perfecta, siue imperfecta, tenet tam affirmatiuè, &c. ibid. 2. b.
Loci prædicti maxima, ibid.
Locus à contradictoriè oppositis, siue talia cōtradictoria sint termini siue propositiones, tenet tā affirmatiuè, &c. ibid. c.
Loci prædicti maximæ, ibid. c. d.
Locus à disparatis tenet tantùm negatiuè, & quæ sint illius maxima, ibid. 2. d.
Locus à maiori ad minus, tenet tantùm negatiuè, & quæ sint illius maxima, 417. 2. d.
Locus à minori ad maius tenet tantùm affirmatiuè, & quæ sint illius maximæ, ibid. & 418. 1. a. b.
Locus à simili, tenet tam negatiuè, &c. & quæ sint illius maximæ, ibid. b. c.
Locus à proportione, tenet tam affirmatiuè, quàm negatiuè, & quæ sint illius maximæ, ibid. c. d.
Locus à transumptione, tenet tam affirmatiuè, &c. & quæ sint illius maxima, 420. 1. c.
Locus ab auctoritate, tenet tam affirmatiuè, &c. & quæ sint illius maximæ, ibid. d.
Loci medij diuisio, quæ, & quotuplex, 421. 1. d.
Locus à coniugatis, & à casibus quid, ibid. 2. b. c. d.
Locus a coniugatis, tenet tam affirmatiuè, &c. 422. 1. d.
Locus a casibus, tenet tam affirmatiuè, &c. 422. 2. a.
Locorum prædictorum maxima, ibid. 1. d. 2. a. b.
Locus à diuisione, tenet tam affirmatiuè, &c. & quæ sint illius maximæ, 425. 1. a. b.
Loca dialectica, problemata accidentis absoluta terminatiua, vnde sumantur, 427. 1. c.
Locus præcipuus ad terminanda problemata absoluta accidentis, est locus à distinctione attributorum, qui reducitur ad locum à diuisione, 428. 2. b.
Loca tam intrinseca, quàm extrinseca, & media pro terminandis problematibus contractis, & comparatis de accidente, quomodò, & vnde sumantur, 438. 1. a.
Locus dialecticus, & sophisticus, quomodò inter se conueniant, & non conueniant, 491. 2. a.
Locus sophisticus maxima, & differentia maxima, quid sit, ibid. b.
Logica, à quibus Dialectica nominata sit, 24. 1. a.
Logica naturalis, & artificialis, quæ, ibid. 2. d.
Logica artificialis datur in rerum natura, 25. 1. a.
Logica obiectum materiale, est ens reale, 26. 1. d.
Logica obiectum formale est ens rationis, 27. 1. a.
Logica docens, & vtens quid sint, 32. 1. d.
Logica vtens intelligitur pro vsu actiuo, ibid.
Logica docens procedit scientifico modo, ibid. 2. a.
Logica docens reperitur indifferenter in omnibus partibus sui obiecti, ibid.
Logica vtens non habet locum respectu partis demonstratiuæ, sed tantùm topica, ac sophistica, 33. 1. a.
Logica docens, & vtens, sunt idem realiter habitus, 34. 1. c. & 35. 1. c.
Logica docens, & vtens, habent diuersa obiecta, & principia in esse rei, non verò in esse scibilis, 35. 1. a.
Logica docens, quoad omnes suas partes est scientia, 36. 1. b.
Logica vtens, entitatiuè est scientia, non autem formaliter, 36. 2. c.
Logica quid sit, 37. 2. a.
Logica simpliciter, & absolutè, est tantùm scientia speculatiua, 39. 1. a.
Logica, analogicè appellatur ars, & practica, ibid. d.
Logica, quomodò sit pars philosophiæ, 40. 1. b. c.
Logica est simpliciter necessaria, ad acquirendas scientias perfectè, 41. 1. c.
Lux fit per mutationem Instantaneam, 141. 1. d.

M

Magis, & minùs suscipere, quid propriè sit, 112. 1. c.
Magis, & minùs suscipere, est idem, ac intendi, & remitti, 234. 1. b.

Ma-

Magnitudines commensurabiles, quæ sint, 91. 1. d.
Maior, & minor propositio, quid sint, 16. 2. c.
Maius extremum quid sit, ibid.
Materia propositionis, quæ, & quotuplex, 9. 1. a.
Materia singularis, sensibilis, & intelligibilis, quæ, 343. 1. c. d.
Materia, quantitate signata, quot modis intelligi possit, & quomodò sit primum principium, & prima radix indiuiduationis, 471. 2. a. b. c. d.
Materia prima sine sigillatione quantitatis, est materia communis, 472. 2. a.
Medicina subalternatur Philosophiæ, 351. 2. a. b.
Medicus incipit vbi desinit Philosophus, ibid. B.
Medius terminus quid sit, 16. 2. c.
Medij inuentio quid sit, 22. 2. c. d.
Medium, quo scientia probat suas conclusiones, est ratio sub qua obiecti, 32. 2. c. d.
Media conclusionis necessaria debent esse realia, topicæ verò, & sophisticæ, sufficit quod sint rationis, ibid. d.
Medium nullum datur inter contradictoriè opposita, 171. 2. b
Medium, quando obtineat nobiliorem locum in præmissis, 273. 1. c.
Medij diuersa sedes in præmissis, quando arguat diuersitatem figurarum, 276. 1. d. 2. a.
Medius terminus in aliqua præmissarum debet supponere distributiuè, ad hoc vt syllogismus rectè concludat, ib. 2. d.
Medius terminus, non debet distribui in conclusione, qui non fuerit distributus in præmissis, 277. 1. b.
Medium, quomodo valeat, & non valeat intrare in conclusionem, ibid. 1. d.
Medium demonstrationis potissimæ est definitio quid rei subiecti, 298. 1. d.
Medium non datur inter primam passionem subiecti, & ipsum subiectum, 316. 2. a.
Medium in præmissis demonstrationis debet habere necessariam connexionem cum subiecto, & proprietate, 330. 2. d.
Medium, subiectum, ac proprietas demonstrationis, debent esse eiusdem generis scientiæ, ibid.
Mensura est passio quantitatis, 123. 1. d.
Meta quid, & quotuplex, 489. 1. b. c. d.
Metæ sophisticæ diuisio est adæquata, ibid. 2. c.
Metæ prædictæ diuisio est analogi in sua analogata, ibid. d.
Meta non loqui, quid sit, & ad quam reducatur metam, 490. 1. d.
Metaphora, quando habeat obscuritatem, & quando non, & quæ nam sit optima, 392. 1. a. b.
Methodus comprehenditur sub modo sciendi latè sumpto, 30. 2. b.
Methodi varia nomina, & quid sit, 43. 2. d.
Methodus naturalis, arbitraria, & artificiosa, quæ nam sint, ibidem.
Methodus compositionis, quæ, & quot modis contingat, 44. 1. a.
Methodus resolutionis, quæ, & quot modis contigat, ibid. b.
Methodus resolutionis accommodata est ad scientias inueniendas, ibid. c.
Methodus compositionis, accommodata est ad disciplinas tradendas, ibid. 2. a.
Methodi compositionis regulæ, ibid. b.
Minus extremum quid sit, 16. 2. c.
Modalium oppositarum tabula secundùm Philosophum, 244. 1. d.
Modales de obiecto, seu dicto communi, ad hoc vt opponantur, quomodò ipsum dictum habere debeant, ib. 2. d.
Modales opposita de dicto, & de modo, maximam habent oppositionem, 245. 1. a.
Modales tot modis opponuntur, quot categoricæ simplices, ibidem.
Modales de contingenti secundùm se, possunt conuerti in oppositam qualitatem, non verò de contingenti communi, 245. 1. d.
Modalium æquipollentia, quomodò fiat per regulam negationis, 246. 1. a. b. c.
Modales omnes opposita, exceptis subcontrarijs, possunt fieri æquipollentes, ibid. d.
Modalium propositionum, aliæ sunt oppositæ formaliter, aliæ æquipollenter, ibid. 1. b.
Modalium æquipollentia non potest fieri in subalternis ex parte propositionis particularis negatiuæ, benè tamen ex parte vniuersalis negatiuæ, 246. 2. c.
Modales, quæ non sunt opposita formaliter, sed tantùm æquipollenter, nequeunt per regulam negationis fieri æquipollentes, ibid. 2. d.
Modalis vniuersalis de necesse quando est negatiua debet conuerti simpliciter, 255. 1. d.
Modalis vniuersalis affirmatiua de necesse, debet conuerti per accidens, ibid. 2. c.
Modalis particularis affirmatiua de necesse debet conuerti simpliciter, ibid.
Modalis particularis negatiua, propriè, ac rigorosè non conuertitur, ibid. d.
Modalis vniuersalis negatiua de necesse, etiam conuertitur per accidens, 256. 2. a
Modales omnes de contingenti rigorosè accepto, efficiunt sensum copulatiuum, idest tam affirmatiuum, quàm negatiuum, ibid. d.
Modalibus de contingente rigorosè accepto, opponuntur modales de necesse, & de impossibili, 257. 1. a.
Modales de contingente rigoroso, quando sunt vniuersales negatiuæ, non conuertuntur simpliciter, sed tantùm per accidens, ibid. b.
Modales particulares negatiuæ de contingente rigoroso conuertuntur simpliciter, ibid. 2. b.
Modales, quando habent subiectum dicti superius prædicato, nequeunt conuerti, & quare, 257. 2. d.
Modales vniuersales negatiuæ de contingente, quare non conuertantur simpliciter, 258. 1. a. b. c.
Modales de impossibili, eodem modo conuertuntur, ac modales de necesse, & quare, ibid. 2. d.
Modi sciendi quot, & qui sint, 7. 1. b.
Modus sciendi quid sit, ibid. 1. c.
Modi propositionis quot, & qui, 12. 1. d.
Modi syllogismorum quot, & qui, 17. 1. c.
Modi concludentes directè, & indirectè qui, ibid. d.
Modorum syllogismorum regula, ibid.
Modi prioris, quot, & qui sint, 82. 1. b.
Modi simul, quot, & qui sint, ibid. c.
Modi posterioris, quot, & qui, ibid. c.
Modi habendi quot, & qui, 82. 2. a. b.
Modi syllogistici diuisiones, 272. 2. c.
Modi vtiles, & inutiles quot, & qui, ibid.
Modi syllogismorum vsque ad 48. numerari possunt, 280. 1. b
Modi vtiles syllogismorum sunt rectè assignati, ibid.
Modi indirectè concludentes, quare tantùm assignentur in prima figura, 281. 1. a.
Modi indirectè concludentes vtiles, etiam assignari possunt in 2. & 3. figura, ibid. & c.
Modi figuræ Galeni, quando vtiles, & non vtiles sint, 281 2. b.
Modi

Modi dicendi per se, quot, & qui sint, 326. 2. a.
Modorum prædictorum definitiones, quomodò sint intelligendæ, 328. 1. a.
Modus sciendi rigorosè acceptus quid sit, 456. 1. a.
Motus species, quot, & quę, 82. 1. c.
Motus localis terminatur ad vbi, ibid.
Motus rei perfectę, & imperfectę quid sit, 177. 1. d.
Motus species sunt rectè assignatę, ibid. 2. a.
Motus obliquus, naturalis, violentus, & rectus, non sunt species motus, sed accidentia, 178. 1. a.
Multiplex est priùs distinguendum, quàm definiendū, 171. 1. a.
Multiplicis distinctio, est instrumentum abundandi in syllogismo dialectico, 389. 1. d.
Multiplicis distinctio quando ad Dialecticum, & quando ad Sophistam pertineat, ibid 2 d.
Multiplex triplex est, & quale, 492. 1. b.
Muti quare etiam sint surdi, 191. 1. b.
Muti aliquando non sunt surdi, & quare, ibid.

N

Necessarium simpliciter, & secundùm quid sint, 40. 2. b.
Necessitas consequentię, & consequentis, quid, quid sint, 208. 2. b.
Necessitas contrarietatis, seu specificationis, & contradictionis, seu exercitij, quę sint, 309. 2. d.
Necessitas quoad exercitium duplex, 310. 2. b.
Necessitas absoluta, tollit omnem libertatem; necessitas verò ex suppositione, nequaquam, ibid.
Necessarium simpliciter & ex suppositione, quid 325. 1. c
Negatio, quid sit, 29. 1. b.
Negatio negantèr, & infinitanter quid sit, 206 2. d.
Negatio, quare malignantis dicatur naturę, 207. 1. a.
Negatio apposita verbo in propositione, accipitur negantèr, 214. 2. a.
Negatio tantùm negat, quæ inuenit post se, non verò, quæ inuenit ante se, 225 2. c. d.
Nomen, quid sit, 6. 1. d.
Nomina infinita, quę sint, ibid. 2 b.
Nomina primę intentionis, quæ, 48. 2. d.
Nomina secundarum intentionum tam in concreto, quàm in abstracto, quæ sint, 52. 2. a.
Nomina secundæ intentionis considerata in abstracto, non prædicantur de nominibus primæ intentionis, nec in concreto, nec in abstracto, ibid. b.
Nomina secundæ intentionis accepta in concreto, prædicantur de nominibus (substantialiter tamen) primæ intentionis in concreto sumptis, non autem in abstracto, ibid c.
Nomina secundę intentionis accepta in concreto, prędicantur de nominibus (accidentalibus tamen) primę intentionis acceptis in abstracto, non autem in concreto, ibid. d.
Nomina prima, & secundę intentionis naturę particularis, qua, 68. 2. d
Nomina vniuoca, æquiuoca, & denominatiua, quæ sint, 82. 2. c.
Nomina vniuoca immediatè significant rationem communem, æquiuoca verò rationes proprias suorum æquiuocorum, 83. 2. d.
Nomina, quę de Deo dicuntur non sunt synonyma, sed specie distincta, & quomodò, 203. 1. b.
Nomen, quomodò à verbo essentialiter distinguatur, 203. 1. d.
Nomina mentalia, & scripta non comprehenduntur sub definitione nominis, 205. 2. c.
Nominis definitio est optima, 206. 1. d.
Nomina infinita, & obliqua, quomodò possint esse, & non esse subiectum enunciationis, 206. 2. c.
Nomen infinitum, non relinquit suum significatum in eo statu in quo erat, sed mutat in oppositū, 207. 2. a
Nominis officium, est esse notamen rei, ibid. b.
Nomen infinitum, æquipollet propositioni affirmatiuę, 207. 2. d.
Nomina transcendentia infinitari possunt, 208. 2 c. & 209. 1. a.
Nomen infinitum particulare, & limitatum vniuocè dicitur tam de entibus, quàm de nō entibus, 209. 1. b. c.
Notitia sensitiua, & intellectiua, quæ, 291. 1. b.
Numerus transcendentalis, & prędicamentalis, qui sint, 119. 2. d.
Numerus, in quo fundantur relationes reales, qualis debeat esse, 130. 1. b.
Numerus est ens reale, 233. 1. b. c.
Numerus quid sit, 166. 2. d.
Numerus, & punctus, licèt conueniant in ratione quantitatis, discrepant verò in ratione mensuræ, 346. 2. d.
Numerus vt sonorus est, spectat ad tertiam speciem qualitatis, nempe ad passibilem qualitatem, 352. 2. a.

O

Obiectum, subiectum, & materia circa quam, quid sint, 25. 2. d.
Obiectum formale, & materiale quid sint, 26. 1. a.
Obiecti ratio quæ, & ratio sub qua, quid sint, ibid. b.
Obiectum adęquatum, inadæquatum, principale, & minùs principale quid sint, ibid.
Obiecti adæquati principalis, quot, & quæ conditiones sint, ibid. c.
Obiectum scientię, quæ requisita habere habeat, 28. 1. d.
Obiectum formale Logicæ quid sit, 27 1. a. & 30. 2. b.
Obiectum materiale Logicæ quid sit, 31. 1. d.
Obiectum scientię, est finis proximus illius, 42. 2. c.
Obiectum libri prædicabilium quid sit, 45. 1. b.
Obiectum motiuum & terminatiuū, quid sint, 182. 1. b
Obiectum librorum Peribermenias, quid sit, 180. 2. a.
Obiectum librorum Prædicamentorum, quid sit, 80. 2. b.
Obiectum librorum Priorum, quid sit, 248. 1. b.
Obiectum librorum Posteriorum quid sit, 291. 1. d.
Obiectum librorum Topicorum quid sit, 377. 1. b.
Obiectum librorum Elenchorum, quid sit, 485. 2. a.
Obiecti ratio sub qua comprehendit tum abstractionem à materia, tum media, seu principia, per quę procedit scientia, & etiam lumen, 345. 2. b.
Operationes intellectus, quot, & quæ sint, 1. 2. a.
Opinio, quid sit, 35. 2. a. & 355 2. d.
Opinio semper est cum formidine de opposito, 312. 1. d.
Opinio ex fide humana, quomodo generetur, 352. 2. c. d.
Opinio potest reperiri sine formidine actuali, non autem radicali, 356. 2. d.
Opinio potest reperiri absque formidine radicali formaliter accepta, non verò materialiter, 357. 1. a.
Opinio distinguitur essentialiter à scientia per formidinem radicalem, ibid. b.
Opinionis de essentia, non minus est formido, quàm de-

terminatio ad alteram partem, 357. 1. d.
Opinio nequit simul stare cum scientia, etiam si consideretur, vt praescindit ab actuali formidine, & incertitudine, 359. 2. b. c.
Oppositio categoricarum quid sit, 10. 1. b.
Oppositionis categoricarum regula, ibid. c. d. & 11. 1. c.
Oppositio categoricarum quotuplex, ibid. 2. a.
Oppositiones categoricarum, quae sint, ibid.
Oppositio subalterna, non est propriè oppositio, 10. 2. a.
Oppositio signorum mistorum, quae, & quotuplex, ibid. c.
Oppositio coniunctionum, quae, & quotuplex, ibid. c. d.
Oppositio terminorum numeralium, quid, & quotuplex sit, 11. 1. b.
Oppositionum omnium propositionum regula, ibid. c.
Oppositorum genera, quot, & quae sint, 82. 1. a.
Oppositorum contrariè conditiones, & proprietates, ibid.
Oppositio contradictoria est omnium maxima, & in omnibus alijs oppositionibus imbibitur, 234. 2. a. & 173. 1. d.
Oppositionis definitio est optima, 168. 1. c. d.
Oppositionis definitio, tam in concreto, quàm in abstracto, quomodò sit formanda, ibid.
Oppositio disparata, quae sit, 168. 1. a.
Oppositionis diuisio est analogi in sua analogata, 169. 1. b.
Oppositio relatiua, quae sit, ibid. 2. b.
Oppositio contraria, quae sit, ibid. c.
Oppositionis relatiuè definitio est bona, 170. 1. c. d.
Oppositionis contrariae definitio est bona, ibid. d.
Oppositio priuatiua, quae sit, 171. 1. c.
Oppositio contradictoria, quae sit, ibid.
Oppositionis priuatiuae definitio est bona, ibid. 2. c. d.
Oppositionis contradictoriae definitio est bona, ibid. d.
Oppositorum eadem est ratio, & disciplina, 176. 1. b.
Oratio, quid sit, 6. 2. c. d.
Oratio mentalis non est vna simplex qualitas, 220. 1. c. d.
Oratio de infinito, est distinguenda, 500. 2. c.
Oratio multiplex semper est distinguenda, 521. 2. d.
Oratio per quid distinguatur à nomine, & a verbo, 204. 2. a.
Orationis definitio explicatur, 216. 1. b. c. d.
Ordo syllogismorum reducendorum, 19. 1. d.
Ordo seruandus, quando in vnico syllogismo contingunt plures reductiones, ibid. 2. d.

P

Paradoxum quid sit, 489. 1. d.
Paralogismus quid sit, 485. 1. b. c.
Pars non potest verè praedicari de toto, 149. 1. b. c.
Partes aliquotae, quae sint, 91. 1. a.
Partes habere extra partem, quid sit, 120. 1. c.
Passio, & proprietas rei, nequit illi conuenire per non repugnantiam, 72. 1. a.
Passionis proprietates, quot, & quae, 81. 2. d.
Passio, ratione cuius fundatur relationes praedicamentales, qua is debeat esse, 130. 1. c.
Passio, & passibilis qualitas, quid sint, 140. 1. b. c.
Passionis definitio in concreto, & in abstracto, 151. 1. a.
Passiones spectantes ad praedicamentum, quae, 151. 2. b.
Passiones, quae per accidens non producuntur ex vera actione, sunt tamen de praedicamento, ibid. c.
Passio vnde sumat speciem, & distinctionem, 151. 2. d.
Passionis definitio est bona, ibid.
Passionis diuisio in substantialem, & accidentalem est adaequata, generisque in suas species, 152. 1. b.
Passionis 3. & 4. proprietas sunt 4. modo, ibid. 2. a.
Passionis proprietas, quomodò sit inferri ab agente, 153. 2. b. c.
Passionis arbor, 154.
Passiones plures, quando proueniunt ab eadem essentia qualem seruent ordinem, 331. 1. c.
Passiones essentialiter ad inuicem subordinatae, nulla ipsarum potest esse causa tota, & adaequata alterius nisi cum alijs, & cum essentia, à qua fluunt concipiatur, 369. 1. d. & 2. a.
S. Paulus, quare videndo D. essentiam non fuerit appellatus beatus, 143. 2. d.
S. Paulus, quomodò in raptu habuerit fidem cum euidentia, 361. 1. b.
Petitio principij statim, & non statim quid sit, 512. 2. d.
Petitio principij quando contingat, 323. 2. c.
Petitio principij secundùm veritatem, & secundùm opinionem quid sit, 513. 1. c.
Philosophia, quid, & quotuplex sit, 40. 1. b.
Pondus non est qualitas, sed quantitas, 125. 2. d.
Ponderis non conuenit esse aequale, vel inaequale per se, ibidem.
Positio quid, 292. 1. a. 316. 1. c. & 383. 2. b. c. d.
Positio quotuplex, 292. 1. b.
Posterioris modi, quot, & qui sint, 82. 1. c.
Postpraedicamenta vnde dicantur, 167. 1. a.
Postpraedicamenta quid sint ibid.
Postpraedicamenta quot sint, ibid. b & 80. 1. c.
Potentia naturalis in ratione qualitatis, quia sit, 140. 1 b.
Potentia non est capax habitus nisi per ordinem ad obiectum, circa quod potest habere operari, 311. 1. c. d.
Potentia naturalis secundum se non est capax habitus, ibidem.
Potentia naturalis, vt subditur voluntati, si non est necessaria necessitate absoluta, est capax habitus, 311. 1. d.
Potentia dum extenditur ad diuersa obiecta materialia, est tamen vna simplex qualitas, 339. 2. c.
Praxis quid sit, 37. 2. c. d.
Praxis essentialiter est in voluntate, extensiuè etiam in intellectu, 38. 1. a.
Praecognitiones, & praecognita, quae, & quot, 296. 1. a. b.
Praecognitiones in genere, & in specie, quot, ibid. 2. c. d.
Praecognoscendum est de subiecto an sit, & quid sit, 297. 1. b. c.
Praecognoscendum est de subiecto per se loquendo an sit rei in aptitudine, licèt per accidens, etiam an sit rei in actu, 298. 1. a. b.
Praecognoscendum est de subiecto tantùm quid nominis in demonstrationibus quia, ibidem 2. a.
Praecognoscendum est de principijs tantùm an sint vera, non verò quid sint rei, licèt praecognoscendum sit quid sit nominis, 299. 2. d.
Praecognoscendum est de passione tantùm quid nominis, non verò quid rei, neque an sit, 300. 1. a.
Praedicabilitas est passio à secunda intentione naturae vniuersalis proueniens, 47. 1. d.
Praedicabilitas quid sit, ibid. 2. d.
Praedicatio quid sit, 48. 1. a.
Praedicatio identica, disparata, & media, quae sint, ibidem b.
Praedicatio directa, & indirecta, quae sint, ibid. c.
Praedicatio essentialis, & accidentalis, quae sint, ibid. d.
Praedicationis in concreto sunt directae, in abstracto verò disparatae, 48. 2. c.
Prae-

Prædicationes, quæ pertinent ad prædicabilia, debent esse entium per se, & completorum, 50. 2. c.
Prædicabilia sunt tantùm quinque, 54. 2. a. b.
Prædicabilium in definitionibus, quid ponatur loco generis, 64. 1. a.
Prædicabilia dum definiuntur in abstracto, quid in eorum definitionibus ponatur loco generis, ibid. b. & d.
Prædicatio æqualis de æquali, aptissima est ad demonstrationem, 73. 2. a.
Prædicamentum, quid sit, 107. 1. d.
Prædicamentorum numerus, tantùm probabiliter habetur, 108. 2. d.
Prædicamenta sunt tantùm decem, & quare, 109. 1. a. b.
Prædicamenta sex vltima, non sunt puræ denominationes extrinsecæ, 147. 2. a.
Prædicamenta prædicta sunt absoluta, non autem relatiua, nisi secundùm dici, 149. 1. c. d.
Prædicatum vniuersale, quas conditiones postulet, 528. 1. c. d
Prædicatorum vniuersalium regula, 329. 1. b.
Prædicatum dialecticum, tres conditiones habere debet, 378. 1. d.
Prædicati dialectici annexa, quæ sint, 378. 2. a. b. & 381. 1. c
Prædicatum dialecticum quid sit, 378. 2. b.
Prædicabile, prædicamentum, & prædicatum dialecticum, quomodò inter se differant, 378. 2. b.
Prædicati dialectici definitio est bona, licèt sit descriptiua, 379. 1. a.
Prædicata dialectica, quot, & quæ sint, ibid. a. b.
Prædicati dialectici annexum quid sit, 380. 1. d.
Prædicati dialectici annexa tres conditiones habere debent, ibid. 2. a. b.
Prædicata dialectica omnia præter proprium habent annexa, & quare, ibid. 2. c.
Prædicatum accidentis contractum, & comparatum, potest esse indifferenter tam substantia, quàm accidens, 433. 1. c. d.
Prædicatum accidentis contractum, & comparatum, vnde sumuntur loca ad terminandum eiusdem problema, potest esse omne id, quod magis sapit rationem boni, siue finis, siue medium fuerit, 436. 2. d.
Prædicatum generis vnde loca dialectica terminatiua eiusdem problema sumi solent, non prædicatur de speciebus per modum partis, sed tantùm per modum totius. 440. 2. c. d
Prædicati proprij subiectum, est tantùm accidens proprium, 449. 1. d.
Prædicati proprij subiectum denominationis, qualia requisita habere debeat, ibid. 2. c.
Prædicati dialectici definitio, quomodò intelligenda sit, 451. 1. b.
Prædicatum definitionis quid rei, est benè definitũ, 454. 2. c. d
Prædicatum definitionis quid nominis, est benè definitum, 455. 1. a. b.
Prædicatum definitionis non debet formaliter includere rem definitam, 460. 1. d.
Prædicati definitionis loca tam constructiua, quàm destructiua, non minùs sumi possunt ex parte definitionis, quàm ex parte rei definitæ, 463. 1. d.
Prædicatum definitionis difficillimum ad construendum, facillimum ad destruendum, 470. 1. c. d.
Prædicatũ de eodem, & diuerso numero vnde sumuntur loca dialectica ad terminandũ eiusdem problema, dicitur de ijs tantùm, quę eandem numero participant materiã, 472. 1. c
Prędicatũ de eodẽ, & diuerso, siue specie, siue genere, affirmari potest de natura tam sub statu abstractionis compositæ, quàm simplicis, 473. 2. d.
Prædicatum de eodem, & diuerso specie, aut genere affirmari potest de natura sub statu abstractionis simplicis, saltem negatiuè, & per non repugnantiam, ibid.
Prædicatum de eodem, & diuerso genere, aut specie, potest affirmari à parte rei de natura indiuiduali, 474. 2. c.
Prædicatum de eodem, & diuerso genere, aut specie, non intelligitur de genere, aut specie logicè sumptis, sed metaphysicè, 475. 1. d.
Præmissarum ambo assensus, debent simul tempore existere cum assensu conclusionis, non autem simul natura, 308. 1. b. c.
Præmissæ immediatè necessitant intellectum ad conclusionem directam, mediatè verò etiam ad conclusionem indirectam, 311. 2. b.
Præmissæ omnes debent habere maiorem certitudinem, & euidentiam, quàm habeat conclusio, & quare, 323. 1. d.
Præmissę demonstrationis debent esse de omni, & per se, 327. 1. d.
Præmissa causa, & præmissa non causa, quę, 517. 1. a.
Principia, quibus innititur ars syllogistica, quæ, 18. 1. c. d.
Principia prædicta, sunt entia rationis, 27. 2. a. b.
Principia, notiora sunt conclusione, 292. 1. b. c.
Principia cognoscendi, & cognoscendi, & essendi, quæ sint, 299. 2. b.
Principia cognoscendi, & essendi, non semper præcognoscuntur, sed aliquando probantur, licèt à posteriori, ibid.
Principia scientiæ subalternatæ probantur à scientia subalternante, 300. 1. b. c.
Principia debent existere non per modum habitus, neque per modum recordationis eodem tempore cum conclusione, 308. 1. b. c. d.
Principia, quomodò dicantur, & non dicantur, ipsa conclusione veriora, 315. 1. a.
Principia vnde sumant vnitatem, & distinctionem specificam, 340. 2. b. c.
Principia prima, tantùm probantur à Philosopho elenchicè, non autem demonstratiuè, vel topicè, 387. 1. c. d.
Prioritatis modi, quot, & qui sint, 82. 1. b.
Primum cognitum quid sit, 98. 2. c.
Prioritatis modi, quos assignauit Philosophus in metaphys., totidem sunt, ac illi, quos assignauit in libro prædicamentorum, 174. 2. d.
Prioritas naturæ, quomodò sit explicanda, 175. 1. b.
Prioritatis modi, rectè sunt assignati, ibid. c.
Prioritas originis, est prioritas à quo, 175. 2. d.
Prioritas originis non pugnat cum simultate naturæ, neque cum æternitate, ibid.
Prioritas analogicè dicitur de omnibus prioritat., 176. 1. a.
Problema, quid sit, 20. 2. a.
Problemata dialectica, quot modis fiant, 55. 1. c.
Problemata dialectica quot modis proponi possint, 305. 1. a.
Problema, & propositiones dialecticæ, quot, & quæ, ibi. 1. c. d.
Problema accidentis, & simplicis inhærentiæ, quid, 385. 1. b. & 429. 2. a.
Problemata accidentis absoluta, quomodò per locum à distinctione attributorum terminentur, 430. 1. c.
Problemata comparata, circa quas comparationes versentur, 431. 1. c.
Problema contractũ, & problema comparatũ, quid sint, ib. d.
Problemata de prædicato accidentis annexo, quæ, 431. 2. d.
Problematis dialectici definitio, quæ, 383. 2. a.
Problema, propositio, & positio se habent ad inuicem, vt superiùs, & inferiùs, 383. 2. b.
Problematis dialectici conditiones, quot, 384. 1. a.

Problema generis, quomodò per omnia loca terminandum sit, 447. 1. b.
Problema proprij, quomodò per loca terminandū sit, 452. 2. b
Problemata definitionis quomodò terminanda sint, 469. 2. b.
Problemata omnia per singula loca terminari possunt, seruata debita proportione, ibid. c. d.
Problema accidentis vniuersalis, facilius ad destruendum, secus verò ad construendum; è contrà verò problema accidentis particularis, 470. 1. d.
Problema de eodem, & diuerso, quomodò per omnia loca sit terminandum, 477. 2. d.
Proportio dupla, quæ sit, 88. 1. c.
Proportio inæqualitatis, quid sit, 89. 1. a.
Proportionalitas prædicatorum, quas conditiones habere debeat, 90. 1. c. d.
Proportio quid sit, 90. 2. d.
Proportio irrationalis, quæ sit, 91. 1. a.
Proportio rationalis, quæ sit, ibid. c.
Proportio æqualitatis, quæ sit, ibid. d.
Proportio inæqualitatis, quæ sit, ibid.
Proportio inæqualitatis excedentis, quæ sit, ibid.
Proportionum inæqualitatis excedentis diuisiones, 91. 2. a.
Proportio inæqualitatis excessæ quid, & quæ ipsius species, ibidem c.
Proportionalitas quid sit, ibid. c. d.
Proportionalitas respicit quatuor terminos, ibid. d.
Proportiones omnes super particulares mensurantur per sesquialteram, 92. 1. b.
Proportiones omnes multiplices mensurantur per duplam, & hæc per vnitatem, ibid.
Proportionalitas quomodò explicetur, 132. 1. a.
Propositiones necessariæ, quare dicantur absolui à tempore, 4. 1. a.
Propositiones de præterito, & de futuro sunt veræ, quia de præsenti possunt esse veræ. 6. 2. c.
Propositionis definitio tam essentialis, quàm accidentalis, quæ, 217. 2. a
Propositionis proprietates, quæ, 10. 1. b.
Propositio simplex, & categorica, quæ, 8. 2. c.
Propositio composita, seu hypothetica, quæ, ibid. d.
Propositionis materia, quæ, & quotuplex, 9. 1. a.
Propositionis quantitas, & qualitas, quæ, ibid. b.
Propositionis categoricæ diuisiones, ibid. c.
Propositio in materia remota, & impossibili non est eadem, ibid. c. d.
Propositio categorica vniuersalis, indefinita, particularis, & singularis, quæ sint, ibid. a.
Propositionis hypotheticæ diuisio, 9. 2. c.
Propositionum hypotheticarum regulæ concernentes oppositionem earundem, 11. 1. c.
Propositiones subcontrariæ, nequeunt fieri æquipollentes, 11. 2. b.
Propositio modalis, quæ sit, & quotuplex, 12. 1. d. & 2. a
Propositionum modalium regula, 12. 2. b. c. d.
Propositionum modalium proprietates, ibid. 2. d.
Propositiones modales de dicto, & de modo, 13. 1. b.
Propositio exponibilis, quæ, & quotuplex, 14. 1. c. d.
Propositionis diuisio essentialis, & accidentalis, 29. 2. d. & 106. 2. a.
Propositio, non potest esse negatiua, nisi negatio adiuncta verbo sumatur negantèr, 214. 2. a.
Propositio eadem permanens non potest transire de affirmatiua in negatiuam, nisi materialiter, 222. 1. b.
Propositionum oppositionis diuisio, est analoga, ib. 2. d.
Propositiones oppositionis de lege, & de modo, 223. 1. d.
Propositiones oppositæ secundùm dictionem, sunt oppositæ secundùm affirmationem, & negationem, 224. 2. c
Propositionum contrariarum, & subcontrariarum tam de lege, quàm de modo, vera structura, 226. 2. d. & 227. 1. a. b. c.
Propositiones indirectæ, quæ sint, 228. 2. c.
Propositiones in materia necessaria, & impossibili, sunt determinatè veræ, aut falsæ, 229. 1. b. c
Propositiones contingentes de præterito, & de præsenti, sunt determinatè veræ, aut falsæ, ibid. d.
Propositio de præterito ad hoc vt sit vera, quid postulet, 230. 1. d.
Propositio contingens de præsenti, quomodò sit determinatè vera, ibid. 2. b. c.
Propositio contingens de futuro est vera, aut falsa tantùm contingenter, ibid.
Propositiones necessariæ, & impossibiles, nullo modo possunt mutari de veris in falsas, & è contrà, 230. 2. d
Propositiones tam de præsenti, quàm de præterito certam temporis partem significantes, non possunt successiuè mutari de veris in falsas, & è contrà, 231. 1. c.
Propositiones de præterito, tam certam, quàm incertam temporis partē consignificantes, successiuè non possunt mutari de veris in falsas, & è contra, ibid.
Propositio tam de præsenti, quam de præterito, confusam, siue certam temporis partem consignificans, vno numero permanens, potuit ab initio mutari de vera in falsam, & è contra, 232. 1. c. d
Propositio de præsenti indeterminatā partem temporis consignificans, eadem numero permanens, potest successiuè de vera in falsam mutari, ibid. 2. d.
Propositiones de futuro contingenti, post diuinum decretum, sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ, 235. 1. b. c.
Propositiones de futuro contingenti, ante diuinum decretum non sunt determinatè veræ, nec determinatè falsæ, 236. 1. c.
Propositionis de futuro contingenti obiectum, non est decretum efficax diuinæ voluntatis, sed existentia rei futuræ, 237. 2. a
Propositio hypothetica conditionalis quando vera ex vi illationis, & quando non, 238. 2. b. c.
Propositionis hypotheticæ per se, & ratione sui, tantùm opponuntur contradictoriè, ibid. d.
Propositionis hypotheticæ coniunctiuæ negatiuæ, ad veritatem quid requiratur, 239. 1. b. c.
Propositionis hypotheticæ disiunctiuæ ad veritatem, quid requiratur, ibid. 2. a.
Propositionis hypotetica conditionalis ad veritatem, quid requiratur, ibid. b.
Propositiones duæ negatiuæ æquipollent affirmatiuæ, sed non è contrà, 240. 2. d.
Propositiones subcontrariæ, nequeunt fieri æquipollentes, ibid. 1. d. & 2. a. b. c. d.
Propositio affirmatiua de prædicato infinito, non potest æquipollere negatiuæ de prædicato finito in prædicatis compositis, & quare, 242. 1. b.
Propositiones prædictæ, quando possint fieri æquipollentes, ibid. b. c. & 2. b. c.
Propositiones hypotheticæ contradictoriæ, tantùm possunt fieri aliquo modo æquipollentes, 243. 2. c.
Propositionum modalium oppositarum tabula Aristotelica, 244. 1. d.
Propositio de tertio adiacente in materia conting. debet supponere exist. subiecti, 265. 1. a.

Pro-

Propositionis copulatiuæ ad veritatem, aut contingentiam, quid requiratur, ibid. b.
Propositio exclusiua, quid sit, 278. 2. b.
Propositio per se nota, quæ nam sit, 316. 1. b.
Propositionis necessariæ conditiones, 326. 1. c.
Propositio dialectica optimè definitur, 382. 1. c. d.
Proprium tantùm quarto modo, constituit quartum prædicabile, 75. 1. c.
Proprium, quomodò constituatur in esse vniuersali, 76. 1. d.
Proprietas potest à priori demonstrari de essentia, 76. 2. d.
Proprietas priùs conuenit essentiæ, quàm indiuiduis, 115. 2. b
Proprietates terminorum quot, 3. 2. a. b.
Proprium, vt quartum prædicatum, & vt quartum prædicabile, quid sit, 450. 2. b. c.
Proprietas fundat duas relationes rationis, 451. 1. d.

Q

Quæstiones rerum, quot, & quæ, 362. 1. c.
Quæstiones dialecticæ, quot sint, 385. 1. c. d.
Quæstiones accidentis, & simplicis inhærentiæ sunt idem, ibidem b.
Qualitas propositionis, quæ sit, 9. 1. b.
Qualitas tam in abstracto, quàm in concreto, 81. 2. c.
Qualitatis species quot sint, ibid.
Qualitatis proprietatis quot, ibid. d.
Qualitas tantùm habet propriè contrarium, 133. 2. c. d.
Qualitatis definitio est bona, 139. 1. d.
Qualitatis diuisio est adæquata, 141. 1. a. b.
Qualitatis diuisio est generis in suas species, 143. 2. b.
Qualitatis tertia proprietas tantùm est quarto modo, 144. 2. a.
Qualitatis Arbor, 145. & 146.
Qualitatis intensio, & extensio, quomodò fiat, 339. 1. b. c.
Quando definitio est bona, 159. 1. b.
Quando diuisio, quæ sit essentialis, ibid. c.
Quando proprietates, sunt rectè assignatæ, & quæ conueniat illi quarto modo, ibid. 2. b.
Quando Arbor, 161.
Quantitas propositionis, quæ, 9. 1. b.
Quantitatis diuisio, 81. 1. d.
Quantitatis proprietates, quot, & quæ, ibid. 2. a.
Quantitas, adæquatè, & completè diuiditur duplici diuisione, & quæ sint, 105. 2. d.
Quantitas molis, & virtutis, quæ, 119. 1. c.
Quantitatis diuisio in continuam, & discretam est vniuoca, 120. 1. a.
Quantitatis diuisio, in eam, quæ habet positionem, & in eam, quæ non habet, quando essentialis, & quando non, 122. 2. b. c.
Quantitatis tertia proprietas conuenit illi quarto modo, 125. 1. d.
Quantitatis Arbor, 126.
Quantitas secundùm se indiuiduatur à se ipsa: vt accidens verò indiuiduatur à subiecto, 472. 1. a.

R

Ratio quæ, & ratio sub qua obiecti, quid sit, 26. 1. b.
Reduplicatiuè, quid significet, 14. 2. b.
Regulæ ad dignoscendas suppositiones, 4. 1. d.
Regula appellationis, quot, & quæ, 5. 2. d.
Regulæ definitionis, 7. 2. b. c.
Regula diuisionis, 8. 1. d.
Regula ad cognoscendum in qua materia sit propositio, 9. 1. d
Regula ad cognoscendam quantitatem propositionis categoricæ, ibid. 2. a.
Regula oppositionis categoricarum, 1. 1. c.
Regula oppositionis hypotheticarum, ibid.
Regulæ æquipollentiæ, 11. 2. a.
Regulæ conuersionum, 12. 1. b.
Regula pro modalibus, ibid. 2. c.
Regula proprietatum propositionum modalium, 12. 2. d. & 13. 1. a. b. c.
Regula argumentationis, 16. 1. d.
Regulæ modorum syllogismorum, 17. 1. d.
Regulæ tam generales, quàm particulares pro figuris syllogismorum, 18. 1. d. & 2. a. b. c. d.
Regulæ pro inuentione medij, 22. 2. d. & 23. 1. a. b.
Regulæ methodi compositionis, 44. 2. b. c.
Regulæ ad dignoscendas propositiones essentiales, & accidentales, 56. 1. c.
Regula prædicatorum essentialium, 81. 1. a. b.
Regulæ generales, & particulares bonæ consequentiæ, 264. 1. b. c. d.
Regulæ consequentiæ non habent locum in argumentationibus de modo inutili, 266. 2. a.
Regulæ quinque generales trium figurarum sunt benè assignatæ, 276. 2. c. & 277. 1. a. ibid. 1. b. & 1. d.
Regulæ tres particulares pro singulis figuris sunt rectè assignatæ, 278. 2. d.
Regula generalis omnium conuersionum syllogismorum per impossibile, 286. 2. d.
Relatio rationis, quæ, & quotuplex, 29. 1. c.
Relationis rationis fundamenta, seu rationes fundandi, quot, & quæ, ibid.
Relationum proprietates, 81. 2. a.
Relatio realis, 126. 2. c.
Relatio secundùm dici, 127. 1. a.
Relatio secundùm esse, ibid.
Relatio transcendentalis, ibid. b.
Relatio prædicamentalis, ibid.
Relatio mutua, & non mutua, 127. 1. b.
Relatio mutua æquiparantiæ, & disquiparantiæ, ibid. c.
Relationes spectantes ad prædicamentum, quæ, ibid. 2. a.
Relatio in concreto, & in abstracto, quomodò definiatur, ibid. c. d.
Relationis prædicamentalis conditiones, ibid. d.
Relationis definitio est bona, 128. 1. b.
Relationis realis rationes fundandi, 129. 2. d.
Relationis fundamentum, subiectum, & ratio fundandi, quomodò inter se discriminentur, 130. 2. c. d.
Relationis diuisio est adæquata, 131. 2. a.
Relationis diuisio est generis in suas species, ibid. b.
Relatio non fundatur in relatione, 132. 1. a. b. c. d.
Relatio non fit successiuè, sed resultat, 134. 1. c.
Relatio vna potest respicere plures terminos, 135. 2. c. d.
Relationis arbor, 138.
Relatio vt sic, non importat perfectionem, neque imperfectionem, 169. 2. d.
Relatio non est per se terminus motus, 196. 2. a.
Relationes rationis, proportione seruata, habent easdem proprietates, ac relationes reales, 249. 2. d.
Res sunt in intellectu, vt cognitum in cognoscente, 192. 2. d.
Respondentis, & arguentis conditiones, 23. 2. a. b.

S

Scientia quęlibet non probat, sed supponit suum subiectum, & quomodò debeat intelligi, 38. 2. c.
Scientia practica quid sit, 38. 1. a, b.
Scientię speculatiua, & practica, quomodò differant inter se, ibid. b.
Scientia speculatiua quid sit, 37. 2. b.
Scientia in nobis datur de nouo, 293. 2. a.
Scientię conditiones quot sint, 337. 1. a.
Scientia de qua loquitur Philosophus est discursiua, ibidem b.
Scientia optimè definitur tam in concreto, quàm in abstracto, ibid. 2. a.
Scientia partialis, est vna simplex qualitas in specie infima, 338. 1. b.
Scientia actualis, non est vna simplex qualitas in specie infima, ibid. c.
Scientia quęlibet habitualis totalis, est vna simplex qualitas in specie infima, 339. 2. b.
Scientię, & erroris habitus, quomodò possint stare simul, 341. 1. b.
Scientię vnitas numerica, vnde accipienda, 342. 1. d.
Scientię vnitas tam generica, quam specifica, vnde accipienda, ibid. 2. a.
Scientię vnitas generica, vnde accipienda, 344. 1. a. b.
Scientia diuina, & humana, analogicè conueniunt; & discrepant plusquam genere, 345. 1. a.
Scientię vnitas specifica, vnde sumenda, 346. 1. b.
Scientia subalternans, & subalternata, quę, 348. 1. d.
Scientię ratio essentialis, in quo consistat, 353. 1. a. b.
Scientia est circa conclusiones formaliter, 354. 1. d.
Scientia, & opinio secundum actum, neque naturaliter, neque supernaturaliter possunt stare simul de eadem propositione in eodem intellectu secundùm diuersa prędicata, 358. 2. b.
Scientia, & opinio non possunt stare simul de eadem re, secundum idem prędicatum, ibid. c.
Scientia, & opinio, quomodo opponantur, 358. 2. b. c.
Scientia, & opinio nequeunt stare simul de eadem re secundùm habitum, 360. 1. d. & 2. a.
Scientię, & fidei supernaturalis habitus, quomodò valeant, & non valeant stare simul, ibid. 2. d.
Scientiarum subalternatio, tres conditiones principales habere debet, 348. 2. b.
Scientię subalternatę differentia accidentalis addita obiectio subalternantis, qualis esse debeat, ibid. d.
Scientia subalternans vbi desinit, incipit subalternata, 351. 1. c.
Scientię subalternatę principia sunt conclusiones propter quid demonstrata a scientia subalternante, ibid. 2. a. b.
Scientia subalternans, & subalternata, quomodò sint diuersę scientię, 352. 1. c.
Scientia subalternata absque subalternante, est substantialiter scientia, licèt imperfecta, 353. 1. a. b.
Sensus cōpositus, & diuisus, qui, & quotuplex, 499. 2. a. b
Signi diuisio, 2. 1. b. c. d.
Signa specialis confusionis, quę sint, 5. 1. a.
Signum generaliter, & specialiter quid sit, 181. 2. a.
Signum propriè non potest esse signum sui ipsius, 184. 1. a
Signi diuisio in formale, & instrumentale est essentialis 184. 2. c.
Signi diuisiones in rememoratiuum, demonstratiuum, prognosticum, &c. sunt subiecti in sua accidentia, ibid. d.
Signi diuisio in naturale, & ad placitum, est bona, & adęquata, 185. 1. d.
Signum imposito Caino, quale fuerit, ibid. 2. d.
Signi essentia consistit in aliquo relatiuo, 182. 1. d.
Signum vniuersale adiunctum termino ęquiuoco non distribuit, & quare, 496. 2. c. d.
Simul modi quid sint, 82. 1. c. & 176. 1. b.
Simultatis naturę conditiones, 236. 1. b. c.
Situs definitio, 162. 1. a, b. & 2. a.
Situs diuisio, quę nam sit, ibid. a, b.
Situs proprietates, & quę illarum conueniat quarto modo, ibid. c.
Situs Arbor 163.
Solęcismus quid sit, 499. 1. c.
Solertia quid sit, 361. 1. d.
Solertia est pars Eustochię, 362. 2. a.
Sophistarum meta, & scopi, 486. 1. a, b.
Speciei prima definitio non est vna, sed duplex, 66. 1. d.
Speciei definitiones sunt optime, ibid. 2. d.
Specificandi ratio Qua, satis est, quod sit vna genericè, vel analogicè; ratio vero sub Qua, debet esse vna specificè, 345. 1. d. & 2. a.
Substantia prima, & secunda, quę, 81. 1. c.
Substantię primę magis substant, quàm secundę, ibid.
Substantię proprietates quot, & quę, ibid. c. d.
Substantię diuisio, qualis sit, 101. 2. a, b.
Substantię primę definitio non est duplex, sed vnica, 112. 1. d. & 2. a.
Substantię definitiones, quomodò ad breuiorem formam reduci debeant, 11. 2. d.
Substantię proprietates sunt bene assignatę, 115. 2. b, c.
Substantię proprietas quarto modo, 116. 1. c.
Substantia vna altera perfectior esse potest, 117. 1. c.
Substantię Arbor, 118.
Substantię latitudo indiuidualis, est essentialiter sibi debita, 433. 1. a, b.
Substantię differentia indiuidualis, quę, ibid.
Suppositio quid sit, 3. 2. a
Suppositio formalis, & materialis, quę, ibid.
Suppositio alia propria, alia metaphorica, ibid. b.
Suppositio realis, & personalis, quę, ibid.
Suppositio realis quotuplex sit, ibid. d.
Suppositio, & cętera passiones terminorum, ipsos sequuntur tantùm in propositione, 251. 2. a, b.
Suppositio quid propriè sit, ibid.
Suppositio, quę prouenit à signis, aliquando variari potest in bona argumentatione, 277. 2. a.
Suppositio terminorum, nunquam variari potest in bona argumentatione, ibid.
Suscipere magis, & minus, multis modis capi potest, 432. 1. c.
Syllogismus quid sit, 16. 2. b.
Syllogismi figurę, & modi qui sint, 17. 1. a.
Syllogismus categoricus, & hypotheticus, ibidem. a.
Syllogismus demonstratiuus, topicus, & sophisticus, qui nam sint, ibidem.
Syllogismus rectus, & obliquus, communis, & singularis, qui nam sint, ibidem b.
Syllogismus expositorius, quid sit, 18. 2. d.
Syllogismorum proprietates, quę, 19. 1. a, b, c.

Syl-

Syllogismus sophisticus qui, & quotuplex, 21. 1. b. c.
Syllogismorum diuisio essentialis, & accidentalis, quæ sint, 29. 2. d.
Syllogismus pseudographus, quid sit, 36. 1. c.
Syllogismi definitio est bona, sed descriptiua, 268. 2. c.
Syllogismus distinguitur à discursu formaliter, 272. 1. a.
Syllogismi diuisio in modos vtiles, & inutiles, est analogi in sua analogata, ibid. 2. d.
Syllogismi diuisio ratione materiæ remotę, est accidentalis, 273. 2. d.
Syllogismus, quomodò reguletur per dictum de omni, & de nullo, 275. 2. a. b.
Syllogismi diuisio tam in tres figuras, quàm in modos vtiles, &c. est generis in suas species, 273. 2. b.
Syllogismi diuisiones respectu materiæ siue proximæ, siue remotæ, est accidentalis, ibid. c. d.
Syllogismi omnes directè concludentes, habentes conclusionem aliquo modo conuertibilem, etiam concludere possunt indirectè, 280. 2. c. d.
Syllogismorum passiones, 282. 1. a.
Syllogismus expositorius per quid propriè probetur, 283. 1. d. & 2. a. b.
Syllogismi expositorij possunt fieri in qualibet figura, 284. 2. d.
Syllogismi qui per expositorium probari possunt, qui sint præcipuè, 285. 2. b. c.
Syllogismi imperfecti omnium figurarum possunt conuerti ad perfectos per conuersionem ad impossibile, 286. 2. b. c.
Syllogismorum hypotheticorum conuersio, quomodò sit facienda, 288. 1. b. c.
Syllogismorum potentiæ, & impotentiæ, ibid. 2. d.
Syllogismus dialecticus, quid, 386. 1. d.
Syllogismus dialecticus tantùm generat opinionem, 387. 1. b
Syllogismi topici instrumenta, quæ, & quot, 389. 1. d.
Syllogismus pseudographus, & syllogismus sophisticus, quomodò differant ad inuicem, 485. 1. c.
Syllogismi obliquitas, quid sit, 516. 1. d.
Syllogismus ostensiuus quid sit, 517. 1. b. c.
Syllogismus ducens ad impossibile quid, ibid.
Synesis quid sit, 35. 1. b.
Synderesis quid sit, 373. 1. c.

T

Tempus simplex, & tempus compositum, quid, 157. 1. c.
Tempus dari nequit absque duratione, 158. 1. c.
Terminus quid, & quotuplex sit, 2. 2. a. b. c. d., & 3. 1. b. c. d.
Terminorum proprietates quot, & quę, 3. 2. a. b. c. d.
Terminus syncategorematicus, qui, & quotuplex, 4. 2. a.
Terminorum numeralium oppositio, 11. 1. b.
Termini diuisio in complexum, & in incomplexum est analoga, 100. 2. b. c.
Terminorum oppositio, 222. 2. c.
Termini syllogistici definitio, illi tantùm conuenit intra propositionem, 249. 2. a. b.
Terminorum inuentio, quodnam instrumentum dialecticum sit, 390. 2. a.
Theorema quid sit, 383. 1. c. d.
Thesis quid sit, ibid. 2. c.
Topos græcè, quid latinè significet, 377. 1. b.
Totum vniuersale, integrale, in quantitate, in modo, in loco, & tempore quid sit, 399. 2. b.
Totius vt sic diuisio est optima, ibid. c. d.
Totum copulatiuum, disiunctiuum, potestatiuum, successiuum, & collectiuum, siue aggregatiuum, quid sit, 400. 1. a. b. c.
Transcendentia minùs vniuersalia infinitari possunt, 208. 2. c.
Transcendentia vniuersalissima limitata, infinitari possunt, ibidem.
Transcendentia vniuersalissima inlimitata, etiam infinitari possunt, 208. 2. d.
Translatio, interpretatio, & etymologia, quomodò differant, 398. 1. d.
Transumptio, expositio, & translatio idem sunt, 419. 1. d.

V

Vbi prædicamentale quid sit, 155. 1. d.
Vbi breuior definitio ibid. 2. d.
Vbi diuisio in simplex, & compositum, qualis, ibid.
Vbi diuisio in sursum, & deorsum, qualis, 156. 1. a. b.
Vbi proprietas quarto modo, quę, ibid. c. d.
Vbi prædicamentalis proprietas conuenit tantùm pnoportionaliter vbi Angelorum, 157. 1. & 2. a.
Vbi, Arbor, ibid.
Verbum infinitum, quid sit, 6. 2. b.
Verbum mentis, & species expressa, idem sunt, 187. 1. a.
Verbi definitio, quomodò explicanda, 210. 2. d.
Verbum, quomodò sit nota eorum, quæ de altero prædicantur, 211. 1. a. b.
Verbum substantiuum de secundo, & tertio adiacente, quid sit, ibidem.
Verba infinita, qua ratione excludantur ab ipsius verbi definitione, 213. 2. a.
Verbum extra propositionem infinitari potest, ibid. b.
Verbum in propositione infinitari nequit, 214. 1. c.
Verbum Incipit, semper connotat negationem, 403. 1. d.
Veritas vt sic quid sit. 191. 2. c. d.
Veritas complexa, quid sit, 192. 1. a.
Veritas transcendentalis, seu incomplexa, quid sit, 191. 2. d.
Veritas formalis, non excludit ab intellectu veritatem transcendentalem, 192. 2. a.
Veritas formalis debet pertinere ad perfectissimam operationem intellectus, ibid. b. c.
Veritas transcendentalis, potest consistere in prima operatione intellectus, 193. 1. b.
Veritas formalis non consistit formaliter completiuè, & in facto esse in actu iudicij, sed tantùm vialiter, & in fieri, 195. 1. a. b.
Veritas formalis consistit in similitudine fundamentali intellectus cum obiecto, 196. 2. b. c.
Veritas vna, maior est alia, 197. 2. d.
Veritas formalis, in quo formaliter consistit, 198. 1. c. d.
Veritas formalis, quomodò possit suscipere magis, & minùs, 314. 2. b.
Veritas formalis, secundùm adæquationem formaliter relatiuam, non est maior in principijs, quàm sit in ipsa conclusione, 315. 1. a.
Veritas formalis, vt dicit adæquationem fundamentalem, est maior in principijs, quàm in conclusione, ibid. d.

Ve-

Verum absolutè sumptum, prout abstrahit à vero formali, & transcendentali, dicitur analogicè analogia proportionalitatis propriæ de intellectu, & rebus, 197. 2. c.
Verum creatum, non potest necessitare intellect. m quoad exercitium, quomodo intelligi debeat, 311. 1. b. c.
Violentum quid sit, 112. 2. d.
Virtus intellectualis, quid sit, 361. 2. d.
Vnio est modus rei, 166. 1. d.
Vnitas transcendentalis, & prædicamentalis, quæ, 119. 2. d.
Vnitas, in qua fundantur relationes reales, qualis debeat esse, 130. 1. a.
Vnitas generica quomodò dicatur sumi à materia; & quomodò differat à numerica, 473. 1. b. c.
Vnitas numerica, est maxima vnitas; specifica minor; generica verò minima, 474. 2. a.
Vnitas formalis integra, quæ sit, ibid. b.
Vnitas formalis integra, & adæquata, magis differt ab vnitate numerica, quàm formalis inadæquata, 474. 2. c.
Vnitas formalis, quomodò distinguatur à materiali, ibid. b. c.
Vnitas formalis; dum à parte rei prædicatur de natura indiuiduali, non distinguitur actualiter ex natura rei, sed tantùm ratione ratiocinata, 476. 2. d.
Vnitatum, & diuersitatum genera quot, & quæ, 474. 1 c.
Vniuersale complexum & incomplexum quid, 47. 1. d.
Vniuersale materiale, quid, & quotuplex, ibid. 2. a.
Vniuersale formale quid, ibid. b. c.
Vniuersalis complexi passiones, quæ nam sint, 47. 2 c.
Vniuersale, & prædicabile, quomodò idem sint, 54. 1. a.
Vniuersalis diuisio per genus, & differentiam, &c. non est immediata, ibid. 2. a.
Vniuersale formale, est verum, & proprium genus ad quinque prædicabilia, 56. 1. d.
Vniuersalia a parte rei, non dantur separata à singularibus, 293. 1. b.
Vniuoca, immediatè significant vnam rationem communem, 83. 2. d.
Vniuocorum definitio est optima, 84. 1. a.
Vniuocatio in numeris, quomodò sumatur, 93. 2. d.
Vnum, quadrupliciter dicitur, 507. 1. b
Voces simplices, aliæ significatiuæ, aliæ verò non, 2. 1. à.
Vocis significatio, à quibus imponi debet, ibid. c. d.
Vocis significatio, est ens rationis, 28. 1. d.
Vocis conceptus vltimatus, & non vltimatus qui sint, 186. 1. d.
Voces immediatè, & proximè, tantùm significant conceptus obiectiuos, 187. 1. c. d.
Voces significatiuæ recipiunt aliquam formam, seu qualitatem rationis à voluntate instituentis, 189. 1. b
Voces complexæ significant formaliter verum, vel falsum, 201. 1. a.
Voces incomplexæ non significant verum, vel falsum, ibidem.
Vocis significatiuæ ad placitum diuisio in simplicem, & complexam, est analogi in sua analogata, 201. 2. c.
Vocis simplicis diuisio in nomen, & verbum est generis in species, 203. 2. a. b.
Vocis significatiuæ complexæ diuisio in orationem enunciatiuam, & non enunciatiuam est generis in suas species, 204. 2. c.
Vocis instrumenta sunt decem, 205. 2. c.
Voces significatiuæ extra propositionem, non possunt appellari extrema, 249. 2. a. b.
Vocibus extra propositionem non conueniunt proprietates, & passiones terminorum, 250. 1. b.
Voluntas in via necessitatur circa bonum quoad specificationem; in patria verò quoad specificationem, & exercitium, 310. 1. b
Voluntas licèt possit retardare intellectum ne cogitet de præmissis; tamen posito tali assensu, non potest ipsum impedire, ne assentiatur conclusioni, ibid. 2. d.
Voluntas imperans actionem alterius potentiæ, non potest impedire quidquid necessario sequitur in eodem instanti ad talem actionem, ibid.
Voluntas circa bonum particulare, qua necessitate necessitetur quoad exercitium, 311. 1. b. c.
Voluntas, quare absque habitu, & absque vlla difficultate tendat in finem, 373. 2. b.
Volũtas est priùs potentia naturalis, quàm libera, 436. 2. b
Vox non significatiua, quæ sit, 186. 1. b.
Vox significatiua naturaliter, quæ ibid.
Vox significatiua ad placitum, quæ, ibid. c.
Vox complexa in ratione orationis, analogicè dicitur de oratione mentali, vocali, & scripta, 205 1. a b.
Vox complexa in ratione signi, vniuocè dicitur de oratione mentali, vocali, & scripta, ibid.
Vsus quid, & quotuplex, 410. 2. d.
Vsus tam ad media, quàm ad finem, quomodò terminari possit, 473. 2. d.

F I N I S.





Ad usum P. Ludovici à S. Teresa + 20 n

1 la leg. 25

